


BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLIX
H
16
NAPOLI

ANNALES
MINORUM

AUCTORE

A. R. P. F. LUCA WADDINGO

HIBERNO

Ejusdem Ordinis Chronologo.



ANNALES MINORUM

SEU

TRIUM ORDINUM

A S. FRANCISCO INSTITUTORUM

AUCTORE

A. R. P. LUCA WADDINGO HIBERNO

S. T. Lectore Jubilato, & Ordinis Chronologo.

TOMUS SEPTIMUS

Editio ſecunda, locupletior, & accuratior

OPERA, ET STUDIO

R.mi P. JOSEPHI MARIÆ FONSECA AB EBORA

S.T.Lect. Jub. S.& U.Inquiſit. Conſultoris, S.C.Conſiſtor. Vot. Epiſcop. Examinat. Ord.Min.in Ciſmont.Fam.tam Obſerv.quam Refor.& Diſcalc. Cõmiſs.Gen.&c.



ROMÆ Typis Rochi Bernabò MDCCXXXIII.) (*Superiorum permiſſu.*

CUM PRIVILEGIO SUMMI PONTIFICIS.



SANCTISSIMO

D. N. D.

CLEMENTI XII.

PONTIFICI OPTIMO MAXIMO

FR. JOSEPHUS MARIA FONSECA EBORENSIS
Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia
FELICITATEM



UOD *erat optandum populo Chriſtiano, & ab omnium bonorum auctore Deo votis omnibus flagitandum, ut felicibus auſpiciis annum quartum Pontificatus inires,* BEATISSIME PATER, *id ſingulari*

ejusdem Dei beneficio contigisse videmus, cumque animorum alacritate, atque lætitia, quanta maxima percipi a nobis potest, Tibi merito gratulamur. Nemo est enim, qui, cum Te sciat commoda utentem valetudine ad perficienda, quæ inchoasti, præstantissima opera toto pectore incumbere, non afficiatur sensibus intimis, Deoque immortali pro tanto munere gratiam justis honoribus, & memori mente persolvat. Ac superioribus quidem annis experti sumus, non Romæ solum, sed etiam in illis regionibus, quibus Christianorum imperium terminatur, quanto gaudio pii omnes exultaverint, quas inter se gratulationes fecerint, quanto consensu meliora, & prosperiora omnia sperare cœperint, cum, quo jampridem SANCTITATIS TUÆ *fama pervenerat, eodem Te in istam celsissimam dignitatis, atque honoris sedem ascendisse, perlatum est. Magna prorsus illis, & illustria suppeditabant argumenta, cur ita crederent: neque non firmissimis fun-*

da-

damentis nitebatur incredibilis illa spes, quam de futura Pontificatus Tui felicitate conceperant. Multa enim de Tuis in omni genere præclaris virtutibus fama vulgaverat; prudentiam, quam nihil fallere; justitiam, quam nihil inflectere; constantiam animi, & firmitatem, quam nulla temporum asperitas imminuere, aut labefactare potuisset. Sed quanto certius, & verius homines præterita, & præsentia commendare, quam de futuris affirmate pronunciare possunt; tanto plus ponderis, ac fidei habere debet ea gratulatio, quæ Tibi fit, quarto jam anno ex ista sanctissima sede universum orbem sapientissime gubernanti, quam illæ, quæ tum fiebant, cum homines, qualem esse Te magis, ac magis experiuntur in dies, talem futurum esse prospicerent, quasique augurarentur. Nunc, quæ olim futura credebantur, & quæ solum sperata lætitiam tantam in animis hominum commovebant, ea Romani apertissime vident, longinqui audiunt &

præ-

prædicant. Te ajunt esse, ad quem aditus omnibus pateat, cui sit pietatis in Deum, liberalitatis, beneficentiæ, amoris in omnes ordines antiquissima cura; cujus & potestas timeatur, cum omnia possis; & bonitas diligatur, cum idem non plus licere Tibi velis; quam quantum perfecta ratio, & decorum præscribit. Norunt eximiam integritatem vitæ Tuæ; perpetuum illlud, nec umquam satis laudandum purgandæ Ecclesiæ studium; animum vero nihil, nisi de Deo, & de utilitate publica cogitantem. Neminem latent, quæ Tu ad mores hominum corrigendos, & ad auferendam improbis omnem maledicendi occasionem, & jam fecisti, & quotidie facis. Refrenatas libidines, expulsa nequitiæ instrumenta, sublatam penitus omnem Ecclesiasticarum rerum nundinationem, compositos & jussu, & exemplo Tuo aliorum mores, mutatam in melius urbis faciem nos videmus, exteri intelligunt. His omnibus ex rebus cum Romanus populus incredibilem

capit

capit voluptatem; tum vero illud efficitur, ut universum terrarum orbem Tui nominis fama secundis hominum acclamationibus pervagetur; denique imaginem Tuarum virtutum æternis gloriæ monumentis expressam non modo ætas nostra, sed ipsa posteritas intuens, cupiat imitari. Noster Ordo præsertim officiis Tuis, & caritate vehementer obstrictus, mirum quantum jucunditatis ab hoc splendore Pontificatus Tui, ab ista rerum per Te gestarum prædicatione, famaque percipiat. Qui cum intelligat, nihil ad summam felicitatem sibi deesse, modo gaudium hoc suum solide gaudeat; illud a Deo votis omnibus petit, ut publico Ecclesiæ bono non minus diu Pontifex vivas, quam Te Pontificatu dignum vixisse, omnes, qui vere, & incorrupte judicant, confitentur.

ERU-

ERUDITO LECTORI.



PRIUSQUAM ad hæc legenda te conferas, monendus es paucis, amice Lector. Multa narrantur in hoc volumine, quæ morosis ingeniis negotium facile exhibeant; præsertim vero quæ de majorum institutis, ac legibus, de paupertatis Evangelicæ cultu, de illius natura, & proprietatibus inter alumnos Franciscanæ familiæ sunt disputata. Laborabunt nonnulli, quorsum tandem reciderit ea quæstio, tanta animorum contentione, ac voluntatum dissidio a plerisque suscepta; quos videlicet satius fuerat, controversiarum occasione sublata, domesticam pacem, atque concordiam omni ope tueri. Hi tamen si paulisper attendant, quæ ratio fuerit antiquis illis familiæ Doctoribus hujus quæstionis instituendæ, statuent, opinor, minime inviti, ad illustranda Patriarchæ Francisci, Summorumque Pontificum de paupertate decreta diligentiam eorum, qui de istis disseruerunt, mirum in modum profuisse. Cum enim veterem disciplinam tenere horum plerique constituissent, ejusque studio corroborandæ universim de rerum usu, atque dominio multa dixissent; id fere omnes pro comperto habuerunt, nec privatos familiæ homines, nec universam Sodalitatem ullis in rebus, ex instituto Divi Francisci, quippiam juris habere; quicumque sit ille demum constituendus, in quem rerum, quas Franciscani consumunt, jus illud omne recte conveniat. Joannem quidem XXII. Pontificem Maximum jure suo, ac potestate usum fuisse, cum dominium in res ejusmodi sua sponte dimisit, nemo est, qui non videat. Quod & ipse Waddingus animadvertit, qui dum talia narrando persequitur, eumdem Pontificem non uno in loco egregie dilaudat: ut vel ex eo prudentis viri in Apostolicam Sedem obsequium, & observantiam agnoscas.

REIM-

REIMPRIMATVR

Si videbitur Reverendissimo Patri sacri Palatii Apostolici Magistro.

N. Baccarius Episcopus Bojanensis Vicesgerens.

REIMPRIMATVR

Fr. Jo. Benedictus Zuanelli Ordinis Prædicatorum sacri Palatii Apostolici Magister.

AN-



ANNALES MINORUM.

ANNO CHRISTI 1323.	JOANNIS XXII. ANNO 7. & 8.	LUDOVICI IV. IMP. ANNO 9. & 10.	RELIGIONIS MINORUM ANNO 116.

ARGUMENTUM.

Gravissimæ excitantur turbæ circa controversiam de paupertate Christi, quam tamdem hoc anno Pontifex definit edita constitutione, quam Nicolai III. de hac re decreto nullatenus contraire aperte monstramus. Ponderosa negotia committuntur in Oriente fratri Aymerico Episcopo Paphensi. Circa Inquisitores quædam præscribuntur. Commendatur frater Paulinus Patavinus. Initiatur beatus Paulutius a Trincis Fulginas. Floret Franciscus Mayronius, & moritur sanctus Elzearius. Assumuntur aliqui ad Episcopatus, & Institutum propagatur.

I. NEUNTE hoc anno die XIV. mensis Januarii audacter nimis appellavit frater Bonagratia de Bergamo procuratorio nomine totius Religionis, de constitutione: *Ad conditorem canonum*, quam ad finem anni præcedentis diximus edidisse Joannem Pontificem in magnum Religionis detrimentum, contra distinctionem usus facti & juris, & de abrogandis Syndicis Apostolicis, qui Ecclesiæ nomine oblata Minoribus vel reciperent, vel exigerent. Neque enim secreto ad pedes suæ Sanctitatis in cubiculo provolutus humiliter, ut decuit & debuit, supplicavit, ut causa melius considerata constitutionem revocaret, aut temperaret, sed publice prædicto die, in pleno consistorio Cardinalium provocavit contra prædictam extravagantem, librumque Pontifici in omnium conspectu porrexit a se & aliis conscriptum, incipientem: *Vestræ supplicat Sanctitati Bonagratia &c.* in quo pluribus rationibus probabat, nimis dure & injuste actum cum toto suo Sodalitio, & extravagantem non posse subsistere, cui adversabantur tot Pontificum prædecessorum constitutiones. Aderant tunc in consistorio duo Cardinales ex Minoritis, videlicet frater Bertrandus de Turre, & frater Vitalis de Furno, uti nostri conscribunt auctores; quo fit ut minus verum esse posit, quod alias admonuimus scripsisse Ciaconium, nimirum Vitalem hunc anno MCCCXX. obiisse. Tertium etiam addit Marianus ejusdem Instituti Cardinalem Bernardum de Monte Favesio, de quo superius nostram produximus sententiam.

Chron. Antiq. Marian. l. 4. c. 8. Marcus p. 2. l. 8. c. 12.

Tom. 6. an. 1322. n. 57.

Procurator Ordinis appellat de constitutione Pontificis.

Tom. 6. an. 1320. n. 5.

Tom. 6. an. 1316. n. 39.

 II. Sane

Male hoc habuit Pont.

II. Sane hoc erat ignem igni addere, aut camino ardenti oleum infundere; ad hæc enim Pontifex vehementer excanduit, & ira amplius efferbuit, dum legit rationes a Bonagratia porrectas, quibus asserebat, prædictam constitutionem injustam esse, idque juribus divinis & humanis conabatur ostendere. Fecit itaque Pontifex amoveri a valvis Cathedralis Ecclesiæ Avenionensis, quibus antea diximus affixam constitutionem, eamque in pluribus mutari, augeri, & novis additis rationibus ampliari, conceptamque suam opinionem amplius confirmari: deinde sic correctam iterum ad prædictas valvas appendi, apposito eodem die, & anno, quo prius confecta seu data est, quantumvis in multis discreparet a prima editione. Utramque editionem, nihilo omisso, ex pio in nostros affectu corrivavit in suos Annales Bzovius: quamvis secundæ editioni alterum ex suo penu subjiciat annum, sed eumdem diem VI. Idus Decembris, quasi vero post appellationem a Bonagratia factam in mense Januarii distulerit responsum, vel editionem bullæ usque ad anni finem & mensem ultimum Decembris. Verius sane est, quod Marianus, & alii observarunt auctores, secundo affixam sub eodem die & anno, quo prius fuerat promulgata. Non omnes isthoc probarunt, neque enim ex auctoritate aut stylo Sedis Apostolicæ factum plures censuerunt, cujus decretales ea maturitate digeri solent, ut crescere & decrescere nesciant, in petræ soliditate fixæ & fundatæ, quales illæ fuerunt anteriorum Pontificum, quas impugnatum ibat Joannes, ut mirum non sit, si ejus dissertatio, prædecessorum repulsa auctoritate, hasce vicissitudines subierit. Bonagratia vero, ad hæc provocavit, sed non impune fecit: comprehensum namque jussit Pontifex tetro carceri per integrum annum mancipari.

Tom. 6. an. 1322. n. 57.

Renovavit eamdem constitutionem.

Bzov. an. 1322. n. 4. & an. 1323. n. 11.

Bonagratia incarceratus.

Quæstio de paupertate discutitur in consistorio.

III. Tamdem se accinxit ad principalis controversiæ decisionem, proposuitque quæstionem in publico consistorio discutiendam. At iniquo marte Franciscani, & eorum fautores decertarunt cum adversariis, Pontifice irato, & in adversam sententiam toto propenso, plerisque, qui auram & favorem ejus captabant, votisque secundabant, & toto conatu incurrentibus in decisionem Perusinam, eamdem erroneam & hæreticam tumultuario strepitu, nulla ratione aut auctoritate vociferantibus. Ita hi, & qui cum eis Christum & Apostolos aliqua habuisse in speciali & in communi asserebant, & contrariam assertionem absque ullo delectu dicebant hæreticam, Joanni placebant: qui his adversabantur, displicebant, neque loqui permittebantur. Probavit hoc suo malo Cardinalis Vitalis de Furno Episcopus Albanensis, qui dum in consistorio surgeret, tuereturque tamquam probabilem & veram, utpote multorum Pontificum decretis innixam, sententiam Minorum, ex quorum Sodalitio ad Cardinalatum assumptus est, acriter nutibus, gestibus, & verbis increpatoriis reprehensus est a Pontifice, & comminatorie repulsus cum confusione, magno animi impetu additis & repetitis his verbis: *Hæ sunt hæreses vestræ: hæreses profertis.* Oportuit proinde ad placandum Principem sua causa cedere, & metu perterritum in publico consistorio se fateri culpabilem. Idem ipsum evenit Arnaldo Turriano Archiepiscopo Salernitano, Henrico Episcopo Lucano, Hieronymo Episcopo Caphensi ex Minoritis assumptis, quos in eodem consistorio suorum Consodalium partes tueri aggressos enormiter redarguit, licet illi constanter in sua assertione perstiterint. His terroribus & minis perterritis qui aderant, pauci erant, qui vel obmutire auderent, aut quidpiam proferre in Minorum tutelam. Demum deventum est ad ultimam controversiæ decisionem, in qua summopere apparuit singularis Dei circa suam Ecclesiam providentia, ut

Dedixit Pontifex controversiam.

ut quantumvis ab irato Pontifice, & privatæ sententiæ amore jam possesso, nihil decisum fuerit, quod veritati in hac quæstione, aut Nicolai III. definitioni, ex qua deprompta est determinatio Perusina, contrairet. Ipsam hic exscribo, & collatis invicem clausulis, cum Nicolai decretali conciliabo.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

IV. *Cum inter nonnullos viros scholasticos sæpe contingat in dubium revocari, utrum pertinaciter affirmare Redemptorem nostrum, ac Dominum Jesum Christum, ejusque Apostolos in speciali non habuisse aliqua nec in communi, etiam hæreticum sit censendum: diversa & adversa etiam sentientibus circa illud; Nos huic concertationi finem imponere cupientes, assertionem hujusmodi pertinacem, cum Scripturæ sacræ, quæ in plerisque locis ipsos nonnulla habuisse asserit, contradicat expresse, ipsamque Scripturam sacram, per quam utique fidei Orthodoxæ probantur articuli, quoad præmissa fermentum aperte supponat continere mendacii, ac per consequens, quantum in ea est, ejus in totum fidem evacuans, fidem Catholicam reddat, ejus probationem adimens, dubiam & incertam, deinceps erroneam fore censendam & hæreticam, de Fratrum nostrorum consilio, hoc perpetuo declaramus edicto. Rursus imposterum pertinaciter affirmare, quod Redemptori nostro prædicto, ejusque Apostolis iis, quæ ipsos habuisse Scriptura sacra testatur, nequaquam jus ipsis utendi competierit, nec illa vendendi seu donandi jus habuerint, aut ex ipsis alia acquirendi, quæ tamen ipsos de præmissis fecisse Scriptura sacra testatur, seu ipsos potuisse facere supponit expresse, cum talis assertio ipsorum, usum & gesta evidenter includit, in præmissis non justa, quod utique de usu, gestis seu factis Redemptoris nostri Dei Filii sentire nefas est, sacræ Scripturæ contrarium, & doctrinæ Catholicæ inimicum: assertionem ipsam pertinacem, de Fratrum nostrorum consilio, deinceps erroneam fore censendam merito, ac hæreticam declaramus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum declarationum infringere, vel ausu ei temerario contraire. Si quis autem &c. Datum Avenione II. Idus Decembris anno VII.*

Hab. inter extr. com. tit. de verb. sign.

V. Ex hac decretali plurimi hæreticorum occasionem arripuerunt improbe insultandi nostræ sanctæ fidei, qua firmiter credimus definitiones summorum Pontificum, quibus ex Sede quidquam de fide credendum proponunt, infallibilis esse veritatis. Etenim præter alia argumenta quæ maligne excogitarunt, ut ostendant Pontifices in suis definitionibus errare posse, sed & errasse, & contraria quandoque docuisse, hoc etiam adjungunt, Joannem scilicet fide credendum decrevisse oppositum illius, quod aliàs Nicolaus III. definierat; unde inferunt, vel Nicolaum prius deceptum, vel Joannem posterius errasse. Attamen ea est singularis Dei erga suam Ecclesiam providentia, & indefectibilis Spiritus sancti assistentia, qua Christi regit Vicarios, ut nullo unquam tempore permiserit ex Sede quidpiam de fide doceri, quod veræ fidei non esset; neque quidpiam ut hæreticum, aut falsum condemnari, quod hæresis & falsitatis notam non mereretur. Hoc abunde & sapienter probarunt plerique viri graves contra neotoricos hæreticos, respondentes singulis objectionibus, quas illi vel ex factis vel decretis Pontificum producunt. Ego illud clarissime & diffusius, quam reliqui, ostendam in his duobus Pontificibus Nicolao & Joanne, quos omnium clarissime illi putant sibi invicem adversari. Illud unum esse in materia fidei com-

Non contradicit hæc decretalis constitutioni Nicolai.

Turrecr. in summ. l. 2. cap. 112. Canus de locis l. 6. c. 8. Bellar. lib. 4. de summ. Pont. c. 14. & alii.

communiter objiciunt, in quo discrepant, quod Nicolaus dixerit, Christum & Apostolos nihil habuisse in speciali aut in communi, & Joannes definierit habuisse: at circa hoc ego omnia proferam ex eorum decretalibus, in quibus discordes apparere, sed non esse, manifeste convincam.

§. Porro cum ipsa.

VI. Nicolaus in sua decretali *Exiit qui seminat*, ita habet: *Porro cum ipsa Regula expresse contineat, quod Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem, sitque declaratum per eumdem prædecessorem nostrum Gregorium IX. & nonnullos alios, hoc servari debere tam in speciali, quam etiam in communi: quam sic arctam abdicationem venenosis obtrectationibus aliquorum insensata damnaverat astutia: ne Fratrum eorumdem perfectionis claritas in talium imperitis sermonibus laceretur. Dicimus, quod abdicatio proprietatis hujusmodi omnium rerum, non tam in speciali, quam etiam in communi propter Deum, meritoria est & sancta, quam & Christus viam perfectionis ostendens, verbo docuit & exemplo firmavit, quamque primi fundatores militantis Ecclesiæ, prout ab ipso fonte hauserunt, volentes perfecte vivere, per doctrinæ ac vitæ exempla in eos derivarunt.* Ad hanc etiam respexerat paupertatem, & rerum omnium abdicationem, quando superius dixerat de Minoribus: *Sunt illius sanctæ Regulæ professores, quæ Evangelico fundatur eloquio: vitæ Christi roboratur exemplo: fundatoris militantis Ecclesiæ, Apostolorum ejus sermonibus actibusque firmatur. Hæc est apud Deum & patrem munda & immaculata religio, quæ descendens a patre luminum, per ejus filium exemplariter & verbaliter Apostolis tradita, & deinde per Spiritum sanctum beato Francisco, & eam sequentibus inspirata, totius in se quasi continet testimonium Trinitatis.*

§. Licet autem.

VII. Hæc putant aliqui obviare & aperte contradicere iis, quæ Joannes in prædicta definivit Extravagante dicens, erroneum esse & hæreticum, asserere pertinaciter Christum, ejusque Apostolos in speciali non habuisse aliqua, nec in communi. Dum enim Nicolaus asserit, Christum arctam abdicationem rerum omnium in speciali & in communi, quam Minores profitentur, verbo docuisse & exemplo firmasse, eamque primos Ecclesiæ militantis fundatores ab ipso Christo habuisse, videtur aperte docere neque Christum, neque Apostolos quidquam habuisse in speciali aut in communi, & consequenter illud ipsum, quod Joannes decrevit, erroneum esse & hæreticum; & similiter judicandum quis putabit de sententia Patrum capituli Perusini, qui firmiter & tenaciter adhærendum esse dixerunt determinationi Nicolai.

VIII. Profecto non admirari non possum, quod viri sapientes aut pii, ita sibi contraria putent hæc istorum Pontificum decreta, ut ex illis inferant alterutrum errasse. Quod enim ita ex malitia, seu affectata ignorantia deducant, aut objiciant hæretici, nihil mirum, quibus nihil bene dictum videtur, nisi maledictum sit in Pontifices. Mirum tamen, quod per integrum biennium, & amplius reluctarint homines Catholici, aliàs docti, huic Joannis definitioni, tamquam Nicolai decretali contrariæ, & consequenter uti dicebant, erroneæ, uti ex ipso inferius referemus. Sed & commentator horum decretalium Joannes Zenzelinus de Cassanis, adhibita insulsa explicatione, concordare conatur hos Pontifices, tamquam sibi omnino adversantes, dum ad Joannis Extravagantem *Cum inter nonnullos*, ita subjungit: *Mirabile continere videtur præsens constitutio in duobus. Primo in hoc quod dicit, pertinaciter asserere Christum, & Apostolos non habuisse aliqua in speciali vel communi hæreticum & erroneum fore censendum, cum decreta-lis,*

Tom. 2. an. 1324. n. 3.

Extrav. Cum inter verbo declaramus.

lis, Exiit. §. 1. Porro, *expresse contrarium innuat, dicendo, quod abdicatio proprietatis omnium rerum tam in speciali, quam in communi propter Deum sit meritoria. & sancta, quod & Christus viam perfectionis ostendens verbo docuit, & exemplo firmavit, quod Apostoli, in quantum fuerunt professores paupertatis excelse, & volentes perfecte vivere per doctrinae, ac vitae ipsorum alveos derivarunt, qualis enim, & quae pertinax assertio potest dici, si asseratur quod conditor canonis Christi Vicarius asserit? Certe nulla, ut videtur argum.* 19. *dist. cap. Sancta, dist. si Romanorum.* 93. *dist. cap. miratus. Secundo per eamdem viam in hoc quod in praesenti §. rursus dicitur, quod pertinaciter affirmare Christo, & Apostolis non competiisse jus utendi &c. nam dictus* §. Porro, *dicere videtur expresse, ipsos habuisse simplicem usum facti absque proprietate, dominio, usufructu, & absque jure utendi &c.*

IX. Adeo namque aperte loquitur Nicolaus, & adhibita tam manifesta distinctione temporum, ut excludat omnem suspicionem contrarietatis. Distinguit duos status, duplex magisterium, & diversa tempora in actionibus Christi: statum perfectionis & imperfectionis, seu, uti mavis, minoris perfectionis, magisterium unum perfectorum, alterum infirmorum; tempus, quo interdixit Apostolis quidquam possidere, & aliud quo loculos indulsit habere. Pro primo statu quatenus magistrum se exhibuit perfectorum, & illo tempore quo Apostolos misit ut praedicarent, nihil habuisse docet Nicolaus apertis his verbis: *Abdicationem proprietatis rerum omnium tam in speciali, quam etiam in communi, Christus viam perfectionis ostendens, verbo docuit & exemplo firmavit, eamque primi fundatores militantis Ecclesiae, prout ab ipso fonte hauserant, volentes perfecte vivere, per doctrinae ac vitae exempla in eos derivarunt.*

X. Ecce statum & tempus, in quibus Nicolaus declarat nihil proprium habuisse Christum, aut Apostolos in speciali aut in communi: ecce etiam alterum in quibus habuisse, & possedisse aperte fatetur. Objectis enim sibi tacite locis sacri eloquii, ex quibus manifeste convincitur, Christum & Apostolos aliqua possedisse, aut loculos habuisse, quibus etiam innixus Joannes suam condidit decretalem, ita respondet. *Nec his* (scilicet quae antea dixit in primo statu) *quisquam putet obsistere, quod interdum dicitur Christum loculos habuisse: nam sic ipse Christus, cujus perfecta sunt opera, in suis actibus viam perfectionis exercuit, quod interdum infirmorum imperfectionibus condescendens, & viam perfectionis extolleret, & imperfectorum infirmas semitas non damnaret, sic infirmorum personam Christus suscepit in loculis: & sic in nonnullis aliis infirma humanae carnis assumens (prout Evangelica testatur historia) non tantum carne, sed & mente condescendit infirmis. Sic enim humanam naturam assumpsit, quod in suis operibus perfectus existens, in nostris factus humilis, in propriis permansit excelsus. Sic & summae caritatis dignatione ad actus quosdam nostrae imperfectioni conformes inducitur, quod a summae perfectionis rectitudine non curvatur. Egit namque Christus & docuit opera perfectionis. Egit etiam infirma, sicut interdum & in fuga patet, & in loculis: sed utrumque perfecte perfectus existens, ut perfectis & imperfectis se viam salutis ostenderet, qui utrosque salvare venerat: qui tamdem mori voluit pro utrisque.*

XI. Quid hic dubii? quae obscuritas? qualia involucra verborum, ut non clarissime locutus dicatur Nicolaus, & in plano sermone plane diversa distinxisse videatur tempora, atque in primo neget, & in secundo concedat, Christum & Apostolos aliquas habuisse & possedisse facultates? Quid ergo ad hoc objicitur ex Joannis decretali? videlicet eum condemnasse tamquam er-

erroneum & hæreticum pertinaciter affirmare Christum Dominum, ejusque Apostolos in speciali non habuisse aliqua nec in communi, nec jus illis competiisse, rebus illis, quas habebant, utendi, neque licite eas potuisse vendere aut donare? Fortassis hæc pertinaciter affirmavit Nicolaus, qui ultro negavit? vult Joannes ut concedatur, Christum & Apostolos habuisse aliqua, & jure possedisse: id prius concessit Nicolaus. Docuit Joannes ita contineri in sacra Scriptura; id prius docuit Nicolaus. Nihil ergo negat hic illius quod Joannes voluit concessum. Condemnat Joannes eum, qui absolute seu pro omni tempore negat Christum, ejusque Apostolos quidquam habuisse; at pro determinato statu & tempore habuisse prius Nicolaus affirmavit, dum scilicet condescendere voluit infirmis & imperfectis: & habuisse negavit, dum viam perfectionis ostendit.

Non est imperfectio bona habere aut possidere.

XII. Non ita hæc velim intelligi, aut Nicolai verba a quopiam in eo accipi sensu, ut imperfectionem aut peccatum putaverit proprium possidere, quod de omnibus Christianis judicarunt varii hæretici dicti Apostolici, Cathari, Novatiani, Eustathiani, Pelagiani, Waldenses, & Fratricelli; & de solis Ecclesiasticis Vadiani, seu Antropomorphytæ, Manichæi, Marsilius Patavinus & Wicleffus; sed quod sit imperfectio negative, id est negatio majoris perfectionis, seu minor perfectio, uti docte explicuit ad hæc ipsa verba Pontificis Caetanus, sed clarius sanctus Bonaventura, dicens: *Habuit Christus loculos pro aliis infirmis, & imperfectis, qui habent loculos pro seipsis, qui etsi sint perfecti respectu habentium propria vel multa & magna, cum ipsi habeant pauca; sunt tamen imperfecti in hoc, respectu illorum, qui nihil habent penitus in hoc mundo. Quia nihil habentes penitus sunt in summo gradu in hac parte ut est possibile statui humano, a mundi periculis & illecebris absoluti. Unde Hugo dicit: habebat Jesus loculos, conformans se imperfectis. Christus in numero imperfectorum inveniri voluit, ne præsumerent non accipientes, & confunderentur accipientes.* Et super illud Psalmistæ: *Producens fœnum jumentis*, dicit Augustinus: *Habuit Dominus loculos, & dictum est de quibusdam feminis religiosis*, quod ministrabant eidem de substantia sua. *Futurus erat Paulus, nihil tale aliquando requirens: sed quia multi infirmi ista quæsituri erant, magis infirmorum personam suscepit Dominus, ergo sublimius Paulus? nequaquam, imo sublimius Christus, quia misericordius. Cum enim videret Paulum, ista non quæsiturum, prævidit ne damnaret, quæsiturum, & præbuit exemplum infirmo.* Et paulo inferius ait: *Licet quodammodo infirmum videatur, secundum genus suum respectu perfectionis Pauli necessaria recipere illo modo, quo Deus recepit a Mulieribus secum itinerantibus, & comedendo in mensis alienis: est tamen longe sublimius, sic de mensis alienis vivere, quod nihil ex eis possessorie habeatur, quam depositum recipere, & pecuniam cum refertis promptuariis possidere.*

Caet. 2.2. q.188. ar.7.4.2. de aliis.
Bonav. in cap.4. Reg. Minor.
Hugo de S. Vict. in Ps.91. cap.64.
Psal. 103. 6.
August. in Psal. 103. Conc.3. circ. med. c.8.
Luc. 8. 3.

XIII. Nullo itaque negotio conciliantur Nicolaus & Joannes, dum ille duos distinguit status & tempora, in quorum uno non habuisse, & in quorum altero habuisse Christum & Apostolos aliqua patenter edocuit. Joannes autem definivit hæreticum esse negare absolute seu pro omni tempore, quod aliquas possederint facultates, quod neque Nicolaus, neque Patres Capituli Perusini ullatenus negarunt. Alia, quæ ad hanc spectare videntur controversiam, & alii huic immiscent quæstioni, videlicet an major sit perfectio nihil possidere in speciali aut in communi, quam habere dumtaxat in communi? An Franciscanorum paupertas præ ceteris dicenda sit *altissima*? An speciem aliquam dominii aut juris habeant rerum illarum, quibus utuntur, non tam hujus sunt loci, quam alterius, in quo producenda & examinan-

nanda erit decretalis altera Joannis: *quia quorumdam mentes*, in qua anno sequenti conatus est satisfacere objectis contra extravagantes: *Ad conditorem*, & *Cum inter nonnullos*, ubi ista studiosius exagitat.

XIV. Obiter hic admonendum, errorem esse in calculo annorum, quo editam hanc extravagantem recensent Nicolaus Eymericus, & codex textus canonici, dum eam sub anno VII. Pontificatus Joannis reponunt, cum vere inciderit in annum octavum, uti habetur in regesto Vaticano, & exscripsit Abrahamus Bzovius, adjungitque in fine bullæ ad annum octavum Pontificatus, Christi MCCCXXIII. monetque in præfatione ejusdem non eodem anno, quo data est decretalis: *Ad conditorem Canonum*, scilicet MCCCXXII. sed sequenti, videlicet hoc ipso MCCCXXIII. promulgatam hanc constitutionem. Ita etiam accurate notavit Marianus noster, & correcti codices conspirant. Gravior porro error est Francisci Peñæ uno loco asserentis, datam fuisse hanc extravagantem anno MCCCXVIII. & altero affirmantis anno MCCCXXI. a Joanne emissam. Crassius adhuc erravit Genebrardus, dum sub anno MCCLXXVII. eamdem reponit, & a Joanne XXI. Lusitano (qui inter Adrianum V. & Nicolaum III. sedit) editam commemorat. Verum tamen est sui oblitum, idipsum iterum asserere de nostro hoc Pontifice Joanne XXII. qui vere, non nisi sub finem hujus anni eam promulgavit.

Quo anno edita extrav. *Cum inter nonnullos*.

Direct. Inqu. par. 2. q. 15.
Bzov. ann. 1322. n. 5.

Marian. lib. 4. cap. 8.
Peña in sc. 31. ad 2. part. direct.
In argumen. extr. Gloriosam Ecclesiam, in fine direct.
Genebrard. sub Joan. 21. & 22.

XV. Confirmant amplius, quod sub finem anni data sit hæc decretalis, ejusdem Pontificis litteræ scriptæ Kalen. Decembris anni Pontificatus VIII. Christi scilicet MCCCXXIII. ad Ferrariensem & Bononiensem Episcopos, quibus refert sibi delatum quod Guillelmus Occham *dictus Anglicus*, prædicaverit & affirmaverit Bononiæ in frequenti populi consessu, hæreticum esse asserere Christum & Apostolos aliquid habuisse in proprio aut in communi, quod ab his Prælatis jubet examinari, & si ita esse comperissent, eum citarent ad comparendum Avenione coram Pontifice infra unius mensis spatium, non aliam allegans causam, quam quod ausus sit ita publice docere, sciens subortam de hac re in Romana Curia controversiam, & in ea terminari debere. Quod si anno antecedenti promulgata esset extravagans: *Cum inter nonnullos*, acrius in eumdem ageret, hæreticumque appellaret, quod ausus sit prædicare contra id, quod jam erat a Pontifice definitum: sed dum hoc anno ante editam definitionem prædicaverit, nihil potuit contra eumdem objicere, quam quod decisionem quæstionis jam motæ & controversæ in Curia Pontificia, non expectarit: quod etiam alias objecit Patribus Capituli Perusini, quibus tunc interfuit Occhamus, officio fungens Ministri provinciæ Anglicanæ, & subscripsit eorum declarationi circa paupertatem Christi, desumptæ verbatim ex decretali Nicolai III. nullatenus contrariæ definitioni Joannis, ut jam ostendimus manifeste. Atque hinc mihi persuaserim, non absolute Bononiæ prædicasse Occhamum, Christum & Apostolos nihil habuisse in proprio aut in communi, sed juxta modificationem & distinctionem Nicolai & Capituli Perusini, quod ipse suo chyrographo firmavit, pro illo tempore, quo Christus viam perfectionis docens nihil voluit habere. Qui vero Pontifici rem detulerunt, ut magis eumdem in Occhamum incitarent, fortassis durius, uti fit, factum narrarunt, vel non percepta illa distinctione, absolute propositionem conceperunt. Ille vero Pontificis præceptis obediens Avenionem abiit, ibique remansit, donec simul cum Cæsenate ad Ludovici Bavari partes insipienter & temere transivit. Hic admonuerim, nullum mihi dubium Occhamum Anglum fuisse, quantumvis Hibernum dicat Vollaterranus. Etenim in his litteris Pontificiis non alio, quam *Anglici* cognomine audit, & in Comitiis Perusinis functus est officio Ministri pro-

Reg. Vatic. fol. 18.

Occhamus Bononiæ prædicavit de hac controversia.

Volaterr. in Anthrop. lib. 21.

Non Hibernus sed Anglus erat Occhamus.

provinciæ Anglicanæ; nisi fortassis dixeris, aliquam originem, vel paternam vel maternam ab Hibernis suscepisse. Deinde ex eisdem litteris constat, aliquandiu in Italia conversatum, quippe, qui in Bononiensi urbe frequentissima, & insigni Academia nobilissima, concionem habuerit ad populum.

Favet Minoritis Robertus Rex Siciliæ.

XVI. Quod ad ipsam controversiam spectat, multos habuerunt in hac molestia fautores Minoritæ, præsertim Robertum Regem Siciliæ, Ordini addictissimum, qui verbis & scriptis Pontifici porrectis ante & post definitionem, illorum partes & sententiam tuebatur, protestatusque est, se ex Doctorum hominum consilio in illorum opinione persistere, & in eadem moriturum, nunciosque destinavit ad Comitia Bononiensia post hæc celebrata, per quos suasit Fratribus, ne à sana Nicolai III. Doctrina & declaratione Perusina recederent, quam Viri pij & docti cum Joannis definitione conciliabant.

An. 1254. n. 16. & an. 1288. n. 14. Inquisitor in valle Spoletana Fr. Petrus de Perusio.

XVII. Alias diximus, potestatem concessam prælatis Minorum, ut instituere & amovere possent Inquisitores in provinciis sibi commissis: dedit tamen hoc anno Pontifex privilegium Fr. Petro de Perusio Inquisitori in provincia S. Francisci, & valle Spoletana, ne posset a suo amoveri officio, absque speciali Sedis Apostolicæ auctoritate.

Dilecto filio Petro de Perusio de Ordine Fratrum Minorum Inquisitori hæreticæ pravitatis in provincia S. Francisci & Vallespoletana.

Reg. vat. fol. 404.

XVIII. *Quia solent interdum mutationes Judicum causis & negotiis incommoditates afferre. Nos circa negotium inquisitionis fidei, ut utilius procedat, & clarius hujusmodi cupientes incommodis præcavere, cuicumque in Ordine tuo, tibi superiori, quacumque sit auctoritate munitus, ne ab eodem Inquisitionis officio te suspendere vel removere præsumat, absque licentia Sedis Apostolicæ speciali, districtius auctoritate præsentium inhibemus. Datum Avenione Nonis Januarii anno* VII.

Multa committuntur ponderosa Aymerico Episcopo Paphensi. An. 1322. n. 72.

XIX. Plurima eaque gravissima negotia commisit Pontifex hoc anno in Oriente peragenda Fr. Aymerico, quem ad Episcopatum Paphensem ex hoc Instituto diximus anno superiori assumptum, præsertim quod acriter inter se dissidentes & hostiliter se invicem petentes Henricum Regem Cypri, & Helionum, Ordin. Hospitalis S. Joan. Hierosolymitani magnum Magistrum, ac reliquos Fratres ejusdem militiæ, pacificaret, nec non fœdera pacis inter eumdem Regem, & Leonem Regem Armeniæ, & demum inter eumdem Henricum ac Januenses simul cum Petro Patriarcha Hierosolymitano concluderet, Nuncios pro his aliisque rebus tractandis ad Pontificem & Galliæ Regem misit Henricus Fratres Petrum de Vienna, & Joannem Parisiensem Minoritas, de quibus multa habentur in regesto Vaticano diplomata.

Paulinus Paravinus ad urbem nativam transfertur.

XX. Hoc anno translatum est ad urbem nativam cadaver Fr. Paulini viri Paravini probatæ vitæ, & virtutis, in pacificandis populis egregiæ auctoritatis, & sui Instituti observantia singulariter commendabilis. Mortuus est Tridenti, dum suæ urbis fœdera ferret ad Regem Boemorum. Jacent ejus ossa prope portam claustri a parte dextera e regione chori, ubi in tabula marmorea hæc cernitur inscriptio.

Vide Scardeon. de reb. Paravin. fol. 421.

Qui legis hæc, Fratris Paulini cerne sepulchrum:
Pars jacet hic, cujus pars tamen astra tenet.
Astra tenet, quoniam pacem dilexit, & illam
Servari monitis sanxit in urbe suis.
Cujus multa licet fuerint præconia, saltem

Hec

Hæc tibi quæ referas, accipe posteritas.
Vir fuit in laqueo vitæ longævus honestæ,
Assiduus normæ dogma tenere suæ.
Dulcibus eloquiis, cui persuadere quietem
Civibus & patriæ sedula cura fuit.
Pacifer hic Patavæ sedavit scandala terræ,
Exulibus patrios restituitque lares.
Fœdera dum Regi ferret laudanda Bohemo,
Urbe Tridentina turbine febris obit.
Transtulit hic charum Paduæ Respublica corpus
Quod coluit templo, qui cubet ipse suo.
Dena bis in Tauro præbebat lumina Titan
Cum tribus exorta mille trecenta Deo.

XXI. Miserat ante paucos annos Pontifex summam triginta millium florenorum de Florentia per mercatores de Bardis & socios Florentinos tradendos Magistro Geraldo de Vitrinis, Archidiacono Beneventano, Apostolicæ Sedis Nuncio in partibus Transmarinis, in subsidium Leonis Regis Armenorum, de quo nos alias egimus, & cunctorum Christicolarum degentium in ejus regno, quos Sarracenorum perfidia & vicina rabies crudeliter & immaniter affligebat. Factis autem longi temporis induciis inter prædictum Regem & Bannes Armenos, ex una parte, & Soldanum Babyloniæ gentesque suas, Armenis adversas, ex altera, scripsit hoc anno Pontifex ad prædictum Nuncium, ut ex consilio supradicti Aymerici Episcopi Paphen. pecunias illas expenderet in commodum Armenorum, vel in reparandis castris Layaci, aliorumque locorum munitorum dicti regni, quæ pridem Sarraceni crudeliter dissiparunt, vel in armis comparandis, aut acquirendis rebus aliis regno tuendo necessariis. Multa fortiter & præclare in illis partibus peregit prædictus Aymericus tam in conversione animarum, quam in propaganda fide Christiana.

Succurrit Pontifex regno Armenorum. *An. 1294. n. 10. Reg. Vat. fol. 90. 5. Idus Aug.*

XXII. Hoc anno initiatus est in patria sua, & nomen dedit Minoribus in tenera ætate Paulus sive Paulutius de Trincis Fulginas. Natus est in eadem urbe anno MCCCIX. patre Vagnotio Trincio, viro nobilissimo, & generosa progenie e Suevia in Italiam translata sub Friderico Ænobarbo „ Matre Octavia Ursina nobilissima Romana. „ Ipso eodem anno in cœlum abiit B. Angela Fulginas, cujus jacturam compensasse visum est hujus infantuli nativitatem. Ab incunabulis mira pietate repletus, anno XIV. suæ ætatis mundo valedixit, in Ecclesia S. Francisci religiosa veste suscepta. Pauli inditum in baptismate nomen, sed Paulutii communi appellatione audiebat apud Fratres ob tenellam ætatem, & humilem corporis staturam. Sponte & lubens delegit infimum laicorum statum, in quo humilia quæque exercebat officia. Totum se meditationibus & divinis addixit contemplandis mysteriis; sed dum ex spiritus fervore sæpissime extra se fieret, atque ex spiritus vehementia in suspiria ageretur & validos clamores, rogavit sibi concedi cellulam in angulo domus sepositam, ne qui in dormitorio cohabitabant, turbarentur. Videns Fratres a primævo spiritus fervore declinasse, & a pura regulæ observantia, præsertim in paupertate retinenda recessisse, perpetuis jejuniis, asperis flagellis, ferventi oratione petebat a Deo, mediante ipso institutore Francisco, spiritum bonum infundi, & sacræ Sodalitatis originarium fervorem renovari. Vivebat eo tempore in ipso illo Cœnobio ejus conterraneus, B. Thomas Fulginas post aliquot annos apud Bulgaros passus martyrium, cujus virtutes & sanctimoniam sibi sectandas ab ipso Or-

B. Paulutius Fulginas fit Minorita. *Marian. l. 5. cap. 1. Jacobil. in ejus vita legen. MSS.* Ejus in juventute virtute.

B. Thomas Fulginas.

Ordinis ingressu proposuit, atque ita perfecte imitatus est, ut ab ipso tirocinio sanctitatis opinionem sit assecutus. Cum viro hoc frequenter confabulabatur de restituenda per ejus virtutem, aliorumque auxilium collapsa disciplina: nihil enim sibi vel in his, vel in aliis rebus seriis, aut ponderosis negotiis audebat tribuere, suscepta de semetipso humilissima cogitatione. Placuit tamen patri misericordiarum, qui pios insudit cogitatus, largiri virtutem, & abjecti hominis opera rem magnam perficere. Etenim per Paulutium ipsum, qui instanter petebat Fratrum mores reformari, voluit pristinum restitui splendorem,& abjectam revocari paupertatem. Quo tempore hæc præstiterit, opportunius suo loco dicemus.

Agit Paulutius de restituenda collapsa disciplina.

XXIII. Floruit hoc tempore Parisiis Franciscus Mayronius de Dina (quod oppidum est in Provincia, unde ortum etiam diximus B. Hugonem Dinensem, & Sororem Dulcinam) olim Scoti, ut diximus, discipulus, in sacra Theologia Baccalaureus, Roberto Regi Siciliæ, S. Ludovici germano Fratri, valde carus, ad cujus preces, & ob præclara sua merita scripsit Pontifex sequentes litteras ad Cancellarium Parisiensem, ut ei concederet magistralem honorem, & docendi licentiam, secundum morem illius Universitatis.

Flores Franc. Mayron. An. 1278. n. 11. & an. 1282. n. 11. An. 1308. n. 66. Licentiatur in Theologia.

Dilecto filio Cancellario Parisiensi.

Reg. Vat. n. 790.

XXIV. V*Iri sacræ lectionis studio dediti, ac in Lege Domini eruditi, sub religionis habitu Domino militantes, favoris Apostolici gratiam promerentur, & eo benignius decet honestis eorum desideriis annui, quo ex eorum profectibus potest major utilitas provenire. Cum itaque, sicut accepimus, dilectus filius Franciscus de Mayronis de Dina, Ordinis Fratrum Minorum sacræ Theologiæ Baccalaureus, in prædicta scientia adeo laudabiliter profecisse noscatur, quod dignum se reddit ad obtinendum docendi licentiam in eadem, idemque Franciscus in Parisiensi studio, more Baccalaureorum legendo, in dicta scientia solitum cursum perfecerit in lectura. Nos tum ob hoc, tum obtentu carissimi in Christo filii nostri Roberti Regis Siciliæ, nobis super hoc pro eodem humiliter supplicantis, eumdem Franciscum in hac parte favoribus prosequi cupientes, discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus eidem Francisco, si ad hoc eum sufficientem, & idoneum esse repereris, magistralem honorem, & docendi licentiam conferas in scientia memorata. Non obstantibus quibuscumque Parisien. studii statutis, & consuetudinibus, vel observationibus solemnitatum contrariis juramento vel confirmatione Apostolica roboratis, per quæ nullum præsentibus obstaculum ministretur. Datum Avenione* IX. *Kalend. Junii anno* VII.

XXV. Quantum hos Pontificis meruerit honores, postea comprobavit doctissimis scriptis commentariis in Magistrum sententiarum, aliisque præclaris editis lucubrationibus. Sed & in juventute egregium suæ indolis specimen exhibuit, & singulare sui ingenii periculum fecit, dum exorsus est sub annum MCCCXV. magnanimum illum Actum Sorbonicum, quem primus in Academiam Parisiensem invexit, quo in æstate per singulos dies Veneris respondetur a quinta matutina ad septimam Vespertinam sine præside, sine socio, sine prandio, & pastu, sine ulla emigratione, in eadem perpetuo corporis Sede, & animi contentione, donec cunctis opponentibus satisfactum sit, præsertim Bacculaureis primi & secundi Ordinis, qui

Inchoavit Actum Sorbonicum. Genebrard. ad an. 1311.

sunt

sunt ad minimum sexaginta, & argumenta circiter centum agitant. Nam singuli primi Ordinis duo texunt, primus etiam (quem Priorem appellant) novem. Facinus inexpertis formidabile, & cujus causa nemo hactenus in valetudinis discrimen venerit, plures melius habuerint, sive quia vis audentes divina juvat, sive quia mentis contentio non finit cogitare de corpore, minus de tempore. Prima dies hujus concertationis Franciscano, ultima Dominicano decreta est: atque hoc est quod vulgo dicitur in Gallia: *Franciscanus aperit, Dominicanus Sorbonam claudit*.

XXVI. Ex hoc Pontificis diplomate, quo manifeste exprimit nativum hominis oppidum, & ex finæ vitæ sancti Elzearii Comitis, in Narbonensi Gallia, seu in Provincia nati, quam Surius transcripsit, ubi etiam *sancti Viri conterraneus dicitur*, expresse probatur, Gallum fuisse Mayronium non Scotum, licet aliter Illustrissimus Cardinalis Bellarminus scripserit, & ex eo Thomas Dempsterus; neque ullum invenio auctorem antiquum, quem in hac re sequantur; neque Lelandus, neque impius ille, sed diligens collector scriptorum gentis Britannicæ Balæus, ex quibus maximum Anglorum numerum corrivarunt alii, ejus meminerunt in recensu Scotorum. Henricus Willottus & alii, provinciæ sancti Ludovici, quæ per Galliam Narbonensem, ubi Dinæ oppidum extenditur, eumdem adscribunt. Nescio quo fundamento Claudius Roberti eum ex Ebredunensi diœcesi dicat originem accepisse. Obiit in Italiæ urbe Placentina „ Anno haud mihi om-
„ nino certo; licet Henricus Sedulius anno sequenti MCCCXXIV. decef-
„ fisse affirmet. Dubium augebunt, quas de anno mortis sancti Elzearii
„ mox afferemus opiniones „ Samson Ordinis Minorum Generalis Minister, hoc ei posuit monumentum.

Gallus fuit non Scotus.

Bellar. de scrip. Eccl.

Dempster. l. 12. hist. Scot. n.905.

Willot in Athenis.

Claud. in Arch. Ebredunen.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

Sedul. in comment. ad vitam S. Franc. n.8.

Conditur obscuro lumen, res pulchra, sepulchro;
Doctrinæ hic sacræ gloria luxque jacet.
Dogmata flete, quibus Francisci de Mayronis
Extremam constat imposuisse manum.
Vos quibus arma dedit cælestia, flete Minores:
En cecidit vestri firma columna chori
Qui quanto excellit fulgentia sydera Phœbus,
Tanto alios superat lumine: Doctor ave.

XXVII. Doctissimo huic viro, ejusdem, uti diximus, conterraneus sanctus Elzearius, sive uti loquuntur tabulæ Romanæ Ecclesiæ, Eleazarus, Comes Ariani, sub mortem generaliter confessus est Parisiis hoc ipso anno quo obiit, uti inferius probabo, præmissis quibusdam, quæ ultimis vitæ annis fecit in Italia. Diximus alias, a Roberto Rege Siciliæ licentiam impetrasse Neapoli in Galliam Narbonensem proficiscendi, & ibidem per biennium commorandi, quo exacto, iterum Neapolim rediit, atque illic institutus est præceptor Caroli ejusdem Regis primogeniti, & Ducis Calabriæ.

Martyrol. Rom. die 27. Sept.

Surius cap. 22.

An.1313. n. 7.

XXVIII. Cernens autem Elzearius Carolum moribus levem atque lascivum, proptumque ad audiendos leves impudicosque sermones, ei seorsum abducto, ait; non decet insignem personam & Regem lascivos & dissolutos, vel audire vel proferre sermones: *Corrumpunt enim bonos mores colloquia prava*: sed potius sanguis illustris verbis honestis & bonis, atque incorruptis moribus ornandus est. Hæc vero atque id genus alia ea efficacia dixit, ejusque animo impressit; ut confestim spiritu mansuetudinis & pietatis ejus pectus sibi vindicante, non sine multa admiratione comitum, & aliorum nobilium, qui ei semper aderant, brevi totus muta-

Elzearius pædagogus Principis Caroli.

Christiana eum imbuit disciplina.

tus sit in melius; quibusdam dicentibus: *Dominus Dux in alium virum mutatus est*: aliis vero asserentibus: *Comes Ariani cum Duce locutus est*; atque ex eo tempore, non modo a verbis inhonestis, & a malis moribus abstinuit, sed neque ut quisquam impuros effutiret sermones, ferre sustinuit.

XXIX. Ut autem viderunt nobiles & proceres regni, aliique inferiores, beatum Elzearium in tantam Ducis familiaritatem admissum, eum majori veneratione prosecuti sunt. Nam id per tempus totius regni administratio erat penes Ducem, patre ejus Roberto Rege in Provincia agente. Quibus autem cum Duce vel in ejus aula negotium erat, ex iis plerique veniebant primo ad Elzearium, & cum eo conferebant. Quidam offerebant ei pannum coccineum, plerique multas auri uncias, alii alia non parvi pretii munera. Sed Vir sanctus, divinitus illustratus, sciens *Munera excæcare oculos accipientium*, ab omni munere & animum & manus excussit. Dicentibus vero quibusdam e familia pro laborum compensatione, nullo intercedente pacto, sine ulla culpa aut vitio licere illi dona quædam accipere: Vir purus & candidus respondit: *& tamen illa munerum acceptio posset aliis esse offendiculo, atque etiam occasio, præter jus fasque ea recipiendi: malim igitur in universum ab omnibus abstinere*. Veniens quandoque a Duce & ejus aula, in suum cubiculum more suo se recepit, ut sancta meditatione animum suum in Deum colligeret: ibi tum hujusmodi verbis utebatur: *Tu mihi Domine Deus, in paradiso debes centum auri uncias & duos pannos coccineos*. Interim casu quodam Domina Alasia Monialis in illud cubiculum ingrediens, & eum audiens ista dicentem, admirans, ait ad eum: *Ecquid sibi volunt, mi Domine, hæc verba tua*? ille respondit: *Hæc munera ego hodie habere potui; sed pro Christi amore ea contempsi*. Secreto etiam dicebat sanctæ Sponsæ suæ, complures non raro in id incubuisse, ut donis & muneribus ipsum corrumperent.

Munera contempsit.

Exod. 23. v. 8.

XXX. Cum autem ad ejus aures multorum pauperum querimoniæ pervenirent, sentiens ille eorum causas & negotia in aula Principis negligi, magna commiseratione affectus, accessit fidenter ad Ducem, petiitque ab eo, ut causas pauperum ipsi liceret exequendas suscipere, & eis se in aula advocatum præbere. Duce libenter assentiente, vir pius magnam sibi curavit crumenam confici, atque in ea non nisi pauperum supplices libellos & querimonias reposuit: cumque iret per plateas urbis, ad eum pauperes certatim confluebant, ita ut ægre posset cum sua familia in ostium domus suæ præ eorum multitudine ingredi: audiebat & suas querelas proponentes, idque accurate imprimis & sedate. Et cum plærique multa admiscerent supervacanea, ipse, ut erat acutus & prudens, in certa capita rem totam conferebat, & pro eis Duci & ejus officialibus loquens, causas eorum expediebat.

Pauperum causas in se suscepit.

XXXI. Venerunt tum Neapolim quædam matronæ nobiles cum liberis & aliqua familiæ parte e Siciliæ regno, propter bella exilium ferentes: quarum vicem beatus ille Comes admodum dolens, earum suscepit curam & patrocinium; effecitque apud Ducem, ut ex ejus palatio quotidie eis victus necessarius præberetur. Curavit etiam ut haberent pannos, & multas alias res necessarias: neque enim vel illarum vel aliorum pauperum inopiam sine multa commiseratione videre potuit. Quandoque lotis manibus ad mensam accedenti, quidam pauper domum intrans, importune se ingessit, sciscitans quid de illius supplici libello fecisset? Ille vero perbenigne respondit: *Sustine parumper, & ego priusquam cibum capiam, rem tuam* ex-

Magna erga exules & egenos commiseratio.

expediam. Surgensque a mensa ivit ad Curiam, revertensque pauperi satisfecit; atque ita ad mensam pransurus accessit. Quibusdam etiam ob longam moram sese sustentare non valentibus, ipse necessaria præbebat: atque ita manu, lingua, animo eis serviens, triplex in singulis Deo gratum sacrificium offerebat; memor Christi Salvatoris, in summa paupertate nasci, vivere & mori volentis, qui etiam ait: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*. Fama interim per totam urbem volitante, Comitem Ariani factum esse advocatum pauperum. Ille ea causa non destitit, in coelo sibi thesauros condens, ubi toto pectore versabatur, ubi totum cor ejus erat. Matth. 25. 40.

XXXII. Magno Fidei zelo prorsus incensus, ejus causa non solum quævis adversa perpeti, sed etiam mortem ipsam excipere peroptabat. Adeo enim, præsertim in prima & quarta visitatione divina, radiis Fidei illustratus fuit, ut quomodo tunc Creatorem & creaturas, redemptionisque humanæ mysterium in spiritu viderat, ita deinceps continenter in animo sentiret. Conferebat aliquando cum Sponsa sua in cubiculo de extremis mundi temporibus, & malitia Antichristi: & dicente sacra virgine Delphina: *Horrenda erit illa persecutio Fidelium. Si enim virtutes cœlorum movebuntur, quo pacto homines stabunt?* Ille respondit: *Ecce Delphina, si magister Franciscus Mayronis, qui in præcipuis Christiani orbis Theologis numeratur, estque in fide bene instructus & firmus; itemque frater Joannes Juliani Confessarius noster illuminata fide & vitæ sanctitate clarus; atque etiam Domina Garsenda, cujus sancta vita jam multis per virtutum opera & miracula innotuit, quæ ut nosti a tenera ætate nos semper in sanctis operibus & virtutum studio educavit: si, inquam, hi tres, de quibus ego sic sentio, venirent ad me, dicerentque uno animo, fidem nostram falsam esse, nosque hactenus in magno errore vixisse, & deceptos esse, Pontificemque & Cardinales velle fidem mutare; idque etiam pariter totus clamaret orbis: equidem non deficerem in ulla parte ab illa fide, quam mihi Deus ostendit, etiamsi ea causa mille mihi mortes oppetendæ forent; neque Antichristus ipse, neque ejus sectatores me ab ullo ejus fidei, quam nunc sancta profitetur Ecclesia, articulo abducere poterunt*. Quibus verbis Delphina virgo non minus in fide confirmata, quam spiritali consolatione affecta fuit. Multa reverentia illi inerat erga prælatos sive præfectos, & sanctæ Ecclesiæ Sacerdotes: quod per illos via salutis ad alios derivetur. Homines spirituales, religiosos & pios amabat, & cum illis sanctæ caritatis potum hauriebat. Magnus fidei ardor. Matth. 24. 29. Erga Ecclesiasticos reverentia.

XXXIII. Accidit, ut quandoque in monte Pessulano hæreret; itaque Delphina virgo ex castro Podii Michaelis misit ad eum litteras per famulum, cupiens nosse cur moram illic faceret. Cui ille sic respondit: *Sanus corpore sum & sospes. Quod si vero videre me cupis, quære me in vulnere lateris Christi; illic enim habito, & ibi me poteris invenire, frustra alibi quæsitura*. Alio tempore cum Roberto Rege Avenione manens, quodam festo die post sacramentalem confessionem, mane dixit cuidam Missam celebraturo, ut hostiam pro ipso poneret. Interea inchoante sacrificium presbytero, vocatur a Rege. Dicit ergo presbytero, ut differat sacrificium, donec ipse revertatur: atque ita e sacello exiens, cum Rege usque ad Pontificis palatium equitat, quod procul inde aberat. Inde reversus, descendit ab equo, intrat sacellum, dicit Sacerdoti ut Missam celebret: atque sub ea admodum pie sacram percepit communionem. Unde potest animadverti, quantopere fides ejus, & animi cum Deo conjunctio illum perlustrarit: quando toto illo itinere nulla neque visa neque audita animum di- In Christi lateris vulnere nidificaverat. Nihil maculabat ipsius puram conscientiam.

distraxerunt. Bonus enim ille Spiritus, qui eum incitabat ad divina, omnes circa illum vias & aditus adeo occupabat, ut nihil sordidum vel impurum, aut ipsi dissimile contrarium, vel invisum & ingratum in ejus animum ingredi pateretur.

In imminenti naufragio nihil timet.

XXXIV. Revertebatur quandoque Neapoli in Provinciam cum sponsa Delphina, & tota familia. Inter navigandum autem tanta in mari excitata est tempestas, ut fracto velo una cum malo, inter undas magno in periculo versarentur. Fit igitur magnus omnium planctus & dolor, quod nemo jam se evasurum speraret. At sanctus Vir in Domino confidens, animo illum pie deprecabatur: &, ceteris lacrimantibus, solus nihil extrinsecus mutatus fuit. Cumque navis, non sine magno miraculo, portum attigisset, illis Deo gratias agentibus, quosdam e sua familia reprehendit, quod tam multis fusis lacrymis, editisque clamoribus, satis indicassent, se nimium formidare mortem, parumque divinæ bonitati confidere. Jam vero sancta Virgo Delphina seorsim interrogavit illum, an non timuisset ipse in tanto discrimine mortem, qui alios sic objurgaret? Respondit ille: *Noveris, Delphina, jam inde ab eo tempore, quo me Dominus visitavit in loco de saltu; ubicumque sim, sive in mari, sive in terra, quocumque genere mortis illi visum sit me hinc auferre, me prompto animo paratum esse: & neque nunc, neque alias unquam, quantumvis magnis verser in periculis, mortem me formidasse: sed cum cerno adesse pericula, cor meum hunc in modum Deo me offerre solere; Domine Deus meus, cui cordium arcana patent, qui omnia nosti antequam fiant, si decrevisti nos, vel quosdam ex nobis punire, vertatur, obsecro, ira tua in me peccatorem ingratum, & ignoscas aliis. Major enim honor ad te redit ex quocumque alio ex iis, qui hic adsunt, quam ex me. Hæc postquam ego dixi, semper in animo meo maiorem consolationem persentio.*

Profunda ejus humilitas.

XXXV. Erat tam submissa ejus humilitas, ut sua existimatione coram Deo se vilipendens, ex animo crederet se omnium maximum peccatorem, divinisque beneficiis nimis ingratum; cum revera vas esset purissimum, atque omnium virtutum odoribus refertum: ita ut de illo tam sponsa ejus Delphina, quæ ejus actus & mores sagaciter explorabat, quam etiam alii, qui præ ceteris ab ineunte ætate usque ad obitum ejus, magis familiares eis fuerant, atque ex iis quidam jure jurando affirmarent; numquam se advertere potuisse in omni sua vita, mortiferum peccatum eum perpetrasse. Illius quoque Confessarii, præsertim quibus crebrius confitebatur, & quibus totius vitæ generalem fecerat confessionem, qui erant sane Viri magnæ sanctitatis & perfectionis, idem asserebant: illud addentes, eum cum magna cordis contritione etiam minima peccata confiteri solere. Tanta enim erat puritas conscientiæ ejus, tamque ingens gratiæ lumen, ut non pateretur etiam levibus culpis ipsum inquinari: cum ille interim, ut diximus, se peccatorem maximum existimaret, altissima humilitate ad id eum impellente. Huic vero tam profundæ humilitatis fundamento, ceteras virtutes securius superstruebat. Honores mundani, licet extrinsecus eos præ se ferret, displicebant ei & molesti erant: cumque pro ratione status sui non ita, ut par erat, honor ei haberetur, singulari quadam lætitia afficiebatur.

Ex qua illi maxima in Deo confidentia.

XXXVI. Hæc ejus eximia humilitas in omnibus actibus magnam ei præstabat securitatem, ita ut quocumque iret, sive ad mortem, sive ad vitam, securo & constanti animo sub divinæ protectionis fiducia habitaret. Jussus quandoque fuit a Roberto Rege Domino suo, cujus erat beneficiarius & subditus, proficisci Romam cum Joanne fratre ejusdem Regis, & armato mi-

milite contra Imperatorem, qui Ecclesiasticam libertatem in multis violaverat. Cumque esset Romæ in armis, Germanum quemdam partis adversæ fortem virum, e manibus illum occidere volentium, liberavit. Bello confecto, in quo Imperatoris exercitus succubuit, mox beatus Vir intra Urbem tam acri febre correptus est, ut sibi videretur inter duos lectos igneos totus inflammari. Reminiscens vero belli jam confecti, admodum dolere cœpit, se illi interfuisse. Cumque in ea cogitatione perseveraret, audivit corporeis auribus Christum sibi dicentem: *Scias Elzeari, in hoc bello, cui armatus adfuisti, expositum te fuisse periculo amittendi gratiam meam: sed quia ejus te pœnitet, volo te flagellare.* Tum ille inclinavit se, cœpitque dicere Psalmum quinquagesimum. Ad singulos autem versus Christus eum ter, ut ipse solitus erat, in dorso fortiter cecidit. Deinde somno correptus, febre recedente, perfecte curatus est. Febre correptus miro modo convaluit.

XXXVII. Biennio antequam e vita excederet, æs alienum fere omne, quo ditiones ejus obstrictæ fuerant, dissolutum est: dicebatque in conclavi Delphinæ Virgini: *Ubi Comitatus & Baronatus omnibus oneribus absoluti erunt, ego non diu superstes ero*: quod quidem revera ita accidit. Nam postquam debita omnia persoluta, uno tantum anno supervixit. Iis vero sermonibus Delphina non mediocriter affligebatur. Accidit deinde, ut Rex Robertus & ejus proceres sanctum Comitem in Gallias ablegarent, adjuncto ei honesto & splendido Comitatu, ut illinc uxorem acciperet unico Regis filio Carolo Calabriæ Principi, Regio sanguine procreatam, formaque & moribus conspicuam. Ante discessum autem suum, ut Virginem Delphinam consolatione afficeret, dixit ei: *Si Domino permittente, reversus fuero e Francia, quantum licebit, missa faciam id genus negotia animum distrahentia; degemusque pariter Ausoisi, ut a terrenis, mundique hujus strepitu ac tumultu semoti, uberius spiritualia gustare possimus.* Erat enim plane vir desideriorum: existimabatque se nihil hactenus Dei causa fecisse, atque eam ob rem ferventi spiritu ingentia Christi amore facere statuebat. Cum autem negotium ipsi demandatum, in Francia præclare & fideliter expedivisset, Parisiis gravi affectus morbo decubuit: sentiensque mortem impendere, magistro Francisco Mayronensi Minoritæ, conterraneo suo, qui tum erat Parisiis, generalem fecit confessionem cum multis lacrymis. Quotidie etiam mane apud lectum suum Missæ sacrificium pie audivit; & crebro sub illa adversa valetudine confessus est. Et quamvis tota vita sua & suam & Delphinæ virginitatem celebrasset accurate: attamen sub finem vitæ, compellente eum spiritu Dei, ita ad astantes loquebatur: *Salvatus est homo malus per mulierem bonam, quam sicut Virginem accepi, ita & in hac mortali vita Virginem relinquo.*

Mortem suam prævidet. Ablegatur in Galliam. Incidit in morbum. 1. Cor. 7. 16.

XXXVIII. In ea ægrotatione, quæ gravissimos eosque perpetuos ei dolores afferebat, quos ille patientissime spe futurorum tolerabat, spiritus ejus jugiter conjunctus cum Deo fuit, volebatque nihilominus etiam bona audire, jubebatque sibi Christi passionem legi: nec lingua etiam a divinis cessabat laudibus, crebro repetens illum versum: *Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus: universum stratum ejus versasti in infirmitate.* Sumpto autem Dominico Sacramento, cum sacro oleo ungeretur, & versum illum dicerent: *Per sanctam crucem & passionem tuam libera eum Domine:* ipse eumdem tertio repetivit, & addidit: *Hæc est spes mea, in hac volo mori.* Ad extremum jam in agone positus, vultum præ se tulit valde terribilem; unde colligi liceret eum in magno versari labore, ob quædam illi objecta: atque sub ejusmodi conflictu exclamavit: *Magna est dæmonum*

Infirmus licet a divinis non cessabat laudibus. Psal. 40. 4. In agone terribiliter fuit a dæmonibus exagitatus.

vis,

vis, sed eam penitus enervarunt virtus & merita sacrosanctæ Incarnationis & passionis Jesu Christi: & post paulullum rursus exclamans: *plane*, inquit, *vici*. Post aliquantum temporis spatium, cum ingenti clamore dixit: *To-*
Sancte moritur. *tum me divino judicio committo*. Atque his dictis, reparatus est vultus ejus, & quodam rubore atque splendore, multaque elegantia perfusus: atque ita reddidit spiritum. Nec fuit vel tenuiter mutatus vultus ejus, sed permansit serenus & pulcher. Hæc autem omnia vidit quidam nobilis, multum petulans & lubricus, adeoque ob sua peccata corde compunctus est: ut nullo pacto ferre sustinens, mox accito ad se fratre Franciscano, qui illic aderat, in quodam cubiculo cum ingenti pietate, & largissimo lacrymarum imbre,
Sepelitur apud Minores. sua peccata confiteretur. Obiit sanctus Comes plenus virtutibus & operibus bonis, sepultusque est in habitu Franciscano apud Minoritas Parisienses.

XXXIX. Ad hunc locum historia vitæ apud Surium dicit eum obiisse hoc
Quo anno obiit. ipso anno Christi MCCCXXIII. suæ vero ætatis anno XXVIII. Primum contra alios aliter sentientes fidenter ausim probare, secundum non ausim appro-
Baron. in notis ad martyrol. die 27. Septembr. Rodul. fol. 146. bare. Cardinalis Baronius obiisse ait anno MCCCXXV. Petrus Rodulphus ex Memoriali Ordinis, biennio post, videlicet anno MCCCXXVII. quibus consentire voluisse puto Marianum, atque proinde ex errore scriptum in ejus codice MCCCXVII. pro MCCCXXVII. sed hæ refelluntur opiniones, & præferenda prima, quæ habetur in ejus vita, quippe cohæret cum ipsa historia, & causa profectionis ejus in Galliam, in qua decessit. Hoc enim ipso anno ineunte, XV. die Januarii obiit Catarina filia Alberti Regis Romanorum, conjux adolescentis Principis Caroli Ducis Calabriæ, cujus Elzearius erat præceptor. Missus itaque in Galliam a Rege (licet absente sub hoc tempore, & Avenione apud Pontificem Agente, ut mihi probant historiæ Parthenopææ) & a Proceribus Regni, ut aliam acciperet adolescenti, unicæ spei posteritatis, uxorem. Re pro voto confecta, & pactis sponsalitiis cum Maria filia Caroli Comitis Valesii, incidit in morbum prolixum Parisiis, vel aliunde impeditus sponsam non potuit comitari. Eam excepit Avenione Robertus Rex, duxitque cum gaudio & pompa Neapolim sub
Villan. lib. 9. c. 249. Summon. in hist. Neapolit. lib. 3. fol. 387. mense Maii hujus anni, uti minutim observarunt Joannes Villanus, & Antonius Summontius graves historici. Coincidunt itaque causa profectionis, desponsatio Principum, & tempus mortis, ut fidenter dicamus hoc anno defunctum.

XL. Quod vero ad annos ætatis attinet, puto evidenter probari ex ipsa ejus vita plures annos supervixisse. Etenim c. 22. dicitur annum egisse vigesimum tertium, quando, patre defuncto, factus est comes Ariani, atque tum primum venisse in Italiam; capit. 25. refertur quinque annis in Italia hæsisse. Deinde ibidem & capite 27. dicitur abiisse in Galliam Narbonensem, atque illic per biennium hæsisse. Mox ibidem narratur rediisse in Italiam, & plurima illic perpetrasse, quæ unius vel alterius anni spatium exposcunt. Deinde amandatus in Galliam, ut sponsam Carolo acciperet, obiit mense Septembri. Has annorum partitiones si copulaveris, annos saltem duos ultra triginta constituent: quomodo ergo potuit anno XXVIII. vitam finire? Nodum exposui ex ipsis actis, solvant alii si placeat, vel si
Aptam transfertur. liceat. Adjungit historia, eo anno quo mortuus est Aptam (quæ Vulgientium oppidum est in Gallia Narbonensi) translatum cadaver, atque in Franciscanorum æde, ut ipse vivens jusserat, honorifice tumulatum. Ibi magnis & quidem crebris coruscat miraculis: ut sublimitas sanctitatis ejus, quæ illo in carne mortali degente, non plene innotuerat mundo, per divinæ potentiæ miracula, e celo declararetur. Per ejus invocationem & merita, virtute di-

divina excitati sunt mortui, cœci illuminati, contracti soluti, & permulti morbidi homines, præter naturæ ordinem sanitati pristinæ miris modis restituti. Denique illo visibiliter apparente & revelante, Regnum Majoricarum, importuno bello perturbatum, absque sanguinis effusione, ut ipse promiserat, mirabiliter est tranquillatum. His miraculis, & Regum Galliæ precibus excitatus Urbanus V. eum Sanctorum numero sub vitæ periodum adnumeravit, sed morte præventus publicum non dedit Canonizationis instrumentum. Dedit tamen sub ipsis Pontificatus auspiciis ejus successor Gregorius XI. quod ex codice apud me MSS. hic produco.

Crebra patrat miracula. Canonizatur.

GREGORIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI,

Ad perpetuam rei memoriam.

XLI. R*Ationi congruit, & convenit honestati, ut ea quæ de Romani Pontificis providentia processerunt, licet ejus superveniente obitu, litteræ Apostolicæ confectæ non fuerint super illis, suam consequantur efficaciam. Olim siquidem felicis recordationis Urbanus Papa V. prædecessor noster, provide attendens, quod Domino nostro Jesu Christo Regi Regum, & Dominantium Domino, sub cujus ditione cuncta consistunt, magna gratiarum actionum & laudum a cunctis fidelibus Christi debentur impendia, dum ipse Rex cælestis omnium scientiæ gloria, cujus ineffabilis altitudo scientiæ, & providentiæ nullis inclusa limitibus, nullis terminis comprehensa, recti censura judicii cælestia pariter & terrena disponit, Sanctos suos per exemplaris vitæ doctrinam, & sanctitatis merita venerandos, de præsentis vitæ carcere ad æternam beatitudinem evocatos crebris coruscare facit miraculis, ac mira & stupenda eorum intercedentibus meritis, certis & perspicacibus ostendens indiciis, illos post labores nimios, duraque præsentis vitæ certamina quietis æternæ satiari dulcedine, palmamque cælestis gloriæ obtinere; & quod ipse opifex Deus in misericordia copiosus, liberalis in gratiis, & in retributione munificus, de supremis cælorum ad ima mundi oculos majestatis suæ inflectens, & benigna consideratione discutiens, beati Elzearii de Sabrano Comitis Ariani, & Baronis Ausoisii, Domini de Provincia Provinciæ oriundi, generis nobilitate præclari, suique gloriosissimi confessoris merita grandia & opera mirifica, quibus ipse constitutus in seculo lucerna luminosa resplenduit; atque veluti justus judex, & retributor laudabilis dignanter intendens condignis recompensare muneribus, eum tamquam emeritum & retributione dignissimum, post vitæ præsentis ergastulum, & laboriosa mundi certamina, quæ fervens in divinis obsequiis potenter & patenter exercuit, ætbereis sedibus collocarat, ut sederet cum Principibus & solium gloriæ teneret felicitatis æternæ dulcore potitus. Et ne ejusdem beati Elzearii laudabilium actuum claritas, quibus in terris constitutus effulserat, sub nubilo latens tenebris obscuraretur, idem prædecessor, aliqua ex eis suis litteris, si super his confectæ fuissent, exprimi voluit, quas nos præsentibus inseri fecimus, ut deducantur in publicam notionem. Hic equidem a juvenilis ætatis primordiis Dei filium tenera mente dilexit, nec diligere desiit studia continuando salubria, dum vitæ sibi commoditas affuit temporalis. Sed quoniam majori profecit ætate, ac in tempora prolixiora prosilit, tanto in ejus exarsit amorem fervore spiritus ampliori, & sic pudicitiæ adhæsit operibus, sic carnis studuit evitare contagia, quod licet uxorem habuerit ætate juvenem, & no-*

Bulla Canonizationis.

nobilitate præclaram, tamen prout ex dictæ uxoris, & Confessoris ejusdem Sancti testimoniis consistit, Sanctus ipse semper candore virgineo rutilavit. Præterea Sanctus ipse, qui dum vixit in præsenti seculo, clarissimus genere, sublimis potentia, facultatibus opulentus, moribus elegans extitit, inhonestis & turpibus animo penitus relegatis, circa servos Christi ac pauperes, aliasque miserabiles personas valde compatiens, se ipsum in eleemosynarum elargitione, eis plerumque ministrando, munificum exhibebat, tantaque abundavit caritate, quod nihil tam earum sibi erat, quin libenter erogasset, ut saltem unam animam trahere potuisset ad Christum; nec de ullo suo æmulo vindictam facere volebat. Et ne fervorem spiritus sociæ carnis ardor extingueret, sed mortificatione & repressione ipsum potius accendi contingeret, carnem ipsam quam assidui asperitate cilicii, prout asseritur, edomans, effrænem ipsius libidinum artem sustinentiæ fræno coercuit, ut non propriæ voluntatis ducta remigio, sed salubri moderamine spiritus tute licita perageret, & prorsus ab illicitis abstineret deliciis. Etenim corpus macerabat jejuniis, priscorum observantiæ a sanctis Patribus ordinatæ, novorum austeritatem adjiciens sibi, motu propriæ voluntatis inducto. Nam per totum Adventum & singularum septimanarum sextam feriam, & cunctis aliis temporibus jejunium observabat, in multis interea orationibus se occupabat, ne aliqua sibi hora temporum inutiliter pertransiret, paramentis aliquibus sub genua non utendo, imo quam plurimum vestes proprias admovebat. Et dum consilio Ducis Calabriæ præfuit, petitiones pauperum interim promovebat, quod omnes ipsum advocatum pauperum nominabant. Hic insuper vitæ fuit puritate perlucidus, humilitate præclarus, & sincerus veritatis amicus, ac cuncta eloquia ipsius virtutis augmentum, operaque salubria hortabantur, demulcebant auditorum præcordia, & in eorum ædificationem salutarem multipliciter redundabant. Quamdam enim mulierem, quæ per totum annum & amplius, toto corpore impotens fuerat, & aliquibus sui corporis partibus adeo desiccata, ut lignum aridum videretur, & quæ postquam Sanctus ipse migravit ad Christum, ad ejus tumulum se deferri fecerat, ad dicti Sancti invocationem subito fuisse curatam, dubium non existit. In signum hujusmodi mulier ipsa domum suam propriis pedibus est reversa. Quidam etiam casualiter in uno fossato undique subtus terram prostratus, ita quod aliquis ad ipsum nullo modo pervenire poterat: postquam ibidem tamdiu steterat, quod naturaliter vivere non debebat, ad prædicti Sancti invocationem a morte extitit præservatus. Istum enim Sanctum dilexit Dominus, & in fine consortio hæreditatis elegit, perennis quoque diademate gloriæ decoravit, & ut ejus nomen extolleretur laudibus populorum, tam in ejus vita, quam postquam, ut præmittitur, feliciter migravit ad Christum supernis deliciis fruiturus, ipse opifex Dominus in Sanctis suis vere mirabilis, eumdem Sanctum aliorum quam plurium & variorum splendore miraculorum illustravit, manifeste demonstrans, quantum sibi honoris & reverentiæ deberetur. Unde præfatus prædecessor de hujusmodi actibus dicti Sancti, & miraculis habita fide, dignis probationibus, quantum nosse sinebat ipsa fragilitas, certitudine veritatis, multorum Prælatorum, & aliarum circumspectarum personarum solemnibus precibus pluries excitatus, ipsum beatum Elzearium, de Fratrum suorum consilio, de quorum numero tunc eramus, auctoritate omnipotentis Dei, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli ejus atque sua, choro beatorum a Domino ineffabili sanctificatione susceptum, cum solemnitate celebri Sanctorum catalogo videlicet XVII. *Kalend. Maii, Pontificatus sui anno* VII. *duxit adscribendum. Et ut devotis laudibus extolleretur in terris,*

quem

quem ipse dominantium Dominus honorari voluerat in excelsis, festivitatem Confessoris ejusdem die XXVII. *mensis Septemb. quo migravit ad Dominum, cum debita reverentia voluit celebrari, quoque etiam, ut ad Ecclesiam Fratrum Minorum, ubi corpus ejusdem Sancti venerabiliter requiescit, ferventius & copiosius fidelium confluat multitudo, & celebris ejusdem solemnitas peragatur, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui reverenter illuc in eodem festo annuatim accesserint, ejus suffragia petituri, de omnipotentis Dei misericordia, & ipsorum beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisus, unum annum & quadraginta dies de injunctis eis pœnitentiis misericorditer relaxavit. O quam laudabilis, o quam mirabilis providentiæ divinæ sublimitas & immensitas retributionis æternæ, quam sibi servientibus inexstimabile præmium compensatur! O felix donum ex summo bono proveniens, & in Christo consistens, quo cum beatissimis spiritibus in præsentia Conditoris quis existere meruit, & incircumscripti splendore luminis illustrari! O felicissime fertilitatis ager fructus uberes perferens, ubi flores prodeunt nec arescunt, ubi semina sparsa non pereunt, & ubi multiplicatis manipulis grana gloriæ colliguntur! Hic nempe Confessor almus hunc agrum obsequiosius excoluit, in eo virtutum spargere semina studuit, ac vitæ talia grana colligere meruit post labores. Exultet igitur mater Ecclesia, & solemnia festiva celebret gaudiorum, quæ tantum & talem filium genuit, produxit natum, educavit alumnum jam inter regum gloriosa cœlestium agmina rutilantem, lætetur inquam & jubilet, ac in laudes Altissimi voces promat, quæ sobolis tam præcelsæ, tam celebris illustrata fulgoribus insignis decorata conspicitur, quæ sonoris attollendo præconiis, summæque venerationis exhibitione colenda eminentius aperit, evidentias explicat, illos ad perennis beatitudinis gaudia, & hæreditatis æternæ participium admittendos, qui prædictam Ecclesiam matrem, sponsam fidelium Christi, claris fidei & operis testimoniis profitentur, nullosque in supernæ patriæ gloriam, nisi per ejus utpote cœlorum clavigeri, ministerium virtuosum, ostiis reseratis, Altissimus introire permittit. Gaudeant insuper turbæ cœlestium, de tam sublimis tam lucidi habitatoris adventu, quodque ipsis expertus probatusque fidei Christianæ colonus, cultorque præcipuus aggregatur, personet lætitiæ jubilum civium generosa nobilitas supernorum, quod tanti, talisque comitis suscepisse dignoscitur adjectivum, ac venerabilis Sanctorum cœtus gaudio & exultatione refloreat de nova dignissimi habitatione consortis. Exurge igitur numerosa fidelium turba, exurgite fidei zelatores, & una cum eadem etiam laudis uberis hymnum concinite, perfundantur imbre copioso lætitiæ nostra præcordia, & fœcundæ rore dulcedinis arcana pectoris repleantur, de tanta & tam potentis & egregii Principis exaltatione, terrenæ spei tutissime plenitudine percepta, quod nobis de condigna terrenorum, compatriota cœlestium jam effectus, apud æterni patris filium efficax patronus accrevit, qui pro salutis nostræ profectibus jam in ejus præsentia positus, solertis exercet officium Oratoris. Verum ne pro eo, quod ejusdem prædecessoris superveniente obitu, litteræ Apostolicæ super præmissis confectæ non fuerint, de eis valeat aliquatenus hæsitari: volumus, & auctoritate Apostolica decrevimus, quod præsentes litteræ, ad probandum plene præmissa omnia per supradictum prædecessorem, ut præmittitur, acta, ubique sufficiant, nec ad id alterius probationis adminiculum requiratur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ voluntatis & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursu-*

rum. Datum Avenione Nonis Januarii, Pontificatus nostri anno I.

Quinam de eo scripserunt.

XLII. Scripsit de hoc Viro sancto auctor Anonymus cujus historiam Surius & Henricus Sedulius transcripserunt. Aliam habeo ex alio Anonymo vitam desumptam per lectiones novem divisam: cultiori stylo continet potiora quæque historiæ Surianæ. Italam fecit vitam illam, quæ apud Surium est, Nicolaus Lelius, dicavitque Annæ Mariæ Cæsiæ, Principi Perettæ optimæ heroinæ. Præcipua vitæ acta delibavit Matthæus Raderus, in Viridario Sanctorum. Agunt de eo Martyrologium Romanum, Maurolicanum, Galesinum, & Molanus in additionibus ad Usuardum. Hæc Parisiis recensent natale: Aptæ vero aliud penes me MSS. satis vetustum, ubi hæc leguntur: *In Provincia in civitate Aptæ natale beatissimi Comitis Elzearii Confessoris, qui in vita multis miraculis claruit, & post mortem innumerabilia miracula Deus per eum ibidem operatur. Hic Sanctus inter alia virginitatem usque ad mortem servavit, & cum consorte sua in eodem thoro manebat, & ambo in virginitate in pace quieverunt.*

Rader. in notis ad vitam S. Zacharia Calcegrii.

Fr. Matthæus Episc. Berytensis.

XLIII. Ad insulas Pontificias assumptos hoc anno Minoritas recenseo; Fr. Matthæum ad Ecclesiam Berytensem Metropolim Autocephalam, aut per se subsistentem in Phœnicia, sub Patriarcha Antiocheno, vulgo *Barut*, per mortem Roberti vacantem, ad quam capitulares in Ecclesia Nicosiensi congregati, cum in sua, Saracenis subjecta, tunc convenire non poterant, prius elegerant Fratrem Emanuelem Lilongum etiam Minoritam, qui ante electionis confirmationem diem clausit extremam: *Regimini universalis*. 12. Kal. Martii. Fr. Guillelmum unum ex septem Episcopis ad Archiepiscopum Fratrem Joannem a Monte-Coruino in Tartariam a Clemente V. missis, multis virtutibus a Deo, uti ipse Pontifex loquitur, insignitum, ad Ecclesiam Sagonensem in insula Corsicæ sub Archiepiscopo Pisano per obitum Guarini, Parisiis, defuncti vacantem: *Cum pastoralis officii*. 2. Kal. Martii. Postea translatus est ad Ecclesiam Tergestinam. Fr. Petrus ad Humanaten. in Piceno per mortem Fr. Gerardini Minoritæ, quem ad eamdem ante multos annos assumptum fuisse commemoravimus: *Ad regimen universalis*. VIII. Idus Junii. Fr. Petrum ad Maceratensem in eadem regione Piceni, sub Archiepiscopo Firmano per translationem Friderici ad Senogalliensem: *Regimini universalis*. VIII. Idus Junii. Fr. Bernardum ad Nemansensem in Gallia Occitana, sub Archiepiscopo Narbonensi, per obitum etiam alterius Bernardi, in partibus Lombardiæ defuncti. (Nullius horum Bernardorum mentionem facit Claudius Roberti in suo catalogo Episcoporum Nemansensium): *Inter cætera solicitudinis nostræ* X. Kal. Septem. Inservivit Bernardus hic Sedi Apostolicæ anno sequenti in partibus Lombardiæ, in Comitatu Bertrandi Cardin. S: Marcelli Legati Apostolici pro reducendis Ecclesiæ rebellibus. „ In catalogo MSS. Episcoporum Assisiatum reperio hoc anno creatum illius Sedis „ Episcopum Fr. Benedictum Castellum de Actonibus nobilem Interamnatem. Conceditur ei facultas testamentum condendi anno MCCCXXVII. Kal. Martii.

Fr. Guillel. P. Sanen.

Fr. Petrus Humanaten.

Tom. 5. an. 1289. n. 21.

Fr. Petr. Maceraten.

Fr. Bernar. Nemansen.

Reg. Vat. an. Pont. 9. 5. Idus Novembr.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

Fr. Bened. Episc. Assisien.

Conven. Methymnæ Pomariæ.

XLIV. Ante hunc annum constructum Cœnobium Minorum prope oppidum Medinæ de Pomar in Hispania, colligit Gonzaga ex quibusdam epitaphiis claustri inferioris. Transiit a Patribus Conventualibus ad Observantes sub Pio V. adjudicatusque est ejusdem Patronatus nobilibus viris Lupertio Arze de Campo, ejusque conjugi Elisabethæ Arze Maurique per Franciscum de Arzubiega, Cantabricæ Provinciæ Ministrum, postquam illi cum Fratribus per aliquale tempus de patronatus jure contenderunt. Summe beneficos semet erga Fratres exhibuerunt, & sumptuosum mausolæum sibi suisque suc-

Gonz. in prov. Cãtabriæ. Con. 6.

successoribus in medio majoris Sacelli erexerunt. Inter diplomata Pontificia servatur in hujus loci archivo unum Joannis Castellæ Regis, datum anno MCCCLXIII. quo cuncta privilegia ab Alphonso ejus prædecessore Franciscanis concessa confirmantur, & a quavis decima Regibus, quovis titulo pendenda, eximuntur.

XLV. Diximus alias, ædificatum Cœnobium a sancto Francisco Anconæ, quando Damiatam trasfretavit, quod nunc incolunt Fratres regularis observantiæ; sed & hoc anno extructum aliud domicilium *S. Francisci Scalarum*, nunc appellatum, prius nuncupatum a sancta Maria Majori, probant inde mihi transmissa monumenta. Certe Ecclesiam hanc hoc ipso anno constructam a Nicolao Episcopo aperte testatur inscriptio hæc lapidi incisa in pariete primi claustri ejusdem Cœnobii.

Tom. I. an. 1219. n. 56.
Con. Anconæ Scalarum.
Monum. MSS. Rodulph. fol. 216.

Anno Domini MCCCXXIII. *in festo Assumptionis Dominæ, ista Ecclesia constructa est per Dominum Nicolaum Episcopum Anconitanum, ad honorem sanctæ Mariæ Majoris, tempore Domini Joannis Papæ XXII. In hac Ecclesia sepulti sunt beati Fratres Simon & Amatus sanctitate conspicui & in cœnobio hoc olim viguit studium generale sacræ Theologiæ.*

XLVI. Conventus Montis Regii in Galecia extructionem assignat Gonzaga circa annum MCCCXXXVI. ex diplomate Alphonsi II. Regis Castellæ dato anno MCCCXXXVII. quo jubet illæsa conservari Fratribus ejusdem Conventus privilegia ipsis a summis Pontificibus concessa. Sed longe anteriorem fuisse ejusdem loci fundationem, evidenter probat diploma aliud Joannis Pontificis: *Sacra religio*, quo hoc anno Nonis Augusti refert Philippum Infantem, claræ memoriæ Sancii Regis Castellæ filium, significasse, Cœnobium hoc erectum in loco distemperati aeris, valde infirmo, & propterea se desiderasse illud transferre Vianam Astoricensis Diœcesis, suæ ditionis locum: quod tamen minime factum est, nec scio an primam Sedem Fratres mutarint; scio tamen quam modo tenent, salubrem esse, & frequenter collegium artium liberalium. Patroni Cœnobii sunt excellentissimi Comites Montis Regii, e quorum familia primum agnoscunt Fratres fundatorem Joannem Rodericum de Biedma, Dominum oppidi prædicti. Summa rerum & status, comitatusque de Fontibus pervenit ad Emanuelem de Fonseca & Zuniga, nunc dum hæc scribo, Italici consilii penes Regem Catholicum Præsidem, & Romanum Oratorem. Longo tempore litigatum est cum Abbate Villæ circa quartam funeralem, & tandem lata est sententia pro Fratribus, ne aliquid solvant, atque aliis duabus sententiis declaratum est eosdem in exequiis defunctorum erectas posse inferre cruces in Ecclesias Prioratuum Benedictinorum Verini, Mixocii & Pazorum; non tamen e contra licere Benedictinis in hanc Ecclesiam Minorum. Concessa ab eodem Pontifice hoc anno licentia recipiendi Cœnobium in castro de Caurata, Rodulpho Corati Rubensis diœcesis in Apulia: *Pro parte nostra*. II. Non. Junii. Spectat ad Provinciam S. Nicolai Patrum Convent. & Custodiam Barolitanam.

Con. Montis Regii.
Gonz. in prov. S. Jacobi. Con. 18.
Monum. MSS. prov. S. Jacobi.
Con. Cauratæ
Rodul. fol. 278.

XLVII. Multorum Monasteriorum Clarissarum hoc anno recurrit memoria, atque Arimini in Romanula jam præextitisse illud, quod Angelorum cognominant, colligit Gonzaga ex Epitaphio B. Claræ de Aquilatiis. Prius ibi inhabitarunt Sanctimoniales Benedictinæ, quibus alio translatis, domus collata est Clarissis, quo tamen anno, non constat. Fuit præfata Clara aliquando carnis illicebris dedita, sed ad Deum conversa, adeo se jejuniis, vigiliis, disciplinis, & ceteris pœnitentiæ operibus addixit, ut infra paucos

Monast. Arimi-nen.
Gonz. in prov. Bonon. Monast. 1.

cos annos egregia & sanctissima fœmina evaserit, '& multa ediderit ante & post mortem miracula. Recedentibus aliis Sororibus Benedictinis, ipsa sola Clarissis noviter adventantibus adhæsit, eisque sub regula & habitu sanctæ *Rodul. fol. 269.* Claræ voluit adjungi. Dissoluta aliquantum in hoc loco disciplina regulari, restituta est per Fr. Angelum Perusinum ex commissione Nicolai V. instituta Abbatissa Catarina de Ordelaffis fœmina præclara.

Monast. Conimbricen. XLVIII. Jubet Pontifex Custodem Fratrum Minorum Conimbricensium, ut concedat Elisabethæ Portugalliæ Reginæ, quam nuper Urbanus VIII. in sanctarum fœminarum numerum retulit, duos Fratres, qui assistant operi fabricæ Monasterii, quod in eadem Civitate pro clarissis inchoatum diximus *Tom. 5. an. 1317. n. 66.* alias. Totius operis structuram, interiores officinas, Templum, odæum, loci situm, & mensuram largius describit Blasius Freyre in vita hujus sacratis- *Freyre lib. 1. c. 8.* simæ Reginæ: *Charissima in Christo.* XVII. Kal. Junii. Clarissis Civitaten. tribuit liberam sepulturam, & privilegium ne ullis possint exactionibus gravari: *Devotionis vestræ* Kal. Aprilis. Perpinianensibus similiter concessit, ut uti possint omnibus privilegiis & indulgentiis concessis Ordini Minorum: *Devotionis vestræ.* Kal. Maii. Hæc ipsa & plurima alia per varias bullas concessit Lectorentibus in Gallia, quæ nos suis locis damus in regesto. Ad preces Elisandis Reginæ Aragonum scripsit ad Guardianum & Fratres Barcinonenses, ut requisiti ab Abbatissa vel Sororibus Monasterii S. Damiani Ordinis S. Claræ ejusdem urbis omnia officia funeralia impenderent Sororibus defunctis: *Charissimæ in Christo.* Kal. Septemb. Ex hoc diplomate constat, adhuc sub hoc tempore illud Monasterium perseverasse sub Instituto sanctæ Claræ & regimine Minorum, quod nunc militat sub Benedictino, uti alias *Tom. 2. an. 1233. n. 16.* largius observavimus.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. EA solemnis controversia de paupertate Christi, pro nihilo sere ex-
„ orta, & emulatione potius, quam fidei ardore pertractata, in varias
„ difficultates etiam & scandalorum discrimina abire videbatur, quando Car-
„ dinalis Bertrandus Legatus solerti prudentia per Lombardiam populos
„ reconciliabat Pontifici, Aycardus Archiepiscopus in Vicecomites Eccle-
„ siæ contumaces viriliter ecclesiastica auctoritate agebat, & Raymundus de
„ Cardona armorum vi, & bellico astu eorumdem Vicecomitum furorem
„ retundebat, & aliorum Gibellinorum temeritatem continebat. In Ger-
„ mania etiam per idem temporis subsupra res ibant, licentia belli discur-
„ rentes hæretici Boemiam & Poloniam infestabant, contra quos fratres
„ Coldarat, Peregrinus Oppoliensis, Ordinis Prædicatorum, & Hermannus
„ Pilsnensis, cum Nicolao Hyppodinet Ordinis Minorum in Cracovia vigi-
„ labant Inquisitores instituti, dum Ludovicus, & Fridericus dissidentes pro
Vuad. ad an. 1318. n. 6. „ Imperio decertabant, sorte bellica reservante victoriam Ludovico futuro
Prælliant. pro Imper. Ludovicus & Frider. „ subinde graviori hoste Ecclesiæ Christi: & quidem Fridericus, cum Henrico
„ suo Fratre valido congregato exercitu, copiis Hungaricis aucto, in supe-
„ riorem Bavariam movit, ubi Ludovicus, & cum eo Joannes Boemiæ Rex,
„ Archiep. Trevirensis, Burgravius Norimbergæ, Comites, & Barones alii re-
„ periebantur, ibi commissum est prælium, quod ab ortu solis usque ad occa-
„ sum perdurans tamdem Ludovico victoriam decrevit, captis Friderico &
„ Henrico fratribus, cum pluribus aliis proceribus.

„ II. Interea Sum. Pontifex datis litteris Apostolicis contra Matthæum
„ Vicecomitem, in quibus de Minoritis loquitur: *Dudum ad nostri &c.*
Diversæ litteræ Apost. ad divers. „ Kalen. Aprilis: v. Kalend. Junii ad Prælatos Alemanniæ scripsit sub eo-
dem

,, dem tenore binas: *Pervenit nuper &c.* contra quemdam ex nostris Fran- *Indicul. ex Oder. n. 7. an. 9.*
,, ciscum de Lucra: pro missis Nunciis ad Regnum Ruthenorum, dato Brevi:
,, *Cum vos &c.* Kalend. Junii: Inquisitoribus Ordinis contra receptores hæ-
,, reticorum, IV. Idus Junii scripsit: *Velut pecus &c.* & Angliæ Regibus
,, de Fratre Gerardo Nuntio: *Non sine multa &c.* XVII. Kalend. Octobris:
,, & fere sub anni finem, Kalend. nempe Decembris, contra Fr. Guillel-
,, mum Anglicum, qui cognominatur Occham, eratque calamo nimis infe-
,, stus Pontifici, litteras expedivit: *Licet moleste &c.* Ceterum concessa In- *Ex vatic.*
,, dulgentia pro Conventu S. Laurentii Neapolis: *Gloriosus Deus &c.* X.
,, kalend. Junii, pluribus nobilibus Matronis etiam supremæ notæ & clarita-
,, tis ingressum Monasteriorum indulsit, ut indicat Petrus de Alva & Astorga
,, in suo Bullarii Indiculo.
,, III. Mathildem Arthesiæ Comitissam B. P. Francisco devotam, Be- *Mon. MSS.*
,, thuniæ, quæ Civitas est inter primarias illius opulentissimæ Regionis, Vir-
,, ginibus de pœnitentia nuncupatis, Tertii Ordin. Minorum hoc anno
,, MCCCXXIII. regularem domum posuisse, Monumenta novissima Provin-
,, ciæ S. Antonii in Arthesia commemorant.

ARGUMENTUM.

Moleste fert Joannes Pontifex impugnari suas constitutiones, quas altera prolixiori confirmat. Vis tamen & pondus rationum quæ in ea congeruntur, aliquanto diffusius examinantur. Prædicatores & Minores fidem amplificant inter Lithuanos. Multam ponunt operam Inquisitores Minoritæ ad infringendam hæreticorum & hostium Ecclesiæ audaciam. Fiunt aliquot Episcopi & Domicilia.

I. CUm Multi temere obloquerentur & acrius invehenterentur hoc anno in editas a Joanne Pontifice extravagantes: *Ad conditorem canonum*, & *Cum inter nonnullos*, circa paupertatem Christi, inter cetera obiicientes, eas contrarias esse aliorum Pontificum constitutionibus, & multa continere, quæ subsistere non poterant; præsertim primam, in qua usum rei a dominio non distingui docuit, & Syndicos habere Minoribus prohibuit; aliam satis prolixam, quæ incipit: *Quia quorumdam mentes*, & habetur in corpore juris ad finem hujus anni IV. Idus Novemb. promulgavit, in qua scholastico potius more disputans, quam Pontificia auctoritate decernens, longa argumentorum serie prædictarum constitutionum veritatem nititur comprobare, & tamdem concludit contradicentem decretali: *Cum inter nonnullos*, fore hæreticum, alteram vero impugnantem habendum tamquam contumacem, & Romanæ Ecclesiæ rebellem.

Joan. Pont. confirmat editas a se constitutiones.

Inter extrav. tit. de verb. signif.

II. Multi multa improbant in hac decretali, eo præsertim prætextu, quod nihil in eo definierit, sed tantummodo scholastice disputaverit, quod & Cardinalis Bellarminus notavit de illa, quæ incipit: *Ad conditorem canonum*, & ipse Joannes in hac decretali fatetur, clariusque asservit Ludovicus Molina de utraque hac extravaganti dicens: *Joannes in his extravagantibus nihil tamquam certum definit, & statuit, ut illas intuenti est manifestum, sed solum disputando & argumentando in eam partem magis inclinavit, nimirum quod usus rerum uno actu consumptibilium non distinguatur a dominio.* Profecto nihil aliud ex professo tractavit Joannes in tribus illis decretalibus: *Ad conditorem canonum*, *Cum inter nonnullos*, &, *Quia quorumdam*

Bellar. l. 4. de Rom. Pont. cap. 14.

Mol. de just. & jure to. 1. tract. 2. disp. 6. n. 6.

Quid statuerit in his decretalibus.

dam mentes, præter illam quæstionem principalem de paupertate Christi, & Apostolorum, de qua molesta & diuturna illa fuit controversia, & aliam incidentem de distinctione usus a dominio. Atqui in secunda decretali primam definivit quæstionem, & in tertia docet, se eam aperte definivisse, dum jubet haberi pro hæretico, qui verbo vel scripto secundam illam decretalem impugnaret. In prima vero & tertia largius agit de quæstione altera incidenti de simplici usu facti, a dominio distincto, quæ mere legalis est, aut ad Philosophiam moralem spectat, uti docuerunt viri docti, & ad fidem minime pertinet, neque reductitie, uti expresse ipse Joannes asserit in hac ultima decretali, & propterea in fine constitutionis non afficit nota hæresis, qui hæc ausint impugnare.

Marg. de Orig. Aug. in c. 23. §. 7. & alii.

§. prætereà dicunt.

III. In quæstione itaque morali Philosophica, & abdicatione Syndicorum, ait ipse Pontifex, licuit aliter atque aliter sentire, atque ab aliis Pontificibus discrepare, & dominium rerum Minoribus concessarum, quod unus Pontifex admisit, alius potuit renunciare. Hinc etiam sumpserunt alii occasionem varie sentiendi circa distinctionem usus a dominio, & multa in his extravagantibus, quæ ad fidem non pertinent, examinandi. Atque illud primum occurrit, quod ex professo, plurimaque data opera illam impugnet assertionem ex adverso disputantium, videlicet: *Illud quod per clavem scientiæ in fide ac moribus semel definierunt Romani Pontifices, adeo immutabile perseverat, quod illud successori revocare non licet in dubium, nec contrarium affirmare: licet de iis quæ per clavem potestatis ordinaverint, secus sit judicandum*. Receptissima sane & communis est hæc doctrina inter Theologos, qui etiam pari consensu clavem scientiæ in summo Pontifice dicunt esse potestatem illam, quam habet ad definiendas veritates fidei, & interpretandam sacram scripturam. At hæc omnia improbat Joannes adductis, variis interpretationibus clavis scientiæ, quæ ad rem non faciunt, & pertinent ad eam qua inferiores Sacerdotes utuntur in foro pœnitentiæ, negatque summos Pontifices definire per clavem scientiæ, sed per eam, quæ dicitur potestatis. Theologi vero per illam, quæ scientiæ dicitur, conspirant mysteria fidei decerni & universalis Ecclesiæ mores præscribi; per clavem vero potestatis nihil aliud intelligi volunt, quam potentiam præcipiendi, gubernandi, leges ferendi, dispensandi, atque his similia.

An quod unus Pontifex per clavem scientiæ definivit, possit alius revocare? *Vide Suar. in 3. par. to. 4. disp. 16. sect. 4. assert. 2.*

§. Quod autem in ratione.

IV. Secundo quidam non intelligunt vim illius consequentiæ, quam deducit ex illis verbis Gregorii IX. & Innocentii IV. *Ordo Minorum usum habet eorum, quæ licet habere*, *ergo*, subinfert Joannes, *habet usum juris*, probatur exinde, quia, *cum facta quæ singulorum sunt, personam veram exigunt, & requirunt*; *Ordo autem vera persona non est, sed repræsentata & imaginaria potius censenda est*; *quare quæ sunt facti sibi convenire nequeunt, licet ei possint congruere, quæ sunt juris*. Atque hinc deduci vult Ordinem in communi, uti & ceteras religiones, habere jus & dominium ac proprietatem in res sibi collatas: licet nullatenus verba borum Pontificum hanc admittant explicationem. Etenim ipsa illorum verba clariora sunt, quam ut in hunc sensum possint detorqueri, cum dicant: *quod nec in speciali, nec in communi Minores debeant habere proprietatem*. Quid autem est non habere in communi proprietatem, quam Ordinem non habere? Habere vero Ordinem usum facti, nihil aliud est, quam penes illum esse auctoritatem, regimen & dispositionem hujus usus in speciali, seu in singulis Fratribus, uti & ipsi Pontifices Gregorius, & Innocentius ad priora illa verba subjungunt, dicentes: *Fratres secundum quod Generalis & Provinciales Ministri ordinandum duxerint, his utuntur*. Atque ita secundum hunc

Greg. & Innoc. in explicat. reg. Minorum.

An Ordo Minorum habeat jus, & dominium bonorum in communi.

hunc sensum ipsa hæc verba Pontificia intellexit & explicavit sanctus Bonaventura dicens: *Verum ei professioni, quæ sponte devovit Christum in extrema paupertate sectari, condecens fuit universaliter rerum abdicare dominium, arctoque rerum alienarum, & sibi concessarum usu esse contentam. Unde & in ipsorum regula continetur*: Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem: *Porro ne quis forte proprietatem interdictam in his verbis credat non collegio, sed privatis personis, audiat quid super hoc Gregorius Nonus Fratrum consultationi respondet*: Dicimus, *inquit*, quod nec in communi, nec in speciali, debent proprietatem habere, sed utensilium & librorum, & eorum quæ licet habere, Ordo usum habeat, & Fratres secundum quod Generalis vel Provinciales Ministri disponenda duxerint, his utantur. Nec debent vendi mobilia, vel extra Ordinem commutari, aut alienari quoquo modo, nisi Ecclesiæ Romanæ Cardinalis, qui fuerit Ordinis gubernator, Generali, vel Provincialibus Ministris, auctoritatem super hoc præbuerit, vel assensum: *Hæc verba rescripti Papalis, in quibus sapiens & pius Antistes, proprietatem separavit ab usu, illam sibi vel Ecclesiæ retinens, hunc autem Fratrum necessitati concedens, sancte quidem, sapienter & pie.* Et quod amplius est, ita illos Pontifices intellexit Clemens V. in Concilio Viennensi, cujus hic verba subjungo: *Sic*, inquit, *declaratum extitit per nonnullos prædecessores nostros Romanos Pontifices, hanc expropriationem intelligi debere tam in speciali, quam etiam in communi, propter quod, & rerum omnium concessarum, oblatarum, & donatarum Fratribus (quas & quarum usum facti, scilicet Ordini, vel Fratribus licet habere) proprietatem & dominium in se, & Romana Ecclesia receperunt, dimisso ipsis Fratribus in eis tantummodo usu facti simplicis.*

Bonav. in Apol. paup. respons. 4. c. 2.

V. Tertio in illam magis propendere videtur sententiam, quod verba illa Matth. 10. *Nolite possidere aurum, nec argentum, neque pecuniam in zonis vestris, nec peram in via &c.* Apostolis dicta in prima missione (quibus videbatur inniti contraria sententia de paupertate Apostolorum) non præceptum, sed consilium dumtaxat continere, cum revera communior, & melior sacrorum Doctorum, & hujus loci interpretum opinio sit, non tam hæc eis consuluisse, quam præcepisse. Idque apertius constare videtur ex sacro textu Matthæi hoc ipso loco: *Duodecim*, inquit, *Apostolos misit Jesus, præcipiens eis, & dicens: In viam gentium* & cetera quæ sequuntur ibi statuta hujus missionis. Marci 6. adhuc clarius explicatur his verbis: *Dabat illis potestatem spirituum immundorum, & præcepit eis, ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum &c.* Idem videntur indicare formulæ loquendi imperativæ: *Nolite possidere aurum*, apud Matthæum: *Nihil tuleritis in via*. Lucæ c. 9. & apud eumdem c. 22. *Quando misi vos sine sacculo &c.* id est auctoritative, & ex imperio. Nihil hic disputo an fuerit perpetuum hoc præceptum, & pro omni missione tam ad Judæos, quam ad gentes, spectaveritque omnino ad totum Apostolorum officium, uti acriter aliqui contendunt ex Hilario, Chrysostomo, Ambrosio, Hieronymo, Augustino: an vero temporaneum, dum inter Judæos prædicarint, quod uti verius & probabilius amplexatur sanctus Thomas, multis in locis, Cajetan. Jansen. Bellarminus, & alii plures: id tantum indicasse sufficit, statuisse Joannem hic aliqua fundamenta suarum assertionum, quibus non omnes subscribunt Doctores.

An verba Christi *Nolite possidere &c.* sint præceptiva?

Vide Maldon. in c. 10. Matt. ver. 9. Thom. 1. 2. q. 108. ar. 2. ad 3. & 2. 2. q. 181. ar. 6. ad 2. & q. 188. ar. 7. ad 5. Cajet. ibidem. Jansen. c. 15. concord. Bellarm. de Monac. l. 2. c. 41. Salmeron. tom. 4. p. 2. tract. 14. Vasq. de reddit. c. 1. dub. 1. n. 5. Quintanadvenas lib. 1. Ecclesiasticom. c. 2. n. 3. C. Exiit qui seminat de verb. sign. in 6.

VI. Quarto verba illa Pontificis Nicolai III. *Hi sunt illius sanctæ regulæ professores, quæ Evangelico fundatur eloquio, vitæ Christi roboratur* exem-

An peculiare sit regulæ Minorum omnia perfecte abdicare?

exemplo, fundatorumque militantis Ecclesiæ Apostolorum ejus, sermonibus, actibusque firmatur. Et alia quæ subjungit inferius dicens, *quod abdicatio proprietatis omnium rerum tam in speciali, quam in communi propter Deum meritoria est & sancta, quam & Christus viam perfectionis ostendens verbo docuit & exemplo firmavit, quamque primi militantis Ecclesiæ Fundatores, prout ab ipso fonte hauserant, in volentes perfecte vivere per doctrinæ ac vitæ ipsorum alveos derivarunt*. Hæc, inquam, verba alieno sane sensu torquet ad tria dumtaxat vota essentialia, ac alia si quæ in Evangelio expressa, reperiantur in dicta regula: quasi vero hoc non sit commune omnibus regulis vota illa includere, & ex Evangelio sua præcepta & statuta concinnare: & Nicolaus non loqueretur apertissime de absoluta illa & plena paupertate, & abdicatione rerum omnium tam in speciali, quam in communi, propter quam, Minoribus propriam, Minorum regulam singularibus istis prosequitur encomiis?

5. *Adhuc licet declaratio.*

An Minorum paupertas præ ceteris sit altissima?

VII. Quinto, quod æquali gradu vocandum velit *altissimam*, tam illam paupertatem eorum, qui facultates & bona habent aut possident in communi, quam illorum, qui nihil in speciali, aut in communi sibi retinere voluerunt, sed omnium omnimode abdicarunt proprietatem: *Neque enim*, inquit, *in communi, & quoad proprietatem aliqua habere, derogat altissimæ paupertati*. Attamen Minorum paupertatem, quæ tam in speciali, quam in communi rerum omnium abdicavit proprietatem, vocant *altissimam* Gregorius IX. & Alexander IV. in decretali: *Nimis iniqua*, quam ille anno V. sui Pontificatus XII. Kal. Septembris, iste anno II. & V. Kal. Septembris ediderat, & habetur in decretalibus tit. *de excessibus Prælatorum*. Et clarius *altissimam* definivit paupertatem Innocentius V. dicens, altam paupertatem esse, habere pauca propter Deum, altiorem quæ nulla habet propria, tamen habet in communi, *altissimam*, quæ nihil habet in hoc mundo, nec in proprio, nec in communi.

VIII. Sed ad manifestam hanc Innocentii descriptionem respondet Joannes, Innocentium hic non locutum uti Pontificem, sed uti Petrum de Tarantasia. Quidquid tamen sit de hoc responsionis genere, quo nimis facile utuntur quidam ad eludenda Pontificum statuta, non contendimus hoc esse definitum; sed magnos homines, sive ex cathedra, sive ex proprio arbitrio ita senserint, ita docuisse monstramus. Opponit etiam decretali ex Gregorio, & Alexandro adductæ alteram ejusdem Alexandri, pro condemnatione, inquit, libelli contra statum Prædicatorum & Minorum editi, ex qua ista verba producit: *Cum insuper iidem Fratres* (videlicet Prædicatores & Minores) *omnia propter Deum reliquerint, exilia vitæ subsidia mendicantes, Christumque imitentur pauperem, perfectionem Evangelicam amplexando. Propter quod evidenter apparet eos non solum in statu salvandorum existere, sed etiam perfectorum, & per suæ religionis observantiam, quæ quidem ipsius perfectionis Evangelicæ tenet formam, in æternæ retributionis præmio præcellentem gloriam promereri*. Ex quibus verbis infert Joannes, expresse dixisse, Prædicatores Christum pauperem imitari, ipsosque perfectionem Evangelicam amplexari, & in statu existere perfectorum, quodque ipsorum religionis observantia perfectionis Evangelicæ tenet formam, & tamen constat, ipsos habere posse etiam quoad proprietatem aliqua juxta eorum regulam in communi.

Tom. 4. an. 1256. n. 33.

IX. Diploma illud Alexandri, non quo librum illum Guillelmi de sancto Amore condemnat, sed quod sancto Ludovico Gallorum Regi scribit, ut suum impendat favorem Prælatis contra libelli auctores, nos exscripsimus alias,

alias, in quo simili loquendi formula æquiparat vitam Prædicatorum & Minorum, & iisdem afficit elogiis; quia sane sub eo tempore similis erat ratio mendicitatis utriusque Instituti, & eadem erat species paupertatis, uti insinuat sanctus Bonaventura, & divus Thomas variis opusculis contra impugnatores utriusque Instituti. Illud enim præcipue utrique objiciebant religioni mendicitatis detractores, quod abjectis possessionibus in speciali & in communi, Deum tentabant, & sui videbantur occisores, neque sequebantur Instituta aut exempla sanctorum Patrum Augustini, Basilii, Benedicti, qui licet in speciali suis sectatoribus summam præscripserint paupertatem: attamen in communi possessiones haberi voluerunt. His itaque obviam eunt toto conatu sanctus Thomas & Bonaventura plurimis & solidis rationibus ostendentes, harum religionum paupertatem, & abrenunciationem bonorum omnium tam in speciali, quam in communi, Evangelicam esse, sanctam, meritoriam, & præferendam illorum statui, qui in communi sibi bona reservant.

Prædicatores ab origine sui Instituti nihil possidebant in communi.

X. Porro hanc vivendi formam, & bonorum omnium tam in speciali, quam in communi abrenunciationem, suis Fratribus præscripsisse sanctissimum Patriarcham Dominicum, largissime referunt & probant graves ejusdem Instituti historici, sanctus Antoninus, Ferdinandus del Castillo, & scribit in ejusdem sancti Institutoris vita Thomas ab Apoldia, dicens: *Summus fuit beatus Dominicus paupertatis amator, in cunctis actionibus & moribus suis illam præseferens, filios & Fratres suos ad eam consectandam accurate invitans admonitionibus & exemplis. Hujus divinæ & singularis discipulorum Christi virtutis studio possessiones, quas habebat, abjecit, oblatas recipere noluit, statutoque perpetuo severiter cavit, ne in ipsius Ordine haberentur.* Et paulo infra: *Possessionibus suum Institutum obscurari omnino noluit, idque in sua regula scribi mandavit. Scribit vir prudens, spinas semen in ipsas conjectum suffocare. Itaque ne pungens divitiarum sollicitudo, & anxius rerum labentium amor, sanctitatis fructum aut prædicationis semen opprimeret, paupertatem Evangelicam, quæ, rejecta sollicitudine de crastino non cogitat, amplexus est, mandavitque filiis amplectendam.* Imo & sanctus Bonaventura, Antoninus, & Castillo citatus referunt, eum sub mortem imprecatum omnibus maledictionem, qui in Ordinem suum possessiones conarentur inducere, & licet postea propter urgentes rationes, & rationabiles causas bona immobilia sanctissimum admiserit Institutum, primum omnium Pontificum hoc approbasse auctoritate Apostolica anno MCCCCLXXV. Sixtum IV. narrat Castillo citatus. Neque tamen propterea volumus ullatenus negare, quod etiamnum, post admissas possessiones conveniant sanctissimi Instituti gloriosissimis viris prædicta Alexandri encomia, nimirum, quod Christum imitentur pauperem, perfectionem amplexentur Evangelicam, sint in statu non solum salvandorum, sed etiam perfectorum, & per suæ religionis observantiam perfectionem æmulentur Evangelicam. Etenim omnibus sacrarum religionum sectatoribus ista conveniunt, dum per varios modos, variis assumptis ex Evangelio consiliis & præceptis, Christum & Apostolos (a quibus, ut inquit sanctus Thomas, omnis religio sumpsit originem) pio studio imitari conantur.

Antonin.tit.21.c.4.§.3. Castil.1.p.l.c.§1. Apol. l.1.c.12.

Matth.13.n.7.

Bonav. tract. de paupert. Christi. art. 3. §. Item exemplum de S. Dominico. *Antonin.cit.§.11. Castil. citat.*

Thom.2.2. q.18. art.7. in corp. ad finem.

XI. Illud solum conamur ostendere, altiorem adhuc esse illam paupertatem, quæ omnium omnibus modis a se abdicavit proprietatem, illa quæ aliquorum retinet dominium in communi. Quod ex proportione manifesta manifestius patet; etenim uti altior est illorum paupertas, qui in communi aliqua habent, abdicarunt tamen in particulari, paupertate aliorum, qui

pauca habent in communi & in privatis personis; ita illi, qui nihil sibi retinuerunt neque in speciali, neque in communi, profectò ex æqua comparatione pauperiores sunt illis, qui possessionibus gaudent in communi; & proinde altior illorum egestas. Omnibus itaque aliis Institutis, quibus prudentissime Concilium Tridentinum possessiones in communi habere permisit, & habent, quis neget Franciscanum majorem & altiorem profiteri paupertatem, cui (videlicet Observantum & Capucinorum congregationibus) illas penitus interdixit? Non ergo immerito sanctissimus eorumdem Institutor postquam præmisit: *Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem, sed tamquam peregrini & advenæ in hoc seculo &c.* Subjunxit: *Hæc est illa celsitudo altissimæ paupertatis &c.* Ubi Bonaventura: *Quare altissimæ, nisi quia a mundo remotissimæ, & per consequens cælorum regno summe vicinæ? Illi etiam vitæ æternæ, ut est possibile, simillimæ, ubi nihil terrenum est proprium vel commune.* Idque ipsum largius probat in libello contra Guillelmum de sancto Amore, & Apologia pauperum, & sanctus Thomas in opusculo contra impugnantes religionem, & altero contra retrahentes homines ab ingressu religionum.

Trident. sess. 25. de regular. c. 3.

Reg. Minor. c. 6.

Bonav. ibidem.

XII. Tandem diffuse & docte, expensa vi verborum, ac proprietate paupertatis *altissimæ*, Bartholus dubium omne repellit, dicens: statum Fratrum Minorum esse in *altissima* paupertate fundatum, nec unquam inter seculares aliquem statum reperiri aliquo jure institutionis, ob aliquam causam vel delictum huic similem, vel ita pauperrimum: nam homines liberi quorum status est integer, habere possunt in proprio & in communi. Quidam tamen sunt quorum status propter pœnam diminutus est, uti deportati in insulam, qui licet ea quæ juris civilis sunt, perdant, tamen ea quæ juris gentium sunt, retinent, & ex his causis possunt sibi acquirere, & actiones habere, ut ff. de pœnis. l. quidam sunt, cum aliis concordantiis ibi positis. Quidam sunt, servi pœnæ, & sic ipsorum status in totum perimitur, quod perdunt omnia: tamen pro alimentis potest sibi legari, & ipsemet patitur per se, vel per alios judicis officium implorare, ut sibi solvatur, ut ff. de alimentis ciba. leg. sicuti, & l. servus. ff. de iis quæ pro non scriptis habentur. l. si in metallum. Tamen Fratres Minores pro nulla re temporali possunt experiri in judicio, ut infra dicetur: nullisque aliis reperitur usus pecuniæ interdictus. Nulli ergo sunt in tanta paupertate propter pœnam, in quanta isti sunt propter votum. Quidam etiam sunt, quos servos fecit captivitas, vel nativitas, & istis etiam ex causa alimentorum potest legari, & in multis causis pro re temporali in judicio esse possunt, ut ff. de judiciis. l. lis nulla, & eis usus pecuniæ non est interdictus, ut ff. de manumissis. l. is cui. Non ergo sunt in tanta extremitate paupertatis in quanta sunt Fratres prædicti propter Deum. De iis etiam, qui in Ecclesia Dei militaverunt, nullum genus hominum reperio in tam stricta paupertate. De clericis enim secularibus religiosis non mendicantibus non est dubium, de religiosis vero aliis mendicantibus, constat, quod aliqua habent in communi, quoad proprietatem, ut colligitur ex verbis Domini Joannis XXII. in extravaganti: *quia quorumdam*, referentis verba Gregorii IX. dicentis: *Fratres Minores & Prædicatores in altissima paupertate Domino famulari*, & tamen constat, ipsos Prædicatores in communi habere etiam quoad proprietatem aliqua, quod eorum statui non repugnat. Fratres autem Minores nihil omnino ex vi regulæ habere possunt, ut dictum est &c. Idem expresse docet Cardinalis Zabarella in Clementinam *Exivi*: & Panormitan. in c. In præsentia, de probationibus.

Barthol. lib. 1. Minoritarũ c. 3.

XIII. Obji-

XIII. Objicit tamen Joannes Macedonum paupertatem ab Apostolo dici *altissimam*, quamvis in speciali bona temporalia obtinuerint, de quibus idem asserit Apostolus, quod supra vires suas miserunt eleemosynas Sanctis. Verum est verbum originarium Græcum κατὰ βάθος, significare *profundissimam*, & quasi ad fundum usque exhaustam paupertatem, quam *humilissimam*, vocat Anselmus, vel si quis est auctor commentariorum apud ipsum, *extremam* Theodoretus, *profundam* Ambrosius & Oecumenius, *maximam* sanctus Thomas; quæ eousque & ad hunc pervenit gradum, vel quia a contribulibus spoliati sunt, uti refert Oecumenius, vel quia uti habet glossa, contempserunt & abdicaverunt divitias, statim ut Apostolus prædicaverat eis, ita ut non solum conversi fuerint ad fidem, inquit Anselmus, verum & ad culmen perfectionis pervenerint, & propterea *altissima* dicatur, inquiunt idem Anselmus & Thomas, quasi nobilissima, & præconiis extollenda, quia spontanea, multumque meritoria, ait Dionysius Carthusianus. Nihil ergo mirum si vel rebus omnibus ad fundum usque spoliati, vel iisdem rebus sponte abdicatis propter Christum, illorum dicatur paupertas *altissima*, quia profundissima, quia maxima, quia extrema: seu quia nobilissima, quia spontanea, & in tantis rerum angustiis tantam exhibuerint erga Sanctos, qui erant Hierosolymis liberalitatem. Altissimæ & encomiis celebrandæ sunt omnes paupertates sponte propter Christum susceptæ, altissima Macedonum paupertas, altissimæ etiam aliarum religionum paupertates, quia Evangelicæ, & quantum suus status permittit, rebus possibilibus abjectis, contendit unusquisque ex his Christum pauperem in paupertate sectari. At in hac eadem Evangelica paupertate dantur gradus, & ultimus est, in quo nihil omnino, vel in speciali, vel in communi Consodales suum possunt habere. *§. Dicunt etiam. 2. Cor. 9.1.*

XIV. Atque hinc obviam solvitur illa quæstio: an hoc genus paupertatis sit perfectius, consequenter enim ad antecedentia docent sancti Patres, & maxime sancti Thomas & Bonaventura sæpius citati, majorem esse perfectionem nihil habere etiam in communi. Sanctus Thomas opusculo contra impugnantes religionem sæpissime optimis & solidis præmissis rationibus, subinfert has consequentias: *Ergo majoris perfectionis est paupertas illa sine possessionibus in communi, quam illa quæ possessiones in communi habet. Ergo magis est laudabile in religionibus possessionibus carere, quam eas habere: ergo patet quod majoris perfectionis & securitatis est possessionibus communibus carere, quam eas habere*. Et totus est in hoc genere dicendi, largiusque dissolvit omnes objectiones contrarias. Apertius & acrius hanc inculcat doctrinam in alio opusculo, quod contra retrahentes homines ab ingressu religionis, inscripsit; ubi condemnat pro errore dicere, majorem esse perfectionem habere hujusmodi bona vel possessiones in communi, quam non habere; & qui ita docent, asserit: *Doctrinæ Christi, necnon vitæ ipsius non modicum adversari, qui in omnibus paupertatem & servandam docuit, & exemplo monstravit*. Longe inferius: *Manifestum est ad perfectionis cumulum pertinere, quod aliqui possessiones non habeant, nec proprias, nec communes*. Et sub finem illius capitis ait: *Nullus autem sani capitis dicet, ad mundi onera non pertinere communium possessionum curam &c.* Sic igitur, subinfert, *patet vanam esse doctrinam, imo pestiferam, & Christianæ contrariam, illorum qui dicunt, quod possessionibus communibus carere propter Christum ad perfectionem non pertineat*. Et cap. 16. in responsione ad septimum, quod ex majori sollicitudine suborta ex mendicitate quotidiani victus objicitur: *Quis*, inquit, *non videat in immensum majoris esse sollicitudi-*

Quæ sit perfectior paupertas? Thom. opusc. 19. c. 6. Opusc. 17. c. 15.

tudinis possessionibus procurandis curam impendere, ad quod vix seculares sufficiunt, quam acquirere simplicem victum ex fidelium pietate collatum, & clementia divina provisum?

Idem 2. 2. q. 188. art. 7.

XV. Neque his contradicit, dum alibi docet, habere aliquid in communi non diminuere perfectionem religionis, neque nos volumus, aut aliquando in mentem venit ex his, quæ diximus, inferre Franciscanum Institutum reliquis sanctissimis Ecclesiæ ordinibus esse excellentius, quia altiorem aut strictiorem præ se fert paupertatem. Etenim, ut doctissime scribit sanctus Doctor, non est ipsa essentialis perfectio paupertas, sed perfectionis instrumentum, quatenus expeditius ducit ad Christi sequelam; neque consideranda est absolute secundum se, sed quatenus instrumentum est, & medium ordinatum ad finem peculiarem cujuscumque religionis. Præsupposito itaque tali fine, paupertas major vel minor est religioni juxta statum suum accommoda: & tanto erit unaquæque religio secundum paupertatem perfectior, quanto habet paupertatem magis proportionatam suo fini. Exempli gratia: Religionibus, quæ ordinantur ad corporales actiones vitæ activæ, uti ad militandum contra infideles, vel ad hospitalitatem exercendam, competit habere abundantiam divitiarum communium. Illis, quæ ordinatæ sunt ad contemplandum (utpote monachales) magis competit habere possessiones moderatas, nisi simul oporteat, tales religiosos per se vel per alios hospitalitatem tenere, & pauperibus subvenire. Illis autem, quæ ordinantur ad contemplata aliis tradenda (quales sunt mendicantes) competit vitam habere maxime ab exterioribus sollicitudinibus expeditam. Quod quidem fit dum modice, quæ sunt necessaria vitæ, congruo tempore procurata conservantur.

Cajet. ibid. 4. In eodem articulo.

XVI. Explicat autem Cajetanus procurationem hanc congrui temporis, de mendicitate & quæstu tempore messis & vindemiæ, & aliis rerum collectionibus statutis anni temporibus faciendis, ut provideatur certo superventuris necessitatibus, quibus facile non posset occurri in aliis mensibus anni; quod licere etiam Fratribus Minoribus, debitis adhibitis circumstantiis, aliqui Pontifices, Bonaventura & alii Franciscanæ Regulæ interpretes docuerunt, & oppido faciunt, qui de regulari observantia nuncupantur. Non itaque, uti optime concludit sanctus Thomas, oportet, quod religio tanto sit perfectior, quanto majorem habet paupertatem, sed quanta ejus paupertas est magis proportionata fini communi & speciali. Et si daretur quod excessus paupertatis faceret religionem perfectiorem, secundum hoc quod esset pauperior, non tamen faceret eam perfectiorem simpliciter. Posset enim esse, quod alia religio excederet in his, quæ pertinent ad continentiam & obedientiam, & sic esset simpliciter perfectior: quia quod in melioribus excedit, est simpliciter melius.

Nicol. III. Clem. V. Joan. XXII. in expos. regulæ. Bonav. in c. 6. & q. 7. in regulam. Thom. citat. ad 1.

XVII. Ex his itaque quæ diximus, non id conamur inferre, quod eo sunt perfectiores religiones, quo pauperiores: sed virtutem paupertatis secundum se consideratam, eo perfectiorem esse, quo altiorem. Expressa hæc est doctrina sancti Thomæ & Bonaventuræ locis citatis: *Quam si quis impugnat*, inquit hic, *impugnat Christum pauperem Crucifixum, impugnat Evangelicum consilium, impugnat cœtum Apostolorum dicentium: Ecce nos reliquimus omnia: impugnat Spiritum Sanctum, qui hoc inspirat, &c.* Alensis: *Omnibus omnino universaliter abrenunciare pro Christo, laudandum est tamquam culmen perfectionis Evangelicæ*, & infra ait: *Huic doctrinæ non posse sine periculo fidei obviari*. Totus abit per plures quæstiones in hanc sententiam Henricus Gandavensis, & fusius eamdem ex patribus plu-

Bonav. opusc. de pauper. quæst. 1. art. 2.

Alen. 4. p. q. 30. mem. 2. ar. 3.

Gandav. quodl. 7. q. 28. 29. & seq.

plurimaque adducta ratiooe, docent Alvarus Pelagius, & auctor Nitelæ Franciscanæ.

Alvar. lib. 2. de planctu c. 56. & seqq.
Nitel. tract. de paup. c. 5.

XVIII. Regredimur ad Joannis constitutionem, qua ulterius pergit ad probandum, nullatenus Minores habere simplicem usum facti in rebus sibi concessis, præsertioi usu consumptibilibus, denudatum omoi jure: *Alioquin*, inquit, *hujusmodi actus utendi esset reputandus non justus, cui ius non competebat utendi*. Totus sane hæret & insistit tam in constitutione: *Ad conditorem canonum*, quam in ista, de qua agimus, in inculcando hoc jure, absque quo putat illicitum & injustum esse usum rerum in singulis Fratribus. Profecto tota hujus argumenti vis, non minus contra aliarum religionum sectatores, quam contra Minores urgeri potest. Namque hoc peculiare noo est solis Franciscanis, uti Viri docti recte notarunt, sed commune omnibus religiosis, ut dominium oon habeant in particulari rerum, quas usu consumunt, sed solum usum: quia militat eadem ratio; cum illis rebus utantur dependeoter a superioris voluotate, qui potest pro nutu suo usum revocare. Illud dumtaxat est discriminis inter reliquos, & Minoritas, quod hi oec in particulari nec io communi habeant dominium illarum rerum, aut quarumcumque aliarum, uti manifeste docent plures Pontifices Gregorius IX. Innocentius IV. Nicolaus III. Clemens V. Illi vero non habent in particulari dominium illarum, licet habeant in communi. At reliqui religiosi juste & licite utuntur in particulari rebus sibi concessis, ex licentia sibi facta a superiore, per quam jus (late dictum) habent utendi, seu justo gaudent titulo ut utantur, ita ut nullatenus reputandus sit usus non justus, neque ulteriori indigent dominio aut jure, sive actione civili, ut juste utantur. Similiter etiam Minores, ex concessiooe & licentia Sedis Apostolicæ, apud quam immediate est dominium omnium rerum sibi immediate cooœssarum, jus habent utendi, seu justo gaudent titulo ut utantur. Non requiritur ergo aliud jus proprium, aut specialis actio civilis in religioso Minorita, ut juste utatur rebus sibi concessis, præter illud quod acquirit ex cooœssione & licentia Sedis Apostolicæ, apud quam residet dominium earumdem.

4. Quod autem dicitur. & 5. Quod autem in prædicta.
An simplex usus absque jure utendi, licitus sit in Minoribus?
Sanchez. lib. 7. de cal. c. 18. n. 8. & plures ab eo citati.
Greg. Innoc. Nicol. Clem. V. in expos. reg. Minorum.

XIX. Etenim (uti recte argumentatur Alvarus Pelagius ejusdem sanctissimi Domini Joannis pœnitentiarius) si usus potest esse justus in aliis religiosis, solum ex jure & dominio communi suæ religioois, absque omni jure proprio civili, seu particulari dominio, eadem ratione sequitur, quod usus potest esse justus io Minoribus solum ex jure utendi communi, seu dominio Sedis Apostolicæ, absque omni jure proprio stricte sumpto, seu dominio religiosorum io particulari, aut totius religioois in communi. Neque enim booa mobilia aut immobilia aliis religiosis concessa magis, nec potiori jure sunt in potestate communitatis seu Ordinis in communi, quam bona Minoribus concessa sunt in potestate & dominio Ecclesiæ Romanæ. Sicut igitur communitas Religionis ex dominio, quod penes se residet, dat jus seu potius justum titulum utendi religiosis sibi subditis, ita Sedes Apostolica Minoritis. Tamdem hanc senteotiam sequitur expresse sanctus Thomas loco proxime citato, respondens ad objectionem illorum, qui dicebaot, non posse uti his rebus absque aliqua proprietate: ait enim, solum usum esse penes religiosos, dominium vero penes alios, propter aliquorum senteotiam, qui aliquarum rerum, maxime pecuniæ dominium, ajunt remanere penes dantes, non penes Ecclesiam: ait itaque: *Ea quibus utuntur religiosi ad sustentationem vitæ non sunt eorum quantum ad proprietatem dominii, sed dispensantur ad usum necessitatis eorum ab his, qui harum dominium habent, quicumque sunt illi.* XX.

Al. cit. an. finem.
Thom. cit. ad ult. argum.
Vide San. cit. n. 9. & seqq.

Molin. de just. & jure t. 1. Tract. 2. disp. 6. n. 4. Navar. in Apol. de red. q. 1. & monit. 16. Alvar. cit.

XX. Hac itaque ratione declarato jure utendi, quod ad justum usum necessario requirit Joannes, facile concordari putant aliqui ejusdem Joannis & Nicolai decretales: neque enim hujusmodi jus, seu justum titulum utendi Minoribus negat Nicolaus, dum solum usum simplicem facti eos habere decernit. Ajunt itaque, Joannem illud dumtaxat voluisse, ut jus aliquod, seu justus titulus concederetur, per quem usus licitus esse posset. At assignato jam jure seu titulo, ex concessione seu licentia Sedis Apostolicæ exorto, cessat in servo, qui utitur rebus Domini sui ex concessione ejusdem, & convivæ qui manducat cibos sibi appositos, quamvis neque hic ciborum, neque ille rerum jus proprium civile aut dominium dicatur habere. Atque eo tendere dicunt omnia argumenta Joannis, ut probet, hunc usum juris seu justum titulum utendi non separari ab usu facti: Nicolaum vero non negasse hæc, sed solum voluisse ablegare a Minoribus jus proprium fori & rigidum civile, quod inducit proprietatem & dominium rerum, earumque usum liberum independentem omnino a voluntate concedentis, ita ut ea permutare, vendere & donare possint pro arbitrio suæ voluntatis: jus tamen late sumptum, aut titulum concedit ad simplicem usum facti fundatum in voluntate concedentis.

§. Quod autem, ad resp. §. Rursus nec simplic. §. Praterea quod simplex usus.

XXI. Attamen licet verum sit in hac decretali, de qua nunc agimus, nihil amplius expetere Joannem, & eo dumtaxat ejus collimare rationes, attamen in illa, quam prius edidit: *Ad conditorem canonum* amplius requiri, nimirum ad licitum usum facti jus utendi, quod a proprietate & dominio non potest, inquit, separari. Idque multis locis inculcat, & expresse dicit, quod in rebus usu consumptibilibus dicere usum juris vel facti separatum a proprietate rei, seu dominio, posse constitui, repugnat juri & obviat rationi. Si vero fortassis in hac posteriori decretali temperaverit sententiam hanc, quam supra diximus optimos quosque Doctores reprobare, & nihil amplius tamdem se voluisse declaraverit, quam jus aliquod seu justum titulum utendi, & viris doctis hæc placeat concordia, nihil reluctabimur, damusque manus, & quæstio videbitur de nomine dumtaxat. Illud solum salvum cupiunt Minores, ut ex hujusmodi jure vel justo titulo utendi nullum sibi resultet jus civile, proprietas, aut dominium in rem, qua utuntur, aut quam usu consumunt; sed hæc remanere semper penes conferentem, aut Pontificem: ita ut quotiescumque voluerint, absque tyrannidis aut injustitiæ nota, eam possint repetere, aut auferre quotiescumque placuerit, donec actu consumantur.

Quale jus habēt Minores in res sibi concessas.

Sanch. cit. n. 7.

XXII. Demum, ut finem huic disceptationi de distinctione usus a dominio imponamus, & quale sit hoc jus utendi Minorum, & quousque se extendat, clarius explicemus, ex docto viro claram affero hujus juris ad aliorum jura comparationem: *Habent*, inquit, *Franciscani partim plus juris ad res ipsis concessas, quam usuarius & usufructuarius: partim vero longe minus, quippe habent plus juris, quatenus integrum illis est, omnibus earum fructibus potiri, easque, ac rei substantiam consumere, & alienare: at usuarius & usufructuarius tenentur salvam rei substantiam conservare. Est autem longe minus, quatenus potiuntur usu dependenter a voluntate eorum, penes quos est dominium, ita ut citra aliquam eorum injuriam possit Dominus ad libitum suum eis illarum usum interdicere: quod minime potest usuario habenti juris usum, nec usufructuario; & ideo non habent verum juris usum, sed facti: nec sic dicuntur habere usum facti, quasi non habeant jus ad usum prædicto modo illarum; nam uti re aliena absque aliquo jure, est furtum. Unde ad hunc sensum habent usum juris, idest jus uten-*

utendi licite: non autem habent usum juris, id est, jus utendo independens ab alterius nutu & voluntate; & quia hoc posteriori modo dicitur simplex usus juris, & usus priori modo est secundum quid usus juris, simpliciter autem dicitur usus facti, jure optimo dicitur absolute, Fratres Minores non habere usum juris, sed facti, respectu rerum ipsis concessarum.

XXIII. Amplius notaverim, in hac decretali circa hanc explicationem juris, & distinctionem usus a dominio, eumdem Pontificem asserere quod Nicolaus (quem semper numerat quartum, cum fuerit tertius, ut suo loco largius & clarius probavimus) discrepet a Gregorio IX. & Innocentio IV. dum hic neget Fratribus jus vel proprietatem in communi, illi vero secundum ipsius Joannis explicationem, ea illis concesserint. At paulo ante probavimus, summa verborum concordia & unanimi consensu a Minoribus tam in speciali, quam in communi hæc ablegasse. Demum ait, non esse mirum, si quod circa regulas Ordinum solus summus Pontifex declarat vel ordinat, liceat ejus successoribus declarare, seu alias immutare: qua ratione infert sibi licuisse immutare vel revocare, quod Nicolaus aut alii Pontifices circa Minorum paupertatem statuerunt. Verum est, circa constitutiones aliquas aut statuta quædam Pontificum, quæ ad fidem non pertinent, aut quæ circa universales Ecclesiæ mores non definiunt, licere successoribus aliter arbitrari. At in definitionibus ex cathedra, firma & fixa est uniuscujusque sententia, quam non licet convelli, nec poterit (ita stabili lege providente divina sapientia) successor revocare. Doctissimi quique passim ajunt, Nicolaum vere definiisse ea, quæ statuit circa Minorum paupertatem, quod & largissime probat auctor Nitelæ Franciscanæ, de quo alii subdubitant: at quidquid sit sive expressa definitio, sive matura & gravis multorum doctissimorum Virorum consilio edita constitutio, quod ego modo nolim examinare: ea fuit divina dispositio, ut nihil contra eam, uti superius diximus, Joannes definierit.

4. Ex præmissis autem. An. 1279. nu. 11. & 12.

An unus Pontifex possit revocare quæ alius constituit?

Hoc anno n. 6.

Nitel. cit. p. 281. 282.

An. 1323. n. 5.

XXIV. Atque eo facilius hæc immutare licere insinuat, quod solus Pontifex absque Concilio hæc ordinaverit, quasi vero non summam sortiatur infallibilitatem, & inconcussam habeat auctoritatem, quidquid solus Pontifex ex cathedra extra Concilium definit. Postremo discurrit & insinuat, nihil circa hanc controversiam actum esse in Concilio aliquo generali, & propterea facilius licere circa eam aliter atque alii Pontifices dixerint, arbitrari. At licet nullus ex iis, quos refert, Gregorius, Innocentius, Alexander, aut Nicolaus aliquid statuerit in Conciliis, statuit tamen & declaravit Clemens V. (cujus decretalem incipientem: *Exivi de paradiso*, Joannes ipse corpori juris inseruit) in Concilio Viennensi, ubi relata suorum prædecessorum sententia & declaratione circa paupertatem Minorum, & abdicationem bonorum omnium in speciali & in communi, retento sibi dumtaxat simplici usu facti, eamdem confirmavit & secutus est.

Etsi id statuerit extra Concilium.

Lib. 5. Cl. Exivi de parad. §. proinde cum vir sanctus.

XXV. Hæc, omissis aliis rebus levioribus, operæ pretium duxi circa decretalem hanc adnotare. Video enim ex ignorantia facti, & rei Theologicæ inscitia turpiter plurimos, præsertim Canonistas, in causa hac aberrare, & veluti in tenebris cœcutientes cespitare, atque in decretales passim impingere. Insulsas, jejunas, & ineptas glossas quidam affigunt, expositiones addunt frivolas, & aliquando a Pontificis causa alienas. Alii fluctuantes inter Nicolai, & istas decretales, quam potius defendant, nesciunt, putantes sibi invicem contrarias: & qui consultius putant, conciliandas, id inepte faciunt peregrinas excogitantes expositiones. Quidam imperite putant, singula in his decretalibus contenta, sacra esse & veluti fidei arcana cre-

credenda; alii nimia religione hærent, mentemque suspendunt, verentes Joanni refragari, quem tamen vident in aliquibus Nicolao contradicere. At in his, quæ facti sunt, & in quæstionibus mere Philosophicis, aut Juris civilis, solidioris doctrinæ & pietatis viri, haud timent, debita reverentia, aliorum opiniones illius arbitrio præferre, præsertim cum nihil hic definitum in duabus longissimis & tædiosissimis decretalibus, decretales dico, quæ aliis Apologiæ Scolasticæ, & Theologici videntur discursus. Ne itaque in molestæ controversiæ, quæ tantas excitavit turbas, intelligentia in incertum amplius divagari liceat, eam largius, optimis quibusque consultis auctoribus, examinavimus, & præ oculis hic non adeo extra nostrum institutum, uti aliqui fortassis putabunt, posuimus; præcipua etenim hujus temporis historia ad istius controversiæ turbulentos motus sive directe, sive per anfractus collimat.

XXVI. Atque ut coronidis loco dicam, sincere fateor, me vehementer admirari ad tot turbas, & animorum commotiones, quas una hæc excitavit controversia, in re omnium clarissima, in scripturis expressa, a Pontificibus clare insinuata, a Doctoribus, præsertim Angelico & Seraphico, manifeste discussa, in qua tamdem nihil definitum, quod priorum Pontificum doctrinæ & Minorum opinioni ex eadem desumptæ, contradicat. Nimis animose & irreverenter quidam ex nostris causam agebant suam, potuitque lis in ipso exordio sopiri, nisi quidam ex adverso inglorie se fecisse arbitrarentur, nisi vincerent, & vinci se putarent, dum ex adverso trophæi vexillum non explicarent. Animositas & propriæ gloriæ studium utrimque nimis prævaluit, & aliquorum temeritas Pontifici ardorem ingessit, ut quam sopivit controversiam, reassumeret, & quidquam in ea statueret, sed & alia adderet, quæ apologeticis his decretalibus oportuit magno conatu munire.

Amplificatur fides inter Lithvanos.

Guagu. de orig. gentis Lith. to. 1. rerum Polon.

Reg. Vat. an. 8. tom. 1. epist. 14.

XXVII. Hoc tempore laudabili studio propagabant fidem Christianam Prædicatores & Minores in terris Lethwinorum (qui nunc Lithuani dicuntur, & olim Litwani & Gepidi nuncupabantur) quorum Princeps Gedemunnus, uti habet monumentum Vaticanum, seu Gediminus uti scribit Alexander Guaguinus Veronensis, magnumque Ducem inscribit Lithuaniæ, sed Pontifex Lethwinorum & multorum Ruthenorum regem appellat, religiosis valde propitius, dedit illis licentiam domicilia ibidem constituendi, quorum opera tamdem ipse conversus est. Duo mihi constat ex diplomate Pontificio, anno sequenti producendo erexisse ibidem Minoritas Monasteria, & plurimos illuc avolasse. Misit ad eos Pontifex hoc anno nuncios Bartholomæum Episcopum Electen. & Bernardum Abbatem Monasterii sancti Theofredi Anitien. ut negotium exaltationis & augmenti Christianæ fidei amplius apud eumdem Regem urgerent.

Frater Aychardus fortiter agit contra hostes Ecclesiæ.

Vide sentent. apud Brov. hoc anno num. 13.

Nec non frater Guillelmus Episcopus Sagonen.

Reg. Vat. ann. 8. ex lib. secr. fol. 65.

XXVIII. Multa præstitit hoc anno frater Aychardus Archiepiscopus Mediolanensis Minorita contra Vicecomites Mediolanenses, contra Raynaldum Passarinum de Bonacossis Mantuanum, contra Castruccium Lucensium Tyrannum, & contra reliquos hostes Ecclesiæ, in quos gravissimas sententias fulminavit; & Minorita alter frater Guillelmus Episcopus Sagonensis: *Efficacem operam*, verba transcribo Pontificis, *& sollicitudinem studiosam tamquam vir probatæ fidelitatis & constantiæ circa directionem & fulcimentum exercitus Ecclesiæ partium Lombardiæ solerter adhibuit*, propter quas dignas gratiarum actiones ei reddendas, proprio ad eum scripto diplomate, Pontifex judicavit. Scripsit etiam ad Joannem de Ancona, & Servodeum de Pena sancti Joannis, Minoritas Inquisitores hæreticæ pravi-

tatis in Marchia Anconitana, ut plurimos rebelles, & capita factionum ab eorum prædecessore fratre Laurentio de Mondayno Inquisitore, tamquam hæreticos & idololatras condemnatos, a civitate Urbinaten. & Comitatu ejusdem, a terris sanctæ Agathæ, Massæ Trebariæ, Comitatu Montis Feretri pelli curarent; neque ullo loco consistere paterentur, donec caperentur, vel ad gratiam Sedis Apostolicæ humiliter redirent. *Joannes & Servodeus Inquisitores Marchiæ Anconitanæ. Ibid. fol. 12.*

XXIX. Transtulit hoc anno a Puteolano ad Ecclesiam Adversanam vulgo, *Aversa*, in Campania & regno Neapolitano, a Jurisdictione Archiepiscopali exempta, per mortem Petri vacantem, fratrem Guillelmum Minoritam: *Quam sit onusta dispendiis*. Kalend. Junii, *& volentes nuper Ecclesiæ*. Kalend. Julii. Ad eamdem Puteolanam vulgo *Pozzuolo*, in prædicta Campania, balneis quæ perlustravi & sulphureis ignibus quos vidi, celebrem, Archiepiscopo Neapolitano suffraganeum promovit fratrem Paulinum de Venetiis, propter præclara merita, & præstita Ecclesiæ obsequia: *Inter cetera sollicitudinis*, XII. Kal. Julii. Commendavit eum variis litteris Pontifex Roberto Regi Siciliæ, & Bertuldo Archiepiscopo Neapolitano; consecratus est a Bertrando Episcopo Cardinale Tusculano Minorita. Translatus est hoc anno ab Ecclesia Pacen. seu Pacis Augustæ, vulgo *Badazoz*, quam ante quindecim annos diximus, suscepisse regendam, ad Tudensem in Gallecia, sub Archiepiscopo Compostellano, prope littus Oceani, ad Minii & Anæ confluentem, frater Simon, cujus meminit Prudentius a Sandoval, Episcopus Tuden. in libro quem scripsit de Episcopis illius urbis, sed Institutum ignoravit. Translatio hæc constat ex diplomate Pontificio, quo jam Instituto Tudensi Antistiti licentia confertur disponendi de fructibus Ecclesiæ Pacensis illius anni: *Quia præsentis vitæ*. III. Non. Decembr. Subscripsit diplomati Alphonsi & Constantiæ Regum Castellæ, dato æra MCCCLXIV. die XXVIII. Julii apud Methimnam Campensem, quo a vectigalibus & tributis liberas volebant sui regni Ecclesias. „ Hoc tempore floruisse Neapoli fratrem Joannem Minoritam confessarium Mariæ Ducissæ „ Calabriæ, & Regi Roberto fuisse a consiliis, illius regestum commemo„ rat.

Frat. Guillelmus Episcop. Adversanus. *Frater Paulinus Puteolanus.* *An. 1309. n. 24.* *Fr. Simon Tudensis.*

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI. *Fr. Joan. ejusdem consiliarius. Regi Roberto a consiliis.*

XXX. Aliquot hoc anno, vel cœpta, vel capta a Minoribus domicilia, unum Itri in diœcesi Caetana, in regno Neapolitano, ex quo prodierunt aliquot viri graves altarum provinciarum Rectores. Illud recipiendi licentiam hoc anno fecit Joannes Pontifex: *Ex munere cœlestis*. XIII. Kal. Junii. In Insula Sardiniæ duo, unum in terris nobilis viri Pandulphi de Malatestis Pensaurien. diœcesis. Eodem modo incipit diploma XVII. Kal. Julii. Non exprimuntur nomina locorum peculiarium, in quibus hæc sint ædificata Cœnobia. Monterii Vulteranæ seu Volaterranæ diœcesis alterum reædificandi destructo primo, ex ruina montis vicini, obtinuerunt hoc anno Fratres licentiam: *Nuper pro parte vestra*. XVII. Kal. Junii.

Conventus Itri. Rodul. fol. 276. *Conv. Monterii.*

XXXI. Inchoatum hoc anno insigne Monasterium sanctæ Mariæ Magdalenæ Neapoli, haud longe a Castro Capuano, per Granciam Reginam, pro recipiendis & alendis mulierculis prostitutis, a peccato resipiscentibus. Harum lucrandarum tantus fuit piissimæ Reginæ zelus, ut simul cum suo confessario Philippo ab Aqueriis, illarum domos penetraret, verbis, lacrymis, & muneribus ad meliorem vitam alliceret, atque ad sacrum a se præparatum asylum invitaret. Tantam hujus mali germinis messem collegit, ut ante decennium ex centum octuaginta duabus fœminis, quæ ejus monitis illic se collegerunt, centum sexaginta sex solemne religionis votum in manu Joannis Archiepiscopi Neapolitani ad annum MCCCXXXIV. libenter emi-

Monast. S. Mariæ Magdalenæ. *Gonzag. 1. part. sui volum. peculiari de hoc tractatu.* *Engen. in Neapol. sacr. pag. 396. Summ. lib. 3. hist. Neap. p. 386.*

ferint. Curam hujus loci commisit pia fundatrix Fratribus Minoribus, obtinuitque eodem anno a prædicto Archiepiscopo, ut jurisdictionem omnem in illos transferret. Renunciationi subscripsit Archiepiscopi nomine Episcopus Narniensis, ejus Vicarius Generalis, confirmavitque universum Capitulum, ea tamen lege, ut hujus ædis Moniales libram unam ceræ Neapolitanæ matrici Ecclesiæ in festo beatæ Mariæ Magdalenæ solverent quotannis. Regulam observant, & habitum gerunt sancti Augustini, cingulum vero seu chordam sancti Francisci, ejusque asseclis subsunt. Hi senario sunt numero, quorum unus, Guardiani titulo, ceteris præficitur: tres confessiones excipiunt, reliqui duo domesticis destinantur obsequiis. Sororum qualitas mutata est, primæ erant meretriculæ, malæ vitæ pertæsæ, nunc minime in hoc consortium recipiuntur præter nobiles Virgines & honestæ. Earum regimen sub Pio V. anno MDLXVIII. transivit a Patribus Conventualibus ad Observantes.

Variæ indultæ Clarissarum. XXXII. Scripsit hoc anno Pontifex ad Archiepiscopum Salernitanum, & ad Caetanum ac Trojanum Episcopos, ut ad votum Regis Roberti, & Reginæ Sanciæ permutari curarent quasdam possessiones, quæ spectabant ad Monasterium Scafati Ordinis Cisterciensis diœcesis Nolanæ, & ad Hospitale sancti Joannis Hierosolymitani civitatis Adversanæ, cum aliis bonis seu redditibus Monasterii Corporis Christi Ordinis sanctæ Claræ Neapolitanæ urbis, quia absque illorum locorum damnis, magis hæc competebant huic Monasterio: *Ex parte clarissimorum*. x. Kalend. Aprilis. Alia circa confessiones Guardiano Monasterii conjuncti faciendas, & officium divinum alternis vicibus in eadem Ecclesia per Fratres & Sorores celebrandum, & communicationem indulgentiarum variis litteris, quas in regesto damus. Indulget Clarissis Monasterii sancti Ludovici prope sanctum Audomarum Morinen. diœcesis, per Robertum Comitem Atrebatensem, Mathildæ Comitissæ genitorem, extructi in festivitatibus beatæ Virginis, & aliorum Sanctorum largitur: *Vitæ perennis*. xv. Kal. Januarii. Ministro Provinciali Bononien. facultatem dat, ut Ferrariam, quantumvis Ecclesiastico interdicto subjectam, ire possit ad visitanda duo Monasteria Monialium sancti Benedicti, & sanctæ Claræ Ordinum, quorum correctio & visitatio ad eumdem pertinebat: *Nuper pro parte*. vi. Idus Decembris. De Clarissarum Cœnobio alias eginus, Benedictinum transivit ad alios Rectores. (Tom. 4. an. 1257. n. 27.)

XXXIII. Ecclesiarum Rectores in diœcesi Coloniensi multipliciter gravabant Minoritas hoc tempore circa confessiones audiendas, & sermones habendos ad populum contra constitutionem: *Super cathedram*; quare Henricus Archiepiscopus dato Bonnæ hoc anno Dominica iv. post Pascha diplomate, præcepit ut nullatenus auderent eos circa hæc amplius molestare. (Monum. MSS. Colonien.)

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

Paupertas Minoritica agitatur. „ I. A Christi eximia paupertate, in minoriticam universæ Ecclesiæ „ laudatam, clarissimis summorum Pontificum publicis encomiis „ celebrem, & qua maxime rutilat, sanctitate exornatam, lis perimportu- „ ne translata, universam Religionem, & cum ea quamplures Dynastas, „ Principes sacros & profanos, & cum iis etiam Reges commovebat: ut „ eam, quam profitebantur, altissimam, & firmissimum nostræ Republicæ „ fundamentum tuerentur, scriptis decertabant Doctores, Magistri, Bac- „ calaurei, Lectores, & Concionatores: sed utinam temperassent æstum & mo-

modum, quem prudens humilitas suadebat, religiose tenuissent, ori frænum Concionatores imposuissent, linguamque inter dentium cancellos modeste cohibuissent! non enim ita facile in publica scandala itum esset; nec forte mancipatus carceribus frater Bonagratia Bergomas suæ audaciæ temeritatem luxisset. At dissidiorum & bellorum tempora decurrebant, disponebantque pejora: etenim Ludovicus Imperator, ut æmulorum suorum victor evasit, Gibellinis partibus favens, fatis functo Matthæo, Galeacio Vicecomiti ejus filio, qui sibi adhærebat, persequebaturque Guelfos, summique Pontificis Ministros, Prælatos Ecclesiasticos, Inquisitores, & præcipue Aycardum Archiepiscopum Mediolanensem, validis copiis armatorum adstitit: quod ægre ferens summus Pontifex, Avenione in publico Concistorio anathematis sententia in eum prolata, ut electioni de Se factæ in Imperatorem, trium mensium tempore præscripto, renunciaret, & coram se compareret, indixit, causam interea in eumdem Ludovicum, urgentibus Carolo Rege Franciæ, & Leopoldo Friderici fratre. *Dogl. p. 4.*

II. Tanto turbine agitatis rebus in Ecclesia Dei, licet summo Pontifici valde molesta essent, quæ vulgabantur in suas determinationes, scripta Fratrum, quibus veluti hostilibus jaculis, passim fere & ubique lancinabantur; haud adeo tamen ejus prudentia irritata fuit, quin pietatis paternæ recordaretur, aut prisci amoris oblivisceretur. Coram se acitos voluit fratres Joannem, Bartholomæum, & Bernardum: *Cum certis &c.* XII. Kalend. Aprilis: at VII. Idus Maii, pro Religiosis se transferentibus ad partes Infidelium, ad quas paulo ante dimiserat fratrem Geraldum Minoritam: *Tuæ devotionis &c.* IX. Kal. Martii; constitutionem edidit omnibus communem incipientem: *Ad nostrum nuper &c.* qua prohibet Religiosis cujuscumque Ordinis terras Infidelium peragrare, sine suorum Superiorum licentia: Joanni Boemiæ Regi pro Terræ sanctæ subsidio, datis litteris: *Cum Nuntiis &c.* Kalend. Aprilis. Inquisitoribus circa causam cujusdam Episcopi scripsit: *Volentes &c.* XV. Kalend. Augusti: sicut etiam pro Inquisitoribus Vallis Spoletanæ: *Per tuas nobis &c.* ...... concessit vero Principi Philippo, secum duos Fratres habere posse: *Tuæ devotionis &c.* III. Idus Julii: sed Roberto Siciliæ Regi rescripsit: *Constitutionem Fili &c.* II. nonas Septembris: ac etiam Gedemunni Lituanorum pariter Regi pro Minoritis litteras expedivit: *Missa nobis &c.* ... Cæterum concessa Indulgentia pro Monasterio Merensi: *Vitæ perennis &c.* V. Idus Augusti: duo loca in Saxoniæ regno nostris indulsit: *Redemptor noster &c.* Idibus Novembris: & plures gratias religiosis particularibus fecit, quas Indiculus signat.

Litteræ Pontificiæ in favorem Ordinis. *Ex Oder. n. 241 27. 47.* *Ex Vatic.*

III. Mortuo Alberto Gonzaga Episcopo Yporegiensi, ut dicebamus, Monasterium Clarissarum, quod ea in urbe fundaverat, & Religioni, de mandato Matthæi Cardinalis sanctæ Mariæ in Porticu, Protectoris Ordinis, Provinciæ Mediolanensi incorporatum, sive aggregatum fuerat, sub Fratrum regimine & cura, a Clero seculari, qui prætendebat esse juris Episcopalis, molestias nonnullas patiebatur, a quibus frater Ruffinus Yporegiensis, qui ibidem morabatur, ut Moniales eximeret, & suæ Religionis jura tueretur, a Januensi Episcopali curia authenticum transumptum Pontificii diplomatis Joannis XXII. *Tenorem quarumdam litterarum &c.* Datum Avenione Kal. Octobris, Pontificatus sui anno II. quo a prædecessoribus suis summis Pontificibus Ordini concessa privilegia circa regimen & curam Monialium Clarissarum confirmantur, impetravit hoc an- *Ex Archiv. Monaster. S. Claræ Yporeg.*

Ad an. 1301.

„ anno die XXI x. Octobris; ac eo munitus in patriam regressus, litigiorum „ turbinibus sedatis, religiosam quietem Monialibus attulit, & suae Religioni jura conservavit, atque defendit.

ARGUMENTUM.

In principatu Bosnensi institutus Inquisitor frater Fabianus Minorita diligenter agit contra haereticos illuc confugientes. Aliis ejusdem Officii & Instituti gravia fidei tuendae, vel vindicandae committuntur negotia. Celebrantur Lugduni Comitia generalia. Mortuo Dionysio Rege Lusitaniae, ejus conjux Elisabetha fit Franciscana, & magno claret virtutum incremento. Interdicuntur opera Petri Joannis Olivi. Assumuntur ad Episcopatus Minoritae, & illorum multiplicantur domicilia.

Jubet Pontifex ut agatur contra haereticos Bosnen. Principatus.

Ibidem Fr. Fabianus Inquisit. Tom. 5. an. 1291. num. 11.

I. AGENTIAUS haereticae pravitatis Inquisitoribus contra fidei maculatores, & errorum seminatores, ex variis Europae partibus confluebant ad Principatum Bosnensem, in confinibus Dalmatiae, ut illic liberius haeresum venena incautis populis propinarent. Scripsit itaque Joannes Pontifex ad Stephanum & Elisabetham Bosnae Principes, & ad Carolum Hungariae Regem, cujus etiam ditioni dictus subjiciebatur Principatus, ut mala haec semina radicitus extirpari curarent, omnemque ferrent opem fratri Fabiano Ordinis Minorum Inquisitori, aliisque ejusdem Instituti, quibus diximus fidei negotium in illis partibus commissum. Ipsa diplomata subjicio.

Dilecto filio nobili Viro, Sthephano Principi Bosnen.

Reg. Vat. an. 9. Tom. 1. epist. 5.

II. *Repetita frequenter multorum fide digna relatio nostrum, & Apostolicae Sedis pulsavit auditum, quod Principe tenebrarum, humanae salutis aemulo, nocendique cupido, procurante, magna haereticorum caterva de multis & variis partibus congregata, ad principatum Bosnen. sub fiducia inibi seminandi obscaenos errores, tuteque ibidem morandi, confluxit, qui antiqui hostis imbuti versutia, ac veneno suae falsitatis armati, Catholicorum animas sub simplicitatis simulatae fallacia, praetensa, sed falsa Christiani nominis professione, corrumpunt, dum eorum sermo serpit ut cancer, humiliter irrepunt, sed latenter occidunt; & lupi rapaces interius existentes, vestitum ovium exteriori simulatione demonstrant, quia non possent fallere veras & simplices Christi oves, nisi sub nomine Christiano tegerent rabiem bestialem. Cum igitur praedictorum haereticorum nefanda, sed eliminanda seductio in dicto Principatu, sicut asseritur, jam multas animas labe respersserit, seu infecerit haereticae pravitatis, ac propterea diligentiam tuam plurimum deceat, & tibi expediat cum omnis cautelae studio & provisionis accelerate remedio de Principatu praedicto pestem hujusmodi radicitus extirpari, ne passim vagari permissa, ibi tantas adhuc Christi oves morbo ejusdem pravitatis inficiat, & in vicinis provinciis periculosius dilatetur, nobilitatem tuam rogamus, & hortamur attente in eodem Domino Jesu Christo, tibi nihilominus per Apostolica scripta districtius injungentes, quatenus tu, qui, sicut fide digna relatione percepimus, fidelis es nobis, & Ecclesiae, ac proponis esse cum Dei adjutorio, quantum in te est, haeresum oppugnator, ob omnipotentis Dei reverentiam, & Apostolicae Sedis, & nostram, ac pro conservatione Principatus praedicti, & salute animarum, diligentius etiam attendendo,*

dendo, quod, pro eo, quod dicti Principatus regimini præsides, ad te præcipue pertinet, hæreticos persequi supradictos, cum non absque nota grandis infamiæ possis in dicta provincia labem non persequi supradictam, ad eliminandum & extirpandum exinde dictos hæreticos, opem prapares & impendas, ejusdem provinciæ statui opportunam, ac piæ sollicitudinis zelum contra eosdem hæreticos, hostes sævissimos animarum, ad requisitionem dilecti filii Fabiani Ordinis Fratrum Minorum Inquisitoris hæreticæ pravitatis, in partibus illis, auctoritate Apostolica deputati, & aliorum Inquisitorum, auctoritate prædicta depatatorum in illis partibus, & deputandorum in posterum, & eorum cujaslibet viriliter assistendo, ut noxiis de Principatu prædicto evulsis radicibus, non solum qui recti sunt, incolumes perseverent, sed etiam eorumdem hæreticorum seductione decepti, confutatis & abjuratis erroribus, ad lumen veræ fidei reducantur; tuque propterea tanto acceptiorem te divino conspectui repræsentes, quanto hoc opus fidei super omnia pietatis officia gratius divinæ oculis majestatis accedet. Ceterum, præfatum Inquisitorem, & alios in iis, quæ ad prædictum Inquisitionis officium pertinent, super quibus favoris & auxilii tui partes fiducialiter duxerint requirendas, ob divinam & Apostolicæ Sedis reverentiam atque nostram, habeas propensius commendatos, teque eis propitium exhibeas ac benignum, ita quod favoris tui super præmissis assistente præsidio, commissæ eis Inquisitionis officium contra respersos labe prædicta, ad laudem Dei, & pro salute fidelium in decretis sibi provinciis, securius & efficacius valeant exercere. In prædictis autem sic impendas viriliter contra dictos hæreticos opportunæ sollicitudinis tuæ partes, quod fructuosi laboris effectus te patenter ostendat fervidum fidei zelatorem, nec ex aliqua negligentia, vel tepiditate remissa, quæ est in tanto negotio plurimum reprobanda, possit contra te rationabiliter invehi, quod eosdem hæreticos, dum ipsos non persequeris, ut teneris, quodammodo foveas & sustineas tolerando. Datum Avenione Nonis Junii anno IX.

Dilectæ in Christo filiæ nobili mulieri Elisabethæ Principissæ Bosnen. salutem.

H*Abet multorum frequenter repetita sed ingrata relatio &c.* ut in præcedenti diplomate. *Ibid. epist. 7.*

Carissimo in Christo filio Carolo Regi Hungariæ Illustri.

III. F*Requenter, fili carissime, fide digna relatio Apostolicæ Sedis pulsavit auditam, quod principe tenebrarum, humanæ salutis æmulo, nocendique cupido, consuetis nequitiæ stimulis procurante, magna hæreticorum caterva de multis & variis partibus congregata, ad Principatum Bosnen. in confinio Dalmatiæ constitutum, sub fiducia inibi seminandi obscænos errores, tuteque nocendi confluxit &c.* ut in præcedenti bulla usque ad rabiem bestialem. *Cum igitur prædictorum hæreticorum nefanda, sed eliminanda seductio in dicto Principatu, sicut asseritur, jam multas animas labe resperserit, sea infecerit hæreticæ pravitatis, dictusque Principatus tuæ, sicut accepimus, sit ditioni subjectus, ac propterea deceat & expediat cum omni cautelæ studio, & provisionis acceleratæ remedio de Principatu prædicto pestem hujusmodi radicitus extirpare, ne passim vagari permissa intactas adhuc Christi oves morbo ejusdem pravitatis inficiat, & in vicinis Provinciis periculosius dilatetur: serenitatem regiam rogamus & hortamur in co-* *Ibidem epist. 6.*

eodem Domino Jesu Christo, tibi nihilominus per Apostolica scripta mandantes, quatenus ob reverentiam Apostolicæ Sedis & nostram, ac pro salute animarum, ad eliminandum & extirpandum dictos hæreticos de Principatu prædicto opem prœpares & impendas congruentem, regio culmini, & ejusdem Provinciæ statui opportunam, ac piæ sollicitudinis zelum contra eosdem hostes sævissimos animarum ad requisitionem dilecti filii Fabiani Ordinis Fratrum Minorum Inquisitoris pravitatis prædictæ in partibus illis, auctoritate Apostolica deputati, aliorumque Inquisitorum, auctoritate prædicta deputatorum in illis partibus, ac deputandorum in posterum, & eorum cujuslibet, viriliter assumendo; præcipiendo etiam dilecto filio nobili viro Principi ejusdem Principatus, qui sicut dictum est, tibi subjectus esse dignoscitur, ut ipsos inimicos fidei de terra sibi subdita radicitus extirpet, ut non solum qui recti sunt, incolumes perseverent, sed etiam eorumdem hæreticorum seditione decepti, confutatis & abjuratis erroribus, ad lumen veræ fidei reducantur. Tuque propterea tanto acceptiorem te divino conspectui repræsentes, quanto hoc opus fidei super omnia pietatis officia gratius divinæ oculis majestatis accedet. Ceterum præfatum Inquisitorem & alios &c. ut in superiori bulla, usque ad, valeant exercere. *Datum Avenione Nonis Junii anno IX.*

Impediunt quidam sanctæ Inquisitionis officium sed non impune: Ibidem fol. 334.

IV. Fabianus hic indefesse suum ubique per præscriptos sibi terminos exercebat officium, & Tergeste urbe Carnorum maritima, sub Patriarcha Aquilejensi, leges volebat contra quosdam hæreticos ferre, & verbo Dei exhortari populum ad fidei puritatem tuendam: sed Michael de Padua, & Raymundus de Cremona, Tergestinæ Ecclesiæ Canonici, injuriis affectum impediverunt ne faceret. Ægre tulit Pontifex sanctæ Inquisitionis munus præpediri, scripsitque ad Episcopum Castellanum, & ad eumdem Fabianum Inquisitorem, ut contra eosdem, & complices tamquam de fide suspectos, procederent severe: sanctum enim & sacrum apud omnes volebat sanctæ Inquisitionis negotium.

Ibid. fol. 81.

Ibid. fol. 331. Fr. Michael Rolfus Inquisitor in Valle Spoletana.

V. Rectori Marchiæ Anconitanæ, Joanni de Ancona, & Servo-dei de Peña Ordinis Minorum Inquisitoribus, quædam præscripsit circa Guidonem Episcopum Aretinum, nec non Jacobum Cini Malagaliæ civem Firmanum severe puniendos propter favorem hæreticis & idolatris exhibitum. Similiter præcepit Lamberto ejusdem Instituti in provincia Romandiolæ Inquisitori, ut procederet contra quosdam clericos, & laicos fœdus ineuntes cum hæreticis damnatis, quibus auxilium præbebant & domicilium. Occurrit memoria hoc anno alterius Inquisitoris in Valle Spoletana Fratris Michaelis Rolfi Fulginatis.

Capitulum generale 41. Marian. l. 4. c. 8. Marc. 2. par. lib. 8. cap. 13. Chron. Antiq. Odon. in ep. ad Cæsenat.

Temerarius Gerardi Odonis conatus.

VI. Celebrata sunt hoc anno Lugduni comitia generalia, quæ tamen prius Minister generalis Cæsenas indixerat Parisiis habenda. Timuit Lutetiam convocare Patres, suspicatus, uti objecit Gerardus Odonis ejus in generalatu successor, Pontificem per suum Nuncium acturum cum Carolo Rege, ut sua auctoritate, qua propter plurima in Ordinem collata beneficia, pollebat apud Rectores ejusdem, vel potentia cogeret eosdem ad revocandam declarationem de paupertate Christi, quam in capitulo Perusino ediderunt. Liberius itaque res Ordinis peragendas ratus Lugduni, ibi comitia celebravit. Gerardus hic Pontifici familiaris, Cæsenati infensus multa proposuit Patribus, quæ minime probaverunt; illud præsertim, quod præceptum de non recipienda ullatenus pecunia per se vel per interpositam personam abraderetur e regula: *ut hac ratione*, inquit, *caveretur conscientiis Fratrum, qui difficile hoc observant, & tollerentur tot scandala & contentio-*

tiones, quæ circa paupertatis observantiam inter Fratres excitabantur. Sacram & intactam voluit constantissime Cæsenas cum Fratribus normam vivendi a sancto Institutore præscriptam, & indignabunde tulerunt Gerardi conatum. „ Ibidem decretum, ut in Provincia Hiberniæ quatuor Prioribus „ Custodis quinta adjiceretur, & Corcagiensis nuncuparetur.

Moritur Dionysius Rex Lusitaniæ.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

VII. Mortuo Scalabi hoc ipso anno, postridie Nonas Januarii Dionysio Lusitaniæ Rege, sanctissimæ fœminæ Elisabethæ Aragoniæ, de qua sæpius prælocuti sumus multorum annorum conjuge, illico religiosissima Regina se recepit in secretum cubiculum, & vestem obsoletam, qualem Clarissæ induunt, & eo animo jam pridem domi in scrinio reverenter repositam, ut si Regi superstes esset, ea vivens uteretur, si ante moreretur, eadem involuta iret ad sepulturam, purpura deposita, libentissime amplectitur, osculatur ac sibi circumdat: detonsoque aureo capillitio, & regali abjecto diademate, candidum linteum capiti obvoluit: gemmato præterea perizonio contempto, funiculum rudem regio pectori subligavit. Hac specie processit in aulam procerum nobilitate frequentem, facibus illustratam, regio cadavere venerandam, atque animo plusquam virili circumstantes consolata, piam & Christianam reddidit rationem vestis mutatæ. Deinde, ornato jam funere, animo invicto ad sepulturam usque comitata est cadaver tumulandum Odivellis in Cisterciensi Virginum Cœnobio, sexto ab Ulyssipone lapide, ab eodem Dionysio extructo. Justa mox solemni ritu regioque solvit sumptu, sacrificia multiplicari, largitiones pauperibus accumulari, orationes a piis fœminis, virisque pro defuncti anima curavit frequentari.

Marc. 2. par. l. 8. cap. 30. & seqq. Freyere lib. 1. cap. 13. seq. Legenda MSS. Processus canoniz.

Elisabetha Regina vestem induit Clarissarum.

Conjugem ad sepulturam comitatur.

Ejus animæ parentat.

VIII. Nec tamen adhuc his omnibus factum esse satis pietati adversus carum conjugem putavit, sed majus aliquid excogitavit, proficisci scilicet proxima æstate Compostellam, exterarum gentium, indigenarumque erga S. Jacobum Apostolum religione celeberrimam. Aggressa peregrinationem, provectæ suæ ætati & regni curis molestam, nulli ex toto famulitio, quo tenderet, aperuit, donec religiosissimum templum sacratissimi Apostoli ex editissimo colle quatuor milliariis ab urbe dissito conspexere. Hic Regina se dedit in pedes, ac Reginam comitati comites omnes, pariterque vocibus, lætitia, ac fletu commixtis, beatissimum Christi discipulum consalutarunt, & quod supererat, viæ pedites religiose fecerunt.

Compostellam pergit.

IX. Dies sancto Jacobo sacra, quæ proxima erat, in Templum venit Regina, humili habitu & obscura veste, atque in genua procumbens coram Pontifice splendidissimo apparatu altare ad hostias offerente, plurima pretiosissima religiosissime obtulit donaria, coronam magni ponderis auream, multis, magnis, pretiosis irradiatam gemmis, vestes margaritarum, gemmarumque intertexto opulentissimas & splendidissimas; unde lata peristomata Tyrio fucata succo, Lusitanorum, Aragoniorumque Regum insignibus variegata, magna unionum copia ad speciem & splendorem inserta; vasa capacissima ex argento egregie elaborata, mulam pulcherrimam auro, argento, gemmisque frænatam, instratam, coopertam: Pontificium denique ornamentum integrum pro re divina solemni ritu facienda prisco illo artificio perfectum undique: & demum pecunias adeo multas in Templi ipsius sumptus, & in miserorum subsidia contulit, ut ad insignem liberalitatem, & magnificentiam omnes admirarentur. Domum reversa ad Nonas Februarias anni sequentis, Ulyssiponem accedens, anniversaria exequiarum justa defuncto Regi regio apparatu persolvit.

Magna offert Apostolo donaria.

X. Deinde quasi ad prædam conversa, seipsam sancte religioseque spoliavit: multiplex genus pretiosæ vestis auro bombycinoque textæ, sumptuosisque

Pretiosas vestes in sacram supellectilem convertit.

sisque operibus depictæ tam stragulæ, quam tegendo corpori accommodæ, quibus usa fuerat vivente Dionysio, in usus sacratiores transtulit; factis enim ex ea materia quam plurimis Sacerdotum, templorumque, ac altarium ornamentis, iisque per Episcopum aliquem sacratis, quidquid regio splendori ac majestati prius inservierat, divino cultui libens hilarisque dedicavit. Imo aurum, argentumque sive factum, sive infectum, quantum habuit, aut in usu aut in thesauro, in sacros calices crucesque, tum majores in pompis solitas præferri, tum minores in aris collocandas, thuribula, acerras, candelabra, phialas, lychnuchos, ac in alia hujusmodi divina conflavit utensilia. Ne tamen in hac severissima, quam inire cogitabat, vivendi ratione, humanitatis oblita penitus videretur, regales coronas, torques, armillas, ac cingula ex auro, gemmisque prodigiose confecta, aliaque id genus ornamenta reginæ Beatrici, nurui suæ, duabusque neptibus postea reginis Mariæ Lusitanæ, & Leonoræ Castellanæ, ac nonnullis aliis præclarissimis fœminis dispertivit.

Vasa aurea & argentea sacro dedicavit cultui.

XI. Hoc anno Pontifex ut viro orbatam intellexit, suarum partium judicavit, litteris & sacris munusculis consolari. Misit itaque insignem particulam Crucis, in qua orbis redemptor pependit, adjectis multis reliquiis Sanctorum. Litteras etiam scripsit consolatorias, quas ob tantæ Reginæ venerationem hic subnectimus.

Pontifex ei mittit S. Crucis particulam & scribit.

Carissimæ in Christo filiæ, Elisabethæ Reginæ Portugalliæ Illustri.

In lib. secret. cameral. fol. 39.

Commendatur Dionysius Rex Lusitaniæ.

XII. L*icet carissimi in Christo filii nostri Alphonsi Regis Portugalliæ illustris nati tui litteræ nobis missæ, claræ memoriæ Dionysii Regis Portugalliæ, viri tui obitum nunciantes, non indigne amaricaverint mentem nostram, cum non potuerimus de tam devotissimi & carissimi substractione filii non dolere, fœlix tamen ipsius Regis transitus, qui devotione ad Deum & sanctam Ecclesiam clarens præcipua, & zelo fidei orthodoxæ accensus, devote receptis Sacramentis Dominicis, de morte transiisse ad vitam, & in excelsis cum amicis & electis Dei obtinuisse mansionem perpetuam creditur, nobis in partem magnæ consolationis accessit ut ejusdem Regis, nati tui, debita gratitudo, quam ipsum erga dictum genitorem suum gerere prædictarum litterarum series indicavit, dum de ipsius animæ salute sollicitus, illam per nos & cœtum Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium haberi commendatam in nostris orationibus supplicavit humiliter, cordis amaritudinem non modicum temperavit, cum hoc nobis spem tribuat, quod ipse circa salutem propriam velit intendere, ac eam studiosis operibus procurare, ad quod eidem necessarium nunciamus, ut Deum timeat, ejusque præcepta observare tenaciter non postponat, sponsam ejus sanctam Ecclesiam in suis prælatis & aliis personis Ecclesiasticis honorando, compatiendo pauperibus, & eos ab oppressionibus defendendo, virosque Deum timentes, pacem & justitiam diligentes ad sua consilia & officia admittendo, super quibus Regem eumdem per alias nostras litteras, duximus exhortandum. Sane, filia carissima, quia sicut nosti, ex præsentis vitæ fallaciis, rerum mundanarum, veluti corruptibilium, figura præterit,* & *nihil quod sub sole nascitur, soliditatis habet stabile fundamentum, nec aliquem a lege mortalitatis cunctis indictæ mortalibus, eminentia dignitatis, seu cujusvis potestatis excusat, sed potius omnes tam divites, quam pauperes sibi juxta voluntatis & dispositionis divinæ beneplacitum sint subjecti, Excellentiam regiam deprecamur, quatenus præmissa, nec non & prædicti Regis viri tui fœlicem obitum, cujus animam veluti devoti & Catholici*

lici Principis, nos & dilecti Fratres nostri commendatam specialiter in nostris orationibus habuimus, & habere intendimus, considerantur attendens, abstersis lacrymis & mitigatis doloribus, spiritum consolationis assumas, quo Regem natum tuum, & domum Regiam tuæ circumspectionis providentia consoleris, ipsum ad prædicta, quæ præmisimus, & alia, quæ salutem suam respiciant dirigendo, maternis affectibus, & sedulis exhortationibus inducendo, ad nos nihilominus fiducialiter habitura recursum super tuis opportunitatibus, quos quantum cum Deo poterimus, & propitios reperies & benignos. Datum Aven. Kal. Mart. an. IX.

XIII. His Pontificis litteris amplius excitata, illam protinus inivit vitæ rationem sanctissima Vidua, ut de severa illa disciplina, & incredibili inedia, quam florente & integra ætate servaverat incorruptam, nihil remiserit, sed potius ex conjugis morte majorem spiritus libertatem adepta, affecto jejuniis corpusculo, laboribusque consumpto, & senectute ipsa defatigato onus solito majus imponere non dubitarit. Etenim vitam similem vestibus instituere cupiens, palatium instar parthenonis sibi familiæque suæ erexit prope Monasterium Sanctæ Claræ a se paulo antea Conimbricæ inchoatum, non modo ut præsentia sua opus urgeret, brevique ad eam, quam superius memoravimus, perfectionem perduceret, verum etiam ut illuc ingredi sibi facile, ac fas esset, maximo annuente Pontifice cum honesto ancillarum comitatu, ibique sæpe diutius manere sanctissimarum Virginum fruens consuetudine, colloquio, convictu, modo pariter cum illis solemnes recitans precationes, modo cibum capiens, modo rerum divinarum commentationes agens, piasque disputationes. Prope palatium erexit etiam Xenodochium quindecim hominibus, totidemque mulieribus egenis alendis sub invocatione magnæ matertera sanctæ Elisabethæ Hungariæ, jam pridem in Sanctos relatæ, perpetuoque sacerdotio & amplio censu dotavit.

Statuit sibi Domicilium prope monasterium Clarissarum.

Et pauperibus Xenodochium.

XIV. Stetit vero utraque domus ad nostra usque tempora, communeque fuit semper egenis perfugium, sed anno MDLIX. pridie ferias sancti Matthiæ nullo inquilinorum damno, temporum, imbriumque injuriis dissoluta corruit: puer quoque, qui solus post rimas crastinæ ruinæ prænuntias, in stabulo remanserat, cum jumento mire est servatus à trabibus, quæ parieti altera parte, altera pavimento adhærentes carinatum fornicem efformarunt, & a toto pondere ruentis tecti puerum defenderunt. Haud enim pati poterat Elisabetha inde provenire causam mortis alicui, præsertim pauperi, & innocenti, unde ipsa vivens id maxime genus hominum alere ac fovere consuevisset. Vidi ipse, dum Conimbricæ Theologiæ operam darem, & sæpe invisi non sine veneratione antiquitatis rudera, & sanctitatis monumenta, incompositos illos muros, intra quos composita & pacatissima illa anima tot frequentavit pietatis exercitia.

Corruit utrumque absque ullius damno.

XV. Perpetuas secum habebat in palatio piorum studiorum comites, quinque Virgines Clarissas, quibuscum ita diurnas, nocturnasque horas dividebat, ut modico somno refectæ diu ante lucem vigilarent omnes, dictisque prius matutinis precibus, & iis, quæ ad primam recitantur horam, tribus sacrificiis faciendis interessent; primum in privato ac pone cubiculari sacrario, aurora adhuc dubia; cum solis quinque illis divinarum rerum sociis Regina audiebat: ad secundum quod solemni ritu fiebat pro defuncto Rege Dionysio, procedebat ipsa cum tota familia multa, jam die in publicum Regis sacellum: tertium erat ejus diei proprium, cui, si festum esset, concio de divinis rebus ex more succedebat, nec Regina Templo exhibat, nisi recitatis, quæ supererant precationibus usque ad eas, quæ hora nona di-

Reginæ socia & exercitia.

cuntur; miraque parsimonia refectis cibo viribus, auditisque multis utriusque sexus, & cujuscumque ætatis, aut conditionis mortalibus, partim beneficia petentibus, partim inopiæ subsidium implorantibus, iisque omnibus humanissime acceptis, dimissisque contentis, pensum Nonæ horæ canonicum absolvebat, & iterum cum familia redibat in Regium Sacellum, auditura primo a sacris ministris decantatas precationes vespertinas, deinde cum suis piissime recitatura: iisque peractis, nisi dies cibi esset, ut erat plerumque jejunio transigendus, ad frugalissimam cœnam veniebat, dictisque super cœna extremis diei precibus, & funereis pro defunctis, comitatu reliquo dimisso, cum sociis studiorum suorum Virginibus in conclavi vigilabat ad primum gallicinium res divinas mente pertractans venerabunda, in mirabiles cœlestium bonorum excitata amores, & in æterni nominis incredibilem quemdam affectum, æstimationem ac venerationem singularem accensa, a quo cum lacrymis enixe rogabat, ut a se, a domesticis suis, a Regno Lusitano, ab universo hominum genere itam propter flagitia juste conceptam averteret. Cum vero jam aliquid nocturnæ quietis anili, debilitatoque jejuniis corpusculo indulgendum esset, sæpenumero sibi ipsi indignata, quod nimis delicate, ac molliter cubaret, e lecto suo modestissimo, ubi primum attigisset, repente desiliebat, seque in duro aliquo, vilique strato semisomnis abjiciebat. Itaque tanta facta est accessio ad priores illas, excellentesque virtutes, ut anteacta vita veluti rudimentum quoddam & informe tirocinium debeat existimari, si cum Elisabetha vidua comparetur eadem conjugata.

Sanctimoniales introducit in monasterium Conimbricen.

XVI. Profecto sanctæ Claræ Conimbricensi Monasterio, quatuor ex ejusdem Instituti cœnobio Zamorensi religiosissimas vocavit magistras, quæ illic recipiendas instruerent. Neque longo tempore licuit feriari absque discipulis; plurimæ enim Virgines nobilissimæ solemni ritu se Christo sponso consecrantes coram Alphonso Rege, & utraque Regina miroque populi ac procerum concursu, in sacrum collegium allectæ, & introductæ fuerunt; & ab utraque Regina ancillarum instar sedulo ministrante nuptiali convivio splendide exceptæ. Elisabetha vero in illo Xenodochio quod palatio suo proximum ædificasse diximus, delitiarum suarum summam repositam habere videbatur, tanto enim studio pauperes excipiebat, visitabat, pascebat, curabat, consolabatur, ut ab iis sive animo, sive corpore, aut officio numquam potuerit avelli.

XVII. Ejus, quam hactenus tenuerat, vitæ rationis, & pœnitentiæ exercendæ sub habitu sancti Francisci domestica quidem & egregia habebat exempla Elisabetha, magnam & sanctam materteram Elisabetham Hungaricam, quæ sub habitu tertii Ordinis sancti Francisci miserorum infirmorumque necessitatibus subvenire maluit per multos labores, quam a subjectis populis magnifice coli, & splendide honorari. Sanciam adhuc viventem Majoricarum Regis, sui patrui filiam, & Siciliæ reginam, operibus pietatis & Clarissis totam addictam, quæ etiam semetipsam postea dicavit Dei obsequio sub sanctæ Claræ Instituto. Constantiam matrem, Manfredi Regis Siculi filiam, Petri Regis Aragonii conjugem, quæ prout sæpe enarravimus, sanctæ Claræ vestem suscepit. Jacobum Majoricensem prædictæ Sanciæ Germanum Fratrem, & regni hæredem, qui, abdicato sceptro, sub paupere veste & regula Minorum maluit Deo inservire, quam vana mundi specie inescari. Petrum Riparcurtiæ Comitem, suum ex Fratre Jacobo Rege Aragoniæ nepotem, Minoribus addictissimum, postea in urbe Valentina Ordinem eumdem sancti Francisci solemniter professum, singulari præditum virtute, qui filios & amplas facultates contempsit, ut sub sancti Francisci vexillo Deo inserviret.

Desiderat subire vitã relig osam.

Præ-

Præclara quidem erant hæc exempla, & quæ animos remissiores inflammare possent ad virtutis amorem, ad contemptum humanarum rerum, ad cœlestium æstimationem. Cæterum Elisabetha, in cujus pectore majora nutriebantur incendia, his flammis superior erat, neque ulla ratione retardari poterat, quin ad altiora contenderet; aspirabat enim ad perfectam omnino, religiosamque vitam, non modo vestibus sed etiam compositis ad sanctæ Claræ normam moribus, nuncupatisque votis palam profitendam.

XVIII. Viros itaque doctrinæ sanctitatisque opinione præstantes ad se vocat; consilio communicato quod jam pridem animo & cogitatione versaret, sententiam suam singulos rogat, obtestans id tantum a se factum iri, quod ipsi optimum, Deoque gratissimum judicassent. Illi quantum valet humana mens, & consilium, rebus omnibus circumspectis, perpensis, ac diligenter examinatis, etsi religiosam vitam speciali prærogativa excellentiorem esse non ignorarent, decreverunt, Elisabetham rem Deo gratiorem facturam, si ad mortem usque pristinum vitæ suæ Institutum prosequeretur. Acquievit illa tantorum virorum auctoritati, & quavis dubitandi specie sublata, certa quod semper optabat, de divina voluntate, acrior multo, ac profusior, quam antea, in jacentibus erigendis, miseris sublevandis, protegendis afflictis, pauperibus alendis, ægrotis curandis, mortuis sepeliendis, sollicitudinis, pietatis, misericordiæque cultrix apparuit. *Id dissuadent viri pii.*

XIX. In maxima & calamitosissima annonæ penuria, quam anno MCCCXXXIII. a Christo nato Conimbrica passa est, Elisabethæ liberalitas & misericordia adeo clara extitit, ut patefactis horreis, thesaurisque apertis, inopes, opulenti, pueri, adolescentes, senes, viri, fœminæ, sacri homines, & profani ad accipiendum frumentum, carnem & pecuniam sine ullo delectu, aut fastidio, diu noctuque opportunè, importunè admitterentur. In Regia liberum erat, commune totius urbis, omniumque egenorum frumentarium, marsupium & penus. Domesticis vero in tanta penuria sibi metuentibus ex tam profusa liberalitate, ideoque moderationem Reginæ suadentibus, ipsa timiditatem illorum leniter increpitans, meliora de divina clementia, atque bonitate & sentire, & sperare, & loqui præcepit. Mortuis quoque diligenter conquirendis, & religiose sepeliendis curam demandabat viris probatissimis, sumptusque in exequias, & sepulturam singulis elargiebatur; quo fiebat ut Reginæ beneficio neque viva corpora, neque exanima cadavera, aut a fame consumi possent, aut a feris devorari, ne minor esset ejus misericordia, dum feras arcebat ab hominum pastu, quam liberalitas dum homines pascebat. *In publica egestate omnibus succurrit.*

XX. Hæc ut posset exercere caritatis officia, ex consilio piorum & doctorum virorum desiderium Clarissis se adnumerandi, & intra claustra sub religionis vinculis commorandi, ægre licet, tamdem deposuit, habitu contenta pœnitentiæ, & Tertii Ordinis sancti Francisci, uti scribit Marcus Ulyssiponensis, dum secundi ab eodem Instituti leges haud potuerit subire. Alii Lusitani, quos vidi, vitæ hujus sanctissimæ fœminæ scriptores altum tacent tertii Instituti susceptam rationem, neque aliud scribunt, quam sub sanctæ Claræ habitu ab obitu Dionysii conjugis semper incessisse, nullis tamen legibus religionis adstrictam. Neque absque omni prorsus fundamento ita scripsisse videntur; etenim ex canonizationis actis, & processibus in hunc finem compactis, quos penes me in pretio habeo, deduci videtur, ante assumptum sanctæ Claræ habitum, & ante viri obitum ita ipsam decrevisse, & coram optimatibus declarasse. Chyrographi de hac re facti trado exemplar. *An fuerit tertii Ordinis S. Francisci?* *Marc. cit. cap. 1. in fine.*

In

IN NOMINE DOMINI AMEN.

XXI. *NOverint universi præsentes litteras inspecturi, quod nos Elisabeth, Dei gratia Regina Portugalliæ & Algarbii, ad declarationem, conservationem, & defensionem status, bonorum & jurium nostrorum, dicimus, denunciamus & protestamur expresse, quod si contingat nos de hac vita migrare, superstite, & relicto Serenissimo Principe & Domino Domino Dionysio Dei gratia Illustri Rege Portugalliæ, Algarbii, marito nostro legitimo, quod cum nodosa cordula habili ad cingendum, & cum quadam veste in una nostra area repositis, quæ videntur esse de habitu, & ad instar habitus Sororum seu Monialium Ordinis sanctæ Claræ, volumus & intendimus sepeliri in Monasterio sanctæ Claræ apud Conimbriam, & de nostris bonis distribui, prout apparebit in testamenta nostro plenius contineri. Si vero prædictum Dominum maritum nostrum præmori, quod absit, & post ipsum vivere nos contingat, volumus, proponimus & intendimus, prætactas vestem & cordulam, ac velum viduitatis, licet instar habitus Ordinis prædicti, assumere, accipere & induere, non in habitum religiosum probatorium, vel professorium, nec causa probationis, vel professionis, seu obedientiæ alicujus Ordinis, regulæ vel personæ, sed solum causa, & in signum viduitatis & humilitatis, illa intensione, mente, corde, & animo, ut quandocumque, & quotiescumque voluerimus, possimus illas libere & licite dimittere sine nota, & alias quascumque seculares & laicales, quas nobis competere viderimus & voluerimus assumere & inducere, & de nostris rebus, bonis, juribus, & persona disponere & facere libere velle nostrum, quodque licet hujusmodi cordulam, vestem & velum, ut præmittitur, assumere, & induecre proponamus, tamen pannos lineos, quibus ad præsens utimur, & uti consuevimus, & alia nobis seculari & laicæ viduæ competentia, non intendimus dimittere, sed prout voluerimus illis uti, quodque Dominas & Domicellas laicas & seculares, ac prout decens viderimus, solitam domum nostram tenere & nutrire, & de bonis nostris propriis, quando nobis videtur, hujusmodi Domicellas & Dominas maritare, & in castris & locis nostris, & alibi, quando, & ubi inter ipsas, prout voluerimus, vivere proponimus, & intendimus temporibus successivis, quibus Deus dederit nobis vitam, quodque votum aliquod simplex, vel solemne, tacitum vel expressum, sive professionem aut obedientiam non emittimus, nec fecimus, & in receptione cordulæ, vestis & veli prædictorum, vel alias emittere, vel facere non intendimus nec proponimus, nullique Ordini, regulæ, collegio vel personæ nos vel nostra bona aliquando obligavimus, intendimus, vel proponimus obligare, sed una cum omnibus nostris bonis omnino libera remanere, & de ipsis vendere, donare, locare, pignorare, & alias qualitercumque disponere in vita & in morte, prout nobis placuerit, & visum fuerit expedire. In quorum omnium fidem & testimonium præsentes nostras patentes litteras fieri jussimus, & nostri consueti sigilli munimine roborari. Datum Sanctarenæ* 11. *die Januarii anno* MCCCLXIII. *&c.*

XXII. Certe vel fictum est hoc chyrographum, vel Notarius, aut Amanuensis erravit in anno: etenim diu ante LXIII. obiit, & hoc ipso MCCCXXV. ex hac vita excessit Dionysius conjux, ante cujus obitum significatur factam esse hanc declarationem. Fortassis pro *sexagesimo*, scriptum erat *vigesimo*, qua ratione concordari poterit tempus cum iis, quæ in chyrographo indicantur. Quod si suis numeris constet, & sua virtute subsistat, nihil adhuc impe-

impedit, quin postea tertium sancti Francisci Institutum sit amplexa. Etenim quantumvis dicat & declaret se *in receptione cordulæ, vestis ac veli prædictorum, vel alias non velle aut intendere votum solemne, aut simplex emittere, aut ulli Ordini, aut regulæ, aut collegio, vel personæ se vel bona sua aliqualiter obligare*: attamen omnes universim auctores conspirant, eam post mariti mortem, & delatum habitum prædictum, voluisse Clarissis nomen dare, & cum eisdem regularem vitam profiteri. Si ergo tunc mutavit intentionem, neque voti compos fieri potuit propter adversum optimatum consilium; quid tollit, quin minus tunc voluerit saltim mitius jugum tertii Ordinis subire; & cum non potuit sub secundo egenis, & regni administrationi deesse, potuit sub tertio piis & regiis ministeriis adesse? Atque ita fecisse, præmisso rei examine, declaravit jam pridem isthoc peculiari diplomate sanctissimus Dominus Urbanus VIII. ad preces Joannis a sancto Bernardino, tum in Romana Curia Ordinis Procuratoris, litteris & rerum agendarum peritia conspicui.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

XXIII. *Cum sicut dilectus filius Joannes de sancto Bernardino Procurator Generalis Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantia, nobis nuper exponi fecit, sanctam Elisabetham Reginam, dum vixit, Portugalliæ, quam nos alias divina aspirante gratia, in Sanctorum numerum retulimus, Tertium Ordinem sancti Francisci expresse professam fuisse plene constiterit, prout in processu, aliisque informationibus desuper fabricatis, latius continetur, & propterea dictus Joannes, ne ulli in hoc dubitationi locus unquam esse possit, per nos, ut infra opportune providere, summopere desideret, nos eumdem Joannem specialiter favoribus & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris ritibus præpositorum consilio, eamdem sanctam Elisabetham tertii Ordinis sancti Francisci hujusmodi fuisse, & esse, atque in omnibus pro tali ubique haberi & reputari, sicque & non aliter per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, Apostolica auctoritate, tenore præsentium, perpetuo decernimus & declaramus, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem, sub annulo Piscatoris die* XXII. *Aprilis* MDCXXVI. *Pontificatus anno* III. *&c.*

XXIV. Quia plerique in malum torquebant sensum, & secundum suas animi affectiones interpretabantur aliqua ex Postilla fratris Petri Joannis Olivi, eam, ita petentibus ipsis Minoritis, interdixit omnibus Joannes Pontifex hoc anno, die octava mensis Februarii, quantumvis ille sub mortem, & in suis scriptis omnia subjecerit correctioni sanctæ matris Ecclesiæ. Patres capitulares, ut decreto se conformarent Pontificio, Fratribus notum voluerunt, opus hoc fuisse prohibitum, nec licere cuipiam illud apud se tenere. Cessante scandalo & contradictione adversariorum, Sixtus IV. facultatem fecit

Marian. cit. c. 5.

Condemnatur postilla Petri Joannis.

Tom. 5. an. 1297. n. 31. & seqq. fecit omnibus legendi isthæc commentaria. Alias longius egi de istius hominis vita & doctrina, eumque liberavi a multis injustis, quibus aspergebatur, calumniis. *Bzov. hoc anno n. 10.* Miror valde, Bzovium insinuare, cum sub hoc tempore vixisse, atque eumdem cum iis, qui spirituales vocabantur, occasionem dedisse Pontifici, ut hoc anno constitutionem *Ad nostrum*, de regularibus inter extravagantes communes promulgaret, quia affirmabant, inquit, magis se fructificare inter Græcos, Sarracenos, & Tartaros, quam inter Latinos. Petrus autem hic obiit anno MCCXCVII. & extravagans neque verbum quidem habet de hujusmodi assertione, neque tale exprimit aut supponit fundamentum, sed duntaxat prohibet omnibus cujuscumque sint Ordinis, ne sine Superiorum licentia transfretent ad partes Ultramarinas. Eam autem *Alvar. lib. 2. c. 59.* assignat Alvarus Pelagius, tunc præsens in Curia, solam vel potissimam causam prohibitionis Apostillæ hujus Petri Joannis, quod dixerit, regulam Minorum eamdem esse cum Evangelio: quod in uno sensu recte, in alio male dixisse declararunt Gregorius de Landinio, Archiepiscopus Viennensis, & Petrus de Palude Ordinis Prædicatorum, multique alii magistri diversorum Ordinum & statuum, quibus librum examinandum Pontifex commisit. Citat vero pro his & aliis multis, quæ huic Petro impingit Bzovius, Richardum Cluniacensem, quem sub Friderico I. Imperatore anno MCLX. floruisse scribunt Guillelmus Eysengrenius, Sixtus Senensis, Possevinus, & sub Adriano IV. qui electus est anno MCLIV. eum reponit Volaterranus. Qui ergo fieri potuit, ut ante centum & plures annos mortuus, testis esse potuerit condemnationis hujus Apostillæ hoc tempore factæ?

Fr. Venutus Episcopus Catacensis. XXV. Assumpsit hoc anno Pontifex ad Episcopatum Catacensem vulgo *Catanzaro*, in ulteriori Calabria sub Archiepiscopo Rhegino, vacantem per mortem Jacobi, fratrem Venutum, in discordia simul electum cum Gualtero Archidiacono ejusdem Ecclesiæ, ante mortem Clementis V. Duravit lis & aliquorum, qui adversabantur Venuto, contradictio ad hoc usque tempus, donec tamdem hoc anno electionem, non obstantibus quibuscumque, Pontifex confirmavit: *Dudum pro parte*, Kal. Martii. Ad Episcopatum *Fr. Gerardus Girapetren.* Girapetrensem, sub Archiepiscopo Cretensi fratrem Gerardum, per translationem Thomæ ad Agyensem: *Regimini universalis*, Idibus Februarii. Ad Enagdunen. in Hibernia, sub Archiepiscopo Tuamensi, per translationem Jacobi ad Conerensem vacantem, transtulit a Clonsertensi, licet indebite in ea *Frater Robertus Enagdunen.* provisum fratrem Robertum: *Petit ex susceptæ servitutis*, Idibus Novembris. *Frater Gilbertus similiter Enagdunen.* Præcesserat in eadem frater Gilbertus etiam Minorita, qui dum in Curia litigaret contra Malachiam Archiepiscopum Tuamensem, qui eum Episcopatu spoliavit, & per suum procuratorem contendebat, Ecclesiam hanc non Cathedralem, sed Parochialem esse, ex hac vita discessit Romæ, cui substitutus est Jacobus: sed mox ad Coneren. translato, collata est Ecclesia, quam Cathedralem esse voluit Pontifex, prædicto Roberto, qui exiguo in ea tempore sedit, uti notat Wareus, qui refert, mitram, baculum pastoralem, & alia Pontificalia Episcopi Enagdunen. reposita in domo Minorum apud Clare, abstulisse Philippum le Blound Archidiaconum Tuamen. quousque novus Episcopus crearetur. In anno errat dum Jacobi Okernii translationem ab Enagdunen. ad Coneren. recenset sub anno MCCCXXVI. etenim hoc ipso, ex diplomate Pontificio factum esse aperte convincitur. *Fr. Bonifacius Sulcitanus.* Ad Sulcitanam in Sardinia, sub Archiepiscopo Calaritano, electus fuit a Capitulo frater Bonifacius de Pisis, & per prædictum Archiepiscopum non habentem notitiam reservationis a Pontifice factæ, confirmatus & consecratus; *Regest. Vatic. n. 2179.* sed paulo post electus fuit alius a Pontifice. Decerpsimus hæc ex diplomate,

mate, quo alium Episcopum Pontifex hoc anno destinavit. Bonifacius autem post aliquot annos assumptus est ad Ecclesiam Corbanien. uti dicemus anno MCCCXXXII.

Gravia negotia cōmissa Fr. Paulino.

Reg. Vat. an. 9. fol. 102. & seq.

Ibid. fol. 36.

XXVI. Gravissima negotia pluribus litteris contenta, hoc anno commisit Pontifex fratri Paulino Episcopo Puteolano, de quo sæpius egimus superius præsertim circa recuperandam civitatem Ferrariensem, a perfidis Hæreticis, ut loquitur Pontifex, a rebellibus & hostibus Dei & Romanæ Ecclesiæ sub diræ servitutis tyrannide occupatam. In hoc negotio socium adjunxit fratrem Perrinum Carmelitanum in Lombardia priorem Provincialem, qui simul egerunt cum Joanne Superantio Venetorum Duce, ut copias adjuvaret Ecclesiasticas. Ita prompte & fideliter cooperari cœperat Dux, ut peculiari diplomate ei gratias Pontifex habuerit. Ad alia negotia fidei evocavit Pontifex fratrem Joannem Peyronum Custodem Barcinonensem, quibus exequendis tres socios adhibuit, & Ministro Generali scripsit, ut quamprimum ad Curiam destinaret.

Conven. Horæ.

Rodul. fol. 260.

Conv. Inchæ.

Tom. 3. an. 1238. n. 17.

Conv. Valriaci.

Conven. Castri-Cæsaris.

Tom. 6. an. 1315. n. 25.

Conv. Totemoye.

XXVII. Bina extructa hoc anno Minoritis domicilia. Horæ in Custodia Campaniæ Sabinensis, & Provincia Romana Patrum Conventualium, de quo nihil ultra invenio. Inchæ in insula Balearium vulgo Majoricha, cujus Ecclesiam ferunt construxisse Episcopum Sinam, de quo egimus alias, reliquum operis oppidanos. Paruit Patribus Conventualibus usque ad annum MCCCXCIV. Majorem campanam donavit Episcopus Sans, cujus gentilitia incisa habet insignia. Locum hunc accipiendi licentiam dedit hoc anno Pontifex: *Sinceræ vestræ religionis*, Kal. Januarii. Ante hunc annum extitisse Valriaci in Custodia Avenionensi, & Provincia Provinciæ Cœnobium ejusdem Ordinis, constat ex diplomate Pontificio, quo accersit Guardianum Fratrum Minorum de Valriaco, ut nonnulla consignet instrumenta, quæ Pontificem & Ecclesiam concernebant Romanam: *Cum sicut accepimus*. IV. Nonas Octobris. Transferendi Conventum Castri Cæsaris in Hispania hoc anno licentiam concessisse Pontificem, diximus alias, diploma damus in regesto: *Ad Ordinem vestrum*, V. Idus Augusti. Facultatem etiam concessit Provinciali & Fratribus Hiberniæ, ut locum acciperent in Villa Rotemoye, vel Totemoye, Diœcesis Daren. ditionis nobilis viri Joannis de Breminghem Comitis de Lonche, ab eo partim ædificandum. Ita continet diploma Pontificium: *Inter Ecclesiasticos Ordines*. Idibus Augusti, hoc anno datum; sed vel hæc locorum nomina sunt corrupta, vel Cœnobium ædificatum non est; etenim in uno ex altero recensu domorum Franciscanorum ad me ex Hibernia misso, hujus non est invenire vestigium. Consecrata hoc anno die XXVI. Maii Ecclesia Minorum Lunani Custodiæ Feretrinæ, & Provinciæ Marchiæ Anconitanæ Patrum Conventualium.

Lituaniæ passi 16. Minoritæ.

XXVIII. Diximus etiam anno præcedenti, extructa jam sub hoc tempore bina Cœnobia Minorum in Provincia Lituaniæ, ubi fidem jam plantaverant, & suo sanguine rubricaverant triginta sex Fratres Minores variis temporibus occisi, quorum aliqui jacent Vilnæ ad Monasterium insigne sanctæ Mariæ de Arena in cœmeterio sub columna lateritia, alii projecti sunt in Viliani amnem, alii viginti octo sepulti sunt ad fores templi sanctæ Crucis, ubi hæc leguntur carmina, a Reverendissimo D. Joanne Anchuseniz electo Kyowiensi ibidem in tabella appensa, anno MDXLV. ob recuperatam valetudinem eorum intercessione.

Rodul. fol. 292.

Barbara gens olim stygiis adoperta tenebris
Luminis ignara candide Christe tui,
Renuit, ah demens! lustrari lumine vitæ,

Renuit & sacras tangere fontis aquas;
Heu quantis igitur mansit tum cæca periclis,
Cæcutiit cæcis non minus Andabatis!
Tollere dogma tuum quando pie Christe parabat,
Sacræ disturbans religionis iter.
Horrida bis septem id fratrum docuere pericla,
Hoc misere innocui qui cecidere loco.
His igitur proceres inter Castalde refertur
Familiæ encomium, & gloria prima tuæ.
Millia, qui populi miseratus multa ruentis
Tartarici fraude in pallida regna Ducis.
Huc, huc bis septem curasti ducere fratres,
Qui populos regerent Christe benigne tuos.
Ut per quem caperent vitam, caperentque salutem,
Et quidquid veri, perpetuique boni est:
Vulgabant igitur cælestis numina patris,
Vulgabant plebi dogmata sacra rudi.
Ut pater omnipotens prolem mortalibus ægris,
E summa celsi miserat arce poli.
Pertulit ut nostræ (heu) terrentia crimina vitæ,
Ac diræ fregit squalida regna stygis.
Ast gentis rabies conirritata furebat,
Dentibus infrendens talia verba refert.
Numina jam nostra en toto spoliantur honore,
Factaque jam turbæ fabula funigeræ.
Morte reos igitur clamat, quando optima monstrant,
Exitium cupiens impia turba suum.
Tum male perquirunt furibundi pectore cæco,
Qua perimant sanctos conditione viros.
Et quia vulgabant Crucifixi nomina Christi
Orbis quem vastus tartara & astra tremunt.
In cruce fige viros clamant, iterantque loquelas,
Ne pereat nostri gloria prima fori.
Accurrunt igitur succensi protinus ira,
Atque manus sævas fratribus injiciunt.
Post ne quis tentet stringentia vincula captis,
Constituunt vinctos judicis ante pedes.
E quibus eximios manibus post terga revinctis
Tres crucis horrendæ composuere neci:
Et cruce confossos (heu quam miserabile dictu)
Immersere undis Velia magna tuis.
Tum cædunt gladiis reliquos, flammisque perurunt,
Funditus ut perimant nomina Christe tua.
O scelus, o gens infelix, o pectora cæca,
O plebs; quæ diram te tua fata manent!
Audebas tam grande nefas, ut perdere velles
Nomen, quod mundi climata cuncta colunt.
Perdere dum Christum affectas, te perfida perdis,
Perniciem sponte en corruis in miseram.
Nunc perpende precor tecum celeberrime Præsul,
Quam vivat Christi vinea tota fide.

Cernis,

Cernis, quam jaceam densis obducta tenebris,
Nec sunt qui relevent commoda lapsa mea.
Nam meus agrestes hortus jam parturit herbas,
Sentes ac tribulos, malaque pestifera:
Erue quaeso igitur sentes, aconita, cicutas,
Et pangas feras, cynnama, balsamaque.
Sic facies hercle magno rem praesule dignam,
Grataque posteritas tum feret encomia.

XXIX. Clarissis etiam hoc anno aliquot extructa domicilia; Nanetis in Gallia, unum studio & sollicitudine nobilissimi Principis D. Petri de Rieva, Britanniae Ducis. Quod postea reformatum est sub prima regula sanctae Clarae per beatam Collectam. Alterum erexerat nobilissima foemina Isabella de Ruthena Vicecomitissa Carlaten. sancti Flori dioecesis paulo ante ab hoc ipso Pontifice institutae, prope Ecclesiam Parrochialem de Boysseto: sed cum Rector praedictae Ecclesiae impediret, quin minus officia divina ibidem celebrarentur, ad preces ejusdem heroinae scripsit Pontifex ad Episcopum Floriensem (qui tunc erat Raymundus Velrens de Monsteger, primus novae Sedis Pontifex) uti si legitime fundatum, & sufficienter dotatum erat Monasterium, opus confirmaret: *Illis qui animarum*, VI. Non. Martii. Tertium constructum paulo ante hunc annum in Riberniz dioecesis Werinensis in Germania per nobilem virum Henricum Dominum Magnopolensem, cui adjudicavit uniendam Ecclesiam parrochialem ejusdem oppidi Pontifex hoc ipso anno: *Devotorum studia*, XI. Kalend. Novemb. Quartum Poloniae Reges Wladislaus & Heydwigis non tam noviter adjunxerunt huic Instituto, quam transtulerunt ex alio loco Cracoviam. Evocatis enim Sororibus ex Monasterio de Scala Cracovien. dioecesis, nobile illis posuerunt in ipsa urbe domicilium, sub invocatione sancti Andreae, permutatione facta Ecclesiae cum Patribus Benedictinis: *Solet plerumque*, II. Idus Aprilis. Demum Clarissarum Monasterii Corporis Christi Neapolitani constitutiones partim hoc anno mitigatae, partim expositae. Cordubensium nolentium decimas ex quibusdam bonis per Alphonsum Castellae Regem collatis solvere, tutela suscepta: sed & omnibus hujus Instituti sectatricibus concessum privilegium nullas solvendi ex quibuscumque facultatibus. Litteras ipsas Pontificias damus in regesto.

Monast. Nanneten. — Mon. Boyseti. — Mon. Riberniz. — Mon. Cracovien.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

" I. Pauca nobis Annalistae sedulitas colligenda reliquit: at indicat ni-
" hilominus nonnulla ab Apostolica Sede emanata, quae Religioni
" discriminum hoc tempore defluente, honorem custoditum ostendunt,
" noster Indiculi Auctor: etenim summus Pontifex quemdam fratrem Ni-
" colaum ad lecturam sua auctoritate promovit: *Laudabilis &c.* XIII. Ka-
" lend. Martii: fratri Francisco de Monteflascone executorialem transmi-
" sit: *Pro parte &c.* cum Rectori Spoletano pro Inquisitoribus Minoritis:
" *Litteras tuas &c.* & fratri Joanni de Aemilio, & ipsi Inquisitori contra
" Fratricellos: *Ad audientiam nostram &c.* Kalend. Martii scriberet. Car-
" dinali etiam sancti Theodori secum Fratres nostros assumere posse duo-
" bus diplomatibus ejusdem tenoris: *Cum te &c.* XV. Kalend. Maii con-
" cessit. Sed contra quemdam Episcopum pro fratribus Joanni de Ancona *
" & Servodei de Pena Inquisitoribus Marchiae: *Idem Episcopus &c.* VIII.
" Kalend. Junii: *Et cum nos venerabiles &c.* Nonis Julii: necnon pro

Litterae Apost. in honorem Ordinis. — *Indicul. ex Vatic.*

* *Hujus expedit. etiam Annalista ad hunc ann. meminit.*

„ iisdem: *Cœpimus quod &c.* III. Kalend. Septembris scripsit. Ceterum „ fratribus Raymundo & Guillelmo ut ad alium Ordinem se transferre pos„ sent, litteris ejusdem tenoris ac temporis: *Super cunctos &c.* Idibus Ju„ nii indulsit: & pro Religionis ingressu Mariano quodam beneficio con„ cesso: *Dudum quorumdam &c.* Kalend. Augusti: cum paulo ante, sci„ licet, VII. Kalend. ejusdem mensis fratrem Rolandum Ticinensem ad

Ex vatic.

„ curiam vocasset: *Cum pro certis &c.* nonnullas executoriales expedivit: „ Guardiano Sagiensi: *Ad curam Sedis &c.* VIII. Kalend. Septembris: „ Guardiano Florentino: *Tua nobis &c.* XV. Kalend. Octobris: & eidem „ sub eodem tenore Kalendis ejusdem mensis Octobris, ad Ministrum ve-

Wad. ad anno 1328. n. 10.

„ ro Provinciæ Aquitaniæ commendatitiam transmisit: *Dum sub &c.* V. „ Idus Decembris. Etiam Monialibus sanctæ Claræ de Venetiis favit hoc „ anno summus Pontifex dato Brevi: *Pridem ad nostrum &c.* nono Idus „ Februarii: & Reginæ Poloniæ Monasteriorum ingressum indulsit: *Exi„ miæ devotionis &c.* V. Idus Junii.

Dionysius Lusitaniæ Rex. obit.

„ II. Dionysii Regis Portugalliæ obitum notavit Annalista: sed nobis „ placet ex aliis nonnulla de tanto Rege referre. Fuit hic Alphonsi III. pa„ riter Regis filius, & sanctæ Elisabethæ conjux, qui cum regnasset annis „ XLVI. ætatis suæ LXIV., hoc scilicet anno Christi, apud Santarem supre„ mum diem clausit: sepulturam vero nactus est in celebri Monasterio de „ Odivelas Ordinis sancti Bernardi duabus leucis ab Ulyssipone a se con„ structo anno MCCXCV. cum jam universitatem Conymbricensem funda„ visset anno MCCXC. Quadraginta trium annorum consortio a sancta Con„ juge didicit pietatem, ac religionem colere. Eleemosinarii majoris in „ Regia munus instituit, eoque in officio primus fuit frater Martinus. Sa„ cellum in palatio construxit, in quo ex Pontificis indulto quotidie recita„ rentur horæ canonicæ, quarum primos versus lingua Portugallensi ipse „ composuit: anno MCCCXX. Ordinem Militarem Christi instituit a Joan„ ne XXII. confirmatum, primusque ejusdem Ordinis Magister fuit D. Gi„ le Martinez de Otero. Dionysii naturalis fuit D. Alphonsus Sanchez ap„ pellatus, qui in Regia Patris sui Majordomus effectus a sancta Regina, „ non aulæ corruptos ut plurimum, sed christianos & sinceros mores & ipse „ didicit: duxit uxorem Dominam Theresiam Martinez de Albuquerque, „ illius loci Dominam, & filiam D. Joannis Alphonsi de Meneses & Albu„ querque, a quibus nobiles familiæ, præsertim Albuquerquiorum propa„ gatæ fuerunt: porro Alphonsus & Theresia præfati Jugales in Monasterio „ sanctæ Claræ de Vivaldo Ulyssipone, ab iisdem fundato jacent.

Dogl. p. 4. fol. 391.
Ludovic. Imper. Pontifex dejicit ab Imp.

„ III. Libet etiam postremo, licet minus pertineat, Ludovici Impe„ ratoris contumaciam notare, a Joanne siquidem Pontifice vocatus obsur„ duit: quamobrem excommunicationis in eum lata sententia, imperiale „ sceptrum in Regem Franciæ transferre Pontifex cum Leopoldo quære„ bat, simulque Fridericum e vinculis solvere: sed pejora machinabatur „ Ludovicus, hostis Ecclesiæ factus.



AR-

ARGUMENTUM.

Felices referuntur progressus fidei Catholicæ in Tartaria. Solis Minoritis, abdicatis aliis, committitur Inquisitio pravitatis hæreticæ in Principatu Bosnensi, & adjunctis provinciis. Aliis etiam in partibus idem exercent officium. Creantur aliquot Episcopi, & multiplicantur domicilia.

I. IN Tartaria fœliciter sub hoc tempore se habebant res Christianorum, erecta una atque altera Ecclesia Cathedrali per primum illius gentis Archiepiscopum Joannem a Monte Corvino, cooperantibus etiam suffraganeis Episcopis, quos ex Minoritis assumptos alias diximus, ad indomitæ gentis conversionem amandatos. Horum unus domestico & humili stylo scripsit hoc anno Guardiano Perusino quæ circa ipsos agebantur. Epistolam legit beatus Odoricus de Foro-Julio, illius temporis auctor, & præcipua fragmenta suæ intulit historiæ, quam alias indicavimus. Nos hic transcribimus majorem conciliatura fidem plerisque a nobis jam pridem relatis.

Felices fidei progressus in Tartaria.

Tom.6.an.1307. n.8.& seqq.

Tom.6.an.1322. n.1.

Frater Andreas de Perusio de Ordine Minorum Fratrum divina permissione vocatus Episcopus, R. P. Fratri Guardiano Perusini Conventus salutem & pacem in Domino sempiternam.

II. N*Am propter immensam terrarum mariumque distantiam, inter me & vos interjectam, vix sperare possum, quod litteræ ad vos per me transmissæ ad manus vestras valeant pervenire.* Et infra sequitur. *Novissis me itaque cum bonæ memoriæ fratre Peregrino Coepiscopo, & meæ peregrinationis individuo comite, præter multos labores & languores, inedias, variaque tormenta atque pericula in terra pariter & in mari, ubi fuimus rebus omnibus, etiam tunicis & habitibus spoliati, demum, Deo juvante, ad Sambaliensem civitatem, quæ Sedes est Imperii Magni Chanis, anno Dominicæ Incarnationis* MCCCVIII. *ut credo pervenisse, ubi secundum mandatum a Sede Apostolica nobis datum, Archiepiscopo consecrato, moram ibi per quinquennium ferme contraximus; infra quod temporis spatium procuravimus Alafa ab Imperatore magnifico pro victu & vestitu octo personarum. Est autem* Alafa *impensa, quam Imperator tribuit nunciis Magnatum, Oratoribus, bellatoribus, diversarum artium artificibus, jaculatoribus, pauperibus, & diversis diversarum conditionum personis, quæ impensæ plurium Latinorum Regum introitus & expensas transcendunt. De divitiis, magnificentia & gloria hujus magni Imperatoris, de vastitate Imperii, multitudine populorum, numerositate Civitatum, & magnitudine earumdem, & de ordinatione Imperii, in quo nemo adversus alium ausus est levare gladium, transeo, quia longum foret scribere, & audientibus incredibilia viderentur; nam ego ipse qui præsens sum, talia audio, quæ vix ipse credere possum, &c.* sequuntur infra. *Est quædam magna civitas juxta mare Oceanum, quæ vocatur lingua Persica Cayton, in qua civitate una dives domina Armena Ecclesiam erexit præclaram satis & grandem, quam quidem de ipsius voluntate per Archiepiscopum in Cathedralem erectam, cum competentibus dotibus, fratri Gerardo Episcopo & Fratribus, qui cum eo erant, donavit in vita, & in morte reliquit, qui primus eamdem Cathedram suscepit. Mortuo autem dicto Episcopo, inibique sepulto, voluit Archiepiscopus in eadem Ecclesia me facere successorem, sed hujusmodi locationi*

Primi Episcopi in Tartaria.

Magnificentia Imperatoris Tartarorum.

Caytone erigitur Ecclesia Cathedralis.

Primus Caytonis Episcopus frater Gerardus.

& suc-

Secundus frater Peregrinus.

& successioni me non præbente assensum, ipsam contulit fratri Peregrino Episcopo memorato, qui illuc habita opportunitate, se contulit, & postquam paucis annis rexit eamdem, anno Domini MCCCXXII. *in crastino Octavæ Apostolorum Petri & Pauli diem clausit extremum, ante cujus discessum per quatuor fere annos, ego qui in Cambaliech non eram, consolatus ex aliquibus causis, procuravi quod dicta* Alafa *seu eleemosyna Imperialis mihi daretur in præfata civitate Caytonis, quæ distat a Cambaliech itinere hebdomadarum fere trium, ut dixi, sollicite procuravi, & cum octo equitibus, ab Imperatore mihi concessis, ad eamdem Civitatem cum magno honore perrexi, & applicui, adhuc fratre Peregrino præfato vivente, & in quodam nemore proximo civitati ad quartam partem unius milliarii, Ecclesiam convenientem & præclaram ædificari feci, cum omnibus officinis sufficientibus pro* XXII *Fratribus, & cum quatuor cameris, quarum qualibet esset pro quocumque Prælato sufficiens. In quo quidem loco morom traho continuam, & vivo de eleemosyna Regia memorata, quæ juxta mercatorum Januensium æstimationem, ascendere potest annuatim ad valorem centum florenorum aureorum vel circiter, & de hac eleemosyna magnam partem in ædificatione loci prædicti expendi, cui similem in Eremitoriis in tota nostra Provincia nullum scio quoad pulchritudinem & omnem amœnitatem. Denique non longo elapso tempore post obitum fratris Peregrini, recepi decretum Archiepiscopi de locatione nostra in memorata Ecclesia Cathedrali, cujus locationi assensum præbui causa rationabili suadente, & nunc in loco vel Ecclesia civitatis, nunc in Eremitorio moram facio, juxta meæ libitum voluntatis, & sum sano corpore, & quantum longævitas vitæ patitur, aliquibus adhuc annis in hac messe laborare potero, licet canitiem habeam ex defectibus naturalibus & proprietatibus senectutis. Sunt in isto vasto Imperio sunt gentes de omni natione, quæ sub cælo est, & de omni secta, & conceditur omnibus & singulis vivere secundum sectam suam. Est enim hæc opinio apud eos, seu potius error, quod unusquisque in sua secta salvatur, & nos prædicare possumus libere & secure: sed de Judæis & Sarracenis nemo convertitur, de Idololatris baptizantur quam plurimi, sed multi ex baptizatis non recte incedunt per viam Christianitatis. Quatuor nostri Fratres martyrizati fuerunt in India a Sarracenis, quorum unus bis in ignem copiosum injectus illæsus evasit, & tamen ad tam stupendum miraculum nullus est a sua perfidia permutatus. Hæc omnia supradicta sub brevitate vestræ Paternitati destinare curavi, ut per vos ad aliorum notitiam devolvantur. Fratribus spiritualibus & amicis meis præcipuis non scribo, quia qui discesserint, & superstint ignoro, unde rogo quod me habeant excusatum. Omnes saluto, meque omnibus recommendo intime quantum possum, & vos pater Guardiane recommendetis me Ministro & Custodi Perusino, & aliis Fratribus universis. Omnes Episcopi suffraganei facti per Dominum Papam Clementem Cambaliensis Sedis migrarunt in pace ad Dominum, ego solus remansi. Frater Nicolaus de Banthera, frater Andrutius de Assisio, & unus alius Episcopus mortui fuerunt in ingressu Indiæ inferioris, in terra quadam crudelissima, ubi & plures alii mortui sunt & sepulti. Valeat in Domino vestra Paternitas nunc & semper. Data in Cayton anno Domini* MCCCXXVI. *in mense Januarii.*

Tertius Fr. Andreas Perusinus.

Vide ann. 1321. n.1. & seqq.

An.1325. n.1.

Minoritæ instituuntur soli Inquisitores Bosnæ & Sclavoniæ.

III. Diximus alias, gravem commendatam Minoritis Provinciam inquirendi in hæreticos per universas Sclavoniæ & Bosnæ Provincias, eaque functum sub hoc tempore fratrem Fabianum in partibus Serviæ, Rassiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Bosnæ, Istriæ & in Archiepiscopatibus Duracen. Antibaren.

ren. Ragusino, Spalaten. & Jadrensi. Egit tamen frater Matthias de Zagrabia, Ordinis Prædicatorum, ut munus hoc sui Instituti viris crederetur, obtinuitque. Conquerente prædicto Fabiano, quod Matthias tacuit, intellexit Pontifex prius institutos in illis Provinciis Inquisitores Minoritas, irritumque voluit quod ipse posterius instituit. Dedit litteras ad Priorem, Provincialem & reliquos ejusdem Ordinis Fratres in Hungaria & Sclavonia, ad Carolum Regem, ad Archiepiscopos Strigonien. & Colocen. & universos Ecclesiarum Prælatos, quibus ita voluit denunciatum. Ipsas exscribo.

Dilectis filiis Priori Provinciali, ac universis Fratribus Ordinis Prædicatorum in Regno Hungariæ & Provincia Sclavoniæ constitutis.

IV. *Querelam dilecti filii Fabiani Ordinis Minorum Fratrum, Inquisitoris hæreticæ pravitatis in Provincia Sclavoniæ & Principatu Bosnen. auctoritate Apostolica specialiter deputati, recepimus continentem, quod licet felic. recordationis Nicolaus Papa IV. per suas litteras speciales Fratribus dicti Ordinis Minorum in dicto Principatu Bosnen. officium Inquisitionis pravitatis prædictæ duxerit committendum, prout in dictis litteris plenius continetur, ac deinde piæ memoriæ Bonifacius Papa VIII. prædecessor noster dilecto filio Ministro Provinciali Ordinis Fratrum Minorum in administratione Provinciæ Sclavoniæ commiserit, & præcipiendo mandaverit per suas litteras speciales, ut de consilio aliquorum Fratrum dicti Ordinis eligeret duos de Fratribus dicti Ordinis Minorum suæ administrationis idoneos ad hujusmodi officium exequendum, qui in partibus Serviæ, Rassiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Bosnæ atque Istriæ, & in Archiepiscopatibus Duracen. Antibaren. Ragusino, Spalaten. & Jadren. & diœcesibus suis dictæ provinciæ Sclavoniæ, Inquisitionis officium super labe prædicta debeant exercere, & a longis temporibus citra Fratres dicti Ordinis Minorum ejusdem Provinciæ exercuerunt hujusmodi Inquisitionis officium in partibus memoratis, juxta formam eis ab Apostolica Sede concessam, nullusque alicujus alterius Religionis in eisdem partibus hujusmodi Inquisitionis officium hactenus consueverit exercere; tamen dilectus filius Matthias de Zagrabia Ordinis Fratrum Prædicatorum nulla de prædictis litteris seu privilegiis hujusmodi super Inquisitionis officio dictis Fratribus Ordinis Minorum a Sede præfata concessis, habita mentione, per suppressionem veritatis hujusmodi quasdam litteras ad te fili Prior, a nobis impetravit, per quas tibi duximus committendum, quod aliquos de Fratribus dicti Ordinis Prædicatorum eligas, qui in Regno Hungariæ Inquisitionis officium prædictæ pravitatis exerceant, & valeant exercere, crucemque contra omnes Transilvanos, Bosnen. & Sclavonicos, qui hæretici fuerint, in prædicto Regno Hungariæ prædicent & valeant prædicare; ac insuper per alias nostras litteras carissimo in Christo filio nostro Carolo Hungariæ Regi illustri, ac Venerabilibus Fratribus nostris Strigonien. & Colocen. Archiepiscopis, eorumque suffraganeis, & aliis Ecclesiarum Prælatis in Regno Hungariæ constitutis, necnon Comiti Salomoni de Brasso, & nonnullis aliis nobilibus Hungariæ & Sclavoniæ dedimus in mandatis, quod eisdem Inquisitoribus Ordinis Fratrum Prædicatorum in iis auxilium, consilium & favorem impendant. Cum itaque nostræ intentionis non fuerit, nec existat, Inquisitionis officium labis prædictæ per Sedem eamdem dudum concessum eisdem Fratribus Ordinis Minorum in partibus supradictis, dictis Fratribus Ordinis Prædicatorum com-* Ex tom. 1. an. 11. ep. 31.

mit-

mittere, vel per litteras nostras prædictis Inquisitoribus dicti Ordinis Minorum super dicto officio in præfatis Provinciis seu partibus in aliquo derogare, ne dictarum litterarum nostrarum prætextu dictum officium, quod absit, valeat impediri, tibi ac universis & singulis Fratribus Ordinis vestri prædictæ Inquisitionis officium in dictis Provinciis, seu partibus, quæ in dictis privilegiis, seu litteris Apostolicis dictis Fratribus Minoribus concessis specialiter exprimuntur, interdicimus exercendum, vobis auctoritate Apostolica districtius inhibentes, ne de prædicto officio in Provinciis & partibus supradictis in dictis privilegiis, seu litteris dictorum Fratrum Minorum expressis, vos intromittere præsumatis; quinimo quoad Provincias & partes prædictas præfatas litteras nostras super dicto officio tibi, præfate Prior, vel aliis quibuscumque directas, revocamus, cassamus & irritamus, & nullius existere decernimus firmitatis. Datum Aven. Kalend. Julii, anno 11.

Carissimo in Christo filio Carolo Hungariæ Regi Illustri.

Ibidem epist. 12. V. IN Nillis, fili carissime, quæ ad exaltationem Catholicæ fidei, & exterminationem hæreticæ pravitatis respiciunt, celsitudinem tuam eo libentius salubriusque requirimus, quo experientia certa didicimus, quod tu, velut gloriosus athleta Domini, intrepidusque pugil Ecclesiæ, ac Orthodoxæ Religionis Zelator assiduus, ad exterminandam labem pravitatis ejusdem de regni tui finibus, & conterendum inimicos Crucis & fidei, vota tua semper feliciter direxisti. Sane querelam dilecti filii Fabiani Ordinis Fratrum Minorum Inquisitoris hæreticæ pravitatis in provincia Sclavoniæ & Principatu Bosnen. &c.* ut in superiori diplomate usque ad, *decernimus firmitatis. Quocirca serenitatem Regiam rogamus, monemus & hortamur in Domino, in remissionem peccaminum tibi nihilominus injungentes, quatenus, non obstantibus prædictis litteris, quas præfatus Matthias ad Celsitudinem regiam, & alios prænominatos super præmissis, ut prædicitur, impetravit, dictum Fabianum in ejusdem Inquisitionis officio, in Regno tuo, & aliis Provinciis, quæ in privilegiis Apostolicis Fratribus dicti Ordinis Minorum concessis, specialiter exprimuntur, pro divina & Apostolicæ Sedis reverentia, atque nostra manuteneas & defendas, & aliis Fratribus dicti Ordinis Minorum ad dictum officium deputatis, vel in posterum deputandis, in his & aliis consilium & auxilium, ac favorem taliter impendendo, quod ipsi prædictum officium tute exequi valeant, labemque prædictam de dictis regnis & provinciis profugare, tuque proinde a divina clementia præmium æternæ retributionis, & a nobis gratiarum consequi valeas uberes actiones. Datum Avenione Kalend. Julii anno* XI.

Venerabilibus Fratribus Strigonien. & Colocen. Archiepiscopis, & Suffraganeis, & aliis Ecclesiarum Prælatis in regno Hungariæ, ac Provincia Sclavoniæ constitutis.

Ibidem epist. 13. VI. QUerelam dilecti filii Fabiani &c. ut in secundo diplomate mutatis mutandis usque ad finem.

Alia contra Inquisitores Minoritas. VII. Confluebat ex variis partibus ad Principatum Bosnensem in confinibus Dalmatiæ magna hæreticorum caterva, quibus ut obvius iret, eosque inde expelleret, scripsit Pontifex ad Carolum Regem Hungariæ. Similiter in provincia Romandiolæ magnæ erant colligationes impietatis contra Ponti-

titicios, quas ut dissiparet frater Lambertus Inquisitor Ordinis Minorum, uti tabulæ testantur Pontificiæ in Regesto Vaticano, non Ordinis Prædicatorum, uti mirabiliter transformat Bzovius, alio diplomate Pontifex præcepit. Utrumque subnectimus. *Bzov. hoc anno n. 8.*

Carissimo in Christo filio Carolo Regi Hungariæ Illustri.

VIII. *Dudum, fili carissime, ad audientiam Apostolatus nostri fide digna relatione deducto, quod Principe tenebrarum humanæ salutis æmulo, nocendique cupido & perito, consuetis nequitiæ stimulis, procurante, magna hæreticorum caterva de multis & diversis partibus congregata, ad Principatum Bosnen. in confinibus Dalmatiæ constitutum, sub fiducia seminandi inibi obscœnos errores, tuteque nocendi confluxerat, qui antiqui hostis imbuti versutia, Catholicorum simplicium animas sub simplicitatis simulatæ fallacia virulentis sermonibus corrumpebat, quodque eorumdem hæreticorum nefanda seductio in Principatu præfato, tuæ ditioni subjecto, jam multas animas labe resperserat, seu infecerat hæreticæ pravitatis. Nos attendentes fore multum expediens cum omni cautelæ studio, & provisionis acceleratæ remedio, in dicto Principatu pestem hujusmodi radicitus extirpare, ne passim vagari permissa, intactas & innoxias Christi oves morbo ejusdem pravitatis inficeret, & in vicinis provinciis periculosius spargeretur, Celsitudinem tuam per litteras nostras rogandam & exhortandam duximus in eodem Domino Jesu Christo, tibi nihilominus per Apostolica scripta mandantes, ut ob reverentiam Apostolicæ Sedis & nostram, & pro salute animarum, ad eliminandum & extirpandum dictos hæreticos de Principatu prædicto, opem preparares & impenderes congruentem, Regio culmini & ejusdem Provinciæ statui opportunam, piæ sollicitudinis zelum contra eosdem hostes sævissimos animarum ad requisitionem dilecti filii Fabiani Ordinis Fratrum Minorum Inquisitoris pravitatis prædictæ, in partibus illis, auctoritate Apostolica deputati, & aliorum Inquisitorum dicti Ordinis auctoritate prædicta deputatorum in illis partibus, & deputandorum in antea, & eorum cujuslibet viriliter assumendo, præcipiendo etiam dilecto filio Principi Bosnen. ut dictos inimicos fidei de dicto Principatu radicitus extirparet, ut non solum, qui recti essent, perseverarent incolumes, sed etiam eorumdem hæreticorum seductione decepti, confutatis & abjuratis erroribus, ad lumen veræ fidei remearent, dictumque Fabianum, & alios Inquisitores præfatos, in iis, quæ ad dictum Inquisitionis officium pertinerent, super quibus auxilii & favoris tui partes ducerent fiducialiter requirendas, ob reverentiam ejusdem Sedis atque nostram, haberes propensius commendatos, teque illis exhiberes propitium & benignum. Cum itaque, sicut ejusdem Fabiani Inquisitoris relatione didicimus, serenitatis tuæ grata sinceritas eumdem, ob ejusdem Sedis reverentiam atque nostram, gratiose excepit, & benigne in iis, quæ fidei favorem respiciunt, pertractarit, Celsitudini tuæ super his gratis affectibus gratiarum referimus actiones, magnitudinem regiam iterato rogantes, ut eidem Fabiano, & aliis Inquisitoribus supradictis auctoritate Apostolica in illis partibus deputatis, & in posterum deputandis, in omnibus, quæ ejusdem fidei promotionem respiciunt, & favorem præstes auxilii & consilii tui opem, prout tam favorabili, pioque negotio videris expedire; ita quod Inquisitores prædicti, Regii favoris fulti præsidio, hujusmodi Inquisitionis officium contra respersos labe prædicta, ad laudem Dei, & pro salute fidelium in decretis sibi provinciis securius & efficacius valeant exercere. Dat. Avenion. II. Idus August. anno XI.* *Ibid. epist. 14.*

Dilecto filio Lamberto de Ordine Fratrum Minorum Inquisitori hæreticæ pravitatis.

Ex secret. an. 10. fol. 331.

IX. *CUm nonnulli de Provincia nostra Romandiolæ tam Clerici, quam Laici Deum & Romanam matrem Ecclesiam offendere, seque in præcipitium damnationis & mortis immergere non verentes, adeo favere ac favisse dicuntur damnatis hæreticis, confœderationes, Ligas & Societates ineundo cum ipsis, eosque receptando, & sibi præstando multipliciter auxilia, consilia, & favores, quod de labe hæresis se redderent & reddunt vehementer suspectos, nos tam ipsorum, quam multorum aliorum periculis, ex præmissis imminentibus, obviari salubriter cupientes, discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus contra fautores hujusmodi, & alios quoslibet de crimine pravitatis hæreticæ culpabiles, vel suspectos sic solerter secundum formam Canonum, ac privilegiorum concessorum Inquisitionis officio prædicto procedere non postponas, quod inde debeat tua diligentia merito commendari. Datum Avenione Kalend. Septembris anno* X.

Inquisitor Spoletanus Fr. Franciscus Damiani.

Ex Tomo 1. anni 10. fol. 325.

Ex secret. an. 10. fol. 247.

X. Præter hos Inquisitores exercebat id ipsum munus in Ducatu Spoletano frater Franciscus Damiani Minorita, sanctæ Claræ de Montefalco frater, cui Pontifex commisit hoc anno potestatem absolvendi Joannem de Amelia Archidiaconum Foro-Julien. Rectorem Ducatus Spoletani, a quibusdam censuris, commendavitque, ut solerter ageret contra Mutium Canistrarium Tudertinum, Ecclesiæ rebellem. Universis etiam scripsit Inquisitoribus, ut severe animadverterent in deferentes Sarracenis ferrum, arma, lignamina, aut aliis modis auxilium vel consilium præbentes contra Christianos, quæ sui prædecessores Nicolaus IV. & Bonifacius VIII. atque ante hos Concilium Lugdunense gravissimis prohibuerunt decretis.

Fr. Petrus Episcopus Calvien.

Scarpaten. frater Nicolaus de Machilona.

Auximanus frater Simbaldus.

Melphiensis frater Monaldus.

Stabiensis frater Landulphus Caracciolus.

Ann. 1331. & ann. 1347.

XI. Assumpti hoc anno ad Episcopatus Fratres aliquot: ad Calvien. vulgo *Calvi*, in regno Neapolitano, sub Archiepiscopo Capuano, per mortem Joannis vacantem, frater Petrus Lector Aversanus per formam compromissi concorditer electus: *Inter cetera* XVIII. Kal. Februarii. Ad Scarpaten. in Græcia, sub Patriarcha Constantinopolitano, per mortem Nicolai, Venetiis defuncti, frater Nicolaus de Machilona: *Summi dispositione Rectoris* VII. Kal. Junii. Ad Auximanum in Piceno, immediate sub Pontifice Romano, per mortem Berardi, frater Simbaldus Minister Provinciæ Anconitanæ, quam usque ad Capitulum Provinciale, per speciale Pontificis diploma per annum & ultra gubernavit. Consecratus est anno sequenti: *Romani Pontificis*, VIII. Idus Augusti. Ad Melphiensem in regno Neapolitano, sub Archiepiscopo Manfredonien. per obitum Alexandri, frater Monaldus, Ordinis Procurator Generalis: *Apostolatus officium*, II. Non. Octobris. Ad Stabiensem, in Campania maritima, sub Archiepisc. Surrentin. (a Stabiis olim aversis, quibus successit Urbs Castelli maris, ita nuncupatum) per obitum Petri, frater Landulphus Caracciolus, alias Carazulus, Magister Parisiensis, vir nobilis, Scoti discipulus, Minister Provinciæ Terræ Laboris, postea translatus ad Archiepiscopatum Amalfitanum, & magnis muneribus in Regno Neapolitano functus, uti alias referemus. Consecratus est anno MCCCXXVIII. *Militanti Ecclesiæ* XII. Kalen. Septembris.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI. Fr. Raymundus Episcopus Theatinus & Aversanus.

„ Translatus est
„ hoc anno frater Raymundus Gallus Massiliensis ab Episcopatu Theatino
„ ad Aversanum exemptum in regno Neapolitano. Obiit ann. MCCCXXXVI.
„ Hæc translatio in Catalogo MSS. Episcoporum Theatinorum recensetur, ipsum-

„ ipsumque Episcopum fuisse Theatinum ab anno MCCCXXI. & Ordinis Minorum Professorem ibidem pro comperto habetur; atque his concordant monumenta mihi ex Regio Archivo Neapolitano missa; quæ Caroli Ducis Calabriæ, Roberti Regis filii, & in Regno Vicarii Cancellarium appellant, Minoritam indicant & usque ad annum MCCCXXX. & ultra, sedisse recensent.

Item Aversan.

XII. Concessit hoc anno varias Indulgentias Pontifex Fratribus Cœnobii Weelsensis, oppidi in Germania, ad Trunam amnem, quod sub anno MCCLXXX. consecravit Weicardus, sive Bicardus Episcopus Pataviensis ex illo oppido oriundus, quodque ipse & Albero frater construxerunt in loco, quo prius erat sacellum quoddam a Sigmaro quarto Abbate Lambacen. circiter annum MLXXX erectum. Ex Indulgentiis concessis visitantibus sacellum sancti Ludovici Episcopi in Ecclesia Fratrum Minorum oppidi Civitellæ, Aprutinæ diœcesis in Regno Neapolitano, a fratre Guillelmo Minorita Episcopo Albensi hoc anno superstite constructum, constat ibidem præextitisse Minorum domicilium, cujus meminerunt Pisanus & Rodulphus sub Provincia Pennensi, sive sancti Bernardini, & Custodia Aprutina. Similiter ex commissione data Archiepiscopo Januen. Abbati Monasterii sancti Siri Januen. & Guardiano Fratrum Minorum de Zena, Albensis diœcesis, ut severe agerent contra quosdam piratas Saonenses, qui duas triremes Pisanas cœperant, & in eis Bindum de Senis Præpositum Colonien. & Notarium Pontificium captum, bonis omnibus despoliatum custodiæ manciparunt, apparet habuisse tunc Zenæ Fratres Conventum. Apud Pisanum & Rodulphum nulla est hujus loci memoria, nisi fortasse corrupte scripserint Ceva pro Zena in Provincia Januensi, & Custodia Albinganensi. Decisio etiam cujusdam controversiæ circa portionem canonicam excitatæ inter Rectorem Ecclesiæ sancti Michaelis de Peyra, municipio Latinorum e regione urbis Constantinopolitanæ, & Guardianum, ac Fratres ejusdem loci, probat eosdem tunc ibi cohabitasse. In Vicaria Orientis, & Custodia Constantinopolitana, a Pisano Pera, a Rodulpho Pira vocatur.

Conven. Weelsensis. Epist. 872. Metrop. Salisbur. Episc. Patavien. n. 52. Epist. 1689. Conv. Civitellæ. Epist. 481. Conv. Zenæ. Epist. 527. Conv. Peyræ.

XIII. Scripsit Pontifex Archiepiscopo Auxitano, ut diligenter perquireret, an vera essent, quæ Moniales Clarissæ urbis Lectorensis sibi suggesserant, videlicet cives & optimates Auxitanos desiderasse sui Instituti Monasterium extruere, & si ita erat, licentiam illud recipiendi, atque aliquas Sorores illuc transmittendi concederet. Quid in hac re factum, ignoro: neque enim aliunde Monasterii ibidem erecti occurrit memoria. Scripsit etiam Episcopo Valentino, ut licentiam daret executoribus testamenti Saurinæ ab Entensa, uxoris Rogerii de Lauria, Siciliæ & Aragoniæ Admirati, ædificandi in villa, nunc urbe, Setabi (vulgo Xativa) Monasterium Clarissarum. Ita factum, constructumque Monasterium, ac redditibus locupletatum extra muros. Sed cum cruentum exardesceret bellum inter Petrum Aragoniæ, atque item Petrum Castellæ Reges, diruto hoc Parthenone, ne hostium pateret incursibus, ad alium intra villæ mœnia constructum, translatæ sunt Moniales. Restaurata illic disciplina regularis per aliquot Sorores Monasterii sanctæ Trinitatis Valentini, anno MCCCCXCVII. floruitque præclaris Virginibus.

Monasteriũ Auxitanum. Epist. 1702. Gonza. in Prov. Valen. Mon. 1. Monaster. Valentinum.

XIV. Amplam fecit potestatem Pontifex hoc anno Elisendi de Moncada, tertiæ Jacobi II. Regis Aragonum conjugi, ut Monasterium Clarissarum ædificaret infra Terraconensem Provinciam, in loco solitario per III. M. P. ab hominum conversatione remoto, quem Minister Provinciæ Aragoniæ Fratrum Minorum idoneum judicaret: *Insignis devotionis*. Kalend. Februarii.

Epist. 803. Monasterium de Petralbis.

rii. Obtenta hac facultate, non diu hæsit quin manum operi admoverit, & in amœno loco extra civitatem Barcinonensem pulcherrimum & capacissimum pro sexaginta Clarissis, & duodecim Sacerdotibus, sex Minoritis, & totidem secularibus Monasterium ædificaverit, seu inchoaverit hoc ipso anno, sub invocatione sanctæ Mariæ de Petra Alba, uti Pontificia diplomata, sub anno sequenti a me in regesto producenda, testantur, licet Gonzaga a Petralbis cognominet, propter emptum ædis fundum a vulgari quodam viro, Pedralbas nuncupato. Ibidem præextitisse Ecclesiam parochialem sancti Vincentii de Sarriano, scribit Franciscus Diagus, sed ædificatum Monasterium, sub mortem Jacobi Regis anno MCCCXXVII. defuncti. Minus tamen hæc probabilia videntur, ut omittam quod de Parochia asserit, cum Regina decreverit, in loco ab hominum habitatione remoto Monasterium construere, neque novum Templum a præexistenti Sancto titulari, ut fieri solet, nuncupaverit: etenim quod præscribit constructionis tempus, nullatenus potest defendi. Vivente quippe Rege, imo & cooperante, opus brevi absolutum est, qua de causa in bullis Pontificiis citatis æque Rex ac Regina Monasterii fundator nuncupatur, & nos alias eidem structuram hanc attribuimus; diplomata etiam Pontificia non nisi anno sequenti data, jam constructum Monasterium, & Regem adhuc vixisse aperte enunciant. Ille non nisi ad anni finem, IV. Nonas Novembris obiit, deposito funere ad ædem Fratrum Minorum in eadem urbe Barcinonæ, ubi etiam sub id temporis sepultus ejus nepos Fridericus, cujus genetrix Theresia conjux Alphonsi Infantis, qui Jacobo fratri in regno successit, hujus nominis quartus, sepulta fuit in æde Minorum Cæsar-Augustana, paucis diebus ante soceri obitum, quippe quæ XXIII. Octobris diem clauserit extremum.

Gonza. in Prov. Cataloniæ Mon. 1.

Diagus de Comi-tib. Barcinonen. lib. 3. cap. 17.

Tom. 2. an. 1333. n. 36.

Zurit. lib. 6. An. [illegible] . 29. 75.

[illegible] us II. Rex A[illegible] [illegible] & Fri[illegible] [illegible] cus nepos sepulti ad Minores Barcinonæ. Theresia Princeps Valentiæ.

XV. Primæ disciplinæ regularis magistræ evocatæ sunt ex Cœnobio altero sanctæ Claræ ejusdem urbis, quod postea evasit Benedictinum. Hoc vero perpetuo sanctæ Claræ observavit Institutum, sub regula Urbani IV. & subfuit regimini Patrum Conventualium, usque ad annum MCCCCXCVI. quo, curante Francisco Ximenio Cardinale omnium religiosorum Ordinum in Hispania Generali reformatore, & postulantibus Catholicis Regibus Ferdinando ac Elisabetha, lapsa disciplina restituta fuit, adductis religiosissimis Sororibus ex provincia Bethica, commendato etiam regimine Fratribus regularis Observantiæ. Resplenduit locus hic plurima virginum sanctitate & nobilitate, Deo dicatis plerisque ex Regia stirpe Aragonum, & præcipuis Cataloniæ prosapiis. Ipsa etiam Regina fundatrix, post mariti obitum, hoc se reclusit loco, & pie vitam transegit, ubi demum sepulturam accepit. In claustro jacet religiosissima Soror Delphina, post viri mortem Christo desponsata, quæ tantopere in omni virtutum genere profecit, ut miraculis in vita & morte claruerit. Theresiam a Cardona Abbatissam morti proximam ex vena rupta oculari repente sanavit, & Angelam Cornetam nobilem adolescentulam, virtutibus micantem, Monasterio summe proficuam, animam agentem rogavit diuturniori vita donari, & semet ex hac vita pro illa evocari. Votis annuit Deus, concessa Angelæ salute, & Delphina ex hoc mundo translata. Corpus post annos quatuor exhumatum incorruptum, illæsumque inventum est.

Elisendis Regina Aragonum inter Clarissas. B. Delphina Clarissa.

XVI. Construxit pridem Monasterium Clarissarum, prope oppidum sancti Viti diœcesis Salisburgen. vir nobilis Conradus de Cunestam Marescalcus Ducatus Carinthiæ: scripsit itaque Pontifex ad Archiepiscopum hoc ipso anno, ut idoneas personas, quas ipse fundator nominaret illuc introduceret, & eisdem Abbatissam præficeret. Adjunxitque alia privilegia, quibus in gra-

Monasterium S. Viti Salisburg.

gratiam fundatoris Monasterium illud voluit insignitum: *In iis quæ animarum*, II. Nonas Septembris.

XVII. Nobili viro Petro de Via, Domino Calvineti, diœcesis sancti Flori dedit hoc anno Pontifex facultatem, ut in oppido suo de Granayraco, prope Petruciam Ruthenen. diœc. Monasterium Clarissarum construeret: *In iis quæ animarum*. XII. Kal. Julii. In oppido Imperiali Algoiæ prius nuncupato Kauffbeura conflagravit hoc anno, vel potius antecedenti, in die sanctæ Margaritæ Monasterium Clarissarum, quod Anna Virgo honestissima, & Canonicus quidam Augustanus ejus frater, Baronum illius oppidi filii, paulo antea construxerunt. Prima Abbatissa fuit ipsa Anna, cui dum non suppeterent facultates Cœnobium reædificandi, sub magnis loci & habitationis angustiis vixerunt Sorores, usque ad annum MCCCCLXXI. quo piorum liberalitate instauratum est totum domicilium ex lapide, una cum sancti Francisci sacello. Posuit primum Cœnobii lapidem in Vigilia sancti Benedicti vir nobilis Ulricus Schweichardus senior, qui jam XXXII. annis erat Cœnobioli Præfectus. Alterum in sacelli fundamentis posuit Andreas Roverus Theologiæ Doctor, & Ecclesiæ Kauffberen. Parochus, præsente Oppidi consule Conrado Heghel, Monasterii primiceria Anna Scherichina. Reformatum est Monasterium anno MCCCCLXXXVII. sub Tertia Regula sancti Francisci.

Monaster. Granayraci.

Monast. Algoiæ. Monum. MSS. Annales Suevici lib. 4. par. 3. c. 6.

XVIII. Cum plura bona legata a piis viris Monasterio Clarissarum Salamantino, & alia quæ justis titulis eisdem debebantur, Ministri Regii occupassent in Sororum præjudicium, scripsit Pontifex gravissimas litteras ad Alphonsum Castellæ & Legionis Regem, nt permitteret Sororibus pacifice possidere, quæ justis titulis repetebant: *Si ad examen*, VI. Kalend. Decembris. Ad preces Sanciæ Reginæ Siciliæ plura statuit Pontifex circa electionem aut depositionem Guardiani Monasterii Clarissarum Corporis Christi urbis Neapolitanæ, & circa alienationem, permutationemque bonorum ejusdem Cœnobii. Tria circa hæc diplomata damus in regesto.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. SUmmus Pontifex Decretalem: *Super Cathedram*, quæ est in Cle-
„ mentinis, in c. *Dudum innovata*, hoc anno observari jussit nova
„ data constitutione, cujus tenorem hic referre non gravabor.

Renovat Pontifex constitutionem.

JOANNES EPISCOPUS &c.

„ 1 F*Requentes immo innumerosæ quodammodo de diversis Mundi parti-*
„ *bus Venerabilium Fratrum nostrorum Episcoporum, aliorumque*
„ *superiorum Prælatorum, nec non dilectorum filiorum, Rectorum, Curato-*
„ *rum, & Parochialium Sacerdotum querelæ contra dictos Fratres Prædi-*
„ *catorum & Minorum Ordinum, nostrum & Sedis Apostolicæ excitarunt.*
„ *auditum, & clamorosis insinuationibus excitare & fatigare non cessant,*
„ *quod iidem Fratres decretalem:* Dudum *editam a fel. recordation. Boni-*
„ *facio PP. VIII. prædecessore nostro, quæ incipit:* Super Cathedram, *ac*
„ *per piæ memoriæ Clementem Papam V. prædecessorem nostrum in Viennensi*
„ *Concilio innovatam, temere observare non curant, sed ipsam transgredi non*
„ *timentes in ejusdem Sedis contemptum, animarum suarum periculum, &*
„ *eorumdem, & Ecclesiarum Parochialium gravamen.*
„ 2. *Intelleximus quoque, quod plerumque præfatis dictorum Prædica-*

In lib. 2. de Judiciis.

to-

„ *torum, & Minorum, necnon Eremitarum sancti Augustini, & Carmelitarum Ordinum Fratribus, in cujus Ordinis dictorum Eremitarum per sonis idem prædecessor Bonifacius constitutionem prædictam, in qua tantum de ipsis Prædicatorum & Minorum cavebatur Ordinibus, per omnia voluit integraliter & inconcusse servari: & ad quem prædictorum Carmelitarum Fratrum Ordinem, nos subsequenter constitutionem eamdem quoad omnia in eis contenta duximus extendendum, a prædictis Episcopis, Prælatis, Rectoribus, Curatis, & Sacerdotibus contra tenorem constitutionis prædictæ, graves injuriæ ac molestiæ in diversis partibus inferuntur. Nuper pro parte Venerabilis fratris nostri Archiepiscopi Burdigalen. & dilectorum filiorum capitulorum majoris Burdigalen. & aliarum Ecclesiarum, Prioratuum, Conventuum, Rectorum, Curatorum, Sacerdotum, & Vicariorum, Parochialium, ac Clerieorum tam Regularium, quam Secularium civitatis & diœcesis prædictarum nobis extitit intimatum, quod prædicti eorumdem Prædicatorum, Minorum, Eremitarum, & Carmelitarum Ordinum Fratres contra tenorem decretalis ejusdem, multa eisdem & eorum singulis gravamina, & injurias inferunt & jacturas.*

Quærelæ ob eisdem inobservantiam.

„ 3. *Quia igitur parum esset jura condere, nisi ea, qui tueretur, exiftat: Nos volentes de Fratrum nostrorum consilio decretalem prædictam:* Super Cathedram *irrefragabiliter observari, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo, aut unus vestrum per vos, seu alium vel alios, etiamsi sint extra loca, in quibus estis Conservatores, seu Judices deputati, tam eisdem Archiepiscopo, Capitulis, Prioribus, Conventibus, Rectoribus, Curatis, Sacerdotibus, Vicariis, ac Clero Civitatis, & Diœcesis prædictarum, & eorum cuilibet adversus prædictos, quam e converso eisdem Fratribus adversus Archiepiscopum, Capitula, Prælatos, Priores, Conventus, Rectores, Sacerdotes, Vicarios, ac Clerum, præfatos, & singulos eorumdem efficacibus defensionibus præsidio assistentes, ac facientes decretalem prædictam quoad omnia eius capitula, prout jacent, firmiter observari, non permittatis contra tenorem ipsius per memoratos Fratres dictorum Ordinum eisdem Archiepiscopis, Capitulis, Prælatis, Prioribus, Conventibus, Rectoribus, Curatis, Sacerdotibus, Vicariis, ac Clero, vel alicui seu aliquibus eorumdem, nec etiam prædictos Archiepiscopum, Capitula, Prælatos, Conventus, Rectores, Curatos, Sacerdotes, Vicarios, ac Clerum, seu aliquem vel aliquos ipsorum eisdem Fratribus gravamina, ac injurias irrogari. Facturi ipsis hinc inde de quibuscumque injuriis, molestationibus, gravaminibus, & damnis vicissim illatis hactenus, & etiam imposterum inferendis eisdem contra tenorem Constitutionis ejusdem, in illis videlicet, quæ judicialem requirunt indaginem, summarie, simpliciter & de plano, sine strepitu judicii & figura, in aliis vero prout qualitas ipsorum exigit, justitiæ complementum, Molestatores majores, & minores hujusmodi, necnon contradictores quoslibet, & rebelles quandocunque, & quotiescumque expedierit, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo.*

Mandat Conservatoribus &c. ut eam faciant observari.

„ 4. *Non obstantibus quibuscumque exemptionibus specialibus, vel generalibus, tam Fratribus, & Ordinibus prædictis, vel alicui seu aliquibus Fratrum, & Ordinum eorumdem, quam præfatis Archiepiscopo, Capitulis, Prælatis, Prioribus, Conventibus, Rectoribus, Curatis, Sacerdotibus, Vicariis ac Clero, seu ipsorum alicui vel aliquibus, communiter vel divisim, sub quacumque forma vel expressione verborum ab eadem Sede concessis, ac ejusdem Bonifacii, qua cavetur ne aliquis extra suam Civitatem vel Diœce-*

Derogat contrariis quibuscunque.

,, *Diœcesim, nisi in certis expressis casibus, & in illis ultra dietam unam a*
,, *fine suæ Diœcesis ad judicium evocetur. Seu ne Judices & Conservatores a*
,, *Sede deputati prædicta extra Civitatem, & Diœcesim, in quibus deputati*
,, *fuerint, contra quoscumque procedere, sive alii, vel aliis vices suos com-*
,, *mittere, aut aliquos ultra unam dietam a fine Diœcesis ejusdem trahere*
,, *præsumant: dummodo ultra duas dietas aliquis extra suam Civitatem aucto-*
,, *ritate præsentium non trahatur. Seu quod de manifestis injuriis, molestiis,*
,, *& aliis, quæ judicialem indaginem exigunt (pœnis in eos, si secus egerint,*
,, *& etiam id procurantes adjectis) Conservatores se nullatenus intromittant,*
,, *quam aliis quibuscumque constitutionibus a Romano Pontifice, tam de Ju-*
,, *dicibus delegatis & Conservatoribus, quam personis ultra certum nume-*
,, *rum per litteras Apostolicas ad Judicium non vocandis, aut aliis edictis,*
,, *quæ nostræ possent jurisdictioni ac potestati, ejusque exercitio libere quo-*
,, *modolibet obviare. Seu, si tam eisdem Fratribus vel eorum Ordini, aut*
,, *alicui seu aliquibus Fratrum, & Ordinum prædictorum, quam Archie-*
,, *piscopo, Capitulis, Prælatis, Prioribus, Conventibus, Rectoribus, Cu-*
,, *ratis, Sacerdotibus, Vicariis, ac Clero prædictis, vel aliquibus ipsorum,*
,, *seu quibusvis aliis communiter, vel divisim a præfata Sede sit indultum,*
,, *quod excommunicari, suspendi, vel interdici, seu extra vel ultra, circa*
,, *vel alio quocumque modo ad judicium vocari non possint, per litteras Apo-*
,, *stolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto*
,, *hujusmodi, & de eorum personis, locis, hominibus, Ordinibus, & no-*
,, *minibus propriis mentionem: & quibuscumque aliis indulgentiis seu privile-*
,, *giis dictæ Sedis generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant,*
,, *per quæ præsentibus non expressa vel totaliter non inserta nostræ constitu-*
,, *tionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri: & de quibus,*
,, *quorumque tenoribus de verbo ad verbum specialem oporteat in nostris litte-*
,, *ris fieri mentionem.*

Excommunicari ne possint quandoque aliquibus conceditur.

,, 5. *Cæterum Judicibus seu Conservatoribus quibuscumque, per litteras*
,, *Apostolicas sub quacumque alia quam præsenti verborum forma vel expres-*
,, *sione confectas, eisdem prædictorum, Minorum, Eremitarum, & Carme-*
,, *litarum Ordinum Fratribus, seu ipsis Ordinibus communiter vel divisim,*
,, *super damnis, & injuriis, & aliis quibuscumque rebus seu negotiis alias*
,, *deputatis, & subdelegatis eorum præsentibus & futuris auctoritate præ-*
,, *sentium districtius inhibemus, ne aliquem seu aliquos auctoritate litterarum*
,, *Papalium prætexta seu occasione quorumcumque damnorum vel injuriarum*
,, *seu gravaminum contra tenorem prædictæ Constitutionis:* Super Cathe-
,, dram *ipsis Fratribus seu eorum Ordinibus antedictis communiter, vel divi-*
,, *sim a quibuscumque personis illatorum hactenus, & etiam inferendorum*
,, *in posterum coram se alicubi deinceps ad judicium, vel alias quoquomodo vo-*
,, *care, seu in causam aliquatenus trahere præsumant. Inhibitionem hujus-*
,, *modi non solum ad futura, sed etiam ad quovis modo adhuc pendentia &*
,, *incœpta negotia volentes extendi: ac decernentes præsentes litteras & proces-*
,, *sus eorum auctoritate quacumque habitos, & habendos ad damna, grava-*
,, *mina, & injurias hujusmodi, contra tenorem prædictæ constitutionis illata*
,, *& inferenda (ut dictum est) deinceps aliquatenus non extendi, ac etiam*
,, *irritum & inane, si secus super præmissis per quoscumque scienter, vel igno-*
,, *ranter contigerit attentari: Vobis nihilominus injugentes, ut inhibitionem*
,, *nostram hujusmodi ad dictorum Judicum seu Conservatorum & Subdelega-*
,, *torum notitiam, de quibus vobis expedire videbitur, deducere procuretis.*
,, *Insuper volumus, & auctoritate Apostolica decernimus, quod quilibet ve-*
strum

,, *strum prosequi valeat articulum etiam per alium inchoatum, quamvis idem*
,, *inchoans nullo fuerit impedimento præpeditus canonico: quodque a data*
,, *præsentium sit vobis, & unicuique vestrum in præmissis omnibus & eorum*
,, *singulis cæptis & non cæptis, præsentibus & futuris & præteritis licitum*
,, *procedere, ac si prædicta omnia & singula coram vobis cæpta fuissent, &*
,, *jurisdictio vestra, & cujuslibet vestrum in prædictis omnibus & singulis,*
,, *per citationem vel modum alium legitimum perpetuata extitisset, constitu-*
,, *tione prædicta super Conservatoribus & aliis quomodolibet in contrarium*
,, *edita non obstante. Datum Avenione* x. *Kalend. Februarii, Pontif. nostri*
,, *an.* XI.

c. Gratam de off. deleg. Jurisdictio per citationem perpetuatur.

,, II. Ob igitur lites inter Clerum, & Fratres vertentes ex causis prædi-
,, cationis, confessionis, & sepulturæ; nec non ob inobservantiam consti-
,, tutionis: *Super Cathedram* secundum quam componi debebant, summus
,, Pontifex noviter hanc constitutionem edidit; ac interea fratrem Petrum
,, de *Roccaforte* acivit ad curiam: *Cum per &* xv. Kal. Maii; & duobus
,, post mensibus sibi nimis infensum Fratrem Michaelem de Cæsena Mini-
,, strum Generalem: *Cum dilecti &c.* VI. Idus Julii, cujus causa latius enar-
,, ratur ab Annalista. Non oblitus autem malorum, quæ Ecclesiæ infere-
,, bant ii, qui vulgo dicebantur *Fratricelli*, Nicolao de Offida bina ejus-
,, dem tenoris Brevia in ipsos exequenda transmisit: *Perducto &c.* nonis
,, Martii; & Joanni de Ancona, qui cum præfato Inquisitionis Officium in
,, eadem Marchiæ Provincia exercebat, respondit: *Litteris tuis &c.* III.
,, Idus Octobris; & generaliter ad eosdem ibidem scripsit: *Cum sicut &c.*
,, Per hæc vero tempora Subalpina Regio in Italia varios in Dynastas divi-
,, sa, iisdem invicem armis concertantibus, plurimum affligebatur, subeun-
,, tibus eamdem sortem quibusdam jurisdictionis Ecclesiasticæ castris. Rem
,, in annum sequentem referens Annalista, eamque explanans, nobis labo-
,, rem adimit. Commemorabimus nihilominus sedulitatem pontificiam paci
,, incumbentem; Guillelmo siquidem Albæ Pompeiæ ex Minoritis Episcopo,
,, locorum Ecclesiæ conservationem commendavit: *Fraternitati tuæ &c.*
,, Kal. Februarii; ac iterum per alias litteras: *Cum sicut &c.* x. Kal. Apri-
,, lis; interea vero eumdem & Astensem Episcopos pacis promotores voluit,
,, expeditis litteris: *Sua nobis &c.* x. Kal. Junii; & specialiter Albensi: *Ex*
,, *informatione &c.* XVIII. Kal. Julii; necnon Philippo de Sabaudia hoc
,, grave negotium commendavit: *Displicenter &c.* & etiam Petro de Ca-
,, danecto: *Fide digna &c.* Indulsit etiam libenter summus Pontifex aliqui-
,, bus ex nostris, qui his temporibus tempestatem Religioni plurimum in-
,, festam ægre dolenterque ferebant, ad Benedictinorum sacrum Ordinem
,, transitum, ut Guillelmo: *Dudum pro &c.* VIII. Kal. Martii, Conrado,
,, & Francisco, necnon Petro, ut indicatur a Petro de Alva & Astorga.
,, Ceterum nonnullis adhuc favoribus singulariter concessis, Fratres de Pera
,, à solutione quartæ funeralis exemit. Hujus occasione Wadingus arguit his
,, temporibus jam Fratres ibidem ædes habuisse, quas inhabitarent, locumque
,, vocat *Peyram* ex Vaticano regesto, ex Pisano, *Peram*, & Rodulpho *Piram*:
,, Sed Pera nomen ejus, vel Galata etiamnum est Græcis, & Latinis; Ve-
,, tus Januensium Colonia ex adverso Constantinopolis urbem Imperialem
,, habens, a qua maris angustissimo freto, seu verius portu divisa, a La-
,, tinis inhabitata proprium habet Antistitem, eamque incolunt Christiano-
,, rum Principum Nuntii. Porro Cœnobium, de quo hic habetur, sub titulo
,, sancti Francisci adhuc perseverat a Patribus Conventualibus inhabitatum,
,, & a Veneta Republica protectum. Tamdem Pontifex concessa quadam
gratia

Indicul. ex vatic. Litteræ Apostolicæ variæ. *Wad. ad an.* 1327.

Ex vatic.

Wad. ad ann. 1326. n. 11.

Litteræ Apostolicæ pro Monialibus.

„ gratia Monialibus S. Mariæ de Ripa: *Ad compescendos &c.* VIII. Kal. Maii. „ Monasterio Sanctæ Claræ Salmanticensi, ob quodam furtum, binis datis „ Brevibus ejusdem tenoris: *Licet cuilibet &c.* VI. Kal. Decembris, ad- „ stitit.

„ III. Interea in Provincia Boemiæ & Poloniæ fr. Martinus Minister, „ qui ab anno MCCCXVIII. quo adMinisteriatum assumptus, bis postea recle- „ ctus, laudabiliter suum prosequabatur officium, septimum celebravit „ capitulum Bitomii in Silesia, in festo sancti Patris Francisci, Vladislai Du- „ cis expensis. Porro Casimirus Biernaschi, qui a Joannis Furstenhnii manu- „ scriptis hæc excepit, hunc Vladislaum putat Locticum, jam hoc tempore „ in Poloniæ Regem cum Benedictione Joannis XXII. inauguratum, antea „ magnanimi Ducis nomine nuncupatum: hunc vero singularem favorem „ illis impendisse, ob insigne beneficium ab iisdem alias sibi collatum, cum „ in vitæ discrimine versaretur, anno MCCXC. Etenim Henricus dictus „ Probus per Henricum Legnicensem copiarum suarum Ducem, Vladis- „ laum Locticum Cracoviæ inter præsidia militum observantem prehendere „ vel trucidare studebat. Favebant Probo improbi cives, qui noctu urbis „ apertis portis, clam ejus arma introduxerunt: tarde Vladislaus præsen- „ tiens hostes præsto & intra muros adesse, pedes in Monasterium Francisca- „ norum profugit, a quibus (ut ait Miechovius) in habitu Monachali per mu- „ rum demissus, ægre manus hostium evasit: & ob id gratum Principem in „ conversa melioris fortunæ rota, Minoribus præfatum beneficium credibile „ est præstitisse; quibus & Conventum Radzioviensem fundavit, ut præ- „ diximus. Sed anno sequenti Monasterii Znoimæ immunitas ab oneribus „ concessa a Joanne Rege Boemiæ & Poloniæ rem obscurat.

Casim. Biern. ar. 20. n. 10.

Michd. l. 3. c. 63.

Sup. ad an. 1298 n. 3.

„ IV. Eodem anno MCCCXXVI. duo Fratres Minores Poloni, Lucas & „ Valentinus, ob prædicationem fidei Catholicæ, post dira suppliciorum ge- „ nera, a Barbaris in Livonia occisi sunt, sepulti ibidem in Civitate Cereth, „ XII. Februarii, miraculis clari, de quibus Stodislaus Bascus Custos Pos- „ naniensis in suis chronicis, & Martinus Baronius Jaroslaviensis in Cata- „ logo Sanctorum, quos citat Casimirus Biernaschi.

F. Luc. & F. Valent. MM.

„ V. Ferdinandus Gonsaluez Regis Lusitani Alphonsi IV. aulicus, & „ Dominus oppidorum Aguiar & Oriola, Eboræ fatis functus, ibidem in „ celebri Conventu S. P. Francisci intra mænia Civitatis, & juxta regia pala- „ tia sito, in honorifico sepulcro magnifice constructo conditus fuit, ad- „ dita sequenti inscriptione.

„ *Hic jacet eximius Ferdinandus Gonzalez Cogominco*,
„ *Quondam Dominus oppidorum Aguiar & Oriola*,
„ *Institutor majoratus Turris dos Coelheiros*, *Aulicus*
„ *REGIS ALPHONSI IV. &c.*
„ *Obiit anno* MCCCLXIV. *secundum æram Cæsaris*
„ *At a Nativitate Christi anno* MCCCXXVI.



ARGUMENTUM.

Galliæ Cisalpinæ pacificandæ amandatur Guillelmus Alben. Episcopus, ex Minoritis assumptus. Multa committuntur Inquisitoribus ejusdem Instituti. Michael Cæsenas Generalis Minister Italia Avenionem evocatur. Jubet Pontifex inquiri in Fratricellos. Moritur Sanctus Rochus, cujus vita & Institutum enarratur. Decedit Marquardus Weisinaler vir sanctus. Instituuntur Episcopi. Ædificantur Cœnobia.

Bellum undique in Gallia Cisalpina.

I. SUb multiplici, & periculoso bellorum incendio laborabat hoc tempore Italia, præsertim regiones Pedemontium, Montisferrati, Salutiarium, & universæ fere Galliæ Cisalpinæ, hostiliter & magna populorum strage inter se pugnantibus primum Roberto Rege Siciliæ & Philippo de Sabaudia, secundum Manfredo Marchione Salutiarum, & prædicto Philippo Sabaudo; tertium Theodoro Marchione Montisferrati & Civibus ac urbe Alexandriæ Statiellorum; quartum prædicto Marchione Salutiarum & Friderico Filio; quintum Roberto Rege & Manfredo, ac Guillelmo Fratribus, aliisque Marchionibus de Carreto; & demum cuneis prædonum ex Castro Siffredi Taurinen. diœc. & aliis locis vicinis erumpentibus, qui excitus viarum occupabant, & absque ullo discrimine sanguinem innocentem effundebant. Missus est a Pontifice pacificator & nuntius Fr. Guillelmus Alben. Episcopus, ex Minoritis, uti alias diximus assumptus, adhibitis sociis Episcopo Astensi, & Abbate Monasterii Burgi Sancti Dalmatii Asten. diœc. qui pacem firmarent, pactas inducias consolidarent, & in terminum producerent longiorem. Cum vero Astensis Episcopus nimia gravaretur senectute, & gravi premeretur infirmitate, commissa est universa cura Albensi, & traditæ in ejus ac Arnaldi de Rosseto Apostolicæ Sedis Nuntii potestatem ac custodiam arces Bennarum, sancti Albani aliorum que Castrorum Ecclesiæ Astensis, Pontificiis & statui pacifico illarum partium multipliciter opportunæ; qua ratione sedata tempestas & facta est tranqnilitas magna. Compendiosam hanc multiplicis & varii tumultus narrationem extraxi ex viginti quinque bullis Pontificiis ad eumdem Albensem missis, ut pro sua in rebus agendis dexteritate, Regem & Regulos pacificaret.

Ex secret. an. 11. fol. 41. & seqq. & anni 12. fol. 82. & seqq.
Mittitur pacificator Fr. Guillelm. Alben.
Tom. 6. an. 1321. n. 40.

Varia committuntur Inquisitoribus Minoritis.
Ibid. an. 11. ep. 42. & 60.
Ibid. fol. 68.
An. 1317. n. 13. & an. 1318. n. 14. & alibi

II. Varia etiam munera commisit Pontifex hoc anno Inquisitoribus Minoritis, fratri Joanni de Ancona, Servodei de Penna, & aliis ejusdem officii, ac Instituti viris in Marchia Anconitana, quatenus procederent contra Guidonem de Petra-mala, olim Episcopum Aretinum a suo gradu per eumdem Pontificem dejectum, de crimine hæresis vehementer suspectum, præcipuum Ludovici Bavari fautorem; & inchoatum contra eumdem processum juxta juris apices absolverent. Fratri Michaeli Monachi, de quo alias sæpius, in partibus Provinciæ Inquisitori, ut quos comprehendit, & suis detinebat carceribus, qui ex ergastulis Joannis de Prato Ord. Prædicatorum, in partibus Carcassonen. Inquisitoris, eidem sub fida custodia transmitteret. Fr. Guillelmo Astiæ in eadem Provincia Inquisitori, ut ad prædictum Joannem de Prato remitteret processum, quem contra hæreticum relapsum prius indicatum in partibus Carcassonen. firmaverat, ut eidem Joanni in illo suo districtu de fautoribus, & complicibus dicti hæretici apertius constaret. Fratri Bonajunctæ de Monticulo in partibus Venetiarum, ut bona apud eum reposita quæ ad cameram spectabant Apostolicam Bertrando Rotundi sanctæ Sedis Nuntio consignaret.

Guillel. Astiæ Inquisitor Provinciæ.
Indidem.

Bonajuncta de Monticulo Venetiis.
Ibid. an. 12. fol. 118.

III. Fr.

III. Fr. Franciſcus Damiani, quem fratrem Germanum diximus Beatæ Claræ à Montefalco, Inquiſitor in civitate Tudertina, ejuſque diſtrictu carceribus, Pontifice jubente, uti diximus anno ſuperiori, mancipavit Mutium Caniſtrarium de hæretica pravitate ſuſpectum. Irruit in eum populus, cujus furori per fugam oportuit ſe retrahere, evaſitque captivus tumultuantis gentis opera ex carceribus. De his exceſſibus graviſſimas ſcripſit Pontifex litteras ad poteſtatem & populum Tudertinum, quas ſimul cum aliis, in quibus maxime laudat, & in officio confirmat fratrem Guillelmum Aſtienſem, hic ſubnectimus. *Inſurgunt Tudertini adverſus Inquiſitorem. An. 1326. Ibidem.*

Dilectis filiis Poteſtati, Capitaneo, Conſilio, populo, & Communi Tudertino, Eccleſiæ Romanæ fidelibus.

IV. *EO gravius, filii, contra vos paternæ admirationis, & juſtæ cauſam invectionis habemus, eoque ſaucius offenſa noveritis intima cordis noſtri, quo inſanius exceſſiſſe dicimini contra Apoſtolicam ſanctam Romanam matrem Eccleſiam, pro qua tamquam fideles Chriſti, & Chriſtiani fidei pugiles contra ſuos certamine publico deberetis inſurgere offenſores. Nuper ſiquidem ad noſtri Apoſtolatus auditum fide digna, mira quam plurimum, licet infauſta & infeſta non minus, inſinuatione pervenit, quod pridem dilectus filius Franciſcus Damiani, de Ordine Fratrum Minorum Inquiſitor hæreticæ pravitatis informatus..... fidedigne per teſtes, quod in civitate Tudertina utique inter agri Dominici ſemina hæreſis peſtilens, velut radice peſtifera lolii pullulabat, declinavit ad civitatem ipſam habiturus de hoc per Inquiſitionis indaginem denunciationis propoſitæ veritatem. Cum autem prædictus Inquiſitor Mutium Caniſtrarium, Concivem veſtrum, de ipſa hæretica pravitate ſuſpectum, feciſſet ob hoc de peritorum conſilio carceri mancipari, ſubito contra Inquiſitorem ipſum, ut dicitur, adeo tumultum intrepidi populi ſuſcitaſtis, quod prædictus Inquiſitor videns ſibi mortis imminere diſpendium, ſe commiſit fugæ ſubſidio, idem vero captivus evaſit ab hujuſmodi carcere fugitivus. Unde, proh dolor! contigit tam ſalubre violari judicium in publicam & damnandam divinæ majeſtatis offenſam, contemptum Catholicæ fidei, noſtram & Apoſtolicæ Sedis, ac Eccleſiæ injuriam, divino & humano judicio execrandam. Numquid igitur, filii, ſi vera ſunt talia, quamvis non credamus illa faciliter, aliqua vos poteſtis exceptione, vel excuſatione tueri, quin ſi tantæ fueritis offenſionis actores, tam vulgaris infamiæ aſpergimini macula, & tamquam defenſores ejuſdem pravitatis hæreticæ, de ipſa redditis vos hæreſi ſuſpectos? Profecto niſi exiſtens de talibus in contrarium veritas vos excuſet, non ſunt apud vos iſta, quæ profitetur in terris Chriſtiana religio, profeſſio fidei orthodoxæ depoſcit, & ad capienda præ ceteris Eccleſiæ triumphantis excelſa continue prædicat militantis Eccleſiæ diſciplina. Quia vero quantumcumque forſitan tenebrarum ſpiritus vos ad devium erroris hujuſmodi perverſo calle ſeduxerit, nos more pii patris cupientes vobis hæreditariis, curiſque noſtris, ac ipſius Eccleſiæ ſubjectis, & filiis adeſſe propitii, voſque a periculis animarum, & corporum deſiderantes eripere, quibus vos tam improvide ob præmiſſa, tamque damnabiliter ſubmiſiſtis, Univerſitatem veſtram monemus præſentibus, & hortamur attente, vobis nihilominus tam Dominico, quam paterno conſilio ſuadentes, quatenus præmiſſis omnibus in conſideratione deductis, ſic de tantis pernicioſis exceſſibus Deo, nobis, & eidem Eccleſiæ congruam faciatis emendam, vobiſque in poſterum a ſimilibus caveatis, aſſiſtentes viriliter, & potenter,* *Ibid. ann. 11. ep. 119.*

ut debetis sicut viri Catholici, Inquisitori prædicto ad ejus officium in civitate prædicta, ejusque districtu secure & laudabiliter exercendum, quod emendationis condignæ suffragium vos purget a crimine, si quo in vestrum damnum, aliorumque perniciem videmini laborare. Circa quæ illud demum ex nunc vobis intimare providimus ex affectu, quod si hujusmodi monitionibus & exhortationibus nostris obedire respueritis, ex debito, quo urgemur pastoralis officii, vitare bono modo nequibimus, quin contra vos velut contra hæreticos, ac hæreticorum defensores, fautores ac receptatores eorum in quantum suadebit justitia, auctore Domino, procedamus. Datum Avenione Idibus Decembris anno XI.

Dilecto filio Guillelmo Astiæ Ordinis Fratrum Minorum Inquisitori hæreticæ pravitatis, in Venaysino, necnon Provinciæ, Forcalquerii Comitatibus & Civitate Avenionen. omnibusque terris & locis infra Arelaten. Aquen. Ebredunen. & Viennen. Provinciarum terminos constitutis auctoritate Apostolica deputato.

Ex lib. 2. an. 12. ep. 1686.

Confirmatur in officio Inquisitionis Fr. Guillelmus de Astia.

V. *IN Inquisitionis officio contra pestem pravitatis hæreticæ, ad quod fuisti auctoritate Apostolica deputatus, & ad hujusmodi opus Dominicum exercendum electus, per dilectum filium Ministrum Provincialem Ordinis Fratrum Minorum in administratione Provinciæ, de cujus administratione existis, in Venaysino, necnon in Provinciæ Forcalquerii Comitatibus & Civitate Avenionen. omnibusque terris & locis infra Arelaten. Aquen. Ebredunen. & Viennen. Provinciarum terminos constitutis, habentem super hoc a Sede Apostolica plenariam potestatem, ad Dei gloriam & augmentum fidei sic te laudabiliter gessisse percepimus, quod plurimum utile reputamus, ut eidem officio sollicitudinis, & diligentiæ tuæ partes in prænominatis Comitatibus, Civitate, Terris & locis, velut vir expertus, & providus debeas adhibere. Licet igitur, sicut accepimus, dilectus filius Michael Generalis Minister Ordinis Fratrum Minorum duxerit ordinandum, quod Inquisitores pravitatis ejusdem, qui forent auctoritate prædicta ex parte dicti Ordinis in provincia Provinciæ deputati, non dimmitterentur ultra quinquennium in Inquisitionis officio prælibato; Nos tamen fervorem tuæ devotionis & fidei, tuamque diligentiam ad dictum officium attendentes, dilecto filio Petro de Prato dicti Ordinis Minorum Generali Procuratori in Romana curia Ordinis memorati, mandavimus oraculo vivæ vocis, tempore Provincialis Capituli dicti Ordinis in dicta provincia Provinciæ apud Massiliam proxime celebrati, ut denunciaret ex parte nostra Ministro Provinciali, ac Definitoribus dicti capituli, ne tu amovereris ab eodem Inquisitionis officio, absque nostra licentia speciali, tuque ratione nostri mandati facti ante finem dicti quinquennii, ejusque auctoritate suffultus, post finitum dictum quinquennium præfatum exercuisti officium, sicut prius. Ut igitur eo tutius possis officium hujusmodi exercere, quo per nos fueris certiori auctoritate munitus, discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus non obstante lapsu dicti quinquennii, seu quavis ordinatione vel constitutione Generalis Ministri præfati, dictum officium exerceas, sicut prius, usque ad Sedis Apostolicæ beneplacitum voluntatis. Ac insuper quamvis dictis Generali vel Provinciali Ministris, aut eorum Vicariis in Provinciis, in quibus habent a Sede prædicta eligendi Inquisitorem vel Inquisitores labis hæreticæ potestatem, ipsos amovendi vel alium, vel alios loco ipsius, vel ipsorum substituendi sit ab*

ipsa

ipsa Sede data potestas; nos tamen in favorem Fidei pro eo, quod tuæ sollicitudinis studium ejusdem fidei negotio plurimum utile reputamus, amotionem & absolutionem tuam in dicto officio nobis & Sedi prædictæ tantummodo reservamus. Per hoc tamen non intendimus potestatem tuam extendere ad locum, vel loca aliqua ad quæ se non extenderet potestas per dictum Ministrum Provincialem, vel alium Prælatum, secundum formam privilegiorum Apostolicorum tibi concessa in officio prælibato. Datum Aven. VI. *Kalend. Novembris anno* XII.

VI. Michael Cæsenas Minister Generalis sub hoc tempore degebat in Italia, & maxime in Urbe locisque circumvicinis. Pontifici delatum fuit eumdem querulo sub murmure, & aliquando apertius invectum contra Decretalem: *Cum inter nonnullos*, & alias in controversia paupertatis ab eodem Pontifice conditas, necnon Imperatoriis in Joannis odium secreto favisse, & plura suggessisse. Scriptis litteris, ut ad se infra unius mensis spatium Avenionem veniret jussit Pontifex, proposita vel efficta specie & necessitate negotiorum ad Ordinem spectantium. Litteras direxit Angelo Episcopo Viterbiensi, suo in Urbe Vicario, ut per se, vel per alium easdem traderet Michaeli, & instrumentum publicum conficeret traditionis receptionisque earumdem. Ad exactam totius historiæ & tumultus subsecuti notitiam ipsum exscribo epistolium.

Aliqua objiciuntur Michaeli Cæsenati.

Vocatur Avenionem.

Michaeli Ministro Generali Ordinis Minorum.

VII. *Cum pro certis negotiis Ordinem tuum contingentibus tua sit nobis præsentia opportuna, discretioni tuæ in virtute sanctæ Obedientiæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus infra unius mensis spatium a die præsentationis præsentium computandum, te nostro conspectui studeas præsentare. Datum Avenione* VI. *Idus Junii anno* XI.

Ibid. an. 11. epist. 4.

VIII. Epistola hæc tradita fuit Michaeli Tybure ex infirmitate decumbenti: ne vero Pontificis spernere videretur præceptum, misso cursore significavit, per ægritudinem non licere præfixo tempore obedire; & paulo post, elabente mense Julio, misit fratrem Joannem Fedanzolem in provincia Romana Inquisitorem, & Humilem Bencauditum Custodem Perusinum, qui præsentes fidem facerent veri, haudquam ficti, impedimenti. Admisit Pontifex excusationem, uti per litteras VII. Idus Septembris significavit, & Michael recuperata valetudine, Kalend. Decembris Avenionem pervenit. Pontificis osculatus pedes die sequenti, benigne & curialiter exceptus est, jussus in crastinum in conspectum redire. Reversus causas excepit suæ vocationis, nimirum dissolutam in aliquibus provinciis disciplinam regularem, ob malum regimen Ministrorum, quibus ut mederetur, amplam accepit potestatem immediate per se, & extra comitia provincialia, Ministros ineptos destituendi, & aptos instituendi, præsertim in provinciis sancti Francisci & Aragoniæ. Subjunxit vero Pontifex, ne absque sua speciali licentia e curia recederet. Hoc secundum male habuit Michaelem, indignationem subodoratum Pontificis, sensum tamen compressit, & depositis e regimine illarum provinciarum ministris, instituit in Aragonensi Fr. N. . . . . in sancti Francisci, fratrem Petrum Pratensem Ordinis Procuratorem Generalem, provinciæ Etruriæ alumnum. Ita utrimque dissimulatum, & suspicaci occultum pectore quidquid vel adversi delatores, vel umbrosæ suggerebant

Ex morbo non potest statim venire.

Eo liberatus accessit.

Detinetur in curia.

bant rerum obſervationes, uſque ad menſem Aprilis anni ſequentis, in quo putridum livoris vulnus erupit, quod illo tempore opportunius referemus.

Bonifacius Perdicis mittitur ad Regem Cypri. Ibid. an. 12. fol. 156.

Jubetur Nicol. Regien. ut procedat contra Fraticellos. Ibid. an. 13. fol. 52.

IX. Erat hoc tempore Pontificis familiaris ſumme carus frater Bonifacius Perdicis, cui in Orientem transfretanti quædam commiſit negotia tractanda cum Hugone Rege Cyprio. Cum vero homuncionum illa colluvies ſub nomine Fraterculorum a Sede Apoſtolica non ſemel condemnata, e Sicilia in Calabriam latenter obreperet, Nicolao de Regio Miniſtro Provinciæ Calabriæ repetitis litteris auctoritatem conceſſit, ut malam ſobolem contereret, nec a perſequendo deſiſteret, donec omnem vel caperet, vel ab univerſa provincia eliminaret; & conditionem, ſtatum, atque occulta machinamenta eorum exploraret: nomina & cognomina præcipuorum inter eoſdem perquireret, fautores & receptores exciperet, & Pontifici ſingula renunciaret. Ut vero adjutorio eſſent, ſcripſit Roberto Regi Siciliæ, & univerſis nobilibus per Calabriam conſtitutis.

Moritur S. Rochus. Adſcribitur Tertio Ordini. Ribadeneira. Petrus de Vega in vitis Sanctorum. Sebaſtian. de Rincon in tabul. vir. Illuſtr. Miran. in expoſ. 3. reg. c. 32. Daza ad fin. 4. par. chron. Sillen. in monum. Tert. Ord. Ejus parentes. Facultates pauperibus diſtribuit.

X. Obiit hoc anno XVII. Kalend. Septembris beatus Rochus, variis portentis, & a lue curanda per orbem inſignis. Eum tertio ſancti Franciſci Inſtituto adſcribunt aliqui, ſed recentioris ætatis, ſcriptores. Antiquiores deſideraverim coaſſertores: neque tamen hi contradicunt, neque noſtri reſpuunt, quem alii ſponte offerunt; imo avide amplexantur. Utcumque ſit, ne meis invideam, quem alii tribuunt, & reverenter ſuſcipiunt, ſub compendio vitam exhibeo. Natus eſt in monte Peſſulano, Galliæ Narbonen. urbe anno MCCXCV. patre Joanne, matre Libera urbis Dominis, cruce rubea in pectore inſignitus. In tenera ætate corpus ſuum caſtigare, & in ſervitutem redigere cœpit, cibo & potu parciſſimo contentus. Parentibus orbatus anno ætatis XII. ſive verius XX. uti habet vitæ auctor apud Surium, pecuniam paternam, quæ ei venerat in hæreditatem, una cum facultatibus ampliſſimis in egenos & pauperes diſtribuit. Exhauſtis omnibus bonis, quæ moveri poterant, etiam Principatu ſe abdicans, patruo ſuo paterna oppida commendavit, & patria, amicis, ſanguineque junctis relictis, omnibuſque rebus ſeculi contemptis, vili indutus veſte, peregrini habitu ex Galliis in Italiam venit. Romam profecturus cum Aquulam oppidum vulgo Aquapendente apud Poliam amnem attigiſſet, Vincentio cuidam, qui peſte infectis in Xenodochio inſerviebat, ſocium ſe adjunxit, ac cum omnes laborantes epidimia ſolo ſigno crucis mirabiliter ſanaſſet, Cæſenam quoque lue peſtifera affectam incolumitati reſtituit. Romam profectus, eam ſuper ceteras Italiæ urbes contagione tabifica afflictam reperit, eodemque ſalutari ſigno plurimos liberavit.

Urbes liberat epidimia.

Cardinalis fronti crucem imprimit.

XI. Cardinali cuidam magnæ apud ſummum Pontificem auctoritatis, ut a contagio illæſum ſervaret, crucem in fronte impreſſit, quæ quidem divinitus adeo illi inhæſit, ut domo egreſſus, cum aliquibus eſſet ludibrio, illum rogaverit, ſibi eamdem eximeret. Rochus vero, neminem debere eſſe, qui non libenter Imperatoris ſui inſignia ferat, reſpondit, atque tum exemplo divorum Andreæ & Franciſci, tum Salvatoris monitu dicentis: *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me*, in ferendo eo ſigno majorem in modum confirmavit. Roma a truci peſtilentia liberata, Placentiam contendit, omneſque in Noſocomio periclitantes, non niſi cruce impreſſa, a periculo mortis exemit. Ibi cum alios manibus contrectaret, ſæviſſimo ulcere in ſiniſtra coxa percuſſus, & febre inſuper ardentiſſima aduſtus, eos dolores ingenti patientia ſuſtinuit.

Lucæ 9. 23.

Peſte corripitur. Canes ei panem afferunt.

XII. E Xenodochio diſcedens, cum ad Gothardi Palaſtrelli, civis Placentini nobiliſſimi, & ditiſſimi, tunc ruri demorantis, & venationibus ope-

operam dantis, ædes accessisset, & eleemosynam postulans nequidquam impetrasset, nondum plene confirmata valetudine in proximam silvam se contulit, atque humi decubuit. Observatum est canes venaticos Gothardi, frusta panis Rocho decumbenti solitos adferre, eumque in modum famelicum recreare, adeo ut Gothardus vehementer commotus, & dolens quod feræ hominibus humaniores essent, ad Rochi tugurium accesserit, immanitateque propria accusata, omnibus relictis, discipulum Rocho sese adjunxerit, & ad summam perfectionem ab ejus disciplina evaserit.

A patruo incarceratur.

XIII. In Galliam Rochus revertens, cum ad montem Pessulanum accessisset, ab hominibus incognitus, & ab apparitoribus velut explorator, comprehensus, patruo etiam qui urbem regebat, ignotus, in carceribus toto quinquennio squalorem & pædorem invicta constantia toleravit. Cum exitum vitæ sibi imminere intelligeret, sacramenta Ecclesiæ ingenti cum devotione recepit, Deumque obnixe rogavit, ut pro benignitate sua in mortales, quoscumque peste correptos liberare dignaretur. Corpus ex tabella in qua nomen suum descripserat, patruus recognovit, & non sine lacrymis maximo cum honore sepelivit, addita inscriptione hujusmodi: *Peste laborantes ad Rochi patrocinium confugientes, contagionem atrocissimam evasuros significo.* Statim a morte miraculis ingentibus perpetratis, sanctitatem vitæ illustravit.

Moriens rogat pro pestilentibus.

Constantiam peste liberat.

XIV. Dum ad Constantiam Germaniæ urbem Concilium generale pro tollendo Schismate trium, qui ita se appellabant, Pontificum, & condemnandis erroribus Wicleffi & Hussitarum, celebraretur, sævissima grassabatur lues, pro qua tollenda quidam suasit, ut jejunium & publicas supplicationes, sub Rochi vexillo, signoque indicerent. Quod dum Patres magna fecerunt solemnitate XV. Kal Julii anno MCCCCXIV. brevi pestis omnis evanuit, & deinceps Vir sanctus majori coli cœpit veneratione. Mira sane res est, quod tot Templa, sacella, oratoria, altaria ubique huic viro, nequaquam solemni Ecclesiæ approbatione inter Sanctos relato, erecta sint, & natalitii dies ubique habeatur festivus, neque quidquam desit honoris, qui sanctis solemniter canonizatis exhibetur, quam quod tabulis adscribatur Romanis, & Ecclesiastico celebretur officio. Nuper a purpuratis Patribus sacrorum Rituum, Urbano VIII. approbante, concessum, ut in omnibus Ecclesiis & sacellis eidem sacris officium recitetur & Missa. Corpus anno MCCCCLXXXV. furtim Venetias translatum, magna colitur veneratione. De eo scripserunt Petrus Ludovicus Maldura apud Surium, Petrus a Natalibus, Philippus Ferrarius, Antonius Daza, Petrus Ribadeneira, & plerique alii.

Solemnis ejus veneratio.

Corpus delatum Venetias. Quinam de eo scripserunt.

XV. Obiit hoc anno Monachii in Bavaria frater Marquardus Weismaler laicus sive conversus, vir miræ patientiæ & devotionis, quas in diuturna infirmitate confractus, & contractus membris exhibuit: post mortem multis miraculis claruit, atque inter hæc puellam cœcam illuminavit, tres contractos sanavit, cujusdam aurifabri filiam ad sepulcrum ejus orantem, dum ibi versaretur beatus Joannes a Capistrano, & alium a calculi dolore sanavit. Sepultus prope altare sancti Georgii exhumatus est anno MDV. post obitum CLXXVIII. & honorifico conditus sepulcro in profesto sancti Felicis Papæ & Martyris. „ Cippo illius, seu saxo jam rupto hoc Epitaphium fuit „ inscriptum.

Moritur B. Marquardus miraculis clarus.

Chronic. MSS. Saxon.
Gonza. in Prov. Argent. Conv. 1.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

„ *Condita Marquardi penes hoc altare Beati*
„ *Ossa peregerunt mira favente Deo.*

Ex

Anno Christi 1327.	Joannis XXII. anno 11. & 12.	Ludovici IV. Imp. anno 13. & 14.	Religionis Minorum anno 120.

„ *Ex utero cæcæ lux reddita clara puellæ est.*
„ *Sæpius infirmis hic quoque parta salus.*
„ *Qui patiens, humilis, contentus vixit, & æger:*
„ *Post sua Marquardus funera tanta potest.*

Ann. 1323. n. 43.

Episcopus Tergestinus Fr. Guillelmus.

XVI. Translatus est hoc anno ab Ecclesia Sagonensi, ad quam diximus alias assumptum, frater Guillelmus Minorita, ad Tergestinam, ad oram maritimam Carrorum, sub Patriarcha Aquilejensi, per obitum Rodulphi: *Romani Pontificis* VII. *Kal. Octobris*. Ecclesiæ Cumanæ, sub Archiepiscopo Mediolanensi, per mortem Leonis Episcopi, „ ex Ordine Minorum as- „ sumpti. „ Institutus est administrator in temporalibus & spiritualibus frater Lucas de Castello, qui postea institutus est Episcopus Laudensis: *Dudum de statu Ecclesiæ Cumanæ* VIII. *Kal. Junii*. Ad Ecclesiam Vencienscm Nerusiorum in Alpibus maritimis, sub Archiepiscopo Ebredunensi, a Vigintimiliensi translatus frater Raymundus, per translationem Fulconis ad Tolonen.: *Angit nos cura propensior*. VIII. Idus Septembris. Claudius Roberti neutrum in suis catalogis recenset. Nucerinæ Ecclesiæ in Umbria, Pontifici Romano immediate subjectæ, per obitum Joannis datus est Episcopus frater Alexander Venciolus, ex nobili prosapia Perusina, Pontificis Pœnitentiarius: *Ad exequendum Pastoralis officii*. XV. Kalend. Decembris. Consuluit hic Bartholum de Saxoferrato circa quædam gravamina, aut mulctas imposita Nucerinis, per Rectorem Ducatus Spoletani, doctumque accepit responsum, quod videre est in consilio CII. apud eumdem Doctorem. Fuit Vir sanctus, ejusque meritis, & intercessione sancti Raynaldi in eadem Ecclesia prædecessoris, liberavit Nuceriam a sævissima pestis contagione, deinde municipium Saxiferrati, in cujus beneficii memoriam accolæ, ex Communitatis constituto, Minoritis sex libras ceræ in mense Maii quotannis appendunt. Sepultus est in choro Fratrum Minorum Saxiferrati, imposita tumulo ejus imagine circumdata radiis & signis sancti Viri, multisque miraculis ab eo patratis. Ejus reliquiæ statutis diebus exponuntur populorum venerationi Nuceriæ in Ecclesia Cathedrali, aliisque in locis prædictæ & Spoletanæ diœcesis.

ADDITIO Patris Lucæ Waddingi. Administrator Cuman. Fr. Lucas. *Vide ann. 1343.*

Episcopus Vencien. frater Raymundus.

Nucerinus frater Alexander.

Claret miraculis.

XVII. Ad preces Caroli Ducis Calabriæ, primogeniti Roberti Regis Siciliæ, & Joannis Cardinalis sancti Theodori Apostolicæ Sedis Legati in Tuscia, concessit facultatem Pontifex, ut Minoribus extrueretur domicilium in Territorio Castri Montis Varchii Fesulanæ diœcesis, impensis ipsius Communitatis: *Tua & dilecti filii*. VIII. Idus Junii. Hujus loci meminerunt Pisanus & Rodulphus in provincia Florentina & custodia Aretina. In Tribuna apparent insignia Riscafulcæ nobilis matronæ Florentinæ. Guardiano & Fratribus Conventus de Casinis Aquensis diœcesis, potestatem dedit locum seu domicilium suum, haud ita opportunum, dimittendi, vel infra ipsum castrum aliud construendi: *Ad ea quæ vestra* XII. Kal. Maii. Xantoni, Regiæ urbis ad fluvium Carentonam, ante hoc tempus Conventum fuisse Minorum probant Pontificis litteræ, datæ ad Guardianum Fratrum Minorum Xantonen. quibus ei committit auctoritatem prorogandi tempus, quod sibi ex voto præscripsit vir nobilis Pandulphus, Comes Angi, ut visitaret limina sancti Jacobi Compostellæ. Olim habitabant Fratres in suburbiis Vivianis, sed inde expulsi sunt hoc posteriori seculo, occiso & pugionibus confosso fratre Francisco Mirambeau a quatuor quaternionibus militum, qui in medio constitutum feraliter dilaniarunt. Extructum etiam hoc anno Conventum Lippensem in Hungaria a Serenissima Regina Elisabetha, in honorem san-

Conven. Montis Varchi.

Conv. de Casinis.

Conven. Xantonen.

Lib. 3. ann. 11. epist. 2055.

Conv. in Provin. Turonen. Conv. 31.

Frat. Franciscus Mirambeau occisus ab hæreticis.

Conv. Lippen.

ſancti Ludovici Toloſani Epiſcopi, ſui conſanguinei, ait Gonzaga: ſed a Carolo Rege Eliſabethæ viro ſancti Ludovici nepote ædificatum Regio ſumptu, ut domeſticorum numinum patrocinia ſibi conciliaret, ſcribit Bonfinius. Verius utrique conjugi adſcribendum hoc opus, ſed maxime Eliſabethæ uti inferius repetemus. *Gonza. in Prov. Hungar. S. Mariæ Conv. 17. Bonfin. decade. 2. lib. 9. ad ann. 1320. Ann. 1349.*

XVIII. Clariſſis Monaſterii de Amiliano, Villa Ruthenen. diœceſ. licentiam dedit Pontifex ex primo loco, in quo habitabant, ſubjecto frequenti inundationi fluvii adlabentis, transferendi ſe ad Cœnobium Fratrum de Sacco, ſive de Pœnitentia Jeſu Chriſti, multis annis deſertum: *Quia perſonas religioſas*. Kalend. Maii. Epiſcopo Cabilonenſi ſcripſit, ut nobili Mulieri Margaritæ, Dominæ de ſancta Cruce Lugdunen. diœceſis, permitteret in urbe Cabilonenſi, ad Templum ſanctæ Mariæ Monaſterium ædificare Clariſſarum, & Abbatiſſam ibidem conſtitueret perſonam idoneam, quam ipſa fundatrix duceret nominandam: *Piis deſideriis*. x. Kalend. Aprilis. Archiepiſcopo Acheruntino, ut permitteret Monaſterium Clariſſarum, ſub Regula Innocentii IV. a nobili muliere Aquilina de Monte-colicola in ſuo caſtro Gentiani ædificatum, gaudere omnibus exemptionibus & privilegiis, quibus aliæ ædes Clariſſarum perfruuntur: *Piis deſideriis*. xviii. Kal. Maii. Præextitiſſe etiam Monaſteria Ciſtaricenſe & Nemanſenſ. plura hoc anno conceſſa probant privilegia. (Monaſter. Amiliani. — Monaſt. Cabilonen. — Monaſt. Gentiani. — Monaſt. Ciſtaricen. — Monaſt. Nemanſenſ.)

XIX. Inſinuavi alias, ſanctiſſimam Luſitaniæ Reginam Eliſabetham, nuper inter celites relatam, prope Monaſterium ſanctæ Claræ a ſe conſtructum, Xenodochium conſtituiſſe pauperibus alendis & curandis. Hoc anno operis inchoandi licentiam a Pontifice obtinuit, cujus diploma in gratiam optimæ Reginæ, & debitam operis commendationem, hic ſubnecto. (*Ann. 1325. n. 13.* S. Eliſabetha Luſitana pauperum extruit Xenodochium.)

Cariſſimæ in Chriſto filiæ Eliſabethæ Reginæ Portugalliæ Illuſtri.

XX. *Ferventis devotionis affectus, & fidei puritas, quibus erga Deum & Romanam Eccleſiam ſplendere dignoſceris, nos inducunt ut illa tibi favore benevolo concedamus, per quæ ſicut pie deſideras, ſalutem animæ, Deo propitio, conſequi merearis. Sane petitio tua nobis exbibita continebat, quod tu olim cupiens terrena in cæleſtia, & tranſitoria in æterna felici commercio commutare, ad bonorem beatæ Claræ Virginis quoddam Monaſterium Monialium Ordinis ejuſdem Sanctæ, prope civitatem Colimbrien. conſtrui fecisti, & de bonis propriis ample dotaſti, illudque per magnum & latum ſpatium muro vallaſti, atque infra murum & vallum bujuſmodi domos, in quibus tu cum tua familia valeas commorari, ædificari mandaſti; quodque nibilominus tu quoddam boſpitale pro alimentandis pauperibus, juxta domos bujuſmodi conſtruere, & propriis facultatibus dotare intendis. Quare nobis bumiliter ſupplicaſti, ut tibi conſtruendi boſpitale prædictum in dicto loco licentiam largiremur. Nos itaque bujuſmodi tuum laudabile propoſitum in Domino commendantes, ac volentes quantum cum Deo poſſumus, votis tuis annuere, in bac parte tuis ſupplicationibus inclinati, ut prædictum boſpitale, & juxta illud cappellam, in qua altaria ad bonorem beatæ Claræ, & Eliſabethæ erigantur, ac unus vel duo perpetui Cappellani inſtituantur, ibidem Domino ſerrituri, per te & ſucceſſores tuos loci Diœceſano in poſterum præſentandi, qui poſſint pauperibus dicti boſpitalis, & familiaribus ſuis ſacramenta Eccleſiaſtica miniſtrare, conſtruere valeas, dote ſufficienti pro præmiſſis omnibus eiſdem boſpitali & capellæ, juxta ejuſdem Diœceſani arbitrium per te primitus aſſignata, devotioni tuæ, tenore præſentium, indulgemus.* (*Ex lib. 2. an. 12. epiſt. 1700.*)

mus. Volentes insuper, & auctoritate Apostolica nihilominus concedentes, quod idem Diœcesanus in loco opportuno cœmeterium benedicere possit, in quo præfati hospitalis pauperes, & familiares tui prædicti, cum eos pro tempore mori contigerit, valeant sepeliri: Jure parochialis Ecclesiæ, & cujuslibet alterius in omnibus semper salvo. Nulli ergo &c. nostræ concessionis & voluntatis &c. Datum Avenione VI. *Kal. Novembris anno* XII.

Varia indulta. XXI. Clarissas omnes regni Poloniæ absolvit Pontifex a præstandis decimis sexennalibus, per Clementem V. pro subsidio Terræ sanctæ impositis: *Ex gravi conquestione*. III. Nonas Aprilis. Barcinonensibus Monasterii Petræ Albæ omnia privilegia, exemptiones, & immunitates aliis Monasteriis ejusdem Ordinis concessa, voluit communia, atque alia indulsit: *Religionis observantia*. XV. Kal. Novembris. Visitantibus in ipsis natalitiis sacellum sancti Ludovici in eadem Barcinonis urbe ad Ecclesiam Minorum, a Joanne Archiepiscopo Toletano, Jacobi II. Regis Aragonum tertio genito, ejusdem sancti Confessoris nepote constructum, indulgentias elargitus est: *Perennis vitæ* II. Kal. Septembris. Processum perperam factum contra Prædicatores & Minores Burdigalen. & censuras in eosdem injuste latas, per Officialem ejusdem diœcesis, irrita & nullius roboris declaravit: *Illa fine cavillosæ difficultatis*. X. Kal. Februarii,

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. Procellarum tempus Ecclesiæ, Religioni, & Imperio imminet: „ Altissimi nihilominus misericordia salvabit sperantes in se. Flo„ rentini vocato Carolo Regis Roberti Filio, ad certum, finitumque „ tempus propriæ urbis regimen, ut dissensiones civiles restinguerent, „ committebant, quando & simul Joannem Cardinalem Ursinum Pontificis „ Legatum admittebant: magna pompa, atque solemnitate, exceptis his „ duobus Principibus, qui partes Imperatoris sequebantur, sibi sinistra in„ stare suspicantes, in diesque semper magis timentes, Galeatii Vicecomi„ tis auctoritate freti, Ludovicum in Italiam advocarunt, eodem ferme „ tempore, quo Romani ægre ferentes absentiam Pontificis ad Urbem ap„ pellabant: hac de causa acitus Imperator Tridentum se contulit, ibique „ convocatis pluribus Italiæ Proceribus, cum iisdem Mediolanum adiit, „ ubi corona ferrea de more donatus est, licet anathematis fulmine a Pon„ tifice dejectus. Primus quem pœnituit adventus Ludovici, Galeatius „ fuit, qui quod negaret illi excessivam quamdam pecuniæ summam, car„ ceribus mancipatus Principatu spoliatus est: hinc Italia ferme tota dira„ rum scopus, bellorum ubique ignibus exardescebat, nec erat immunis „ ab illis postrema ejusdem pars, Gallia Cisalpina, ut diligenter ostendit „ Waddingus, cui specialiter Provinciæ pacem afferre studebat Pontifex, „ commisso tanto negotio inter alios fratri Guillelmo ex Minoritis Albensi „ Episcopo, pro quo etiam initio hujus anni de treuga servanda scripsit: „ *Intensis &c.* Idibus Januarii: ac iterum II. Kalend. Novembris circa Ca„ strum de Pacenisio: *Ex parte &c.* Interea Cæsenas Ordinis Minister „ Generalis in Italia degens, maxime in Urbe, locisque circumvicinis, „ Pontifici delatus fuit, ut maledicentiæ vitio laborans, & suæ decretalis: „ *Cum inter nonnullos &c.* & aliarum, quas in materia paupertatis edide„ rat, censor non tantum, sed & irrisor impudens, ac etiam Imperatoria„ rum partium fautor: quamobrem Pontifex Bertrando Episcopo Ostiensi, ut

Litteræ Apostolicæ pro pace ad quosdam Minoritas.

Indic. ex Vatic.

„ ut contra detractores Apostolicæ Sedis procederet, per suum breve: *Ex*
„ *injunctæ &c.* Nonis Martii commisit, & ut nostris Minoritis litterarum
„ Apostolicarum observantiam per aliud: *Tua insinuatione &c.* 11. Idus
„ Martii expeditum, injungeret. Inter tot turbines nihilominus indulgen-
„ tiæ paternæ haud oblitus, fratri Bonifacio concessit, ut Terram sanctam
„ visitare posset: *Cum tu zelo &c.* eumque Cyprio Regi commendavit:
„ *Dilectum filium &c.....* sicut etiam Ministro Provinciæ ejusdem Terræ:
„ *Sperantes quod &c.* v. Idus Augusti.

„ II. Cœnobium Badejocii, Lusitanis *Beja*, ad Anam fluvium in tra-
„ ctu Extremaduræ sancto Patri Francisco nuncupatum, ante hunc annum
„ extructum fuisse vetusta monumenta probare videntur: in archivo enim *Monum. MSS. Prov. Alg.*
„ illius membrana quædam refert pactum initum concorditer inter fratrem
„ Dominicum Galæcum illius Cœnobii Guardianum, & Magistrum Marti-
„ num Rectorem sancti Jacobi, nec non Matthæum Simeonem Episcopi
„ Vicarium, quo inter se concordarunt de concionibus & funeralibus, re-
„ ciproceque invicem se obstrinxerunt suffragia ferre, ita scilicet ut Clerici
„ Fratribus, & hi illis cum occasio postularet, subvenirent, sicque in amo-
„ re fraternitatis, ut religiosos decet, concorditer viverent: ea vero scri-
„ ptura est de anno MCCCXXVII. quamobrem ante illud temporis excita-
„ tum fuisse Cœnobium apparet, cujus fundationis initia monumenta re-
„ censentes, ita narrant. Lopetius Estevens Primicerius Justitiæ civitatis,
„ Didacus Fernandus Estevens, & Vasquius Martinus Estevens, Consi-
„ liarii Civitatis & Senatores, cum maxime cuperent ad populi ædificatio-
„ nem & spiritualium beneficiorum usuram, Conventum Fratrum Minorum
„ apud se habere, cum iis acitis, de non admittendis in posterum aliis Re-
„ ligiosis Mendicantibus pactum iniere, cujus pacti originale in archivo
„ civitatis, & ejus transumptum authenticum apud Fratres servari fertur:
„ hoc igitur pacto inito, a præfatis Dominis in eam civitatem Fratres Mi-
„ nores introducti fuere, qui a Dionysio VI. Rege pro sibi excitandis de *Dionysius VI. Rex locum præbet pro Cœnobio.*
„ more ædibus, fundum sive aream, juxta muros civitatis obtinuerunt, ibi-
„ que piorum eleemosynis eas construxerunt: sed Ecclesiam propriis sum-
„ ptibus ædificasse eumdem Regem constans fama, atque traditio refert; *Wadd. ad ann. 1390. n.4.*
„ quam sphera, stemmatis Regni pars in limine fixa perennare videtur; sa-
„ cellum etiam regium sancto Ludovico Episcopo Tolosano dicatum, quod *Sacellum S. Ludovic. Episcop.*
„ quidem primum omnium in universa Hispania fuit, idem præfatus Rex
„ Ecclesiæ addidit in gratiarum actionem, quod ope illius Sancti inter ve-
„ nandum a quadam truci fera sibi imminenti extemplo apparentis, liberatus
„ fuisset, ut Ordinis Chronica narrat: cum autem Alphonsus IV. ex Bea-
„ trice Dionysii filius, patri in regno successerit anno MCCCXXV. reliquum
„ est, eum Conventum & Ecclesiam sua initia habuisse ante ann. MCCCXXIV.
„ Non enim sacræ ædes unius diei sunt opus. Waddingus memoriam hujus
„ Cœnobii rejiciens in annum MCCCXCVIII. refert intra muros prope por-
„ tam Xeresii, vulgo nuncupatam sanctæ Marinæ, constructum fuisse, in-
„ certo tempore & auctore. Ceterum pactum illud de non admittendis in
„ posterum aliis regularibus Mendicantibus, non diu firmum perstitit, cum
„ in ea urbe Fratres de Monte Carmelo, nostri reformati Provinciæ Pie-
„ tatis, ac tamdem Patres Societatis Jesu locum habeant. In præfato vero
„ Conventu Pater frater Antonius Pereira Definitor, & Guardianus mul- *Fr. Anton. Pereira floret.*
„ toties singulari virtutum exemplo, atque suæ regulæ exacta observantia
„ commendabilis floruit: quam Minoriticam paupertatem coluerit, unica
„ tantum veste diebus suis usum fuisse ostendit: obiit octogenarius, & post

Notabilia de illius mortificatione.

Monum. MSS. præfat. Provinc. Alg.

„ obitum ejus cadaver ciliciis coopertum, ad utrasque mammillas bino
„ mammillari ferreo & clauso dire perforatum, mortificationi sensuum
„ corporis quam vivens studuisset, omnibus patefecit: sed quod egregie in
„ admirationem circumstantes attraxit, est, dum spiritum redderet Crea-
„ tori, in ejus manibus & pedibus pulcherrimas, ac rubicundas veluti ver-
„ nantes rosas, Jesu Christi plagas referentes, apparuisse: id enim intuen-
„ tes spiritus non valentes cohibere æstum, eum coram Deo Sanctum pro-
„ clamarunt; qua fama tumulo datus ab omnibus communiter veneratur.
„ III. Monasterio Monialium sanctæ Claræ in Znoima Moraviæ urbe,
„ diœcesis Olomucensis privilegia & concessiones, pluries a Boemiæ Regi-
„ bus confirmatas, hoc pariter anno Joannes Boemiæ & Poloniæ Rex de-
„ nuo ex sua speciali devotione concessit, expedito diplomate regali teno-
„ ris, qui sequitur.

Nos Joannes Dei gratia Boemiæ, & Poloniæ Rex, ac Lucerburgen. Comes.

Privilegia Clarissarum a Joanne Boemiæ Rege.

Ex transumpto auth.

„ *NOtum facimus universis præsentes litteras inspecturis, quod ob spe-*
„ *cialis devotionis affectum, quem ad Monasterium sanctæ Claræ in*
„ *civitate Znoyma situm, & devotam nobis Abbatissam, & Conventum San-*
„ *ctimonialium ejusdem sanctæ Claræ Ordinis, Deo creatori suo inibi jugiter*
„ *famulantium, habuimus & habemus, ac ob nostræ & Progenitorum nostro-*
„ *rum animarum salutem, ipsas, cum omnibus bonis, & hominibus ad*
„ *ipsum Monasterium, nunc vel in futurum spectantibus ab omnibus subsi-*
„ *diis, collectis, contributionibus, & quarumcumque dationum solutioni-*
„ *bus, quas ipsas ex quacumque occasione nobis, vel nostris subditis quibus-*
„ *cumque dare, vel solvere deinceps contigerit, generali collecta vel steura,*
„ *quæ* Berna *dicitur, dumtaxat excepta, de benignitate regia duximus per-*
„ *petuo liberandum: volentes & mandantes firmiter & expresse, ut nulli*
„ *omnino hominum cujuscumque præeminentiæ, status, aut conditionis exi-*
„ *stat, prædictam libertatis nostræ gratiam sæpe fato Monasterio de certa*
„ *nostra scientia factam, ullo unquam tempore violare præsumat, nec a bonis*
„ *ejusdem & hominibus, subsidia, collectas, vel contributiones aliquas,*
„ *cujuscumque juris, consuetudinis, aut facti prætextu exigere, vel recipere*
„ *deinceps aliquo modo audeat, vel præsumat, sola Berna ut præmittitur,*
„ *dumtaxat exclusa. In cujus rei testimonium & robur præsentes litteras*
„ *fieri & sigillo nostro majori jussimus communiri. Datum Znoimæ anno Do-*
„ *mini* MCCCXXVII. X. *Kal. Maii.*

Ad annum 1299. n. 6.

Joanna de Avaugour sepelitur cũ habitu Clarissarum.

Monum. MSS. Prov. Turon. majo.

„ IV. Illustrissima Domina Joanna de Avaugour, Illustrissimi Princi-
„ pis Guidonis Britanniæ Ducis uxor, Ordini Seraphico maxime devota,
„ etiam moriens, habitu Clarissarum monastico, quo semper induta vixe-
„ rat, sepeliri mandavit apud Minoriticas in Conventu Guingampensi,
„ suam pietatem testatam voluit.

AR-

ARGUMENTUM.

Alterno scelere se invicem in Urbe coronant Ludovicus Bavarus, & Antipapa Corbarius. Michael Cæsenas, Guillelmus Occham, & socii, Pontificis declinantes indignationem ad Cæsarem fugiunt. Celebrantur Comitia generalia. Instituitur Ordinis Vicarius Bertrandus a Turre Cardinalis. Eliguntur Episcopi. Mittuntur in Persiam & Indiam interiorem fidei operarii. Dilatantur Minorum & Clarissarum Instituta.

I. DIFFICILEM nunc subimus provinciam, turbulentissimum describendi statum, in quo versabantur hoc tempore res Ecclesiæ, Romani Imperii, & Ordinis Minorum. Id tamen eo facilius, quo verius nobis præstare licebit ex ipsis illo tempore scriptis historiis, & Vaticanis, quæ diligenter evolvimus, monumentis. Ludovicus Bavarus Imperium stabiliturus in Italia, renitente & contradicente Joanne Pontifice, multisque urbibus in suam fidem partim amice allectis, partim hostiliter attractis, in Lombardia, Romandiola, Tuscia & Latio, hoc anno v. Januarii die Viterbio castris motis III. post die, quæ Jovis erat, Romam hora nona ingressus, ab effusa populi multitudine ingenti cum lætitia exceptus est. Non defuerunt multi heroes & viri optimi ex Clero Pontificiæ partis studiosi, qui missis Avenionem Legatis, obnixis precibus rogarunt, ut Joannes Papa ad suam Sedem in Urbem veniret, unde facilius & opportunius Ludovici occurreret hostilitati. Frustra hæc expectantibus, Bavarus postquam in Palatio Vaticano diebus quatuor requievit, solemni pompa in Capitolium profectus, publica concione populi erga se propensionem commendavit; sermonem ex suggestu habuit Episcopus quidam Augustinianus; Ludovicum multis extulit encomiis, & ejus nomine abunde omnia civibus promisit. Non tamen potuit extorquere ut Clerus Vaticanus, aut viri pii Bavaro præsente, sacra peragerent, quamvis Sciarra Columnius, & Castruccius (quem ille Lucensium, Pistoriensiumque Ducem, Comitem Lateranensem, Urbis Senatorem, & Imperialis aquilæ vexilliferum dixit) plurimum in hac re etiam per vim & injuriam laboraverint.

Romam venit Ludovicus Bavarus.

Non omnium excipitur votis.

II. Designato inaugurationis die, quinquaginta duo viri a populo delecti Sciarram Columnensem, Ursum Ursinum, Bucium Processum, & Petrum Montenigrum designarunt, quibus inaugurandi Ludovici potestatem permiserunt. Medius inter hos incessit auro & purpura conspicuus Ludovicus, Præfecto Urbis, & justitiæ administro præviis, agmen ducente totius pompæ Castruccio Senatore, antecedentibus Jacobo Sabello, & Theobaldo a sancto Eustachio cum reliqua nobilitate. A Basilica sanctæ Mariæ Majoris usque ad Vaticanam omnia aulæis & peristromatibus ornata ad spectaculum incedentis exciverant. Die Dominico divo Antonio Abbati sacra, Jacobus Episcopus Castellanus, Nicolai Cardinalis Pratensis nepos, & Episcopus supradictus Augustinianus Ludovicum & conjugem temere inunxerunt, Columnius diadema utrique imposuit, & Augustos renunciavit: mox ut populum & clerum amplius in suum attraheret obsequium promulgatis tribus non improbandis constitutionibus de fide Catholica servanda, de clericis honorandis, de pupillis & viduis non violandis, Missæ sacrificio interfuit, in Capitolium rediit, atque in ipsa Capitolina area epulum exhibuit.

Magna pompa coronatur.

III. Demum post alia in Urbe constituta XIV. Kal. Majas persuasus ab iniquis & venalibus Theologis, ac schismaticis Prælatis, Joannem Pontificem

Joannem Pontificem condemnat.

cem

cem in varias incidisse hæreses, & proinde jure excidisse Pontificatu, Imperatoris vero munus esse alterum subrogare, lecta prolixa sententia, cujus initium: *Gloriosus, sublimis, dominationum Dominus*, Joannem Pontificem, & Robertum Siciliæ Regem ejus fautorem inter Patarenos condemnavit. Deinde pollicitus, se brevi Ecclesiæ Romanæ summum daturum Pontificem, prius sancivit, ut Pontifex Romæ, non alibi resideret, neque Romæ ultra duas dietas sine Imperatoris, aut populi Romani permissu excedere liceret: absens tertio vocatus, si non veniret, Pontificatu excideret; & demum ut hæretici pœna majestatis violatæ punirentur. Mox cogitanti de novo Pontifice creando, seu potius idolo in Templo Dei erigendo suggesserunt, petierunt que importune Romani, ac plurimi ex Clero, ut Petrum Raynal-

Antipapâ creat.

ducii de Vico Corbario, gente Aprutinum, Ordinis Minorum in Provincia Romana, & Custodia Reatina professum, qui tunc in Urbe ad sanctæ Mariæ de Aracœli habitabat, super cathedram collocaret. Facile fuit hoc ei per-

Quis qualisve fuerit Corbarius Antipapa?

suadere tum in odium Joannis Pontificis, quem judicabat Ordini Minorum infensum, tum ut videretur in hac sua execrabili Pontificis creatione non tam affectibus succubuisse, quam virtutem in viro dignissimo coronasse. Magno enim pietatis & religionis nomine audiebat in Urbe Corbariensis, uti

Odoric. in Chron. MSS.

illius temporis candidus scriptor beatus Odoricus de Forojulio testatur, inter Minores laudabiliter ultra annos quadraginta conversatus: *Magnus*, inquit dictus auctor, *prædicator & Apostolicus Pœnitentiarius in Urbe, vir miræ abstinentiæ, paupertatis Evangelicæ, & religiosæ obedientiæ, qui*

Ciacon. in Joan. XXII.
Chron. aulæ Reg. c. 20.

multos in viam salutis reduxit. Adde Ciaconum, nobili loco, alios nobili item sanguine natum asseruisse, & auctorem chronicæ aulæ Regiæ, hujus etiam temporis scriptorem referre opinionem tunc viguisse, eum de cognatione fuisse Columnensium.

IV. In die itaque Ascensionis Maii XII. convocato in area Vaticana universo populo, in throno eminentiore conspicuus, paludamento aureo indutus, diadema in capite, sceptrum manu gestans, Petrum magna pompa in theatrum adductum, e folio assurgens, veneratus aliquantulum infra se collocavit. Subinde frater Nicolaus Fabrianensis, Eremita Augustinianus

Act. 12. v. 11.

verba ad populum habuit, proposito themate: *Reversus Petrus ad se dixit: Nunc scio vere quia misit Dominus Angelum suum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Judæorum*. Bavarum quidem nomine Angeli dignatus, Joannem autem Pontificem, vocabulo Herodis, Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, reliquos Prælatos, Clerum, religiosos Joanni adhærentes plebis Judaicæ titulo irridens. Concione blasphemiis finita, Episcopus Venetus seu Castellanus, e loco eminentiore promiscuam plebem, num fratrem Petrum Corbarium pro vero & legitimo Pontifice agnoscere vellet, semel ac iterum, & tertio interrogavit: illa confusis vocibus affirmante, Ludovicus profanam designationem electionis canonicæ vocabulo exornans, in libellum publicum eam acclamationem redactam ex scripto recitari imperavit, dumque ab Episcopo Veneto publicaretur, ipse erectus stetit. Publicato proclamationis decreto, Petrum Corbariensem Nicolai V. nomine salutavit, annulum digito illius imposuit, mox purpuram ei manibus propriis injecit, & ad dexteram in solio collocatum, postea in basilicam divi Petri introduxit. Ubi is Pseudo-Pontifex sacris temere contrectatis, omnia Pontificia munera usurpavit, & tum Ludovico, tum erranti populo imprecatus est.

Secundo coronatur Ludovicus.

V. Isto scelere gravissimo Ludovicus perpetrato, Tybur secessit, ut pompam solemnem suæ inaugurationis instauraret; quod non deessent, qui non

non Imperatorem eum esse pronunciarent, quod insignia Imperii non de manu summi Pontificis, sed Veneti Episcopi recepisset. In pervigilio solemnitatis Pentecostes Romam reversus, apud sanctum Laurentium in agro Verano divertit. Die subsequente adusque Lateranam Basilicam Pseudo-Pontifex una cum suis Pontificalem, Sacerdotalemque cultum indutus, venienti illi obviam processit, atque in divi Petri deduxit. Ubi Ludovicus inprimis purpureum pileum Antipapæ imposuit: is vero diademate aureo caput Ludovici insignivit, & Imperatorem tum renunciavit, tum approbavit.

VI. Ad tam immania facinora & alternas coronationes exhorruit, ingemuitque orbis Christianus, videns per summam cæcitatem monstruosum extolli in Ecclesia caput, ubi verum & legitimum antea præcessit, atque ex illo & passione Ludovici talia emanasse constitutorum portenta, qualia soli ipsi potuissent concipere. Novis legibus & repetitis decretis se invicem muniebant, & Joannem lacerantes, officiosa mutuo solvebant obsequia, Bavaro Corbarium, Corbario Bavarum inaugurante, & acceptæ Cathedræ mercedem rependente. Horrendis his spectris oculos subduxerunt boni plerique viri, atque inter illos Fratrum Minorum in Provincia Romana Præfectus, qui summo contabuit dolore, videns ex suo grege non ovem prodiisse errantem, sed lupum depascentem. Quare congregatis Provinciæ consiliariis, & indictis plenis comitiis in civitate Anagniæ viriliter & christiane egit, ex publico & communi Patrum decreto monuit, rogavit, præcepit, ut e cathedra pestilentiæ, ad quam se evehi stulte permisit Corbarius, quantocius descenderet & Anagniam veniret, Apostasiæ (quippe contradicentibus & reluctantibus superioribus ad hæc profana mysteria e religione discessit) & sacrilegii hæresisque, quod sua præferre videbatur iniquitate supplicium, misericorditer tamen inferendum, reciperet. Illo vero ad modum aspidis surdæ obtusantis aures suas, nolente intelligere ut bene ageret, sed potius infremente & spirante minarum, Patres in plenis comitiis, ex Umbone lecta sententia, in sua pertinacia contumacem, tamquam schismaticum, & Ecclesiæ sanctæ rebellem excommunicarunt, & perpetuo carceri ac vinculis ferreis, si aliquando capi posset, adjudicarunt.

Magnum ex his exortum scandalum.

Præfectus Minorum agit contra Corbarium.

Oderic. cit.

VII. O miseram rerum humanarum conditionem, & instabilem in virtute progressum! quam facilis in sanctitate ruina, quam lubrica in gratia perseverantia! Bene consuluit Apostolus: *Qui se existimat stare, videat ne cadat*. Namque *in hoc seculo stare non est firmiter stare, donec fuerimus liberati a fluctibus vitæ præsentis, & ad tranquillum portum navigaverimus*. Nonne Dominus, qui *plantavit vineam electam, omne semen bonum* gemebundus conqueritur: *Quomodo conversa es mihi in pravum vinea aliena?* Quis ergo securus erit, *si & plantatio Domini & semen verum, & vinea Sorek in tantum suo vitio convertatur & commutatur, ut per amaritudinem recedat a Domino, & fiat vitis aliena?* Ad hæc *oportet considerare naturam peccati velocem, rapidam, subreptitiam, & ob hoc incerta esse, quæ futura sunt, & valde dubia & tam periculosa, ut dicat Apostolus: Timeo ne reprobus efficiar*. Misellus hic Corbarius, uti superius ex coevo & minime falláci teste retulimus, annis multis laudabiliter, magno pietatis & religionis nomine, in abstinentia multa, paupertate Evangelica, religiosa obedientia, in sancto conversatus Instituto, sermone & opere multos ad Christum convertit, & nunc ipse in extrema senectute, ferme septuagenarius avertitur a Christo, & in profundum labitur barathrum miseriarum: *Fuit hic*, inquit Alphonsus Ciaconus, *optimæ vitæ & morum habitus, diu in Ordine Minorum*,

1. Cor. 10. 12.

Chrysost. hom. 23. in epist. ad Cor.

Hierem. 2. 21.

Hieron. ibidem

Orig. lib. 10. in c. 15. ad Rom.

1. Cor. 9. 27.

Hoc anno n. 3.

Ciacon. cit.

rum, cum sanctitatis opinione vixit, fuit praeterea vir doctus, & ad res gerendas aptus: attamen sanctus, doctus, & in agendo peritus seipsum regere non novit, sed ambitionis aura se duci permisit, donec in conspectu totius orbis in extremo navigationis cursu misere carinam in scopulos elisit. Oret itaque unusquisque nostrum, ut hujus ruina nostra sit doctrina, ne exaltetur cor nostrum, neque efferantur oculi nostri, neque ambulemus in magnis, neque in mirabilibus super nos, sed humiliter sentientes precemur, *ne veniat nobis pes superbiae*. Magno studio *cavenda est, quae etiam in prosperis supplantat. Gravius Adam in paradiso cecidit, quam si cecidisset in terra. De altissimis cadere praecipitium est, in planis lapsus vocatur.* Irrideo, & nihili facio multam Corbarii doctrinam, quae non novit dirigere gressus ejus, ut non moverentur vestigia. Imo *ideo errarunt pedes ejus, quia caput non habebat: Oculi enim sapientis in capite ejus, non mirum ergo si erret vestigium, ubi oculus non habetur.*

Psal. 35. 12. *Ambr. hic:* *Ambr. ibid.* *Eccl. 2. 14.*

VIII. Accessit etiam ad hujus misselli infamiam & publicam ignominiam, quod tot annis supervixerit in seculo ejus uxor Joanna Matthaei etiam Corbariensis, cum qua legitime sacro matrimonii foedere cohabitaverat annis quinque: & a qua reclamante, & invita recessisse ferunt, nequidquam Episcopo divortii libellum concedente. Haec porro vel ab aliis inducta, vel divitiis, quibus Corbarius splendebat allecta, repetiit maritum jam Pontificem locupletem; quem tot annis sprevit Monachum mendicum. Transacta res in publico judicio, porrecto supplici libello Joanni Episcopo Reatino, qui re pro tribunali discussa, sententiam tulit III. Kal. Decembris hujus anni, nullo justo titulo dissolutum fuisse conjugii vinculum, atque proinde Petrum ad Joannam debere reverti. O ridiculum senem, qui e supremo fastigio effecti Pontificatus in tremula senectute, effeto corpore, & frigescentibus membris, jubetur ad conjugales redire complexus! Totius rei processus & sententiae autographum missa sunt ad Joannem Pontificem, quorum varia exemplaria ad Principes Catholicos transmisit.

Corbarius prius uxoratus.

Reg. Vat. in lib. secr. an. 13. fol. 117. & alibi.

IX. Nihil horum Petri animum a malis avertit, tanta est ambitionis libido, quinimo sacra inverecunde temeravit, & tamquam legitimus Papa Pontificia obivit munera, quarto a creatione sive execratione die Pseudo-Cardinales instituit, de quorum numero varia est scriptorum sententia. Ciaconus ex Villano ait, Idibus Maii septem effinxisse, Episcopum unum, Presbyteros quatuor, Diaconos duos, videlicet Archiepiscopum, nescio quem Modonen. Cardinalem Episcopum, quam tamen dignitatem respuisse scribit Villanus, Jacobum Martini Pratensem, Nicolai Cardinalis Pratensis fratris filium, olim Episcopum Castellanum, presbyterum Cardinalem, fratrem Joannem Vicecomitem Mediolanen. Monachum Cisterciensem, Abbatem sancti Ambrosii Mediolanen. presbyterum Cardinalem, fratrem Hermannum Germanum Monachum & Abbatem Fuldensem presbyterum Cardinalem, Petrum Oringhi, & Joannem Arlottum Romanos, diaconos. Deinde nova praesumptione anno insequenti XIV. Kal. Februarii, Pisis nuncupasse Joannem Vicecomitem Mediolanen. ex Episcopo Novariensi Episcopum Ostiensem & Veliternum.

Corbarius creat Cardinales.

Ciacon. cit. *Villan. lib. 10. c. 75.*

Quot & quales.

X. At ultra hos, alios effinxisse constat ex ipso regesto Antipapae, ubi V. Kal. Junii legitur, Petro sancti Petri ad Vincula commissam esse administrationem novi Hospitalis sanctae Clarae Pisis, & Abbatiae sancti Martini in Montibus Viterbien. nisi fortasse hic idem sit cum Petro Oringho diacono, & translatus sit ad presbyterium sancti Petri ad Vincula. Deinde XV. Kal. ejusdem mensis occurrit Bonifacius administrator Episcopatus Chironen. & Pro-

Protector, ipso jubente, Ordinis Prædicatorum. Tertio ad VIII. Idus Julii Franciscus Albanen. Episcopus renunciatur Abbas Pomposianus; & Viterbii V. Nonas Octobris fit Legatus a latere in tota Germania superiore & inferiore, necnon in utraque Lombardia, in Marchia Tarvisina & Anconitana, in Massa Trabaria, Romandiola & Monteferrato. Auctor Chronicæ Aulæ Regiæ, qui hoc ipso anno tumultus hos scribebat, duodecim Cardinales creasse asserit, atque inter hos enumerat Episcopum Sutrinum de Ordine Fratrum Prædicatorum, & alium de Ordine Minorum Anglum, reliquos vero magna ex parte ex Canonicis sanctæ Mariæ Rotundæ, Corbario præ ceteris urbis Canonicis adhærentibus. Quod ad Minoritam attinet, licet sint ex nostris, qui dicant Ordini infensum propter citationem & sententiam Anagninam, nullum ex eo assumpsisse Cardinalem, mihi constat ex regesto ipsius Joannis unum creasse, non tamen Anglum fuisse, sed Viterbiensem, Paulum nomine, a Viterbio cognominatum, qui post abdicationem Corbarii in Germaniam occultus recessit. Episcopum autem Castellanum, quem Ciaconus in classe reponit Cardinalium presbyterorum, auctor hic & regestum Vaticanum vocat ubique Episcopum Cardinalem Ostiensem; & Joannem illum secundum Vicecomitem, quem ille Ostiensem dicit, puto a primo Joanne Vicecomite, in prima creatione designato Cardinale presbytero, non discrepasse.

Chron. aulæ reg. cit.

Ex secret. anni 16. fol. 328.

XI. Schismaticorum horum ad speciosos dignitatum titulos evectio, & scelerum impunitas audaciam & contumaciam fovit aliorum, qui ex omnibus religionibus, minima illata vel arrepta occasione, recedebant a Joanne Pontifice, Fratricellorumque sectam e latebris impudenter prodeuntem, & Corbarii, ac Ludovici facta probantem, magno rei Catholicæ detrimento multiplicabant. Hinc magna dissolutio disciplinæ Ecclesiasticæ & regularis; si quos enim Prælati coercere vel ob culpas punire intentabant, statim ad acies transvolabant adversas, in quibus solum esse, mereri dicebatur. Illic scelerum impunitas, illic inobedientiæ flagitium in præmium vertebatur. Multæ etiam civitates Ludovico & Corbario obsequebantur, in quas Joannes Pontifex censuris animadvertit, eas sacris interdicens, jubensque ut templa clauderentur, nec missæ celebrarentur, nec quid legeretur, aut cantaretur, neque campanæ pulsarentur. Illi vero contra cogebant Sacerdotes, Monachos & Moniales hæc omnia facere; recusantes in exilium pellebant. Magna ubique discordia & confusio, aliis ex interdicto Pontificis silentibus, aliis ex contrario sacra exercentibus. Belli quoque strepitus & horror undique sonabat, Siciliæ Rege, Legatis duobus Pontificiis, plurimisque civitatibus Italiæ Pontificis jura contra Ludovicum tuentibus, illo ex adverso & plerisque fautricibus urbibus sedulo impugnantibus, & in Corbarium transferentibus. Mira sane rerum confusio ubique apparebat, fœde deturpata Ecclesiæ facie, & ad angustias maximas redacta tota Italia.

Quanta ex hoc schismate damna.

XII. Magnum etiam subiit discrimen Minorum sodalitium, parum enim aberat, quin inter adversas tunc contereretur partes. Joannem habuit & sensit infensum propter importunam quorumdam in controversia paupertatis vociferationem, Corbarium quia noluerunt ei Fratres adhærere, Ludovicum, quod eo præsente multis in locis renuerint sacra temerare. Jacturam & periculum auxit Michaelis Cæsenatis Ministri Generalis, & sequacium fuga atque ad partes Cæsarianas transmigratio. Hærebat ille Avenione, uti anno diximus præcedenti, suspicax & meticulosus, sciens Pontificem eo graviori erga se commotum animo, quo longiori simulabat silentio. Erupit tandem vulnus hoc anno, Sabbato in Albis die X. Aprilis, quo Joannes

Ordinis Minorum discrimen.

An. 1327. n. 8.

Aspere increpat Pōtifex Michaelem Ministrum Generalem.

nes vocatum ad se Michaelem, præsentibus Cardinale Bertrando de Turre, fratre Petro Pratensi provinciæ sancti Francisci Ministro, fratre Raymundo de Lados Procuratore totius Ordinis, & fratre Laurentio de Coelho Baccalaureo Avenionensi, acriter reprehendit, capitosum dixit, temerarium, insanum, Ludovici & hæreticorum fautorem, serpentem in sinu Ecclesiæ nutritum, adhuc pertinacem in condemnata sententia de paupertate Christi & Apostolorum, quam *temere*, inquit, *ausus es decreto universi Capituli Perusini deffinire, dum coram nobis & S. R. E. Cardinalibus disceptabatur, obtrudens fidelibus hæreticam doctrinam*. Et demum præcepit ei, ne a Curia recederet absque speciali Sedis Apostolicæ licentia, sub pœna excommunicationis, privationis officii, & inhabilitationis ad alia quævis munera & beneficia, ipso facto seu recessu incurrenda. Michael ad hoc temere, & irreverenter, animosius, quam deceret, respondit, negans quæ sibi objiciebantur, & decisionem Perusinam asserens per omnia Catholicam, sacræ Scripturæ consonam, aliorum Pontificum decretis conformem, expressisque verbis in Nicolai III. gravissima decretali contineri, quam proinde *qui defenderit*, inquit, *hæresis nota non poterit inuri*.

Jubet ne a curia recedat.

Irreverenter respondet ille Pontifici.

Pontifex examinari jubet facta & dicta Michaelis.

XIII. Ex his magis commotus Pontifex magna repulit indignatione plura objicientem & singula audacter refellentem, convocavitque cœtum doctorum virorum, qui quæ responderit examinarent, & quæ requiruntur, ut aliquis hæreticus dicatur, indagarent, graviori volens judicio Michaelem tamquam hæreticum punire. Inter hos connumeratus Petrus Rogerii sacræ Theologiæ Doctor, Monachus & Abbas Fiscanensis, post Benedictum XII. ad Pontificatum sub nomine Clementis VI. assumptus, qui doctum de hac re scripsit tractatum. Alium scripsit Guillelmus Occham tum etiam detentus in Curia, de qualitate propositionum, quem postea inseruit prolixiori operi quod dialogum inscripsit. Sciens vero Michael, nihil sibi favorabile in illo cœtu conclusum, timensque malum sibi aut religioni parari, præsertim si compelleretur ad palinodiam, aut retractationem decisionis Perusinæ, quod Pontifex quantocius volebat urgere: insolenter nimis ex aliorum sibi similium consilio, porrecto diffuso libello, qui incipiebat: *Ego frater Michael attendens, quod sacri Evangelii &c.* appellavit a Pontificis assertione & sententia, quam in superiori protulit congressu, ne scilicet a curia recederet: atque ultra hæc provocavit contra decretales Joannis in controversia paupertatis editas, & contra omnia & singula, quæ adversum se aut contra Minorum sodalitium in illo cœtu constituerentur.

Temere appellat ille a Pontificis sententia.

Gravius in se commovet Pontificem. Non permittitur accedere ad Comitia generalia. Capitulum Generale quadragesimum secundū Bononiæ.

XIV. Irritarunt hæc Pontificis animum, nihil tamen publica sententia contra Michaelem decrevit, sed in curia detinuit, nec ad Comitia Generalia Bononiæ die XXII. Maii celebranda permisit accedere, sed Commissarium, & veluti Protectorem Capituli deputavit Bertrandum de Porto Episcopum Cardinalem Ostiensem electum in Lombardia, Piceno & Romandiola summa cum potestate Legatum, ad quem sequentes litteras direxit, aliasque subjunxit ad Patres capitulares, quibus hæc intimavit, salutaria præscripsit monita, atque ut pro ipso & Ecclesiæ statu deprecarentur, admonuit.

Dilecto filio Bertrando Electo Ostiens. Apostolicæ Sedis Legato salutem.

Ex tomo ult. anni 12. fol. 95.

XV. *Cum ex eo, quod dilecti filii Michaelis Ordinis Fratrum Minorum Generalis Ministri præsentia nobis existat pro certis negotiis opportuna, idem Minister in generali Ordinis Capitulo Bononiæ in instanti se-*

festo Pentecostes, dante Domino, celebrando personaliter nequeat interesse. Nosque intensis desideriis affectemus, quod dictum Capitulum ad Dei laudem, & Ecclesiæ sanctæ suæ, prædictique honorem Ordinis, & statum prosperum celebretur, fraternitati tuæ, de qua fiduciam in Domino gerimus specialem, per Apostolica scripta committimus, & mandamus, quatenus illis, quos præfatus Minister juxta sui constitutiones Ordinis Vicarios ordinabit, aut per easdem constitutiones extiterint ordinati, ut præmissa promptius exequi valeant, assistas vice nostra, favoribus, & auxiliis opportunis, eisdem in virtute sanctæ Obedientiæ districtius injungendo, ut favore prorsus & odio relegatis, prædicta vigilantibus studiis exequantur. Quod si forsitan ipsos indispositos senseris ad eadem, ipsis adjungendo alium, vel alios, seu etiam subrogando, sic cures sedulo super his providere, quod dictum Capitulum ad laudem divini nominis, & Ecclesiæ sanctæ Dei ac dicti Ordinis honorem, & commodum celebretur, super quibus omnibus, & ea tangentibus tibi plenam & liberam, auctoritate præsentium, concedimus facultatem. Contradictores quoslibet & rebelles per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, non obstantibus quibuscumque privilegiis, indulgentiis & litteris Apostolicis eidem Ordini, aut personis ipsius generaliter vel specialiter sub quacumque forma vel expressione verborum ab Apostolica Sede concessis, etiamsi de illis esset in præsentibus specialis & expressa ac de verbo ad verbum mentio facienda, quæ quoad hoc nulli volumus suffragari, aut si eis, vel eorum aliquibus communiter vel divisim ab eadem Sede sit indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Avenion. Kalend. Maii anno XII. Card. Ostiensis fit Director capituli.

Præsidentibus & aliis Ordinis Minorum Fratribus in Generali ejusdem Ordinis Capitulo, Bononiæ celebrando in proximo congregandis.

XVI. C*Um ex eo quod dilecti filii Michaelis, &c. ut in præcedenti epistola usque,* ad honorem Ordinis celebrari, *venerabili Fratri nostro Episcopo Ostiensi, Apostolicæ Sedis Legato, ut vobis assistat vice nostra super his opportunis auxiliis, & favoribus damus per nostras alias litteras in mandatis. Et licet prudentiam vestram ad ea in eodem capitulo exequenda, quæ ad laudem divini nominis, & Ecclesiæ sanctæ Dei dictique Ordinis honorem & commodum respiciant, supponamus indubie satis doctam, quia tamen juxta illud poeticum:* Non nocet immisso subdere calcar equo, *sollicitare sollicitos, & attentos attentiores reddere sæpe prodest, providentiam vestram rogamus, monemus, & hortamur in Domino, quatenus odio & favore prorsus abjectis, circa præmissa sitis solliciti, & intenti præfato Legato, ejusque consiliis, & persuasionibus salubribus efficaciter intendentes, ut extirpatis vitiis, & plantatis & auctis virtutibus, cuncta in Ordine prædicto succedant prospera, & vos in conspectu majestatis divinæ acceptiores efficiamini, ac nostram & Apostolicæ Sedis benedictionem & gratiam uberius acquiratis. Porro, quia nostri Salvatoris informamur exemplo, ut in fluctuationibus imminentibus pelagi mundi hujus, ad divinum auxilium recurramus, precibus nostris adjicimus, devote, & humiliter implorantes ut pro nobis ac statu Ecclesiæ, quæ flante spiritu procellarum, agitari præsentialiter sic nostis, apud eum qui mari & ventis imperat, & quiescunt, cuique cum voluerit, subest posse, preces devotissimas in humilitate spiritus effunda-*

Ibid. fol. 103. Commendat capitularibus unitatem & pacem.

Ovid. 2. de arte.

Lucæ 5. Atque ut pro se orent.

datis, idemque per eumdem Ordinem fieri salubriter ordinetis, ut ipse insurgentis hujusmodi fremitus tempestatis quiescere faciens, nubilum turbinis in auram transferat prosperam & tranquillam, infirmitatemque nostram sua præsenti virtute sic fulciat & sustentet, quod commissum nobis desuper Apostolicæ servitutis officium juxta suum beneplacitum exequentes, mereamur una cum grege nobis credito, post hujusmodi vitæ habentis miseriam, ad quietis perennis beatitudinem misericorditer pervenire. Datum Aven. III. Kalend. Maii anno XII.

Capitulares confirmant in officio Cæsenatem.

XVII. Valde diligebant Michaelem Robertus Rex Siciliæ, & Sancia conjux, miseruntque ad comitia Nuncios, qui sumptuum ferrent subsidia, & partes agerent secreto Michaelis, ne ullum pateretur honoris detrimentum. Visus est Legatus contra voluisse ex Pontificis suggestione, ut Michaele e gradu deposito, alius substitueretur. Sed electores in officio confirmarunt dicentes, sibi nullam subesse causam legitimam ut a præfectura dejicerent. Mox submiserunt eidem electionis, seu confirmationis decreta, ejusque arbitrio commiserunt designandum locum, in quo celebrari deberet Capitulum proximum Generale, rogantes tamen Parisiis juberet convocari, ut satisfieret votis & precibus Joannæ Reginæ Franciæ, quæ repetitis litteris ita fieri efflagitabat. Sed antequam hæ litteræ pervenirent, Michael Avenione, non urbe Roma (uti perperam scribit Marcus Ulyssiponen.) recessit die Jovis XXV. Maii sub vesperæ crepusculum, fugitque a facie Pontificis, simul cum fratr. Guillelmo Occhamo, & Bonagratia Bergomensi, atque in portu de Aquis mortuis paratam quamdam scapham, deinde triremem armatam, quam sibi mitti a Ludovico Bavaro curaverat, conscendit. His ea nocte auditis Pontifex, valde commotus & turbatus, die sequenti misit Petrum Episcopum Cardinalem Portuensem cum nonnullis aliis, qui ei persuaderent, ut reverteretur, vel nolentem apprehenderent. Frustra tamen laborarunt, etsi enim pervenerint antequam solveret triremis, non potuerunt Michaelem aut socios videre, puppis præfecto Cardinalis artes eludente. Scheda tamen citationis missa, respondit Michael se reverti nolle ad Pontificem irrationabiliter persequentem, a cujus gravaminibus passione potius, quam ratione illatis, denuo appellabat. Ita obcoecatus in sua inobedientia solvit, & brevi Pisas ad Imperatorem accessit.

Fugit ille Avenione.
Marc. 2. par. lib. 8. c. 13.

Revocat Pontifex sed frustra.

XVIII. Paulo post fugam pervenerunt Avenione Fratres, qui decreta reelectionis Michaelis factæ in Capitulo Bononiensi portabant; quod ut Pontifex intellexit vehementer irascens decreta rescidit, & Michaelem censuris innodatum VIII. Idus Junii dignitate privavit, inhabilem ad omnes gradus honoris declaravit, ac Fr. Bertrandum de Turre Episcopum Cardinalem Tusculanum, ejusdem Instituti virum, Administratorem Ordinis instituit Idibus Junii, scriptisque litteris ad universos Ministros, Custodes, Guardianos & Fratres Ordinis, jussit, ut eidem Bertrando tamquam vero Superiori in omnibus obedirent. Errarunt hic Marianus & Marcus dicentes, Bertrandum Episcopum Cardinalem Ostiensem constitutum Ordinis Vicarium, hic enim alius est a Bertrando Tusculano Minorita: ille, uti diximus, constitutus est tamquam Præses & Director Capituli Generalis Bononiensis, hic vero Administrator totius religionis. Audiens autem Cæsenas hæc Pisis die XVIII. Julii suo nomine & omnium Fratrum sibi adhærentium, appellavit solemniter a graviminibus Joannis ad Ecclesiam Catholicam, & futurum Concilium. Appellationem hanc Notarii manu subscriptam, solemniter promulgatam, & ad Ecclesiæ Cathedralis valuas affixam, in forma authentica tran-

Eum gradu deponit.

Ordinis Vicarium instituit Card. Bertrandum.

Marian. citat. Marcus citat.

Appellat Cæsenas.

transmisit Joanni. Hoc erat vulnus fricare & camino oleum infundere, uti statim apparuit, etenim amplius irritatus Joannes, ad omnes Prælatos, & Principes scripsit asperas contra eumdem litteras, ut caperetur.

XIX. Hærebant Michaeli & præsentes assistebant, præter Occhamum & Bergomen. Fr. Beringarius Bochusis Pisanus, S. Theologiæ Magister, pseudo-Archiepiscopus Januensis, postea a Corbario renunciatus, quem Michael Vicarium Generalem constituit super Fratres Italiæ: Frater Franciscus de esculo sive Asculanus, vir gravissimus, doctissimis quibusque adnumerandus, qui sub Clemente VI. ad cor rediit & humiliter suum fassus errorem veniam petiit, ut ipse refert in tractatu, quem de sua scripsit pœnitentia, & Frater Henricus de Halem. His adnumerant alii Joannem de Janduno, & Marsilium Patavinum, quos licet sciam Bavaro & Corbario adhæsisse, nescio an fuerint Minoritæ; neque enim apud nostros aut exteros hujus fuisse Instituti comperio. Perstitit usque ad mortem Michael in hac sua contumacia, retinens sibi nomen Ministri Generalis, quamvis omnes ferme, præter Occhamum, Asculanum & Bergomensem, ab eo deflexerint, & multa scripsit tum ad Fratres tum ad Principes, & universos fideles in suam defensionem. Bis appellavit Avenione, tertio Pisis, quarto Monachii a Joannis decretalibus, & gravaminibus: Joannes vero IV. Kal. Decembris an. MCCCXXIX. Pontificatus XIV. contra eum scripsit diffusissimum libellum incipientem: *Quia vir reprobus*, cui alterum prolixiorem ad universos fideles, cujus initium: *Ad perpetuam rei memoriam innotescat quod ego Frater Michael*, &c. opposuit Michael Monachii VII. Kal. Aprilis an. MCCCXXX. ad singula Joannis objecta respondens. Utriusque Apologiæ habeo penes me exemplaria. Circumferuntur amplius variæ Cæsenatis epistolæ ad finem dialogi, & operis nonaginta dierum ab Occhamo conscripti, per Jodocum Badium Ascensium excusæ Lugduni an. MDXCIV. quæ omnia rectissimo judicio sunt prohibita. Scripsit anno MCCCXXXI. die XIV. Januarii epistolam ad universos Fratres Minores incipientem: *Christianæ fidei fundamentum*, in qua eis impie velit persuadere, quod Joannes erraverit, & hæreses statuerit in tribus decretalibus: *Ad conditorem Canonum*: *Cum inter nonnullos*, & *Quia quorumdam*, atque in libello contra se emisso: *Quia vir reprobus*; deinde in festo sancti Marci Evangelistæ secundam adjecit ad Patres Capituli generalis, Perpiniani, aut Avenione convocandi, quæ incipit: *litteras plurium Magistrorum*, in qua suæ fugæ & impœnitentiæ rationabiles causas conatur obtrudere. Tertiam incipientem: *Teste Salomone, per patientiam cognoscitur doctrina viri*, dedit ad Gerardum Odonis Generalem Ministrum, electum canonice a Patribus, in quo respondet ad aliam ejusdem Gerardi epistolam, conaturque probare, non alium præter se esse Præfectum Ordinis Minorum.

Quinam Cæsenatem associarunt.

Ille pertinax in suo errore.

XX. In hac contumacia persistens Michael neque depositionem admittens a Joanne factam, multa temere audebat in religione præcipere, cui tamen Fratres minime obsecundabant. Constituit etiam in partibus Lombardiæ Vicarium fratrem Azolinum suum nepotem, cui adhæsit Amitinus de Cæsena concivis, & alii quos Joannes Pontifex, scriptis litteris ad Bertrandum Episcopum Ostien. Sedis Apostolicæ legatum, & Rectores Romandiolæ Ducatus Spoletani, & Marchiæ Anconitanæ, ut caperentur præcepit. Miseris his tumultibus & tribulationibus vehementer laborabat paupercula Religio, & multi innocenter passi sunt, qui ignoranter propter varia hominum judicia, & doctorum alias scriptorum tractatus, qui circumferebantur, cui potius deberent obedire, an Bertrando Cardinali, an Michaeli Cæsenati; aliquando huc, aliquando illuc fluctibus vel inscitiæ vel timoris ferebantur

Multa audet statuere in religione.

Misera tunc religionis conditio.

bantur. Erat sane videre miseriam, passim vocari in quaestionem, & duris agitari tormentis, qui vel facto, vel verbo se profitebantur subditos Michaelis, aut ei in re quavis levissima obsecundabant. Erat etiam admiratione & compassione dignum, videre homines alias doctos, adeoque religiosae vitae, ut nihil turpe aut vile etiam ab ipso Joanne eis obiici potuerit, imo maxime commendentur a pietate & virtute toto illo tempore, quo in Bavaria vixerunt, in hasce abiisse miserias: Non abierunt post suas concupiscentias, nec mundi aut carnis agitabantur illecebris, sed nimio zelo sui Instituti & insipienti affectu paupertatis, quam profitebantur. Eam in sacris scripturis indicari, in Pontificiis decretis aperte doceri, & a sanctis Patribus manifeste praedicari judicarunt, in eo maxime errantes, quod suum judicium praetulerint interpretationi & definitioni Pontificis, ad quem uti spectat Canones condere, ita & interpretari. Bonam rem haud bono modo aemulati sunt: fortassis zelum Dei habebant, *sed non secundum scientiam. Ignorantes enim Dei justitiam & suam quaerentes statuere, justitiae Dei non sunt subjecti*, dum ejus in terris Vicario noluerunt obedire.

Compatiendum his misellis.

Roman. 10. 2.

Omnes ferme Principes favent Caesenati.

XXI. Erat autem Michael propter doctrinam & vitam exemplarem notus & dilectus optimis quibusque Principibus & Regibus, ut in hac apparuit rerum turbulentia. Ut enim audierant ab officio depositum, missis nuntiis & litteris, ejus personam Ordinemque universum obnixe commendarunt Pontifici. Philippus Rex & Joanna Regina Franciae, Alphonsus Rex Aragonum, Petrus Comes Riparcusiae, Raymundus Berengarius, Comes Montanus ejusdem Regis Fratres, Petrus Lopetius de Luna Archiepiscopus Caesaraugustanus, praedicti Regis intimus Consiliarius, Joannes filius Jacobi II. Regis Aragonum, etiam hoc anno Archiepiscopus Toletanus, uti testantur litterae Pontificiae, licet Zurita dicat, ineunte mense Septembri anni praeteriti eum, abdicata Ecclesia Toletana, renunciatum Patriarcham Alexandrinum, & Administratorem Terraconensis; nobilis vir Gondisaluus Garzia Dominus de Moichena, Alphonsi Regis Cancellarius, Guillelmus Olomarius ejusdem Regis Vicecamerarius, Jacobus Rex Majoricarum, Robertus & Sancia Reges Siciliae, Eduardus & Isabella Reges Angliae, & alii plures ad quos data responsa legimus in regesto Vaticano. In his Pontifex aeque Michaelis condemnat contumaciam, ac totius Ordinis commendat obedientiam, quam etiam honorifico extulit diplomate, quod dabimus anno sequenti.

Zurita 1. parte lib. 6. c. 75.

In secret. an. 11 & 12. fol. 201. 217. & seqq. An 1329.

XXII. Licet vero Religio ex horum contumacium rebellione hanc maculam contraxerit, aliunde tamen multo promicabat splendore plurimorum sanctorum Virorum, quorum vitas per singulos annos enarramus; multorum Episcoporum, & Praelatorum, quos quotannis recensemus, ad dignitates assumptos; doctorum virorum & Inquisitorum qui tunc in diversis florebant provinciis. In his enumerandi Frater Franciscus Mayronius magister Parisiensis, Frater Alvarus Pelagii Pontificis Poenitentiarius, Gerardus Odonis provinciae Aquitaniae, qui Caesenati in Generalatu successit, Gerardus alius Burgundus, Nicolaus Lyranus, Landulphus Carracciolus, Petrus Aquilanus, Franciscus Bartholi Assisias, Jacobus de Tundo Senensis, & Petrus de Acciaiolis uterque provinciae Etruriae, quorum omnium docta extant monumenta, praeter alios multos Anglos, Germanos Hispanos, qui alias censebuntur opportunius. Erant etiam Inquisitores praeter eos, quos praecedenti & superioribus annis indicavimus. Fratres Accursius Bonfantinus in Tuscia, quem Pontifex maxime laudat, quod se viriliter & opere opposuerit Schismaticis & haereticis, qui Tuscos in suas partes summo studio attrahere

Aliunde plurimu florebat Ordo Minorum.

Fr. Accursius Inquisitor in Tuscia.

Ibid. fol. 141.

lib. 11. an. 13. ep. 2776.

Naudederg. Romandiolae.

Ex secret. an. 13. fol. 9.

Joan. in Umbria

An. 1327.

here conabantur, Joanninus de Rossellis Mantuanus, qui substitutus est Bonajunctæ de Monticulo Venetiis, & in aliis partibus Marchiæ Tarvisinæ. Romandiolæ frater Naudederus de Bertomiono. In Umbria, & civitate Perusina frater Joannes de Fedanzole, de quo alias egimus, & quem Cæsenas tentavit ab officio Inquisitionis removere. ,, *

Joanninus Venetiis.

,, XXIII. Eodem etiam tempore excitavit Deus spiritum Elisabethæ
,, Reginæ Boemiæ, ut instanter ageret apud Joannem Pontificem pro canoni
,, zanda Beata Agnete Clarissa Virgine Ottokari Regis filia, & Reginæ
,, avia, quæ multis miraculis tunc florebat, sepulta in Monasterio a se con-
,, dito, uti alias diximus. Intercessores etiam adhibuit præcipuos ex Clero,
,, & populo, quorum Epistolas simul cum suis ad Pontificem misit. Earum,
,, quas urbium Rectores dederunt, hic ex Cronicis Aulæ Regiæ transcribo.

,, *Sanctissimo in Christo Patri, ac Domino D. Joanni Sacrosanctæ Rom. ac*
,, *Universal. Ecclesiæ summo Pontifici, Nicolaus Pragensis, Hermannus*
,, *Chutnensis, Henslinus Czaslaviensis, & Gotzlinus Colon., Civitatum*
,, *Judices, ac universitates, & communia Civitatum earumdem, cum de-*
,, *bita subjectionis reverentia pedum oscula beatorum.*

,, XXIV. M*Agnum salutis gaudium, magnum divinæ pietatis myste-*
,, *rium, in Regno Boemiæ, de cujus incolatu nos sumus,*
,, *Deus Deorum Dominus hactenus declaravit. Nam hanc nonnullis Regibus,*
,, *Reginis, ac quibusdam aliis Regni ejusdem filiis, incolis & alumnis devo-*
,, *tionem & gratiam inspiravit, quod ad perfectionis summam virtutum*
,, *gradibus ascendentes ad tantam Sanctitatis excellentiam sunt provecti,*
,, *quod ipsis eorum exigentibus meritis, ad eminentiam cælestis exercitus ele-*
,, *vatis, scriptis eorum in cælis nominibus, Sanctorum catalogo sunt adscripti:*
,, *quorum dignis, & Deo gratis Suffragiis, Regni ejusdem incolæ senserunt,*
,, *& sentiunt pium, & efficax opitulationis præsidium, & in tribulationibus,*
,, *& necessitatibus remedium opportunum. Verum quia divinæ largitatis im-*
,, *mensitas munificentiæ suæ mensuram non ponit, nec collata semel libera-*
,, *litas fastidium ei præstat; illis, quos eidem regno patres contulit & pa-*
,, *tronos, dedit adhuc, & Virginem innocentia agnam, & nominis appel-*
,, *latione Agnetem, quæ felicis memoriæ Dom. Przmisl, sive Ottokari, Bo-*
,, *emiæ quondam Regis filia, ex utroque parente stirpe regali progenita;*
,, *sic juventutis suæ florem virtutum decore vestivit, quod ab ineuntis ætatis*
,, *suæ primordiis, ad patriam visa fuit festinare cælestem. In ordine tamdem*
,, *sanctæ Claræ conversatione degendo sanctissima, vitæ suæ terminum sic*
,, *explevit, quod hoc quod feliciter incoaverat, felicius consumavit. Cui pro*
,, *perfectione vitæ laudabilis tantam Dominus contulit gratiam & virtutem,*
,, *quod in vita, & in morte, & post mortem, tanta miraculorum claritate*
,, *refulsit, quod evidenter patuerunt, & patent quotidie suæ indicia sancti-*
,, *tatis: Quæ quidem lucerna pro dominorum varietate, qui in Regno Boe-*
,, *miæ post fel. mem. Dom. Wenceslai Bohemiæ, & Poloniæ Regis obitum in*
,, *ipso Regno Boemiæ successerunt, sic occultata fuit sub modio, quod Virginis*
,, *ipsius vita, & sanctitas, ad Apostolicæ Sedis, & vestram notitiam non*
,, *pervenit. Sed nunc in Regno ipso stabilitate Domini divina miseratione*
,, *concessa. Illust. Dominæ, Dominæ nostræ, Elisabeth Boemiæ, & Polo-*
,, *niæ Reginæ pater misericordiarum Dominus spiritum suscitavit, ejusque*
,, *cor in amorem, in honorem ipsius Virginis, quæ quidem Virgo ipsius Dominæ*
,, *Reginæ fuit avia, sic acendit, ut ad Sanctitatis V. pedes memoratæ Vir-*
,, *ginis sanctitate deducta, supplicaret & peteret, ut illum venerabilem, san-*
ctum

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

* *Post verba Inquisitionis removere hæc etiam alia addenda:* Hoc anno Fr. Raymundus Minorita, Episcopus Aversanus, Caroli Ducis Calabriæ, filii Roberti Regis, Cancellarius, dum per Lombardiam Carolū comitatur, detegit multiplices hæreses Cecci Asculani, Piceni, Astrologi judiciarii, qui necessitati rerum omniū evētus adscribebat, neque ullam admittebat libertatem in rebus humanis, omnia astrorum tribuens virtuti, etiam ipsam Christi Domini Nativitatem, de quo indigna, & horribilia proferebat. Tamdem hoc anno die 16. Septembris Florentiæ combustus est.

„ *ctum, & Deo gratum Thesaurum jam diu lucentem in cœlis, super publi-*
„ *cæ ac universalis agnitionis candelabrum vestræ sanctitatis benignitas po-*
„ *nere dignaretur, in terris Virginem ipsam Sanctorum Catalogo adscribendo.*
„ *quod & nos sanctitatis vestræ advoluti genibus, humilitatis nostræ instan-*
„ *tia supplicamus.*

Fr. Albertus Episcopus callen. Fr. Antonius Sagonen.

XXV. Episcopi electi sunt hoc anno frater Albertus de Sicardis ad Ecclesiam Callensem, tunc Pontifici Romano immediate subjectam, in ditione Marchiæ Anconitanæ, per depositionem Petri, quia Superantiæ & Comitibus de Monteferetro Ecclesiæ hostibus adhæsit: *Suscepti regiminis* II. Idus Martii, Frater Antonius ad Sagonensem in insula Corsicæ sub Archiepiscopo Pisano per translationem Fratris Guillelmi Minoritæ ad Tergestinam, uti diximus anno præcedenti: *Pastoralis officii*, XIII. Kal. April. Frater Nicolaus ad Ajaciensem in Armenia, sub Catholico Armenorum, jamdudum pastore destitutam: *Summi dispositione rectoris* XVI. Kal. Novemb. Frater Joannes de Ancona Inquisitor hæreticæ privitatis in Marchia Anconitana, ad Ecclesiam Senogalliensem, Pontifici Romano immediatæ subjectam, per translationem Friderici ad Ariminen: *Licet continuata*, VII. Idus Novemb. Frater Rodulphus ad Dunensem in Hibernia, sub Archiepiscopo Armachano per obitum Thomæ: *Dum ad universas* II. Idus Decemb. Frater Matthæus de Castro Petri ad Balneoregien. Pontifici Romano immediate subjectam, per translationem Tramii ad Urbevetanam: *Licet continuata* III. Nonas Octobris.

An. 1327. n. 16. Fr. Nicolaus Ajacen. F. Joan. Senogallien. Fr. Rodulphus Dunen. Fr. Matthæus Balneoregien.

Ex lib. 4. anni 13. epist. 1078. & seqq. Mittuntur operarii in Persiam & Indiam. *Ex secret. an. 13. fol. 37.* *An. 1327. n. 1.* Gullel. Alben. pacificator inter Principes.

XXVI. Alios electos Episcopos ex Ordinibus Prædicatorum & Minorum misit Pontifex hoc anno simul cum plerisque operariis ex utroque Instituto ad Imperium Persidis, ad interiores Indias, ad Imperium Elgigaday, ad terras Chorasan, Turquetam Indostan in India minore constitutas, quos efficacibus repetitisque litteris commendavit illarum gentium Principibus. Magnam etiam secundo mandavit provinciam Guillelmo Episcopo Albensi, de quo supra, pacificandi partes Lombardiæ, Sabaudiæ, & Pedemontium, atque ut inducias inter Robertum Regem Siciliæ ex una parte, & Manfredum, Vuillelmum, aliosque Marchiones de Carreto ex altera jam initas, protraheret a Kalendis Novembris usque ad integrum annum, fecit potestatem.

Moritur Fr. Bernardus de Columna. *Rodul. fol. 158.*

XXVII. Obiit hoc anno in festo Omnium Sanctorum ad Aracœli vir doctus & nobilis frater Bernardus Columna, in Sacra Theologia Magister, qui provinciam Romanam aliquot annis prudenter gubernavit. Sepultus est ad ostium Sacrarii, sub lapide marmoreo pedibus transeuntium ita trito, ut inscriptio sepulcri evanuerit. Floruerunt in illa æde plures viri graves ex tribus primariis Urbis familiis, Columnensi, Ursina, & Sancti Eustachii Comitum Tusculanorum, atque ex hac obiit ibidem anno MCCC. frater Matthæus de sancto Eustachio Minister provinciarum Sancti Francisci & Romanæ, sepultus est in eodem loco prope sepulcrum Columnensis. Obiit etiam die Martis in hebdomada Paschæ Magnus Minoritarum Protector & benefactor, in Hibernia Dom. Thomas filius Joannis vir princeps, secundus Comes Kildariæ, Justitiarius Hiberniæ, & Dominus de Offaly, qui construxit sacellum Beatæ Mariæ in Monasterio Minorum Kildariæ, in quo sepultus est, cum Joanna de Burgo filia Richardi de Burgo, Comitis Ultoniæ, ejus conforte.

Fr. Math. de S. Eustachio. *Annales Hiberniæ.* *Chron. Flasburii.* Thomas Comes Kildariæ.

Fr. Carolus Dux Calabriæ. *Summont. lib. 3. histor. Neapol.*

XXVIII. Demum rebus humanis exemptus est alius singularis Instituti patronus Carolus Dux Calabriæ, primogenitus Roberti Regis Siciliæ, justitiæ ex recto & æquo administrandæ, si quispiam alius, studiosus. Aliquis marmoreum illius simulacrum, throno sublimi conspicuum exscripsit, quod manu gladium, conchæ seu vasi ante pedes posito, ex quo quidem agnus & lupus

lupus intrepide biberent, inditum teneret, & pedibus superpositis humeros utriusque animalis premeret: scilicet significandæ justitiæ, & æquinimitati, quibus universos subditos mirabili concordia devinceret. Sepultus est in Ecclesia Clarissarum Neapoli, sepulcro incisum epitaphium alias exscripsimus. Per plures dies ante mortem habitum assumpsisse Minorum, scribit Pisanus. Ejus affectum erga eosdem, eorumque Institutum plane probat istud diploma hoc ipso anno datum, quo rigorose cavet ne ullus obloquatur Minoribus propter fugam Cæsenatis, nec propter Antipapatum Corbarii. Illud ex ipso regesto Caroli extractum accepimus a viro probo, nostro amico, Bartholomæo Chiocarello, Regni Neapolitani docto antiquario. *An. 1310. n. 20.* *Ante mortem suscipit habitum Minorum.* *Pisan. conf. 11. in custod. S. Benedicti.*

Carolus Illustris Hierusalem, & Siciliæ Regis Roberti primogenitus, Dux Calabriæ, ac ejus Vicarius generalis. Universis & singulis Officialibus quacumque distinctione notentur per totam Provinciam Calabriæ constitutis, aliisque præsentibus & futuris fidelis &c.

XXIX. *Habet humanæ fragilitatis conditio, quod dierum crescente malitia, ejus & temporis pericula invalescunt super orbem, tumentes fluctus tempestatis insurgunt, cum diversis guerrarum turbinibus, quasi quibusdam undis intumescentibus laceratur, scilicet tunc motus tempestatis ejusdem consueverunt altius elevari, cum orbis Magnates ipsarum guerrarum fluctibus involvuntur. Sane cum sub sole novum aliquid non subsistat, si damnatus Bavarius, de Ordine Minorum, qui dici potest extra Ordinem, tamquam a via veritatis devians, in læsionem orthodoxæ fidei in Urbe prophane fecerit Antipapam, quæ ejus civium exposcentibus meritis, & sacræ Scripturæ integritate servata, nunc Babylonia nuncupatur, & aliquis de eodem Ordine malevolum animum longo tempore ostenderit jam conceptum, ex iis non est habendus Ordo ipse contemptui, cujus professorum vita exemplis & doctrina pariter, sicut manifestum est omnibus, regulamur & vivimus, & de tenebris ad lucem ducimur sempiternam, cujus via gesta magnifica, futuris seculis excelsa extollenda præconiis, mentes hominum instruunt ad salutem, cujusque Fratres Columnæ sunt fidei, & in solida firmitate conservant evangelicam Christi vitam. Etsi namque inter Apostolos inimicus hostis insidians, unum ex eis fecerit a salutaribus monitis deviare, qui vocatus ad gloriam, effectus est possessor perpetuus tenebrarum, reliquis in Christi morantibus gloria, Patris, & Filii, ac Spiritus sancti in una Deitate manentium glorificantibus nomen; sancti Fratres jam dicti, qui in erroribus, superioris eorum non sequuntur vestigia, nec ex dolore capitis divina ministrante clementia, & Confessoris egregii beati Francisci suffulti meritis, tamquam membra sana & vivida illam sentiunt læsionem, caritativi sunt pertractandi affectibus, & tam ex iis, quam zelo integræ devotionis, quo dictus Dominus genitor noster, & nos ad Ordinem ipsum afficimur præsidialibus subsidiis confovendi. Eapropter fidelitatem vestram monendam providimus, vobis nihilominus injungentes, quatenus Ministrum dictæ Provinciæ, Fratres omnes & loca ejusdem Ordinis benigne in Domino, amabiliter & gratiose tractantes, nihil eis verbo aut opere, occulte vel publice inferatis, seu inferri, vel dici injuriosum aliquid, aut turbulentum quomodolibet permittatis, quinimo præsumentes forte contrarium, aut contra eos vel ipsorum aliquos, quos tenerrima affectione diligimus, forsitan obloquentes, sic compescere per impositiones pœnarum, exactionesque earum, & alia juris remedia studeatis, quod in pœna sentiant quid sit Christi & Ecclesiæ fidelibus, devotisque paternis* *Encomia Ordinis Minorum.*

& nostris detrahere vel obesse præsentibus &c. Datum Aquilæ per Dominum Rogerium Marchisium de Salerno, hospitii nostri judicem domesticum, consiliarium, familiarem & fidelem paternum, & nostrum, anno Domini MCCCXXVIII. *die* XVI. *Julii* XI. *Indiction. Regnorum dicti Domini Patris nostri &c. anno* XX.

Philippus de Majoricis novâ excogitat familiam Franciscanam. *Bernar. ep. 174. Vide an. 1340.*

XXX. Omnem adhibuit modum & artem exercuit discordiæ, & schismatis auctor Satanas, ut religionem perturbaret, & variis inductis normis vivendi, sub eadem regula diversas statueret familias, quæ sibi invicem adversarentur, & fraternam discinderent unitatem. Peregrino enim ductus spiritu Philippus de Majoricis, adhibitis sibi quibusdam sociis suæ vanæ cogitationis, & præsumptæ novitatis, quæ *mater temeritatis, soror superstitionis, & filia* dicitur levitatis, statuit novum adinvenire genus Instituti Franciscani; volens statim admitti ad magnæ illius perfectionis, quam præferebat professionem, homines eo usque degentes in seculo, quasi unico saltu, deposita dumtaxat veste exteriori, ad illam perveniendum erat excellentiam vitæ, propter quam omnes Minoritas aspernabantur. Ipsum audi humiliter loquentem, sed superbiæ, & præsumptionis aculeum in cauda observa. Supplicem ejus libellum, quem singulari exemplo in regesto Pontificio inveni rescriptum, hic subnecto ad posterorum doctrinam, ut hujusmodi heteroclita peregrini cerebri portenta statim repellantur, & dutam, uti hic sensit, patiantur repulsam.

Supplicatio Philippi de Majoricis.

Ex secret. an. 13. fol. 176.

XXXI. S*Upplicat. S. V. qui estis Vicarius Jesu Christi in terris, qui de domus suæ divitiis descendit in uterum pauperis Virginis, ut paupertate nostræ carnis indutus pænitentiæ viam arctam sumeret, & per crucis ignominiam gloriosus ad Patris ascenderet dextram, Philippus de Majoricis Thesaurarius, beati Martini Turonen. pro se & sui propositi sociis præsentibus & futuris; quod cum ipse, licet peccator, fide Christianus sit, fidei opera habere desiderans, & ideo non solum præcepta, sed & Evangelica Christi consilia a juventute servare affectans, & ex omnibus viis salutis illam solam præelegit & præeligit, ad quam præeligendam est & esse vult voto astrictus, scilicet regulam beatissimi Francisci, quæ beato Francisco per Spiritum sanctum inspirata est, & passionis Christi signis solemniter confirmata, de qua idem Sanctus in suo testamento dicit sic:* Ipse Altissimus revelavit mihi quod deberem vivere, secundum formam sancti Evangelii, & ego paucis verbis simpliciter feci scribi, & Dominus Papa confirmavit mihi. *Et iterum circa finem testamenti sui loquens Fratribus, ait:* Dominus dedit mihi simpliciter & pure dicere, & scribere regulam & ista verba, ita simpliciter & pure sine glossa intelligatis, & cum sancta operatione observetis usque in finem. *Hinc igitur tanti Patris admonitioni toto desiderio cordis adhæreo, eos tamen qui summorum Pontificum expositiones & declarationes receperunt, in nullo tango, quia in via Dei alius sic ambulat, alius sic: sed ego ipsam beati Francisci regulam simpliciter, & pure intellectam, & sine glossa, in qua promittitur Evangelii Christi observantia, cujus Evangelii vita a Christo exemplata & tradita est fidem Evangelii tenentibus, sicut sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ filius: vestris, Pater sanctissime, pedibus subditus, & subjectus, a vobis regulam ipsam, & vitam, tamdiu desideratam libenter, & libere observandam, cujuspiam contradictione cessante, mihi & mei propositi sociis præsentibus & futuris concedi prostratus, & genibus flexis exposco: vo*ta-

tamen in societate Fratrum Minorum, qui hodie sunt, nec sub obedientia Ordinis Prælatorum, propter dissonantiam voluntatum inter ipsos & nos: sed sicut illi, qui Cisterciensium Ordinem inchoaverunt, a nigris Monachis se sequestrasse dicuntur ad regulam sancti Benedicti perfectius observandam. Sic & ego pro me & mihi adhærentibus peto, humiliter supplicans me & socios, qui inspirante Deo, una mecum præfatam regulam & vitam servare desiderunt, vestræ Sanctitatis auctoritate, ad ipsam seculo demisso, recipi, & ex speciali gratia statim ad professionem admitti: maxime cum omnes, quos nunc mecum associabo, probationis annum vel annos, quantum ad notitiam, & exercitium vitæ religiosæ, existentes in seculari habitu tenuisse possint dici; qua professione facta, liceat nobis regalam prædictam Domino juvante, servare, eleemosynas pro Christo mendicare, eleemosynisque & laboritio manuum sustentari. Ubicumque cum Diœcesani Episcopi licentia, & assensu illius, qui terram sive fundum potest concedere, & non alias nisi hæc duo intervenerint, loca recipere extra villas. Ubi vero non essent Episcopi Catholici, seu Romanæ Ecclesiæ obedientes, seu nulli penitus auctoritate vestra loca, quæ obtinere poterimus, sive infra Villas, sive extra, prout secundum Deum nobis expedire videbitur, accipere & ibi Domino deservire. Oratoria & alia ædificia opportuna nostræ professioni congruentia ædificare, & ædificata recipere, sed sicut peregrini & advenæ habitare in illis, qaamdiu diœcesanis Episcopis, ubi fuerint Romanæ Ecclesiæ obedientes, placuerit, & ubique terrarum quamdiu placuerit illis, qui loca nobis concesserint; & cæmeteria pro Fratribus nostris sepeliendis habero, & in ipsis de Sacramentis Ecclesiasticis providere, quodque mandet vestra Sanctitas diœcesanis Episcopis, Curatis, & plebium Rectoribus, ceterisque personis Ecclesiasticis, & universis Christi fidelibus, quatenus omni cessante contradictione, sic se gerant erga nos, qui nulli viventi injuriosi seu damnosi esse volumus, sed propter Deum omnibus subjecti, quod statum nostrum libere nos servare permittant. Super præmissis vero omnibus vestræ Sanctitatis privilegium, & litteras Apostolicas supplico mihi concedi, & propositi mei sociis præsentibus & futuris, mandarique nobis in ipsis litteris, per sanctam obedientiam ad præservationem relaxationis in posterum, quatenus omnes hujus fraternitatis, qui recipientur ad professionem, cum promittant regulam, testamentum etiam ipsius beati Francisci, quod regulæ mandavit adjungi, servare promittant. Dignetur autem S. V. omnes hujus fraternitatis, ad quos spectabit Fratres recipere, sollicito in hoc privilegio exhortari, ne unquam præsentes, vel futuri recipiant aliquem, quantumcumque alias bene conditionatum, nec receptum ad professionem admittant, nisi ipsum firmiter fervorem spiritus, & fervidam devotionem, & solidam habere cognoverint, quantum humana fragilitas nosse sinit. Placeat insuper clementiæ Apostolicæ, nunc & in perpetuum, unum de sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus dare Gubernatorem, protectorem & correctorem ipsius fraternitatis, ut semper subditi & subjecti ejusdem sanctæ Ecclesiæ pedibus, stabiles in fide Catholica, paupertatem & humilitatem, & ut adhuc verbis utar regulæ, sanctum Evangeliam Domini nostri Jesu Christi, quod firmiter promisimus observemus. Perfectionem, Pater sanctissime, quam peto pro me & propositi mei sociis, licet ea indignus sim, peccatis exigentibus, indignius tamen est, eam mihi denegari. Et sicut a Spiritu sancto est via perfectionis christianæ, quam postulo, sic a spiritu maligno esse denegationem ejus non dubitant fidei Catholicæ vitam & genera extimentes. Si denegetur ergo, quid restat? Audient certe cœli quæ loquor, audiet & terra verba oris mei.

Tom. 5. an. 1283. n. 12.

Conv. Asteriaci.

XXXII. Diximus alias, Bernardum Comitem Asteriaci curasse, ut extrueretur Minoritis Cœnobium in oppido Mirandæ, Auxitanæ diœcesis in Aquitania: at hoc anno nobis occurrit monumentum Vaticanum, in quo ipse narrat Bernardus, non tam seipsum, quam Martham conjugem suam, de propria salute cogitantem, illud ædificasse in proprio fundo prædicti oppidi: attamen in tam arcto spatio, ut pro horto & necessariis officinis situs deesset. Petiit itaque, ut non obstante contradictione superioris Prioratus dicti oppidi, Cistercien. Ordinis, & aliorum, illud liceret ampliari. Ex hoc itaque argumento & subsidio præstito uxoris pietati, nihil mirum si & illi fundatoris nomen communicetur: *Significavit nobis*. VIII. Kal. Junii. Occurrit etiam mentio Conventus Montilii Ademarii, Valentinæ Segaulanorum in Gallia diœcesis, in commissione data Episcopo Tricassino & Guardiano prædicti loci Ordinis Minorum, ut inviolabiliter observari facerent inducias centum annorum, in Pontificis præsentia statutas, inter Guillelmum Episcopum Valentinum & Dien. ac nobilem virum Ademarium de Pictavia, eorumque posteros, quas non sine magno populorum discrimine & Dei offensa, per hostiles & mutuas offensiones violare cœperunt. Hunc puto esse Conventum, quem Pisanus & Rodulphus recensent in Provincia Burgundiæ & Custodia Viennæ. In quodam diplomate ad Isabellam Angliæ Reginam meminit Pontifex Conventus Cantabrigien. diœcesis Eliensis, quem fundasse Eduardum primum narrat Harpsfeeldius in catalogo religiosarum ædium in Comitatu Cantabrigiæ.

Conv. Montilii Ademarii.

Ibidem fol. 54.

Ibidem fol. 195.

Conv. Cantabrigien.

Gonza. in Prov. Terræ labor. Con. 8.

Conv. S. Agathæ Cajetæ.

XXXIII. Circa hunc annum ad tertium lapidem a civitate Cajetæ, supra editum montem, quidam anachoretæ Tertii Ordinis sancti Francisci sumptibus Cajetani Episcopi, Cœnobiolum, divæ Agathæ sacrum, ædificaverunt, cujus Ecclesiam ipse idem Pontifex anno MCCCXXXVII. consecravit. Paulo post anno videlicet MCCCXCV. Tertiarii loco cessere, ita rogante Regina Margarita, olim Caroli Dyrrachani Neapolitani Regis uxore, quæ illuc ut belli calamitates fugeret secessit, & jubente Bonifacio IX. datus fuit Minoritis, ac demum iis, qui de regulari observantia nuncupantur. Traxit hic aliquando moram sanctus Bernardinus, cujus adhuc ibidem apparent vestigia. Monumenta Provinciæ Marchiæ in Custodia Firmana monent, hoc anno translatum Minorum domicilium intra oppidum Sarnani, a sancto Francisco, ut tradunt primitus extructum. Miror, hujus loci non meminisse Pisanum aut Rodulphum.

Conv. Sarnani.

Monast. Asturicen.

Gonz. in Prov. S. Jacobi Monast. 8. Monum. MSS. ejusdem Prov.

XXXIV. Ad Asturicam, vulgo *Asterga* in Hispania fundavit hoc anno Clarissis celebre Monasterium Alvarus Nunez, Lemosius Comes, Alphonsi II. Regis Oeconomus. Temporis tractu adeo adventantium Sororum dotibus & eleemosynis ultro a fidelibus oblatis excrevit, ut capacissimum & numerosissimum evaserit virginum, & virtutis seminarium. Ex ejusdem Alphonsi Regis privilegio immune est a quacumque Regia exactione, seu vectigali. Floruerunt in hoc Cœnobio plurima virtute multæ Sorores, ex quibus hæ notiores; Maria Alphonsi prima fundatrix, seu disciplinæ regularis magistra, a discipulis sanctæ Claræ instructa, quæ obiit anno MCCCXLVII. & sepulta est in claustro. Corpus magna veneratione prosequuntur Moniales, ob pleraque miracula illius intercessione patrata: Sorores Agnes, & Maria de la Vega, Francisca de Aravio, Agnes Asturicensis, Anna de Meneses, Maria de Ordas, Francisca Cornejo, & aliæ, quarum vitas commodius ipsis annis, quibus obierunt, enarrabimus.

Monaster. Castri de Ordeales.

XXXV. Olim in Castro de Ordealibus, in finibus Cantabrorum maritimis constructum fuit, ex licentia Matthæi sanctæ Mariæ in Porticu Diaconi

Car-

Cardinalis, Ordinis Protectoris, Monasterium Clarissarum, quod ex communi castri infortunio inter alia ædificia ignis absumpsit. Ita narrat Joannes Pontifex in suo diplomate, quo hoc anno licentiam concedit aliud construendi, & communibus castri ac peculiarium facultatibus, pro virginibus, viduis, pupillis & orphanis, quarum parentes & consanguinei, ex frequenti maris vexitatione peribant: *Nuper dilecti filii*. Kalend. Decembris. Quo fit, ut minus verum esse possit, quod scribit Gonzaga, primum Monasterium inchoatum anno MCCCXXII. ex licentia hujus Pontificis Joannis, favente prædicto Cardinale Rubeo Ordinis Protectore. Etenim nihil horum refert prædictum diploma, neque Matthæus Cardinalis sub illo anno, aut sub Joanne huic fabricando loco potuit favere; quippe mortuus, sub Clemente V. anno MCCCV. Joannem non vidit Pontificem. Disciplinæ regularis Magistræ evocatæ sunt ex Monasterio Provinciæ Castellæ, cui tunc Cantabrica suberat Custodia. Locum pluribus munierunt privilegiis Pontifices Romani & Reges Castellæ. *Gonza. in Prov. Cantab. Mon. 5.* *Ciacon. in Clem. V.*

XXXVI. Abbatissæ & Monialibus Monasterii sanctæ Claræ Nemausen. omnia concedit Pontifex privilegia, quæ sui prædecessores elargiti sunt Clarissis Avenione: *Annuere consuevit*. XIII. Kal. Octobris. Tulit sententiam anno superiori Pontifex in favorem Prædicatorum & Minorum, qua irritum & nullum voluit processum contra eosdem compactum, per Officialem Archiepiscopi Burdigalen. & revocavit censuras in eosdem latas, qua irritati Curati, Rectores, & Canonici Ecclesiarum in nulla processione, seu supplicatione publica eos admittebant. Scripsit hoc anno Pontifex Archiepiscopo & reliquo Clero, ne adeo graves, duros, aut asperos, sed favorabiles, propitios & benignos erga eos se studerent exhibere: *Gravem dilectorum*. IV. Kal. Julii. *Ann. 1317. n. 21.*

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. SUmmus Pontifex in tot adversis, licet in sibi & Pontificiæ auctoritati valde infestos terribilia canonum fulmina intorqueret, „ numquam tamen in universum Ordinem Minoriticum, quem imo semper „ laudabat, atque commendabat, ejusdemque nonnullos ad Ecclesiasticas „ dignitates, & honoris officia, evehebat, ac eorum etiam loca variis gratiis decorabat. Etenim præter recensita a Waddingo, Ministro Provinciæ Castellæ executorialem commisit: *Quamvis moleste &c.* Idibus Januari: ad Episcopos scripsit pro quarta funerali: *Significavit nobis* II. „ Kal. Aprilis: Conventui Auximano indulgentiam concessit: *Licet is &c.* „ VIII. Kal. Junii: quemdam fratrem Robertum ab officiis Ordinis exemit: „ *Significavit nobis &c.* II. Idus Junii: Minoritas in Persia, & in India „ Minori constitutos, duobus datis diplomatibus ejusdem tenoris & datæ „ commendavit: *Votis zelamus &c.* XII. Kal. Septembris: & Guardiano „ de Montilica *de Mare* executorialem expedivit: *Dudum venerabilis &c.* „ X. Kal. Septembris: præterea Comitissæ Juliacensi ingressum Monasterii „ indulsit: *Exigit tuæ &c.* sicut etiam Ducissæ Brabantiæ, per aliud Breve: „ *Personam tuam &c.* ambobus IX. Kal. Februarii expeditis.

Satis luculenter, atque diffuse ab Annalista tragedia Schysmatis superius recensetur; non ergo est opus ipsam fere ad verbum repetitam a Melissano iterum exarare.

Indic. ex Vatic.

ARGUMENTUM.

Celebrantur Parisiis Comitia Generalia. Ordinis obedientiam commendat Pontifex. Deposito e suo gradu Cæsenate, substituitur Gerardus Odonis, & terminatur controversia de paupertate Christi. Pacificandis rebus Italiæ mittit Pontifex Minoritas, & convertendis Persis alios amandat. Recensentur Inquisitores, Episcopi, & Domicilia hoc anno extructa.

Capitulum Generale 41. Parisiis. Ann. 1328. n. 17.

I. Cardinalis Bertrandus Ordinis Vicarius indixerat hoc anno Comitia generalia celebranda Parisiis, ad votum Joannæ Reginæ Galliarum, quam diximus studiose egisse cum Patribus Comitiorum Bononiensium, ut proxime futurum Capitulum Lutetiæ cogeretur. In triennium hic cœtus differretur, nisi providendum foret de Generali Ordinis Ministro, cujus vices licet gerebat, non tamen complebat Bertrandus Cardinalis. Ut pacifice omnia fierent, & religiosius cuncta transigerentur, quosdam Ministros, & Custodes, vel Cæsenati favorabiles, vel regulari disciplinæ adversos, Cardinalis sua auctoritate destituit, quorum loco alios instituit, & nova veteribus addidit suffragia, rata habente singula Pontifice, & peculiari diplomate confirmante. Ex his non immerito suspicatus est Cæsenas, se Fratrum suffragiis e Ministerio Generali dejiciendum, quamvis enim publica Pontificis sententia ab hoc officio fuerit merito deturbatus, attamen spes erat, si Pontifex grandævus obiret, suo loco restituendum, dum ipsius Ordinis suffragiis alius non substitueretur. Egit itaque, per litteras & amicos cum Regina Galliæ Joanna, ut curaret differri Comitia, quæ suggerebat, in magnum periculum Religionis supplantandæ, intempestive ante tempus in Regula a sancto Francisco præscriptum indici. Ad horum votum efficacissimas scripsit illa litteras ad Pontificem, quibus suam suspicionem & metum affligendæ vel profligandæ Religionis indicavit. Reddidit gravissimas sane, & affectu paterno plenas Joannes, quas hic subjungo.

Curat ea differri Cæsenas.

Et Regina Franciæ.

Joannæ Reginæ Franciæ Illustri.

Ex secret. an. 13. fol. 124.

Respondet Pontifex non licere. Ovid. ep. 1.

II. *Lœta manu receptis litteris Regiis, nobis per dilectum filium Remigium de sancta Margareta, civem Lugdunensem, novissime præsentatis, ipsarum nobis innotuit series sincerum affectum, quem ad nos statumque nostrum pacificum, ac Fratrum Ordinis Minorum statum prosperum gerit Regia Celsitudo. Et quia* res est solliciti plena timoris amor, *licet alias eumdem Ordinem Regia circumspectio nobis duxerit commendandum, nosque intentionem nostram per nostras sibi duxerimus litteras explicandam; quia tamen lingua tertia contrarium ejus, quod scripsimus, non est verita seminare, recommendationem ejusdem Ordinis iterat, & de iis, quæ profert lingua tertia, an veritati consonent, per nos postulat edoceri. Profecto, filia carissima, responsionem, quam tibi super præmissis per nostras fecimus litteras, oblivio de nostra memoria non delevit. Et ut de affectione, quam ad eumdem Ordinem gerimus, sollicitudini Regiæ satisfiat, indubie volumus excellentiam Regiam istud scire, quod ex tunc affectus noster ad eumdem Ordinem auctus est merito, non mutatus. Ex tunc enim, non obstante quod ille Petrus de Corbario, reputatione frater ejusdem Ordinis, Cathedram beati Petri præsumptuose nimium tentavit occupare, seque summum Pontificem a suis sequacibus fecerit nominari. Michael quoque olim eorum Minister non-*

nul-

nullis suis sequacibus a nostra, & Sedis Apostolicæ obedientia se, velut schismaticus & hæreticus, duxerit subtrahendum, ministrisque dicti Ordinis, & aliis Fratribus Petrus & Michael supradicti, sub pœnis gravibus per suas litteras duxerit injungendum, ne venerabili Fratri nostro Bertrando Episcopo Tusculano, quem dicto quousque de Ministro ordinatum foret, Vicarium dedimus, in aliquo non parerent, nec nostras, seu ejusdem Vicarii sententias excommunicationis, vel alias nullatenus observarent, sed interdicta per nos posita violarent: Ordo tamen prædictus generaliter ubique, paucis exceptis personis vilibus, quæ fere omnes propter eorum delicta dudum carceri adjudicati fuerant, vel erant præsentialiter judicandi, adeo prompte & plene nostris, & dicti Vicarii paruere mandatis, sicut unquam summo Pontifici, vel suo vero Ministro paruit dictus Ordo. Interdicta quoque nostra servaverunt, ubi potuerunt, Fratres dicti Ordinis, ubi vero non potuerunt, fugientes de locis illis, se ad loca ubi servare poterant, transtulerunt. Contra fautores quoque Petri, & Michaelis tam Inquisitores hæreticæ pravitatis ejusdem Ordinis, quam Ministri, & alii, ad quot poterat pertinere, diversos processus fecerunt, & sententias protulerunt, ac in præsenti omnes Ministri, & Fratres alii pro generali Ministro opportune spretis mortis periculis, quod erat incredibile, properant versus Parisios gressus suos. Nonne per hæc, filia carissima, meruit dictus Ordo, sed & promeruit merito gratiæ & favoris augmentum. Quod autem de prorogando Capitulo dictæ litteræ continebant, cum jam Ministri omnes Italiæ, & Fratres alii pro generali Capitulo opportune transissent Alpes, & versus Parisios cum omni festinatione dirigerent gressus suos, non potuimus exaudire, pro certo tenentes, carissima filia, quod qui tibi talia suaserunt, aut hæc fecerunt, dolosa suggestione seducti, vel quia Ordinem non diligunt, vel modum nesciunt diligendi. Expedit equidem Ordini supradicto, ut potius regatur per Generalem Ministrum, qui possit loca visitare, prout expediens viderit, quam per Vicarium, cui hoc forsitan non licebit. Volumus autem indubie, filia carissima, te tenere, quod generale Capitulum in instanti festo Pentecostes celebrandum, fuit per præcedens generale Capitulum, juxta statuta ejusdem Ordinis, ordinatum; licet enim de triennio in triennium sit generale Capitulum in dicto Ordine celebrandum, hoc locum habet, cum superest Generalis Minister. Sed si interim morte generalis Minister esse desierit, vel alias Ministeriatus officio sit privatus, sicut fuit præsenti tempore, in instanti festo Pentecostes est generale Capitulum celebrandum. Ceterum desideramus, filia carissima, continue utriusque Regalis excellentiæ habeas sospitatem, quam ille dignetur concedere, cui cum voluerit, subest posse. Datum Avenione III. *Nonas Maii, Pontificatus anno* XIII.

Totus Ordo obedilt Joanni Pontifici.

III. Luculentum & honorificum præbent hæ litteræ testimonium contra Ordinis calumniatores, qui scribunt in duas partes scissum, potioremque Bavaro, & schismaticis adhæsisse. Etenim universum Ordinem, ait Pontifex, prompte & plene sibi obsequutum, exceptis paucis personis vilibus, quæ, ut pœnas Ordinis fugerent, transibant ad opposita castra. Atqui hinc aperte exploditur inane illud quorumdam commentum, dicentium hoc tempore immutatam formam capitii, & quod eousque erat quadrum, aut acuminatum evasisse rotundum; ut scilicet per rotundum distinguerentur Pontificiæ partis studiosi, & per acuminatum cognoscerentur schismatici. Præterquam enim, quod in universo Joannis regesto, neque verbum quidem hujus appareat mutationis, ubi nihil non minutissime, quod ad præsens schisma pertinet, adnotatur: ex ipsius testimonio, his litteris exara-

Refellitur aliquorum calumnia.

Non hoc tempore immutata forma capitii.

rato, apparet, haud opus fuiſſe hoc externo ſigno diſtinctivo, ubi omnes unius erant Catholicæ & Romanæ factionis, paucis vilibus excluſis. Unde
Tom. 4. an. 1260. n. 17. in eadem, quam alias ſcripſi perſiſto ſententia, a ſancto Bonaventura hujus rei emanaſſe originem, neque ad alium auctorem eſt, qui ſolide, & vero ſimiliter referat: huic vero adſtipulantur opinioni boni & graves, etiam exteri, quos citavi auctores. Verum eſt, aliquos antiqui capitii tenaciores ſub eo inceſſiſſe, poſt condita a Bonaventura ſtatuta: attamen hi pauci, & ſub hoc, de quo ſcribimus, anno nulli ferme ſuperſtites. Quo fit ut irrationabiliter opinentur, qui velint primum capitii genus uſque ad annum MCCCC. perſeveraſſe.

IV. Ceterum cum Pontifex Reginæ Joannæ precibus circa differenda in aliud tempus Comitia haud aſſentiendum judicaverit, neque commode potuerit, commotis jam a ſuis ſedibus Patribus Capitularibus, ſcripſit ad omnes ſequens diploma, quo ad meliora æmulanda chariſmata, & bonum eligendum excitavit præfectum, impenſiuſque rogavit, ut pro ſe, & turbato Eccleſiæ ſtatu ferventer orarent.

Definitoribus Capituli Generalis Ordinis Fratrum Minorum, & ceteris Fratribus ejuſdem Ordinis, Pariſiis in ipſo generali Capitulo congregatis.

Ibid. fol. 124. Luca 22. 32. V. N*Oſtis, filii dilectiſſimi, quomodo Satanas*, ut ſicut triticum vos cribraret, *vos expetivit periculoſe nimium his diebus: ſed ne fides veſtra deficeret, quinimo ut quibuſvis ſpretis periculis perſiſteretis in ea intrepidi, Domini Jeſu Chriſti Salvatoris noſtri clementia, nonnullis a vobis ejectis ſpurcitiis, miſericorditer impetravit. Profecto, filii, ſi hanc attente conſideretis gratiam, ipſam de veſtra memoria ingratitudinis mater oblivio non delebit, nec in vobis ceſſabit jugis pro tanto beneficio gratiarum actio, nec vox laudis. Sane quia in præſenti Capitulo imminet de Miniſtro Generali creando tractatus, ſinceritatem veſtram hortamur in Domino, & rogamus attente, quatenus attendentes quod integritas præſidentium ſalus ſit ſubditorum, tantiſque periculis perverſum caput veſtrum religionem veſtram expo-*
Joan. 2. 25. *ſuerit, ad memoriam revocantes, ad illum, qui plene* novit, quid ſit in homine, *cujuſque oculis nihil latet, convertentes oculos mentis veſtræ, illum devotis pulſetis inſtanter precibus, quod ſic in electione hujuſmodi affectus veſtros dirigat, & illuminet intellectus, ut ad gerendum prædicti Miniſteriatus officium, per electionem unanimem & concordem, illum aſſumatis qui honori tanto, & oneri congruat, & qui non ſolum ſit utilis Ordini, ſed & orbi, quique ex tanta dignitate ſe noverit, velit & valeat reverendum reddere, ac ex humili miniſterio gratioſum. Et quia, juxta Prophetarum eximium:* magna opera Domini in concilio juſtorum, *nos hæc intentis*
Pſal. 110. 1. *optantes deſideriis in hac ſalutari congregatione veſtri Capituli generalis impleri, veſtram prudentiam exhortamur, quatenus ad ea, quæ Dei ſunt, ſalutem animarum veſtrarum reſpiciunt, Religionem foveant, & ejus decorem obſervent, adeo ſint corda veſtra concordia, & opera manifeſta, quod interius veſtræ Religionis veritas, & exterius famæ integritas conſerventur. Verum, quia ubi diſciplina contemnitur, neceſſe eſt, ut Religio naufragetur, vobis ſano conſilio ſuademus, ut circa illam obſervandam curetis vigilantiæ ſtudium adhibere, quam tamen ſic diſcretionis moderetur æqualitas, ne vel nimia remiſſio nutritiva ſit criminum, vel impia diſtrictio parricida virtutum. Et quia cum paucis unio in Congregatione diſſolvitur, neceſſe eſt,*

quod

quod totus ordo multitudinis confundatur, suggerimus vobis propensius, & hortamur in Domino, ut circumspectio vestra unitatem spiritus in pacis vinculo, curet vigilanti studio observare. Ad hæc, quia favor Prælatorum tam spiritualiter, quam temporaliter vobis noscitur multipliciter opportunus, curate quatenus in præsenti ordinare Capitulo, ut Fratres vestri Ordinis summopere vitent scandalizare Prælatos, nec in sermonibus seu colloquiis ipsis præsumant detrahere, sed sic ad eos se habeant humiliter & devote, quod ipsorum per hæc promereantur merito exuberantem gratiam & favorem. Porro, quia licet, sicut vestra prudentia non ignorat, hostis pacis & æmuli caritatis nequitia contra nos, & Ecclesiam adeo gravis suscitavit fremitum tempestatis, quod pene Petri navicula videbatur submergi: illius tamen pietas, qui in sui ascensione in persona Apostolorum suæ promisit Ecclesiæ, quod usque ad finem seculi secum esset, imperasse videtur tempestatis prædictæ fluctibus, ut quiescant, devote petimus, & humiliter supplicamus, ut in eodem Capitulo ordinetis, ut Fratres vestri Ordinis de tantis Ecclesiæ sanctæ Dei impensis beneficiis gratias devote referant, precesque fundant humiles & devotas, ut ejus cujus perfecta sunt opera *omnia, sic fluctibus præmissæ tempestatis imperet, quod fiat ex commotione tranquillitas, & auram hujus futura procella mitescat turbinis, & sileant fluctus ejus; Nosque cui tanti oneris imposuit sarcinam, non patiatur ipsius mole opprimi, sed potius operi manuum suarum dexteram porrigat, debilitatem nostram suo robore fulciat, suaque virtute sustentet, ac nobis scire posse, & velle tribuat, quod sic in commissi nobis executione regiminis suum beneplacitum exequamur, quod æternæ retributionis gloriam cum grege nobis credito de suæ benignitatis gratia consequamur. Datum Avenione* VIII. *Kalend. Junii anno* XIII.

Matth. 18. 20.

Deuter. 12. 4.

VI. Alias haud dissimiles litteras affectu & amore plenas misit ad eosdem Patres Sancia Regina Siciliæ, & Hierusalem, Ordini addictissima, in quibus ferme eadem quæ Pontifex inculcat, quas in tantæ pietatis memoriam hic exscribo.

Sanciæ Reginæ erga Minores affectus.

Venerabilibus Fratribus, & filiis, Fratribus Minoribus, in generali Capitulo Parisiis proxime celebrando, Sancia Dei gratia Regina Hierusalem, & Siciliæ, humilis filia ac devota vestra, salutem in Domino Jesu Christo.

Vos *scitis, quomodo communis Pater, beatus Franciscus fundavit Regulam vestram super sancto Evangelio, & scitis votum vestrum, quale est, scilicet* Domini nostri Jesu Christi sanctum Evangelium observare, vivendo in obedientia, sine proprio, & in castitate; *& scitis quot sunt mandata, & admonitiones Regulæ vestræ. Ego rogo vos humiliter, & admoneo per Dominum nostrum Jesum Christum crucifixum, qui dignatus est suis pretiosis stigmatibus servum suum, eumdem Patrem, beatum Franciscum insignire, de quo legitur in Epistola ad Galatas*: Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. *Postea in eadem subjunxit*: Et quicumque hanc Regulam secuti fuerint, pax super ipsos, & misericordia, & super Israel Dei: de cetero nemo mihi molestus sit, ego enim stigmata Domini nostri Jesu Christi in corpore meo porto &c. *Et quia vos sequimini vestigia patris vestri, non dubitetis, quia dum talis Regula fundata est super tali fundamento, scilicet Evangelio sancto, & signata talibus signis, scilicet pla-*

Ejusdem litteræ ad Comitia generalia.

Ex Reg. 5. Franc. c. 1.

Galat. 6. 14.

plagis Domini nostri Jesu Christi, impressis in persona dicti patris communis, nullus potuit, nec potest, nec poterit eam frangere. Et Domina nostra, in qua ipse communis Pater in sancta Maria de Angelis incepit, & seminavit Ordinem vestrum, & in morte sua sibi specialiter commendavit, defendet, & gubernabit vos, nisi esset culpa vestra, qua deviaretis, quod absit, a via patris. Et recordemini verbi, quod dixit ipse pater in obitu suo: Valete filii omnes in timore Domini, & manete in eo semper, quoniam futura tribulatio appropinquat, felices qui perseverabunt. *Sic nulla tribulatio præterita, nec præsens, vel futura vos terreat, recordantes verbi Apostoli in Epistola ad Romanos:* Quis nos separabit a caritate Christi, tribulatio, an angustia, an fames, an persecutio, an nuditas, an periculum, an gladius? Sicut scriptum: quia propter te mortificamur tota die, æstimati sumus, sicut oves occisionis: certus enim sum, quia neque mors &c. *Ego spero in Domino Jesu Christo, qui dedit gratiam Apostolo suo, quod dabit vobis, & mihi, & illis, qui intendunt sequi vestigia Patris nostri, illam caritatem, & fortitudinem contentam in verbis præmissis, nisi, quod absit, impediat culpa vestra, & malitia. Ego, sicut filia vestra devota, offero me, & res meas, & corpus meum exponere morti, quando necesse esset ad defensionem ipsius Regulæ vestræ, quæ fuit in persona communis patris prædicti insignita stigmatibus Domini nostri Jesu Christi. Ultimo moneo vos, & recordamur vobis, quod in electione futuri generalis Ministri Dominum habeatis præ oculis, & nullus favor, nec preces, nulla offensio singularis vos seducat in electione ipsa: sed talem eligatis, qui sit paratus sequi patris vestigia, & dictum Apostoli, ut superius est dictum. Recommendo vobis Dominum maritum meum Regem Hierusalem, & Siciliæ, patrem & fratrem vestrum, & omnes de domo sua, & carissimum filium meum Ducem Calabriæ bonæ memoriæ, & omnes de domo Regia defunctos, & omnes alios tam vivos quam mortuos, quos intendo. Scripta Neapoli manu propria, & dictata per nos sine alicujus alterius ministerio, nisi solo divino propter merita vestra, anno Dom.* MCCCXXIX. *die* XV. *Martii* XII. *Indictione.*

Bonav. in legen. c. 14.

Rom. 8. 35.

Condemnatur Cæsenas.

VII. Congregati porro Patres ex universis Provinciis, & doctissimi Ordinis Magistri Parisiis, in festo Pentecostes, die XI. Junii, præside fratre Bertrando Cardinale, unanimiter & laudabili Christianæ religionis veritatisque zelo, simul cum universo studio Parisiensi declararunt iniquas & impias fuisse Cæsenatis, aliorumque schismaticorum contra Joannem Papam criminationes, ipsumque solum verum & legitimum esse S. R. E. Pontificem, & juste ab eodem Pontifice depositum fuisse ab officio eumdem Cæsenatem. Neque his contenti Patres, ut viam omnem occluderent ejusdem Cæsenatis machinamentis & sophisticis cavillationibus, communibus totius Ordinis suffragiis eum Ministeriatu generali Ordinis indignum, & privatum decreverunt. Deinde alium ejus loco substituerunt fratrem Gerardum Odonis, ita communiter nuncupatum, quem tamen Pontifex sæpissime in suis litteris Geraldum Ottonis appellat, virum venerabilem, Magistrum Parisiensem, in Provincia Aquitaniæ professum, Pontifici gratum & familiarem. In his comitiis omnino terminata fuit controversia de paupertate Christi, & explicata quæstionis difficultas, reducta ad concordiam decretali Nicolai III. & decisione capituli Perusini, ex verbis Nicolai desumpta, cum decretalibus Joannis Pontificis, quas de hac edidit quæstione. Qua ratione factum est, ut diuturna cessaverit tempestas, & facta sit in Ordine tranquillitas magna. Vel hinc apparet, quanti sit momenti in quacumque republica bonum habere rectorem

Substituitur Gerardus Oddonis, XVIII. Minister Generalis. Terminatur controversia de paupertate Christi.

rem, & quanti detrimenti malum pati superiorem; hic perturbat, ille serenat: hic destruit, ille ædificat, hic omnia confundit, ille cuncta componit, & ad modum boni Naucleri: *Futuras procellas ex signis prævidet, vel venientes directo clavo, si parvæ sint, superat, aut si vehementer intumescunt, dato in obliquum latere, irruentes declinat.* Greg. lib.6. ep.4.

VIII. Non impigre in his sedandis tumultibus laboravit frater Berengarius de Malo-bosco Minister Provinciæ Aquitaniæ, qui in eisdem comitiis contracta infirmitate, pie ex hoc mundo discessit. Strenue etiam partes Pontificias semper defendit Alvarus Pelagii, ut videre est in ejus opere de planctu Ecclesiæ, quod tunc concinnavit. Verumtamen non defuerunt, qui ejus nomen & fidem apud Pontificem traducerent. Comperta tamen rei veritate, has ad eum litteras dedit Pontifex, quas ad doctissimi viri commendationem subjungo.

Moritur Fr. Berengarius de Malobosco.

Alvarus Pelag. partes defendit Pontificias.

Dilecto filio Alvaro de Ordine Minorum.

IX. *Licet dudum de te sinistra nobis relata fuissent, postmodum tamen gratis affectibus intellecto, illa nequaquam veritate fulciri, quinimo illum perditionis filium Michaelem de Cæsena olim Ordinis Fratrum Minorum Ministrum Generalem ab officio ministeriatus depositum, excommunicatum, & diversis pœnis aliis innodatum, suosque fautores, & complices, aliosque rebelles Dei & Ecclesiæ sequi contemnens, prudenter ad ea, quæ nostrum & Ecclesiæ Romanæ honorem respiciunt, & fidei veritatem concernunt Catholicæ, per prædicationes & veras doctrinas alias devotis operibus te impendis, inde tuam prudentiam plurimum in Domino commendantes, eam attentius exhortamur, quatenus in his sic constanter, & laudabiliter perseveres, quod divinam ac nostram, & Apostolicæ Sedis gratiam uberius merearis. Datum Aven.* x. *Kal. Aprilis anno* XIII.

Ex reg. lib. secr. an.13. fol.45.

X. In pacificandis rebus Italiæ quorumdam Minoritarum opera usus est hoc anno Pontifex. Fratris Henrici Signoreti de Pisis, quem pluribus litteris universis utriusque status ordinibus commendavit, & Petro de Columna Præposito Massiliensi, ut in triremi, quam in Italiam navigaturus præparabat, secum eveheret. Ibat hic exploraturus, qualiter Pisis in patria sua, ubi tunc residebat Petrus de Corbario, res se habebant, acturus etiam cum eodem, ut tamdem resipisceret. Datæ sunt litteræ XII. Kal. Novembris, & anno sequenti Petrus a via iniquitatis recessit. Fratris Francisci de Cancella, & Guillelmi Episcopi Albensis Minoritæ pro stabilienda pace in regione Pedemontis, Marchionatibus Montisferrati & Salutiarum, & pro restituendis Philippo de Sabaudia Villa Soleriarum, & Bastida de Naxineto, quas occupaverat exercitus Regis Siciliæ, necnon Manfredo Marchioni Salutiarum castro Draganerii, & villa vallis Varitanæ, diœcesis Taurinen. irreverenter & injuste detentis a Friderico ejusdem filio, coadjutoribus Roberti Regis Ministris, necnon pro infringendis Ludovici Bavari viribus per conscribendos ab ipsis milites, & alios, quos ipse Pontifex submittebat sub Ducatu Senescalli Provinciæ. Fratris Rolandi Ticinensis, sive ut habetur in diplomate, de Papia, ad reducendam urbem nativam Ticinensem, tunc Bavaro obsequentem, ad devotionem & obedientiam Pontificis & Ecclesiæ Romanæ. „ Robertus Rex Neapolitanus usus est in rebus arduis opera fratris „ Antonii de Valentia sacræ Theologiæ Magistri, quem hoc anno ad Joan„ nem Pontificem destinavit, uti ex Regio habetur Regesto.

Fr. Henricus Signor. agit de reducendo Corbario.

Ex lib. secret. an.14. fol.212.

Ibid. & ex secr. anni 13. fol.9.

Fr. Franciscus de Cancella de pace stabilienda in Pedemonte.

Ex secret. an.14. fol.44.

Fr. Rolandus ad reducendam urbem Ticinen. ad Pontif. obedientiam destinatus.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

Anton. de Valen. Regis Roberti orator ad Joann. Pontif.

Mittuntur Minoritæ & Prædic. in Persiam aliasque regiones.

XI. Misit Pontifex hoc anno plures ex Prædicatoribus & Minoritis ad Persidis, & varias Orientis regiones, quos proinde commendavit Imperatori Trapesundarum, Regibus Russiæ, Georgianorum, & Choraticæ, Principi Solagay Thesilicen. Principi de Carpi, Miserquio Principi Thesilicen. & Principi de Aliquis, per quorum dominia oportebat transire. Exemplar epistolæ datæ ad Imperatorem subjicio, reliquæ, paucis mutatis, concordant. Deinde alias submisit ad Archiepiscopum sancti Thadæi, & Christianos in Imperio Persiano, ad Imperatores Tartarorum & Æthiopum.

Magnifico viro Trapesundarum Imperatori, gratiam in præsenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.

Ex reg. an. 14. lib. ep. 355.

XII. *Licet votis zelemus ardentibus, ut cunctis mortalibus, quos Dei filius Jesus Christus suo sanguine pretioso redemit, cælestis gratiæ radius illucescat, & salus votiva proveniat animarum, ut hostis antiqui semper quærentis, ut noceat, elusa nequitia, supernæ beatitudinis gloria, quam non sufficit capere intellectus humanus, quamque Salvator noster, a quo universorum charismatum dona manant, se diligentibus repromittit, in suavitatis fæcundæ dulcedine perfruantur: hoc tamen profundius perpeti cura revolvimus, hoc sitimus ardentius, hoc in solidæ caritatis ardore crebris orationibus postulamus, ut inter omnes, quos regeneravit unda baptismatis, cessset scissuræ divisio, cessent errorum nebulæ; fidei caritas jubilet, & mentales oculos in Christo credentium temeratæ fidei perfidia non obducat, unaque sancta Catholica & universalis Ecclesia in unitate veræ fidei sub uno Pastore, & unius ovilis intemerata & solida unione, ad conquirendam ejusdem beatitudinis gloriam gratis successibus fæcundetur. Ideoque excellentiam tuam rogamus, monemus, & hortamur attente in Domino Jesu Christo, per aspersionem sui pretiosissimi sanguinis obsecrantes, quatenus diligenter attendens, quod tibi crescet ad meritum, accedet ad gloriam atque famam, si datum tibi desuper fuerit, ut tu & populus tuæ ditioni commissus discretionis tuæ studio, ad unitatem ejusdem Catholicæ & universalis Ecclesiæ revertamini, extra quam non est gratia, neque salus, te & prædictum populum habilitare, & reducere studeas ad ejusdem Catholicæ & sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ perpetuam & inviolabilem unionem, ac dilectos filios Fratres Prædicatorum & Minorum Ordinum ad partes ipsas venientes, per illas transitum faciendo caritative recipias, & benigne pertractes, & maxime venerabilem fratrem nostrum Bernardum de Gardiola Episcopum Diagorganen. quem ad laudem Dei & gloriam, & ad pascendum gregem Dominicum in partibus illis prædicationis verbo pariter & exemplo Ecclesiæ Diagorganen. præfecimus in Pastorem, quemque ad partes ipsas providimus destinandum, pro divina & Apostolicæ Sedis reverentia habeas commendatum, ut in retributione justorum ab æterno retributore, qui nullum bonum sine remuneratione relinquit, mercedem condignam & æternæ beatitudinis præmia consequaris. Datum Avenion. Kal. Decembris anno* XIV.

Venerabili fratri Zachariæ Archiepiscopo sancti Thadæi Apostoli de Coratesia in Imperio Persidis.

Ex lib. 4. an. 14. epist. 69. & seqq.

XIII. *Divina, ut firmiter credimus, est ordinatione provisum, ut ad terras & partes Imperii Persidis (licet ab aliis terris, quas regenerat unda baptismatis, & colentes nomen Redemptoris misericordia,*

quo omnis salus datur credentibus, videlicet nomen Christi in veneratione ejusdem Redemptoris, inhabitant magna maris terræque distantia separatas) licet plurium infidelium, & hostium fidei interstitiis impedita, nonnulli Prædicatorum & Minorum Ordinum Fratres tanta terrarum & locorum latitudine & distantia peragrata, viri utique illuminati doctrina veræ fidei, quam sacrosancta Romana Catholica & universalis tenet Ecclesia, quamque ipse Redemptor noster Ecclesiarum & fidelium omnium caput esse censuit & magistram, ad dandam salutis scientiam salubriter provenerunt, ut gentes illarum partium de dissimilitudinis devio ad rectum fidei callem, & doctrinæ evangelicæ veritatem tanto utiliori sedulitate reducerent, quanto, favente divina gratia, dictæ gentes, sicut exultanter accepimus, paratiores existunt ad suscipiendum cum efficacia verbum Dei, recipiendum Baptismatis Sacramentum, & abigendum errores de mentibus, & imbuendum eos doctrina fidei salutaris. Accedit etiam nobis inter alia ad ingentis exultationis augmentum, quod, sicut referunt dicti Fratres, quamvis cum infidelibus earum partium eis sit difficilis & periculosus convictus, conversatio inquieta, conviciosa mora, & collocutio quælibet importuna: cum Armenis tamen ibidem morantibus renatis unda Baptismatis est eis conversatio placida, mora placidior, convictus utilis, & collocutio fructuosa, inibi renasci jura cognationis inveniunt, ibidem renatorum fonte baptismatis longo terræ tractu recuperationem Deo, & Ecclesiæ Catholicæ peramabilem sortiuntur, ibique, favente Christo Jesu vero nostro lapide angulari, multas animas, quas carentia boni doctoris, & error falsi dogmatis a recta via evangelicæ veritatis obduxerant, & multis erroribus duxerant imbuendas, ad lumen veræ fidei reduxerunt, addiderunt etiam dicti Fratres, quod ad salutis tuæ profectum, & gloriosæ commendationis augmentum redundare dignoscitur, quod Fratres ipsos benigne suscipis, tractas benignius, ipsosque cum ab eis proponitur verbum Dei, patienter audis, eisque favorem impendis, & quod patienter ab aliis audiantur, ex quibus indubitatam concepimus in corde fiduciam, quod Redemptor noster bonorum omnium retributor, ob cujus honorem ista peragis, spirituales & temporales fructus dignos tuis meritis infallibiliter compensabit. Idsoque fraternitatem tuam rogamus & hortamur attente in Domino Jesu Christo, te per ipsius pretiosi aspersionem sanguinis obsecrantes, quatenus circa præmissa laudabilia opera, & virtutes te vigilantibus & continuis studiis exercendo, venerabilem fratrem nostrum Guillelmum de Cigiis Episcopum Thaurisien. Ordinis Prædicatorum professorem, quem nuper ad Episcopalis dignitatis apicem Apostolica auctoritate promoventes, eum ad partes ipsas, futurum, ut speramus, utilem operariam, ad ampliandam messem Dominicam in illis partibus in æternæ beatitudinis horrea inferendam, ad partes illas providimus destinandum personaliter, benigne suscipias, prædicationes ejus efficaciter audias, Fideque Catholica, & universalis Romanæ Ecclesiæ cum plenitudine totius devotionis, & firmæ credulitatis imbutus, populum tibi commissum ad professionem & rectam culturam ejusdem fidei permittas, per dictum Episcopum, & dilectos filios Fratres Prædicatorum & Minorum Ordinum prædictorum studio sanctæ prædicationis induci, eumque Episcopum, atque Fratres ob reverentiam nostram, & Apostolicæ Sedis habeas propensius commendatos. Datum Avenione III. *Idus Septembris anno* XIV.

Prædicatores & Minores reducũt Persas ad fidem.

ArmeniChristianis affabiles.

Uni-

Universis Christianis in Imperio Persidis constitutis.

Ibid. ep. 70.

XIV. *Votis zelamus ardentibus, & summis desideriis affectamus, ut cunctis mortalibus, quos Dei filius Jesus Christus suo sanguine pretioso redemit, & cælestis gratiæ radius illucescat, salus votiva proveniat animarum, ut hostis antiqui semper quærentis ut noceat, elusa nequitia, supernæ beatitudinis gloria, quam non sufficit capere intellectus humanus &c. ut supra in litteris ad Imperatorem, usque ad* successibus fœcundetur. *Ideoque universitatem vestram rogamus, monemus & hortamur attente in Domino Jesu Christo per ipsius pretiosi aspersionem sanguinis obsecrantes, quatenus venerabilem fratrem nostrum Bernardum de Gardiola Episcopum Diagorganen. quem nuper ad Episcopalis dignitatis apicem auctoritate Apostolica duximus promovendum, quemque ad partes ipsas velut fructuosum futurum & utilem, ut speramus, ad messem nationum ipsarum partium in horrea Dominica inferendam, ad dictas partes providimus personaliter destinandum, necnon dilectos filios Fratres Prædicatorum & Minorum Ordinum in dictis partibus commorantes, vel illuc venientes, ob reverentiam nostram, & Sedis Apostolicæ, habere velitis propensius commendatos. Attendentes quod per tam longas maris, terræque distantias præfatus Episcopus, & Fratres, non absque magnis laboribus & periculis pro sola cooperatione divinorum obsequiorum ad partes ipsas accedunt, quos benigne recipientes, & caritative tractantes sacris instructionibus, quas in doctrina Catholicæ fidei vobis facient, vestrarum mentium aures præbeatis devotius, animosque vestros, quorumlibet schismatum pulsis erroribus, unitati Catholicæ fidei, & Sanctorum Patrum auctoritatibus in omnibus coaptetis: quoniam id est summe & immense universali gregi fidelium profuturum, si ubique locorum in cunctis fidelibus, qui gaudent nomine Christiano, unus Deus, una Fides, unum Baptisma, una totius mundi confessione vobis concordibus teneatur. Ceterum de magnæ hospitalitatis & piæ caritatis officiis, quæ hactenus impendistis eisdem, recipiendo eos in hospitiis vestris, ipsosque benigne tractando, vobis gratiarum referimus actiones, rogantes cunctorum retributorem bonorum, ut ille cujus intuitu verbi sui ministros suscepistis, mentes vestras illuminet lumine veritatis, ut pro temporalibus bonis, quæ erga illos agitis, vobis æternæ beatitudinis gaudia recompenset. Datum Avenione* III. *Idus Septembris anno* XIV.

Magnifico viro Elchigadan. Imperatori Tartarorum, Corassan & Turquestam, ac Indastan. gratiam in præsenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.

Ibid. epist. 180.

XV. *Pastoralis officii commissi nobis a Domino debitum exigit, ut excellentiam tuam ad ea, quæ tuæ salutis profectus respiciunt, tibique titulos laudum adscribunt, sollicitis inducamus studiis, & affectuosis exhortationibus excitemus. Licet igitur verbum Crucis, ac universalis redemptionis humanæ salutiferum, venerandumque præconium, per Apostolicam tubam in salutem universitatis exiverit, & ad universos orbis fines sonus doctrinæ pervenerit salutaris:* (*Psal. 18. 5.*) *tamen personam tuam eo specialius lucrifacere Domino cupimus, mentisque tuæ oculos cognitione veræ & Catholicæ fidei illustrare, quo propter beneficia & multa solamina, quæ in terris Dominio tuo subjectis, exhibes Christianis, te magis præcipua affectione prosequimur, tuosque spirituales proventus ardentius affectamus, quove etiam spes certa nobis impendi-*

ditur, quo ad fidem Catholicam, faciente illo, in cujus manu corda sunt hominum omnium, facilius convertaris: non enim procedit nisi ex superni luminis gratia, quæ sicut credimus, oculos tuæ mentis aperuit ad exercendum erga renatos Fonte Baptismatis pietatem, quod tu dilectos filios Fratres Prædicatorum & Minorum Ordinum fideles operarios Jesu Christi in partibus Orientis evangelizantes, in fervore spiritus inibi verbum Dei, benigne suscipis, devote pertractas, & officium eis hilaris hospitalitatis impendis. Colligimus etiam ex aliis tuorum laudabilium operum floribus tuæ devotionis insignia, qui nuper duos Fratres ejusdem Ordinis Prædicatorum, Venerabilem fratrem nostrum Thomam, nunc Episcopum Senifcantem, cum uno socio ejusdem Ordinis, speciales nuncios tuos ad Apostolicam Sedem devote & humiliter destinasti, petens & cupiens tibi per litteras Apostolicas benedici, ac etiam de fide Catholica informari. Laudabilia igitur vota tua gratis affectibus complectentes, eumdem Thomam ad statum proveximus pastoralem, curam animarum, quas ad gregem suum in civitate Senifcanten. cœlestis pietas jam vocavit, vel vocabit imposterum, eidem Thomæ Episcopo, auctoritate Apostolica committentes, & ut Catholicæ fidei series tibi plenius innotescat, eam tibi annotatam præsentibus duximus, quæ talis est. Et quidem credimus sanctam Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum &c. ut in aliis, usque sua tamen prærogativa, *tam in generalibus conciliis, quam in quibuscumque aliis semper fulva. Ideoque magnificentiam tuam rogamus & hortamur attente, quatenus sedula meditatione recogitans, quod fragilis est & caduca humanæ naturæ conditio, plena periculis, exposita casibus, instabilis status ejus. Considerans etiam quod a lege mortis mordentis omnia, nullus excluditur, promptus assurgas, presto te offeras, paratus accedas ad agnitionem Christianæ fidei, & suscipiendum baptismatis Sacramentum, ad laudem divini nominis, tuæ salutis profectum, & augmentum fidei supradictæ, ut lucis suæ radio illustratus, te solerter exerceas ad ejus fines laudabiliter ampliandos, ut post vitæ præsentis excursum, a porta inferi libereris, & ejus diris cruciatibus, pœnisque gravissimis, civitatis æternæ beatitudinis præmia perpetuis duratura temporibus, consequaris. Ad hæc multæ benignitatis affectum, quem sicut prædiximus, Latinis Christianis in partibus illis morantibus, & illuc accedentibus favorabiliter exhibes, uberibus gratiis prosequentes petimus, ut affectum hujusmodi tua nobilitas continuet circa illos, & ceteros alios, qui fide imbuti fuerint Orthodoxa. Ceterum instanter rogamus, ut eumdem Thomam Episcopum, & omnes Catholicos Antistites in dictis partibus commorantes, & qui illuc accedent imposterum, necnon præfatos Prædicatorum & Minorum Ordinum professores ad dictas partes, non alicujus commodi temporalis obtentu, sed solum pro lacrifaciendis Domino animabus, non absque gravibus laboribus & periculis accedentes, benigne pertractes, jucunde recipias, prædicationes ipsorum, aure cordis efficaciter audias, ipsosque per tuos subditos similiter facias benigne suscipi & tractari, ut bonorum omnium retributor mentem tuam aperiat, te beneplacitis suis coaptet; tuosque labores in ejus obsequium præstitos, non solum temporalibus sed etiam spiritualibus præmiis recompenset. Datum Avenione* IV. *Nonas Novembris anno* XIV.

Vide ann. 1267. n. 1.

Magnifico viro Imperatori Æthiopum gratiam in præsenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.

LIcet *votis zelemur ardentibus &c.* ut in epistola ad universos Christianos. Ibid. epist. 173.

XVI. Di-

Ann. 1327. n. 8. & an. 1328. n. 25.

Joann. de Ancona Inquisit. Marchiæ.

Lib. secr. an. 13. fol. 33.

XVI. Diximus Joannem de Ancona Minoritam Inquisitorem egisse in Marchia Anconitana, & postea assumptum ad Episcopatum Senogalliensem; hoc autem anno, ne Inquisitionis negotium maneret, inquit Pontifex, destitutum, peculiari diplomate statuit, ut non obstante assumptione ad Episcopatum, munus hoc Inquisitionis exerceret. Deinde alio diplomate jubet ut procedat contra tres Episcopos in ipsam suam Senogallien. Firmanam & Auximanam Ecclesias, per Petrum Corbarium intrusos, ac contra eorumdem fautores. Frater Fabianus Inquisitor in provincia Sclavoniæ suo fungens officio adversus Martinum Abbatem Monasterii sancti Cosmæ & Damiani Jadren. diœcesis, & Franciscum ejusdem Monasterii Monachum super crimine hæresis delatos, temere & violenter impeditus est a Joanne Archiepiscopo Jadren. Deinde Avenionem proficisci volens de his apud Pontificem acturus, per Francischinum Papien. de Georgiis, Castri de Fortimaga, equis, libris, & processibus spoliatus est, quod ægerrime tulit Pontifex, scripsitque Bertrando Episcopo Cardinali Ostiensi, Apostolicæ Sedis in Lombardia, aliisque partibus legato, ut severe ageret contra sancti Officii, seu sacræ Inquisitionis violatores. Joanninum de Mantua Inquisitorem in partibus Lombardiæ superioris, indigne apud se traductum, veritate & innocentia ejus comperta, scriptis ad eumdem Cardinalem Bertrandum litteris, in officio confirmat. In Anglia etiam res fidei laudabiliter promovebat penes Regem Eduardum frater Robertus de Lamborrone Isabellæ Reginæ confessarius, pluribus functus in suo Ordine honorificis muneribus. Ut itaque rebus fidei & sibi liberius attenderet, orante Regina, obtinuit a Pontifice ne posset cogi ad ulteriores administrationes capessendas.

Fr. Fabianus Inquisitor Sclavoniæ.

Ex secret. an. 14. fol. 19.

Joannin. in Lombardia superiore.

Ibid. fol. 43. Lib. 3. ann. 13. epist. 2623.

Robertus Lamborron. confessarius Reginæ Angliæ.

XVII. Qui sequuntur assumpti sunt hoc anno ad Episcopatus, Frater Rogerius ad Bovinensem, sub Archiepiscopo Beneventano, in regno Neapolitano, per obitum Rostagni vacantem: *Superni dispositione*. Kalend. Maii. Frater Joannes ad Bisacien. sub Archiepiscopo Compsano in eodem Regno, per obitum Jacobi: *Inter cetera* XVIII. Kal. Aprilis. Frater Henricus de Apoldia ad Lavaten. sub Archiepiscopo Neopatren. per mortem Joannis: *Summi dispositione rectoris*. IV. Nonas Julii.

Fr. Roger. Episcop. Bovinen. Joan. Bisacien. Henric. Lavaten.

XVIII. Hoc tempore nobilis Heroina Hilaria de Lauria, relicta Henrici primogeniti Thomasii de sancto Severino Comitis Marsicorum, fervore piæ devotionis accensa, in castro suo de Cuccaro Caput Aquen. diœcesis, Fratribus Minoribus ædificare cœpit domicilium, & Ecclesiam sancto Joanni Baptistæ sacram opere sumptuoso. Ita expresse narrat Pontifex in suo diplomate: *Splendor paternæ gloriæ*. Nonis Novembris, & alio ejusdem ferme tenoris v. Kal. Decembris. Nescio cur tribuat hujus loci fundationem Rodulphus cuidam fratri Antonio Episcopo Acernano, ex solis ejus insignibus, quæ dicit conspici in choro: potuit enim vel Odæum ille construere, vel quidpiam adjicere fabricæ piæ fundatricis, non tamen primum construxisse domicilium. Apud Pisanum hujus loci fit mentio corrupte, sub nomine Cuculli. Hoc ipso anno confraternitas sanctæ Margaritæ Coloniæ transtulit in Fratres Tertiarios domum ad Olivas & conjunctum sacellum: sed sub Sixto V. Fratribus Minoritis concessus est hic locus, qui Seminarium fuit provinciæ regularis observantiæ, translatis redditibus in Patres Societatis Jesu.

Conv. de Cuccaro.

Rodul. fol. 276.

Monum. Colon. MSS.

XIX. Sexaginta & pluribus ante hunc, annis fundatum fuisse Monasterium sanctæ Mariæ Magdalenæ de Castellario, ad Montemfalcum, diœcesis Spoletanæ oppidum, quod post plures annos a fundatione regulam suscepit sanctæ Claræ, mihi probat Pontificis diploma, quo decidit controversiam

Monast. Montis falci.

inter

inter ipsas & Fratres Eremitas sancti Augustini exortam: *Cælestia quærentibus* v. Kal. Decembris. Mentio etiam occurrit Monasterii Claromontensis in bulla decisionis alterius controversiæ inter Catarinam de Ulmo Abbatissam, & Joannem de Ternio Custodem Ordinis Minorum Custodiæ Alverniæ, & Richardum de Uses Ministrum Provinciæ Burgundiæ. Ut Monasterio Petræ albæ Barcinonensis ampliores tribuantur proventus, scribit hoc anno Pontifex ad Archiepiscopum Terraconensem, ejusque Suffraganeos, & eidem ipse communicat omnia privilegia Monasterio Nemausensi concessa. Jubet Joannem Episcopum Cracoviensem, ne molestiam inferat Clarissis Monasterii sancti Andreæ ejusdem urbis super decimis quorumdam novalium. Peculiares etiam concedit gratias sorori Constantiæ filiæ nobilis viri Comitis Cortiliani, Moniali Monasterii sanctæ Claræ Cusentini, & Ægidiæ ejusdem Monasterii Abbatissæ.

Lib. 2. ann. 13. epist. 1317.

Monast. Claromonten.

Lib. 4. ejusd. anni epist. 1417.

XX. Ad preces Alphonsi Regis Aragonum Conventus, & domicilia Fratrum Prædicatorum, & Minorum insularum Sardiniæ, & Corsicæ, quarum etiam Rex tunc erat, subjecit Superioribus Aragoniæ, & Cataloniæ: *Ad illa sollicitudinis* II. Kal. Julii, & constitutiones factas pro bono regimine custodiæ Januen. ac a Bertrando Cardin. Ordinis Vicario approbatas confirmavit: *Justis petentium desideriis*. Nonis Martii.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. Summus Pontifex omnino vigil super gregem Domini sibi commissum, omnino satagebat revocare ad causam Corbarium, quem Pisis commorari noverat; in quem finem fratrem Henricum Minoritam, Pisanum de Signorotis, pluribus commendatum, Pisas Avenione dimisit, ibidem rerum statum exploraturum, & prudenter cum Corbario acturum, ut refert Annalista: videbatur siquidem summo Pontifici impossibile Petrum ætate maturum, integræ vitæ in Religione, & doctum, adeo ambitionis fumo suam pietatem sic exsiccasse, ac obstinate induruisse, quod aliquando reminiscentia divinæ ultionis non emolliret: suum interea esse ovem Christi de faucibus lupi rapacis omni studio & conatu eripere; maxime quod hoc anno XI. April. Bavarum primas Lombardiæ urbes expugnaturum abiisse Pisis nosceret, & Petrum Corbarium Antipapam Pisanorum custodiæ commendasse, & observantiæ sub cura Bonifacii Novelli, Comitis de Donaratico, nobilis & potentis, quem maximopere extollunt, & Regis Aragonum consanguineum vocant ejusdem gentis Annales. Romam inter hæc pœnituerat Petrum a Bavaro in Pontificem oblatum insipienter admisisse, & Idolo genua incurvasse: igitur Pontifex pro absolutione urbis a censuris, quas ob id incurrerat duplex diploma: *Copiosa sacrosanctæ &c.* XV. Kal. Martii, Tusciæ Legato expedivit: cum autem eodem tempore Pisani Bavari jugum, pulso ex urbe Tarlatino de Petra-mala Aretino ejusdem Bavari Vicario, excussissent, & vocato ex urbe Lucana Marco Vicecomite, sub eo Pontifici Joanni nomen dedissent; hic præfato Comiti, ut Corbarium Curiæ consignaret litteras transmittit: *Sicut nobilitatis &c.* VI. Idus Maii. At Corbarius pertæsus sacrilegæ dignitatis, & sceleris admissi, Bavari consortio & consilio execrato, ad ejusdem Comitis Bonifacii, qui & Facius abbreviato nomine etiam appellatur, municipium in marema sub finibus Lucanorum, secreto recesserat, ubi per integrum annum delitescens a functionibus, vel fictionibus Pontificiis abstinuit,

Agit Pontif. pro conversione Petri Corbarii.

Wadd. ad annum 1310. n. 10.

Indicul. ex Vatic.

Oder. 45. & n. 57. ann. 15.

Recedit Pisis Corbar. & abstinet a Pontificat.

Ad hunc annum n. 17.

„ II. Conversionem Petri, disponente misericordia Dei, Joannes Marsoriano Jacobitæ hoc anno cum scriberet x. Kal. Februarii, Fratres Minoritas commendavit: *Circumspectionem tuam &c.* Alphonso Regi Castellæ pro Terra sancta sollicitus etiam litteras direxit nonis Februarii: *Vos cum eisdem &c.* Conventui vero de Cuccaro, Castro (quod caput est Aquensis diœcesis) ab Hilaria de Lauria, relicta Henrici primogeniti Thomasii de sancto Severino, Comitis Marsicorum, fundato pro Fratribus Minoritis, cum Ecclesia sancto Joanni Baptistæ dedicata, ut refert Annalista, concessa indulgentia v. Idus Februarii: *Ecclesiarum fabricis &c.* Pro informatione miraculorum sancti Ivonis Presbyteri Tertii Ordinis dedit Breve: *Exultant & gaudent* iv. Kal. Martii, & alio Nascarinis Episcopum, Fratresque Minoritas commendavit: *Votis zelamus &c.* vi. Idus Aprilis: sed Arnoldo item Episcopo usu pallii concesso: *Personam tuam &c.* ix. Kal. Julii. Bertrando, ut conderet testamentum facta facultate: *Dudum attendentes &c.* Idibus Augusti; Comiti Pisano ut secum Fratres habere posset: *Devotionis sinceritas &c.* iii. Kal. Septembris. Pro Fratribus Prædicatoribus & Minoribus scripsit Ungharis christianis: *Ingentem nec mirum &c.* iii. Kal. Octobris, sed Monasterio de Petralba privilegia confirmavit: *Cum a nobis &c.* Kal. Decembris; & fratri Guillelmo posse curam animarum habere indulsit: *Religionis zelus &c.* ii. nonas Decembris.

Litteræ Pontific. in favorem Minoritarum.

Ex Vatic.

Et pro informatione miraculorum S. Ivonis.

ARGUMENTUM.

Resipiscit Petrus Corbarius, & deposita efficta dignitate Avenionem sponte proficiscitur. Recensentur Inquisitores, Missionarii, & Episcopi Minoritæ. Pietatis & paupertatis monasticæ referuntur argumenta, & nova Fratrum Sororumque domicilia.

I. HOc anno feliciorem sortitæ sunt exitum res Minoritarum, terminata jam, uti diximus, inveterata controversia de Paupertate Christi, & sublato Schismate Petri Corbarii. Cum enim anno præterito Bavarus die xi. Aprilis Pisis abiret, primas Lombardiæ Urbes expugnaturus, Petrum Corbarium Antipapam Pisanorum custodiæ, & observantiæ commendavit, cujus curam in se assumpsit Bonifacius Novellus, Comes de Donaratico, vir nobilis & potens, quem maximopere extollunt, & Regis Aragonum consanguineum vocant ejusdem gentis Annales: Is tamen pertæsus sacrilegæ dignitatis, & sceleris admissi, a Bavari consortio & consilio, secreto recessit ad ejusdem Comitis municipium in Marema sub finibus Lucanorum, ubi per integrum annum delitescens abstinuit a functionibus, vel fictionibus Pontificiis. Sub hoc tempore resipuerunt ipsi Pisani, & Bavari jugum excusserunt, pulso ex Urbe Tarlatino de Petra-mala Aretino Bavari Vicario, & vocato ex urbe Lucana Marco Vicecomite, sub quo Pontifici Joanni nomen dederunt. Non inanem posuit in hoc facinore operam frater Henricus de Signoreto, quem ad hæc, supradiximus a Pontifice submissum, qui etiam latenter & occulte egit cum Corbario, ut errorem aperte deponeret. Hominem annis gravem, longa assuetæ pietatis religione flexibilem, jam corde compunctum, haud operosum fuit ad veritatis semitam retrahere, quam eo facilius licuit invenire, quo longius aberat a Ludovico, erroris auctore. Persuadebat etiam hoc ipsum Bonifacius Comes, acceptis variis lit-

Anno 1329. n. 7.

Villan. lib. 10. c. 30. & 146.

Zurita 2. par. lib. 6. c. 49.

Petrum Corbar. penitet admissi Pontificatus.

Anno 1329. n. 10.

litteris a Joanne Pontifice, qui ex variis indiciis, & aliorum suggestionibus jam suspicabatur, vel certo sciebat Petrum sub Comitis custodia delituisse. Excussa proinde mentis caligine, consilium bonum amplexus statuit se Joannis unici, & veri Pontificis clementiæ committere, & ab eo veniam multiplicis errati, missis his litteris, deprecari. Scribit ad Joann. Pontificem.

Reverendissimo ac sanctissimo Patri & Domino, Domino Joanni Papæ sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, frater Petrus de Corbario dignus omni pœna, seipsum ad pedes cum reverentia veræ subjectionis.

II. L*Icet secundum canonem Evangelicæ veritatis*, qui non intrat per ostium *in ovile gregis Dominici fur appelletur & latro rapacitatis lupinæ, audiens & considerans diligenter tanta enormia scelera pravitatis hæreticæ stylo ferreo exarata in ungue adamantino, quanta dicebantur a multis de vestra solida fide, sicut præsumptuosus, temerarius, & superbus ascendi super astra cœli Ecclesiastici, ubi mihi, meis peccatis exigentibus, parata fuit sedes iniquæ prælationis. Sed postquam deveni ad territorium Pisanum, & quæsivi diligentissimæ de prædictis, & inveni quod obliqua erant & falsa, & deficiebant in pondere veritatis, dolui, & doleo vehementer, & pænitet me fecisse, quæ feci contra jura, & leges vestri sacratissimi nominis de consilio perversorum. In cujus rei testimonium jam est annus completus, quod adversarium vestrum dimisi sponte, & Sedem mei præsumptuosi culminis dereliqui; & propono firmiter in civitate Pisana, & etiam in Urbe, atque ubique locorum renuere, secundum quod vestra benignissima Sanctitas decreverit ordinandum. Et quia gravissime peccavi, & erravi patenter in invio, & non in via, supplico vestræ Clementissimæ pietati, quatenus mihi maximo peccatori dignemini parcere secundum multitudinem magnam misericordiæ Dei vivi, ut rediens ex totis visceribus, reliquias deleam & annihilem supradictorum de cordibus universorum fidelium, & ora claudam omnium obloquentium de vestra Serenissima Sanctitate, ut Ecclesiæ Dei de cetero sit unus Pastor, & unum ovile pro pace totius populi Christiani. Datum in confinibus Lucanorum.* Ex lib. secret. an. 14. fol. 8. Joan. 10. 1.

III. Ad insperatam hominis conversionem, & humilem confessionem errorum magno exultans gaudio, Joannes litteras legit in publico Cardinadinalium consistorio, non sine publica etiam omnium congratulatione, scripsitque ad Bonifacium Comitem, quem comuniter alii brevitatis ergo; vel corrupto vocabulo *Facium* vocant, ut jam tamdem latebras detegat, & delitescentem producat, curetque ut plene resipiat coram Archiepiscopo Pisano, Episcopo Lucano, aliisque testibus, quos illi dixerint vocandos. Quod ut securius faceret, rogavit ut deputatis a se Ministris Petrum omnino consignaret, ne si a bono conversionis perposito resiliret, novissimus error pejor fieret priore. Deinde prædictis prælatis facultatem amplissimam fecit, ut errores confitentem, & publice detestantem a censuris, & quem eligeret, confessario, ut a peccatis absolverent. Ipsi vero Petro ita rescripsit. Et rescribit Pontifex:

Petro de Corbario Ordinis Fratrum Minorum, quod cœpisti laudabiliter, feliciter adimplere.

Ibidem. IV. L*itteras tuas scriptas, ut intelleximus, manu tua, his diebus recepimus, tenorem, qui sequitur, continentes. Reverendissimo ac sanctissimo Patri &c.* hic inserit totam Petri epistolam supra scriptam: deinde adjungit: *Profecto, fili, ex dictarum serie litterarum percepimus tibi immensam exultationis, & gaudii materiam ministratam. Numquid non ingens materia gaudii, quod tibi ambulanti in tenebris, & quasi in profundum malorum prolapso lux illa vera, quæ omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat, illuxisse videtur, manumque suam tibi, ut de profundo malorum exeas, misericorditer porrexisse? Sane, quia affectum paternum non prætereunt commoda filiorum, nos expertes non sumus illo gaudio, quod utique inane existeret, si quod cœpisti laudabiliter, Spiritus sancti gratia, feliciter non complevisses, & quoniam* nemo mittens manum ad aratrum retro

Luca 9. 62. respiciens aptus est regno Dei, *hortamur in Domino, & rogamus ut attente provideas, ne spiritum tam benignum extinguas, sed ipsum in te nutriens ejus inspirationes exequi cum omni promptitudine & reverentia studeus: & quia sæpe* nocuit differre paratis, *sæpeque vidimus tempus a mane usque ad*

Ovid. ep. 7. *vesperam immutari, sano tibi suademus consilio, ut moræ cujusvis vinculis interruptis & laqueis, de tenebris ad lucem, ac de morte ad vitam exire, ac pervenire festines, nihil hæsitans, qui nos, si compensaveris facta dictis, reperies patrem pium, benignum, & propitium, & omnium tuarum immemorem offensarum, super quo dilectus filius Ciolus Scacierius præsentium exhibitor, te plenius poterit informare. At quia inter alia tenor continet litteræ supradictæ, quod proponis firmiter in civitate Pisana, & in Urbe etiam atque ubique locorum, ut tuis verbis utamur, renuere, sicut nos decreverimus ordinandum, videtur nobis, & tibi, & Ecclesiæ Catholicæ plurimum expedire, ut tuis recognitis Pisis erroribus, & etiam abjuratis, quæcumque ut Papa præsumpsisti facere, esse nulla, sicut & sunt, publice recognoscens, juxta modum quem Venerabiles fratres nostri Archiepiscopus Pisanus, & Episcopus Lucanus, ac dilectus filius nobilis vir Facius Comes de Donaratico, vel dictus Episcopus cum altero prædictorum ordinandum duxerint,*

Eum vocat Avenionem. *ad nostram non tardes præsentiam te conferre. Nullibi siquidem de injuria illata Deo, & Ecclesiæ melius potes satisfacere, quam ubi Christi Vicarius noscitur, & Ecclesiæ esse caput, nec alibi sic nostrum favorem percipere poteris, nec securius, si recte consideres, immorari. Et ecce nos dictis Archiepiscopo, & Episcopo damus per nostras litteras alias in mandatis ut præmissis videlicet errorum recognitione, & abjuratione, ac declaratione completis, tibi debeant absolutionis beneficium impertiri. Hoc autem te volumus non latere, quod tuam præscriptam litteram nobis missam, ad Dei laudem & gloriam Fratribus nostris in consistorio legimus, quam utique, ut apparebat, audiverunt cum gaudio, & Deo de tanta misericordia, quam erga te exercebat, gratias retulerunt. Datum Avenione* III. *Idus Julii anno* XIV.

V. Comes autem Bonifacius hominem, quem in suam fidem & tutelam susceperat, noluit adeo facile prodere, nisi prius pacisceretur cum Pontifice de vita conservanda, de homine ab omni potestate præter Pontificiam

Promittit se benigne cum Petro acturum. eximendo, deque præscribendo annuo redditu, quo vitam honeste posset transigere. Omnia hæc peculiari diplomate Joannes promisit, assignatisque redditibus, si pauca hæc videbantur, majora se daturum adjecit: ultro spon-

ſpondens Petrum in Joanne non ſeverum judicem, ſed pium Patrem, & benevolum amicum experturum. His pactis prodiit in apertum Petrus, & publica ejuratione ſuos deteſtatus errores, omnia ex Pontificis præſcripto coram Simone Archiepiſcopo Piſano, vocatiſque Prælatis, & nobilibus viris, humiliter in die ſancti Jacobi peregit. Deinde acceptis a Piſanis duabus triremibus, & decenti comitatu VIII. Idus Auguſti pervenit Nicæam ad Varum fluvium, qui Italiam a Gallia ſeparat, in qua, publica enunciatione, ſe ſuoſque condemnavit errores, quod etiam in omnibus Provinciæ civitatibus, per quas tranſibat, effecit. Occurrerunt ei Nicææ Miniſtri Pontificii Avenione miſſi, ut ſecurius & decentius iter proſequeretur, quibus ille ultro ſe commiſit. Ab his ut omnia intellexit Pontifex, ſequentem ei ſcripſit epiſtolam, qua ſponte ad ſe venientem paternis allicit pollicitationibus, ut magna ad pium parentem accedat fiducia.

Ille abjurat, & ad Pontificem abit.

Ei ſecundo ſcribit Pontifex.

Petro de Corbario Ordinis Fratrum Minorum.

VI. *Læti percepimus hodie te iter ſpontanee proſequentem ad noſtram veniendi præſentiam, lætum & incolumem Nicæam perveniſſe. Profecto fili, talis adventus cor noſtrum exultatione replevit, & gaudio non indigne, ſi enim patri cedat ad gaudium videre filium inventum fuiſſe qui perierat, vel qui fuerat mortuus, revixiſſe, cujus tamen inventio, vel revictio paucis, aut forſan nulli fuerat profutura, quantum putas tua inventio, & a morte ſpirituali reſuſcitatio in nobis poſſit, & debeat peperiſſe gaudium, de cujus inventione, & reſuſcitatione multorum ſalus probabiliter ſpectatur? Rurſus ſi* Angelis eſt gaudium ſuper uno peccatore agente pœnitentiam, *cujus forſan pœnitentia fatura non eſſet utilis niſi ſibi, quantum nobis, immo toti Eccleſiæ Catholicæ ſuper tua converſione poſſit exiſtere gaudium, quæ nedum tibi prodeſt ad meritum, ſed & Deo ad gloriam, Angelis ad gaudium, cunctiſque cedit hominibus ad exemplum? Proculdubio tantum eſt, & eſſe debet hujuſmodi gaudium, quod lingua non poſſet illud de facili explicare. Nec tu, fili, expers a gaudio debes eſſe; ſi enim eſt gaudium ad lucem venire de tenebris, & de crudeliſſimo liberari carcere, ac de jugo gravi ad ſuave tranſire, utique tibi, in quo ſpiritualiter concurrunt præmiſſa omnia, ingens in Domino gaudium debet eſſe, nec quoad nos, nec quoad te gratiarum debet ceſſare actio, nec vox laudis; imo debent illi, qui tam clementer tamque miſericorditer nobiſcum dignatus eſt agere in corde & ore jugiter reſonare, ac etiam ipſum ſuppliciter exorare, ut qui præmiſſa faciendi virtutem tibi tribuit, in ipſis quoque perſeverandi uſque in finem virtutem miſericorditer largiatur. Gaude ergo, fili, in Domino, qui de tantis malis te liberavit, & periculis, & gratiarum actiones non ceſſes agere, lateque ad nos venire feſtina ſciturus indubie, quod nos pium patrem & clementem reperies, prætcrita in memoria nan tenentem, ſed te tractantem ſicut cariſſimum filium, & ſpecialem amicum. Datum Avenione* V. *Idus Auguſti anno* XIV.

Indict. fo. 18.

Luca 15. 24.

Luca 15. 7.

VII. Revocatis humiliter in ſolemnioribus locis, per quæ in totius itineris diſcurſu tranſibat, erroribus, tandem VIII. Kalendas Septembris Avenionem Petrus applicuit, & die ſequenti in publico conſiſtorio recognitis, retractatiſque miſeriis, miſericordiam humiliter alligato ad collum fune imploravit, & obtinuit. Etenim tam compuncto animo, quam facundo ſermone lacrymabiliter dicentem, ad ſuos pedes proſtratum Joannes tenere collacrymatus peramanter ſuis brachiis erexit, in ſpem meliorem excitavit, & pa-

Avenionem appellit, & veniam petit.

Impetrat.

& pacis osculo donavit. Ne vero Respublica Christiana Bavari, aut alterius cujuspiam Joanni infensi suadela, vel machinamentis turbaretur, si Petrum liberum in Italiam venire permitteret. Avenione retinendum censuit ad exemplum Bonifacii VIII. qui Petrum de Murrone in custodia detinuit, ne novitatis & discordiæ affectatores ad Pontificatum resumerent. Dedit itaque in ipso Palatio Apostolico ampla cubicula, libros ut studeret, honorificam supellectilem, victum ex propria mensa Pontificia, & socios custodesque Aulicos adhibuit, hac unica adjecta cautela, ne quispiam exterorum se inscio, eum alloqueretur, non quod vim aut suadelam aliquam metueret, sed ne viri ad quietem compositi otium religiosum inquietaretur, neve turbandis aut novandis rebus occasio præberetur. In hac honesta & religiosa custodia vixit Petrus annos tres, mensem unum, & vita functus honorifice sepultus est in Ecclesia Minorum Avenione in habitu Franciscano. Ut vero vidit Pontifex adeo feliciter, & absque turbis extinctum perniciosum hoc schisma, maximas egit gratias Bonifacio Comiti ob prudenter inchoatum, & feliciter absolutum totius rei tractatum, cui subsequentes scripsit litteras quæ universam hanc nostram confirmant historiam, & multa deinceps in eumdem contulit beneficia.

Detinetur in honesta custodia.

Post annos tres moritur. Pont. gratias agit Comiti Bonifacio.

Bonifacio Comiti de Donaratico.

Indid. fol. 58.

VIII. *IN notitiam publicam facti deduxit evidentia his diebus, illum, qui tuæ nobilitati velle dedit, Petrum de Corbaria Ordinis Fratrum Minorum, ambulantem in tenebris, separatum ab unitate sacrosanctæ Ecclesiæ, ad lumen veritatis reducere, & unitati fidelium aggregare, ut illud perficeres, tibi misericorditer concessisse. Ecce enim, quod vir præfatus, Dei hostis, & ejus sponsæ crudelissimus persecutor, ad Dei & Ecclesiæ, non sine tuo ministerio, misericordiam & gratiam humiliter se committens, sicut tua ordinavit prudentia, ad nostram veniendi præsentiam arripuit iter suum, qui Deo duce incolumiter Nicæam applicuit* VIII. *Idus Augusti, & exinde, ex quo ad eum gens nostra pervenit, quam ad eum misimus, ut securius, & decentius posset prosequi cœptum iter; & per loca solemnia recognoscens errores suos publice, suamque pænitentiam manifestans* VIII. *Kalendas Septembris Avenionem applicuit, & in crastinum in consistorio publico, erroribus recognitis & revocatis, quæ ut Papa de facto fecerat, misericordiam postulavit humiliter, & errores prædictos solemniter abjuravit, quem benigne ad gratiam nostram, & Ecclesiæ admisimus, & ut dilectum tractavimus filium, & tractamus, & tractare intendimus, concedente Domino, in futurum, prout hæc dilectus filius nobilis vir Ciolus Scaffarii * familiaris noster, qui ut vir fidelis & prudens omnia opportuna in itinere ordinavit admodum, proinde nobilitati tuæ explicabit. Gaudeat igitur, fili, cor tuum, & lætetur in Domino, qui ut Dei minister, Catholicæ Ecclesiæ tantæ exultationis, & gaudii materiam ministrasti, sciturus indubie, nos & sanctam Dei Ecclesiam tibi & tuis successoribus ad ea, quæ tuum, ac ipsorum respicient honorem, & commodum, astrinxisse, & constituisse perpetuo debitores. Quamquam enim tibi, fili, grandia faceremus, quæ & faciemus, annuente Domino, cui in præmisso negotio fideliter servivisti, nihilominus tamen intendimus debitores, & tibi tuisque successoribus in perpetuum remanere: nec revocamus in dubium, quin Dei pietas, dummodo in ejus perseveres servitio, in retributione justorum, pro tanta tibi gratia gloriam abundantius recompenset. Ad nos autem qui tibi pro præmissis referimus gratias, quas valemus, recursum pro te, & tuis*

* al. Seaciezii.

tuis te fiducialiter habere volumus ut ad patrem, sciturus nos paratos, quantum honestas patietur, & possibilitas ad exauditionis introducere gratiam, quæ duxeritis postulanda. Gratia Domini nostri Jesu Christi cor tuum dirigat, & in iis, quæ beneplacita sunt sibi, stabiliat, & protegat ab adversis. Amen. Datum Avenione II. *Kalend. Septembris anno* XIV.

IX. Hæc est illa tragoedia schismatis Corbariani, vere & fideliter relata ex quadraginta tribus bullis Pontificiis, aliisque monumentis Vaticanis, quæ de hac materia exscripsimus. Immerito proinde scribit Villanus, alias nobilis istius temporis historicus, Pisanos dolose & proditorie eum vinctum misisse Avenionem, quod ex eodem alii subscribunt. Perperam etiam refert Platina ipsum Bonifacium Comitem eum Avenionem perduxisse, ibique in carcerem conjectum. Minus recte Ægidius Card. Viterbiensis: *Antipapa*, inquit, *capitur, ac per Bonifacium Pisanum Comitem Avenionem perducitur, ubi in carcerem tractus insaniæ pœnas dedit.* Alii etiam in hac historia majores commiserunt errores, quorum singulos enarrare aut refellere haud judico necessarium, dum satis ex ipsis rei gestæ originariis monumentis veritas eluceat. Errant etiam Ciaconus, Genebrardus, Onufrius, & qui cum eis Petri schisma producunt ad annos tres, menses totidem & dies quatuordecim. Etenim qui à die XII. Maii an. millesf. terc. vigesimi octavi, quo à Bavaro ad solium iniquitatis evectus est, usque ad diem vigesimum quintum Augusti hujus anni, quo suos detestatus est errores coram Joanne Pontifice, enumeraverit, non nisi annos duos, menses tres & dies quatuordecim computabit. Quod vero sponte & ex propria voluntate non seductus a Pisanis, non coactus a Bonifacio Comite impiam Pontificatus umbram deposuerit, erroresque retractaverit, ubique in omnibus litteris ad Reges & Principes scriptis, ipse Pontifex Joan. palam testatur. Atque hanc rationem objecit Joannæ Reginæ Franciæ dum deprecaretur veniam cuidam Conrado in hæresim lapso, sed demum resipiscenti & misericordiam postulanti; quam ut facilius impetraret, crimen Corbarii maximum, sed misericorditer remissum opposuit: cui tamen Pontifex ita respondet: (*Nec quod de Antipapa proponitur, juvat istum: Antipapa quidem non captus, sed liber errorem suum recognovit, & per suas litteras a nobis humiliter veniam postulavit, offerens se paratum per omnia loca, de quibus nobis videretur expediens, confiteri scelera sua, & quæ contra nos fecerat, vel dixerat revocare; iste autem e contra, &c.*) Et similiter respondet Joanni Regi Boemiæ reconciliationem Bavari urgenti: (*Secundo*, inquit, *quia ipsemet Petrus de Corbario reatum suum humiliter recognoscens, a statu suo, quem de facto receperat, illi renunciando se de facto deposuit, & ab ipso Bavaro discessit.*)

Corbarium sponte abdicasse probatur.
Villan. cit. & cap. 164.
Ciacon. in Joan. 22.
Platina in vita Joan.
Viterbien. in excerp. MSS.

Quanto tempore hoc schisma duravit.

Reg. Vat. citat. fol. 25. 8. Kal. Decemb.

Ibid. fol. 171

X. Plures erant hoc tempore Inquisitores Minoritæ adversus hæreticam pravitatem, qui fidei conservandæ aut resarciendæ non segniter invigilarunt. Inter hos extat memoria Joannini de Mantua a Pontifice, & Francisci de Clugia a Bertrando Episcopo Ostiensi Apostolicæ Sedis Legato, in partibus Lombardiæ Institutorum, quibus varia negotia commisit hoc anno Pontifex, præsertim circa reductionem civitatis Bergomen. interdicto subjectæ, quia schismaticis, & Ecclesiæ rebellibus adhærebat. In Umbria & Provincia Sancti Francisci fratris Bartholini, qui Bavari & Corbarii sequaces acriter insectabatur. In partibus Massilien. Fratris Joannis de Badas, cui committitur, ut contra quosdam maleficos, qui nefandum scelus contra Guillelmum de Baucio Dominum de Berra perpetrarunt, diligenter inquirat. In Hungaria & Bosna Fratris Fabiani, cujus sæpius meminimus, & qui hoc anno adjutus

Joannin. & Franciscus Inquisitores in Lombardia.
Ibid. fol. 47.
Fr. Bartholin. in Umbria.
Ibid. fol. 65.
Ibid. fol. 206.
Fr. Joan. Massiliæ.
Ibid. fol. 142.

Fr. Fabian. Bosnæ.
Fr. Guillel. Episc. Alben. Legatus ad Regem Siciliæ.
Ibid. fol. 134.

jutus viribus Caroli Regis Hungariæ & Stephani Principis Bosnen. plurimos ex eo Principatu hæreticos profligavit. Præter hos Inquisitores in sedandis turbis Italiæ strenue laboravit Guillelmus ex Minorita Episcopus Albensis, cujus sæpe superius cum laude meminimus, quem hoc anno ad Regem Siciliæ citra Farum Joannes destinavit pro stabilienda pace & ineundo fœdere cum Pontificiis. Multis eum extollit Pontifex encomiis & a pacis studio commendat, ut communiter in suis litteris eum *Angelum pacis* appellet. Fratrem ejus germanum fratrem Franciscum de SavolaOrdinis Minorum interim constituit in Episcopatu Vicarium, ac privilegiis Pontifex munivit.

Ex lib. secret. an. 13. & 14. ep. 816. & 949.
Mittuntur Minoritæ in Indiam Orientalem.
Ex 2. par. an. 14. epist. 64.
Alii ad Jacobitas.

XI. Missi hoc anno ad Malabarica regna in India Orientali plures operarii ex Ordinibus Prædicatorum & Minorum simul cum Jordane Catalani Episcopo Columbensi ex prædicatoribus assumpto, quos repetitis litteris Pontifex Christianis Nestorianis, & iis qui commorabantur in molephatamo, commendat. Missi etiam alii ex utroque Ordine cum Guillelmo de Cigis Episcopo Taurisien. ad Marsorianum Jacobitarum Patriarcham, quem impense rogat, ut noviter a se missos, & qui jam in illis regionibus sibi subditis commorabantur, benigne tractaret.

Fr. Galgan. Episc. Alerien.
An. 1326. n. 11.
Fr. Petrus, Valven.
Fr. Henricus Isernien.
Fr. Arnal. Sarlaten.
An. 1321.

XII. Creati sunt hoc anno Episcopi frater Galganus Blasius de Florentia in Ecclesia Aleriensi in insula Corsicana sub Archiepiscopo Pisano per depositionem Gaddi de Pilis vacante: *Apostolatus officium*, II. Idus Martii. Frater Petrus Episcopus, uti diximus, Calven. trasfertur ad Valven. cui nunc unita Sulmonen. in Regno Neapolitano, per mortem Andreæ: *Quam sit onusta dispendiis*, IV. Nonas Maii. Frater Henricus constituitur in Isernien. in eodem regno sub Archiepiscopo Capuano, per mortem Petri: *Debitum officii*. VI. Nonas Julii. Arnaldus Royardi Salernitanus, uti diximus, Archiepiscopus translatus ad Sarlaten. in Gallia sub Archiep. Burdegalensi, per obitum Bertrandi Berengarii, concesso etiam usu pallii, quo utebatur in Metropolitana Salernitana. Tertium enumerant hujus Ecclesiæ, a Joanne XXII. in Cathedralem erectæ, Præsulem Joannes Chenu & Claudius Roberti: *Creditæ nobis dispensationis*, V. Kal. Julii. Nescio an hujus an alterius fratris Arnaldi meminerit Gaspar Musca in suo Catalogo Archiepiscoporum Salerni sub anno MCCCXXXII. Quod si hujus, planus error censendus est. Ut Rodulphus quem Dunensem in Hibernia diximus Episcopum, transferretur ad Corcagen. sub Archiepiscopo Castellen. transeunte Joanne Corcagiensi Præsule ad Dunen. liberam fecit hoc anno Pontifex facultatem: *In specula vineæ Domini Sabaoth*. Nonis Janu. Vincentius ab Ecclesia Nubien. transfertur ad Marianen. in Corsica sub Archiepiscopo Januen. per obitum Guidonis: *Angit nos cura propensior*. Kal. Decem. Frater Alemannus de Donatis de Florentia Episcopus instituitur in Ecclesia Suanen. in Etruria, tunc Sedi Apostolicæ immediatæ subjecta, per obitum Transmundi: *Licet continuata*, XI. Kal. Novembris. Alius occurrit Episcopus Juvenacien. in Regno Neapolitano sub Archiepisc. Barensi, vulgo *Giuvenazzo*, frater Guillelmus Alverricus Anglus, quem Paulo ante ad hunc Episcopatum, legitime promotum jubet Robertus Rex Siciliæ a suis Justitiariis admitti, & circa recuperationem jurium prædictæ Ecclesiæ fideliter adjuvari. Refert Pitseus virum hunc inter scriptores Anglos, & Episcopum fuisse refert in ea tamen Provincia Regni Neapolitani quæ *Terra di lavoro*, vulgo Italico nuncupatur. At non in ea Regni parte, quæ a Latinis Campania vocatur, sed in Apulia Pseucetia hic Episcopatus consistit. Præter hos invenio creatos sive efficctos a Corbario in Archiepiscopatu Januen.. Fratrem Berengarium de Mari, ac ejusdem Corbarii Vicarium Generalem in tota Provincia Januen.

An. 1328. n. 25.
Fr. Rodulph. Corcagien.
Fr. Vincent. Marianen.
Fr. Aleman. Suanen.
Fr. Guillel. Juvenacien.
Ex regesto Roberti sub hoc anno litt. B. fol. 237.
Pseudo-Episcopi aliquot.

in

in Episcopatu Vercellen. Thedericum de Berghem; in Cremonen. Bandinum, & in Ecclesia Aretina fratrem Mansuetum, qui tamen statim ab errore resipuerunt, & falsas deposuerunt dignitates; nec non frater Theodinus, quem Michael Cæsenas suum constituit in Provincia Anconitana Vicarium, pro cujus absolutione laboravit apud Pontificem Raymundus de Lados totius Ordinis Procurator. „ Hoc anno die XXIX. Novemb. creatum fuisse „ Episcopum Anagninum fratrem Joannem Minoritam, referunt tabulæ „ illius Ecclesiæ. Fuit postea Benedicti XII. Vicarius in Urbe. Ejus sollicitu- „ dine completa est fabrica Sancti Jacobi incurabilium anno MCCCXXXVIII. „ uti marmorea inscriptio in eodem templo commemorat. Obiit anno „ MCCCXLII.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI. Fr. Joan. Episc. Anagnin. Papæ Vicarius in Urbe.

Gonz. in prov. Concept. con. 30. Salvat miraculose sanctus Franciscus sibi addictum.

XIII. Non gravabor hic referre ingens sane miraculum, quod hoc ipso anno Arevali in Hispania accidisse refert Gonzaga. Nunnius Verdugus prædicti oppidi nobilis inquilinus, S. Francisco addictissimus, unicam filiam alteri collocarat heroi, qui indigne eamdem postea tractabat. Nunnius sacrum auditurus in Cœnobio Minorum Arevalensi, ad templi fores generum offendit, acriter increpavit, tamdem occidit. Rus ad nonum lapidem velocius aufugit: sequuntur post aliquot dies defuncti consanguinei quatuor, necem ulturi. Ille nihil mali suspicatus talari veste indutus, domo mane exit faciem & manus in vicino fonte loturus. Irruunt in eum hostes, & dum lanceis transfigere intentant, ecce repente mutata est species ejus & habitus, apparuitque Franciscano indutus. Illi stupefacti & territi, interrogant num Nunnium Verdugum illac transeuntem vidisset? existimantes vere Minoritam esse. Respondit ille se nullum alium a seipso eo mane obviam habuisse. Exilierunt ex equis, qui prius volebant occidere, atque ad ejus pedes provoluti, quid prius cogitarant, aperte narrarunt, omnique deposito livore, & noxa condonata, eidem reconciliati sunt, atque in mutuos irruerunt amplexus. Hæc omnia in tanti miraculi memoriam depicta sunt in sacello Ecclesiæ Minorum Arevalen. ab eodem Nunnio elegantissime constructo.

Chron. antiq. Marian. lib. 4. c. 9. Punitur Minorita, pecuniæ aggregator.

XIV. Sub eodem etiam tempore apparuerunt divinæ ultiones in quosdam Fratres suæ professionis oblitos, pecuniæ sibi interdictæ aggregatores. In Provincia Siciliæ obiit unus, qui sæpius ad munia honorifica, & Fratrum regimen evectus, avide cumulavit libros, vestes superfluas & pecunias. Corpus sub noctem in feretro fertur ad Ecclesiam, ut die sequenti funus curetur. Adhibitis, ut solet, duobus Fratribus, qui cadaveri advigilent, ecce sancti Franciscus, Antonius, & Ludovicus apparent, loculo adstantes interrogant defunctum cujus fuerit Instituti? Medio elevato corpore, in sanctum Franciscum aspiciens: *Tui*, inquit, *Ordinis, sanctissime Pater*. Indignatus sanctus Institutor: *Noli*, ait, *me vocare Patrem, qui filium te probasti degenerem, & præter alia regulæ præcepta, turpiter violasti sanctam paupertatem*. Statimque amovit ab habitu obmutescentis capitium, deinde ductis ex cella tota supellectile, & pecunia, quam absconderat, positisque super cadavere, sanctus Franciscus ignem apposuit, quo omnia exarserunt. Disparente visione, accedunt tremuli duo Fratres Custodes, qui a longe hæc prospiciebant, & omnia inveniunt in favillam & cineres redacta. Deinde monentes Guardianum pergunt ad defuncti cubiculum, clavibus obseratum, in quo nihil ex tota, quam pridie recensuerant, supellectile, licuit conspicere.

Item alter.

XV. Simile alteri evenit Fratri proprietario, cui cum spiritum emittenti assisterent Consodales, unus ex eis vidit morientis animam a dæmoni-

bus in tartara deduci, & sanctum Franciscum occurrisse dicentem, suo habitu indignum esse, qui quæ religiosum habitum decent, non fecit, atque ita habitu exutum malis lictoribus miserum dimisisse. Rediit ad se Frater, & cum cadaver in lecto positum aspiceret, nudum absque Minoritica veste, quam etiam moriens gestabat, secundum visionem, quam habuit, deprehendit.

Et tertius.

XVI. Camerini in Umbria decessit alius, qui sæpius fuerat Guardianus, & ex Fratrum præfecturis multas cumulavit pecunias; ac demum effodi fecit a socio laico cellæ murum, & in eo abscondit florenos auri quadringentos. Paulo post lenta correptus infirmitate salutem recuperaturus, ad Trabis Conventum perrexit, sed ibi amplius gravatus decrevit ad pristinum Camerini habitaculum redire. In itinere morbo oppressus, & animam acturus, depositus est in obvia domo cujusdam mulierculæ, ubi infeliciter vitam terminavit absque Ecclesiasticis Sacramentis. Eadem vero hora, qua expiravit, audita est vox in cella Camerini, repetitaque frequenter ista verba: *Hic est, hic est.* Cum vero non intelligerent Fratres unde, aut quorsum hæc verba emittebantur, a socio ejus perceperunt, se effodisse murum, quid vero defunctus in eo reposuerit, se prorsus nescire. Rupto muro, depositos invenerunt nummos aureos, quibus extractis, vox illa mirabilis cessavit. Traditum tunc aurum Provinciæ Ministro, qui alieno supplicio nihil commotus, illud & multam defuncti supellectilem in suos usus applicavit, magisque cuti curandæ, quam Provinciæ bene gerendæ curam impendit. In Conventu Ripæ Transonæ morbo correptus, Pisaurum salubrioris auræ gratia vehebatur asello, qui dum in lapidem impigerat, sessorem dejecit, atque ita gravi ille casu collisus, statim absque ullis Sacramentis discessit.

Et demum quartus.

XVII. Nihil sane Fratribus Minoribus perniciosius pecunia, & rerum temporalium aggregatione, per quas dæmon, quam promiserunt strictam paupertatem, cupit exulare, eoque studio non solum peculiaribus Fratribus loculos habere suggerit, verum & integro cœtui redditus, aut rerum abundantiam procurat. Refert Alvarus Pelagius, hujus temporis auctor miras in hac re hostis astutias. Cum enim in monte Alvernæ ab Ordinis primordio Fratres arctissimam observarent paupertatem, dæmon transfiguratus in domicellum placidum & industrium, adhæsit cuidam Domino castri propinqui, persuasitque, ut qui eousque durius agebat cum Fratribus, largiores & frequentiores tribueret eleemosynas. Adeo hominis crevit exinde erga eos pietas, ut quotidie ferme necessaria subministraret: quo factum est, ut ex aliunde acquisitis multa abundarent, & in tanta rerum copia luxus & dissolutio disciplinæ pullularet. Hæc considerantes quidam seniores, sui status zelatores, accesserunt ad heroem, & interrogaverunt unde tanta liberalitas in homine prius tenaci? Respondit, se omnino mutatum ad preces & suggestiones sui servi, sibi per omnia gratissimi. Unus autem ex Fratribus cognovit in spiritu non hæc suggessisse hominem ex Fratrum commiseratione, sed dæmonem inspirasse ex invidia, conjuravitque statim, ut quis esset, palam ediceret. Ille se deprehensum agnoscens, tamquam fumus ex omnium oculis evanuit, & Fratres ad suam parcimoniam ac meritoriam rerum inopiam redierunt.

Pelag. lib. 2. de planc. c. 51. in fine.

Dæmon procurat Minoritis rerum abundantiã.

Conv. Brunsbergen.

XVIII. Fratribus Conventus Brunsbergensis, diœcesis Warmiensis in Prussia, extra oppidum sitis, contulit hoc anno facultatem Joannes recipiendi ab oppidanis alium locum intra mœnia, & primum destruendi ne inserviret aliquando paganis & infidelibus, qui hostili incursu frequenter inhiabant rapinis & spoliis Christianorum: *Clara Ordinis vestri*, x. Kalendas Martii. Conventum Prestonen. diœcesis Lichefelden. in Anglia ab Edmundo

Conv. Prestonen.

do Lancastriæ & Leycastriæ Comite, Eduardi Regis Angliæ filio constructum, ad preces Henrici Comitis, Edmundi filii, ratum habuit Pontifex, & Custodiæ incorporavit Wigorniensi: *Exhibita nobis*, VII. Idus Novembris. Erat autem tunc, uti ex alio percepimus diplomate, Angliæ Minister Guillelmus de Notinghamo. Hoc tempore præextitisse Anitii, sive Avicii, ut placet Massonio, Conventum Minorum, probat bulla Joannis, qua Abbati Monasterii de Dea Anitien. diœcesis, Priori Prædicatorum, ac Guardiano Minorum urbis Anitien. commisit auctoritatem examinandi & judicandi controversiam, quæ versabatur inter Bernardum ejusdem urbis Episcopum, & Capitulum suæ Ecclesiæ. Conventus Moguntinus, de quo sæpius egimus, hoc anno in festo sancti Petri ad Vincula ex infortunio, magno conflagravit incendio.

Masson. de Flumin. Galliæ, in Ligeri.

Conv. Anitien.

Mon. Colon. MSS.

Conv. Moguntin. exuritur.

XIX. Concessa hoc anno licentia Communi & Universitati (ut verbis utar diplomatis) urbis Grassen. in Gallia, ut ædificarent Monasterium Clarissarum: *Exhibita nobis*, III. Nonas Septembris. Clarissis Sistaricen. concessum etiam amplum privilegium circa liberam sepulturam: *Significaverunt nobis*, III. Idus Januarii.

Monast. Crassen.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. Corbarii conversionem P. omnibus Regibus Catholicis, expeditis „ litteris Apostolicis ejusdem tenoris: *Scimus fili &c.* XIII. Kal. „ Octobris, participavit, & universis fidelibus dato brevi: *Ad gaudium &c.* „ Quamobrem ubique locorum lætitia magna facta est, redditis gratiis Deo, „ qui schismatis scandalo de medio sui populi sublato, desideratæ pacis „ optimam spem faciebat. Reliquum autem erat Fratricellos dissipare, qui „ bellorum occasione & schismatis variis in partibus numero impune creverant, & etiam Corbarii Antipapæ fautores vel sectatores, aut resipiscentes misericorditer amplecti, vel persequi contumaces, ut ovile „ Christi ab omni sordida lue purgaretur: contra Fratricellos in Messanensi „ diœcesi grassantes, paulo ante depositionem Petri scripserat Archiepiscopo: *Dudum ad audientiam &c.* x. Kal. Martii: quo etiam tempore Inquisitoribus Venetiarum contra sequaces Petri litteras direxerat: *Vos ignorare &c.* Cum subinde intellexisset mala gramina Fratricellorum apud „ Siculos variis in locis succrescere, Regis, & Reginæ Catholicum zelum, „ christianamque pietatem in eos datis brevibus: *Ad nostrum fili &c.* &: „ *Perducto noviter &c.* II. Idus Decembris excitavit. Ceterum Ministro „ Generali Ordinis Gerardo facta facultate eligendi in Provinciis Mediolanensi & Sicula Ministros: *Cupientes &c.* VIII. Kal. Junii, fratrem Henricum *Desovions* suum Capellanum instituit: *Virtutum decor &c.* VI. Kal. „ Augusti; dimisitque Nuncium Apostolicum ad Tartarum fratrem Joannem, quem Hungarorum Regi enixe commendavit: *Ad nostrum nuper &c.* Nonis Augusti. Vigebant adhuc in partibus Italiæ Subalpinis „ intestinæ populorum discordiæ, atque gravissima bella, pro quibus componendis & sedandis fratrem Guillelmum Episcopum Albensem strenue laborare alias dicebamus, quod ægre ferens Pontifex Communitatibus Cunei, Montis Regalis, Alexandriæ, atque Terdonæ pro pace, & quiete sub „ eodem tenore litteras scripsit: *Cum venerabilis &c.* sicut etiam Marchioni Montisferrati, aliisque quatuor Principibus pro eadem pace: *Ecce quod &c.* & pro præfato Episcopo salvo conductu: *Cum venerabilem &c.* „ datis litteris Avenione Nonis Decembris: ac tamdem concessis indulgen-

Indic. ex Vatic.

Litteræ P. de eadem re.

Aliæ contra Fratricellos, & fautores Corbarii.

Wadd. ad. ann. 1311. n. 1.

Ex Oder. n. 25.

Ex lib. D. Card. Barberin.

Pro pace in subalpinis Urbibus.

„ gentiis Ecclesiæ sancti Laurentii Neapoli: *Gloriosus Deus &c.* Vicariis „ Provinciarum posse eligere Prædicatores & Confessores indulsit: *Devotionis tuæ &c.*

Belengerius Januen. flor. Paul. Brit. l. 3. de Vir. Illustr.

„ II. Belengerius Januensis, ut scribit frater Paulus Britius Albensis „ Episcopus, ex Ægypti deliciisin Seraphicas solitudines, Francisco præeunte, evocatus, suavius in Minoritana Religione manna expertus est, quam „ ollas carnium, quibus in seculo vescebatur. Hic præter integram & illibatam regularis vitæ professionem, adeo fuit in operando impiger, & in „ excolendo Domini agro irrequietus, ut vix credi possit, quam uberes „ cœlo fruges ejus cultura pepererit. Tamdem hujus vitæ desertis, non „ sine sanctitatis laude peragratis, promissam æternæ beatitudinis fruitionem anno MCCCXXX. adeptus est. Jacet Genuæ, signis, quæ ob ejus meritis operatur Christus, Illustris. Philippus autem tertii Ordinis sancti „ Francisci Sacerdos, vir insignis, admirandæ abstinentiæ & orationis, apud „ Nursinos prope Gualdum miraculis clarus etiam hoc anno ad astra migravit: at Illustrissimus Princeps Guido Britanniæ Comes Penthuariæ obiit, „ & in Ecclesia nostri Conventus Guingampensis sepulturam accepit.

Philippus clarus miraculis.

ARGUMENTUM.

Agunt serio Minoritæ contra Fratricellos. Gerardus Minister Generalis ad Siciliæ Regem legatur. Inquisitores recensentur. Joannes Pontifex movet controversiam de visione animarum; & plures creat Episcopos Minoritas. Celebrantur Comitia generalia, in quibus Gerardus aliqua machinatur contra paupertatem. Moritur Odericus de Foro-Julio, cujus gesta referuntur. Construuntur Monasteria.

I. Turbatis in Italia rebus, & aucta iniquorum ex schismate Pontificio licentia, crevit etiam Fratricellorum audacia & temeritas, dum ex latebris prodeuntes se Bavari & Corbarii sectatores, ac fautores deprædicabant. Has secutis partes omnia impune licebant, palam incedere, conventus vocare, domos extruere, Angelum quemdam Spoletanum sibi præficere. Præter hæc multam in fidei corruptelam secreto intentarunt, quæ interceptis aliquando litteris, & ad Pontificem missis, detecta sunt. Scripsit itaque Pontifex ad Legatos Italiæ, ad Archiepiscopum Messanensem, Suffraganeos & Inquisitores Trinacriæ, & ad Regem & Reginam Siciliæ, quibus exemplar litterarum misit interceptarum, ad Episcopum Melfiensem, & Inquisitores Regni Neapolitani, ut maturius & severius in eos animadverterent. Strenue in hac re laborarunt Minoritæ, quibus invisum nomen Fratricellorum de paupere vita, & odiosissima secta, quæ se fictis velaminibus populi auram & affectum captura, ex parte saltim Franciscanam simulabat. Do litteras ad Melfiensem exaratas.

Agitur contra Fratricellos.

Episcopo Melfien. & Inquisitoribus hæreticæ pravitatis in partibus Regni Siciliæ & terris citra Farum, auctoritate Apostolica deputatis.

Reg. Vat. ex lib. secr. an. 16. fol. 231.

II. A*D nostri Apostolatus auditum perduxit nuper insinuatio displicibilis & infesta, quod quidam ministri Satan, perditionis filii, & maledictionis alumni, qui se* fratres de paupere vita *faciunt vulgariter appellari, quamvis eorum secta jam dudum per Sedem Apostolicam fuerit perpe-*

perpetuæ prohibitioni subjecta, se in illis partibus sub ducatu cujusdam nequam hominis, videlicet Angeli de Valle Spoletana, idiotæ utique, & quasi litterarum ignari, qui se caput, seu magistrum ipsorum nominat, congregarunt, & congregant incessanter, & gerentes sub pelle ovina rapacitatem lupinam, ut subtilius & facilius decipere simplicium animas valeant, varias hæreses & errores, quibus ipsi respersi dicuntur, disseminare in divinæ majestatis offensam, periculose nimium moliuntur, falsas prænunciantes indulgentias, & plures personas ad confessionem sacramentalem, licet claves non habeant, animas decipiendo, damnabiliter admittentes, & alia detestanda varia in suarum animarum periculum, & plurimorum scandalum committentes. Cum autem talibus, ne crescant hæreses, & errores hujusmodi, sed extirpentur potius antequam perniciosiorem coalescant in segetem, sit citius obviandum, discretioni vestræ per Apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus adversus prædictum Angelum & alios ejusdem complices in hac parte, secundum sanctiones Canonicas, & privilegia concessa Inquisitionis hereticæ pravitatis officio, solerti adhibita diligentia, taliter providere, invocato ad hoc, si necesse fuerit, brachii secularis auxilio, studeatis, quod hæreses & errores prædicti extirpentur radicitus, & fides Catholica conservetur illæsa. Contradictores quoslibet, & rebelles per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Volumus autem quod vos, & quilibet vestrum in solidum possitis procedere in præmissis. Datum Avenione Kalend. Decembris anno XVI.

III. Missus est a Pontifice hoc anno ad partes Lombardiæ frater Raphael Minorita pro seriis negotiis honorem S. R. E. concernentibus, Pontificiis Ministris cooperaturus; & ad Regnum Siciliæ Generalis Minister frater Gerardus, cum Roberto Rege circa pacificandam Italiam, & Ecclesiæ hostibus resistendum acturus; ac Reginæ Sanciæ, Ordinis Minorum addictissimæ, satisfacturus circa depositionem Cæsenatis, & supplicium quibusdam illatum, qui senserunt contra Pontificis determinationem in controversia paupertatis. Præmiserat etenim illa Pontifici querelas, & longum de hac quæstione commentarium, sibi oblatum id præcipue continentem, bene decidisse Minores in Capitulo Perusino, & cum aliis Romanis Pontificibus concorditer sensisse, nec proinde licuisse Joanni contra illorum sensum definire. Ad singula Pontifex respondet, oratque Reginam, ut contra se susurrantibus aures occludat, credatque Gerardo Generali Ordinis Ministro, eamdem in singulis instructuro. Elionio vero de Villa nova Magistro Hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani transfretaturum commendat prædictum Ministrum, rogatque ut in suis triremibus simul cum sociis sex transuehat in Siciliam. Sed ut illuc provenit non adeo placide satisfecit Reginæ, quin illa querelas remiserit Pontifici, quod ultra asperiorem agendi modum cum omnibus, qui quidquam in favorem decisionis Perusinæ pronunciaverant, etiam Nuncium suum Nicolaum, & Capellanum ad Capitulum provinciæ Terræ-laboris celebrandum in mense Augusti, missos cum abundanti eleemosyna, & litteris Regis ac Reginæ graviter offenderit, cujus rei & excessus modum examinandum commisit Pontifex Joanni sancti Theodori Cardinali Diacono, Sedis Apostolicæ Legato. Demum frater Henricus Desovions sibi bene adlaborantem, in quo ut refertur in bulla: *Virtutum decor, religionis zelus, famæ nitor, excellens litterarum scientia, & alia devotionis ac probitatis merita relucebant*, in Capellanum commensalem Joannes assumpsit, & gratiis plurimis affecit.

Ex secret. an. 16. fol. 314.

Ex secret. an. 15. fol. 75.

Legatur in Sicilia Gerardus Minister.

Ibid. fol. 97.

Ex secret. an. 16. fol. 244.

Ubi Reginam Sanciam offendit.

Ex secret. an. 15. fol. 180.

Fr. Henr. capellanus Pontificius.

IV. Ali-

Fr. Barthol. & Servus-Dei Inquisitores in Tuscia. *Ibid. fol. 106. & ex 4. par. an. 15. fol. 767.* Fr. Petrus Praten. ibid. *Ex secr. an. 16. fol. 328.* Frat. Simon. in prov. Roman. & Patrimonio. *Ibidem.* Fr. Fabian. in Sclavonia. *Ex secr. an. 17. fol. 242. Ibid. fol. 329.* Barthol. in provincia S. Francisci. *Ex secr. an. 15. fol. 136. & ex lib. magno anni 16. ep. 1502.* Fr. Guillelm. in Provincia. *An. 1254. n. 7. Bzov. hoc ann. n. 11.*

IV. Aliquorum ex Inquisitoribus hoc anno recurrit memoria. Bartholomæi & Servi-Dei in provincia Tusciæ, quibus præcipitur, ut processus reassumant & severius agant contra Tudertinos, Ludovico Bavaro adhærentes; fratris Petri de Prato in eadem provincia ex Inquisitore Fratrum Ministri, cui multas peculiares causas Pontifex commisit & quem in officio Inquisitoris confirmavit, quamtumvis ad regimen suæ provinciæ fuerit assumptus; Simonis de Tarquio in provincia Romana & patrimonio beati Petri in Tuscia, cui plurima conceduntur privilegia; fratris Fabiani toties nominati in Sclavonia, ut caperet quosdam excititios civitatis Anconitanæ, vulgariter nuncupatos *Tarraboccos*, qui ad easdem partes fugerunt, de hæresi, & gravibus excessibus dudum condemnati; Bartholini Joannelli in provincia sancti Francisci; fratris Guillelmi Astiæ in Provincia Provinciæ & civitate Avenionensi, cui & successoribus ejus jussit Pontifex assignari cubicula & hospitia infra Conventum Minorum, pro necessitate officii Inquisitionis in loco religioso, ac securo pro scripturis & rebus secretis ipsius officii conservandis, constructa. Spectabat certe a primæva distributione Inquisitio in curia Romana ad Minoritas, uti suo loco sub Innocentio IV. retulimus. Translata itaque curia Avenionem, ibidem hoc ipsum exercebant officium.

Quando vel a quo mota controversia de visione animarum. *Villan. lib. 10. c. 229.*

V. Hoc tempore, refert Bzovius, Joannem Pontificem opinionem suam de tarda nimis visione divina animarum, videlicet, quod usque in diem judicii, quamtumvis purgatorio igne expiatæ, non videant divinam essentiam, præ concione recitasse, atque ita differendo in opinionem Fratrum Minorum inclinasse. Quæstio hæc, quæ satis molesta & diuturna fuit, primum publice mota fuit a Joanne Pontifice anno MCCCXXXIII. teste Joanne Villano coævo scriptore, quantumvis ante duos annos eam adinvenerit, & mente conceperit. Porro quod Franciscani prius eam docuerint, tenuerint, aut foverint, vel in eorum in hac re sententiam Joannes inclinaverit, merum commentum est, quippe nullus gravis historicus Minoritis hujus opinionis originem tribuit, omnes scriptores auctorem primum hujus controversiæ scribunt Joannem Pontificem. Cui rei argumento est, quod nullus reperietur Franciscanus qui in hujus opinionis favorem, quidpiam scriptum reliquerit. Quod vero Guillelmus Astiensis Inquisitor Avenione in curia Pontificia Thomam Valentem Anglum ex Ordine Prædicatorum contrariam sententiam coram Pontifice prædicantem in carcerem conjecerit, non ideo fecit, quod ipse cum Joanne senserit, sed quod Prædicator minus religiose, & magis audacter, quam oportuerit, ipsum Pontificem non obscure, Bzovio ipso hic & alibi teste, perstrinxerit, divinam maledictionem imprecatus assertoribus illius sententiæ, præsertim cum eo tempore Joannes nihil tenaciter defenderit, nec constanter asseruerit in hac quæstione. Irreverentia Prædicatoris, non veritatis prædicatio in causa fuit, ut carceri manciparetur. Quod vero alibi sugillat, nimirum submissos a Pontifice Fratres Minores, qui doctrinam hanc Lutetiæ prædicarent, & Magistris Parisiensibus instillarent suo loco opportunius examinabimus.

An. 1334.

An. 1333.

Frater Salvatus Episcop. Lamacen. Fr. Petrus Acernen. Fr. Jacobus Sagonen. Fr. Laurẽt. Arianen.

VI. Electi sunt hoc anno Episcopi frater Salvatus Martini in Ecclesia Lamacensi in Lusitania, tunc Compostellano, nunc Braccarensi Archiepiscopo subjecta, per obitum Roderici vacante: *Regimini universalis Ecclesiæ*. IV. Idus Martii. Frater Petrus in Acernensi in Regno Neapolitano, sub Archiepiscopo Salernitano, per mortem Jordani: *Dum ad universas* Kalend. Julii. Frater Jacobus in Sagonen. in insula Corsicana, sub Archiepiscopo Pisano, per obitum Antonii etiam Minoritæ: *Dum ad universas*. Kalend. Decembris. Frater Laurentius in Arianen. in Regno Neapolitano, sub Archiepiscopo

po Beneventano, per obitum Roſtagni: *Sacri Canones*. XII. Kalend. Januarii. Frater Landulphus Carracciolus transfertur ab Ecclesia Stabien. de qua diximus ſuperius, ad Metropolitanam Amalphis in eodem Regno Neapolitano, per mortem Andreæ. Fuit vir graviſſimus, doctus & pius, magnis muneribus apud Robertum Regem, & ex commiſſione Joannis Pontificis, perfunctus. Dum provinciæ Terræ-laboris eſſet Miniſter, Robertus Rex ejus fidit integritati, ut ſui Regni officiales ſive miniſtros tum avitos, tum paternos, & ſuos vel alias quaſcumque perſonas, pecunias aut quæcumque alia illicite & indebite occupantes, in ſuæ curiæ præjudicium, Regii fiſci damnum, & periculum animarum, ad ſe accedentes audire poſſet ſub quocumque ſigillo confeſſionis, vel ſecreti, & cum talibus convenire, ſicut melius judicaret expedire. Soclum dedit fratrem Joannem de Regina Ordinis Prædicatorum, & ſubſtitutum, ſi quando abeſſet, vel occupationibus impediretur, fratrem Joannem de Vallono Ordinis Minorum Lectorem Salernitanum. Vixit in Archiepiſcopatu annis multis, nomen & laudem aſſecutus docti & ſancti paſtoris, uti ex ſubjecto elogio, ex vetuſto Codice manuſcripto præſulum Amalphis exſcripto, licebit conſpicere.

Fr. Landul. Archiep. Amalphitanus. *An.1326. n.10.*

Ex regeſt.Regis. Rober.ann.1325. Ind. 8. litt. F., fol.106.

Frater Landulphus Carracciolus, nobilis Neapolitanus, Ordinis Minorum anno MCCCXXXI. *ad Sedem Amalphitanam, & Archiepiſcopus* XIX. *creatus. Hic omnibus ſcientiis ornatus ac ſanctitate conſpicuus, & in ſacra Theologia valde eruditus, & multa opera ſacra compoſuit, chorum ſuæ Eccleſiæ fieri curavit, omnia bona Eccleſiæ pauperibus erogabat, ipſe vero ſemper in neceſſitatibus manebat. Interfuit ſolemni conſecrationi Eccleſiæ ſanctæ Claræ anno* MCCCXL. *quam nuper Robertus Rex ædificavit: nam inter alios Epiſcopos, qui aderant, ſic legitur in marmore* L. Dedit Amalfa, dignum dat Contia Petrum. *Vixit in ſua Sede annis* VIII. *& obdormivit in Domino non ſine ſanctitatis opinione, & corpus in marmoreo Sarcophago collocatum eſt in Sacello ſanctorum Coſmæ & Damiani. Obiit anno Chriſti* MCCCXL. Simile teſtimonium accepi ex alio codice MSS. ſed utrumque in eo deficit quod aſſerat, Landulphum annis dumtaxat octo illam rexiſſe Eccleſiam. In eo etiam diſcrepant & errant quod hic codex aſſerat obiiſſe anno MCCCXL. & ille alius dicat, ſucceſſorem accepiſſe anno MCCCXXXVI. quæ nullatenus vera eſſe poſſunt, cum anno MCCCXLIX. adhuc vixerit; unde potius dicendum puto, eum hanc rexiſſe Eccleſiam annis XVIII. non vero VIII. uti amplius anno MCCCXLVII. monſtrabimus.

VII. Celebrata hoc anno Perpiniani comitia generalia Ordinis, quamvis prius ſtatutum fuerit celebrari Aſſiſii. Præſenſerunt regulæ zelatores, & qui ſancti Franciſci volebant inviolata præcepta, aliquas novitates a quibuſdam excogitari, timebantque, Gerardum Generalem Miniſtrum contra paupertatis arctiſſimæ leges quidquam in hoc Conventu, ut alias in Lugdunenſi, machinaturum. Monuerunt itaque Principes, & Reges erga religionem pie affectos, rogaveruntque, ut ſui officii & debitæ erga ſanctum Franciſcum obſervantiæ Fratres monerent. Ita fecerunt plurimi, atque inter hos Sancia Siciliæ Regina, & Joannes Patriarcha Alexandriæ, adminiſtrator Eccleſiæ Tarraconenſis, filius Jacobi II. Regis Aragoniæ, quorum epiſtolas hic exſcribo, primam ex vetuſtis Ordinis Chronicis MSS. ſecundam ex hiſtoria beati Oderici Foro-Julienſis.

Capitulum Generale 44. Perpiniani.

An.1325. n.6.

Ve-

Venerabili in Christo fratri Gerardo, Generali Ministro Ordinis Minorum, ac Fratribus congregatis Perpiniani in Concilio Generali, Sancia Regina Hierusalem & Siciliæ, humilis & devota filia vestra, licet indigna, & beati Francisci, ac totius Ordinis sui, salutem in Domino Jesu Christo.

Sancia Regina monet ne quidpiam immutetur in regula.

Vide S. Bon. in Legen. S. Franc. cap. 4.

In Legend. trium sociorum.

Bonav. citat.

Luca 9. 62.

Nota mulieris pietatem.

VIII. E*Go rogo & admoneo paternitatem vestram, quod non devietis a vestigiis tanti patris, qui est vexillarius Christi, communis Pater noster beatus Franciscus. Audivi, quod aliqui Fratres dicunt, quod regula vestra, quæ fuit revelata a Domino bis sancto Patri nostro, & bullata cum illis quinque sigillis, quæ sunt pretiosæ plagæ Christi impressæ corpori almi Confessoris, non potest servari. Recordentur Fratres verbum, quod respondit Venerabilis Pater Dominus Joannes de sancto Paulo Episcopus Sabinensis, ac Vicarius Christi Dominus Innocentius III. sanctæ memoriæ quando confirmavit regulam: nam si quis intra Evangelicæ perfectionis observantiam, & votum ipsius dicat contineri aliquid nocivum, vel irrationabile, vel impossibile ad observandum, ipsum Evangelii auctorem blasphemare convincitur. Nullo modo credatis eis, quia ipsi non sunt filii patris nisi solo nomine; & si pater vester Generalis vellet aliquid immutare, quod absit, vel solum unum Jota non sustineatis. Quod si attentaret, non est pastor, sed mercenarius, & pro tali habeatis eum. Sciatis pro certo, & non dubitetis, quod Deus & beata Virgo gubernabit, & defendet vos, qui vultis esse veri filii patris vestri; & recordemini de verbis, quæ Dominus Jesus Christus dixit Patri nostro communi: ego vocavi, servabo & pascam, & aliis excidentibus alios subrogabo, ita ut si nati non fuerint, faciam illos nasci, & quantiscumque impulsibus fuerit hæc paupercula concussa religio, salva semper nostro munere permanebit. Ego offero me cum toto posse meo ad gubernandos illos, qui vestigia patris communis nostri, & vestri voluerint sequi usque ad mortem Crucis. Et habeo ad maximam gratiam, si Deus faceret me mori, & esse Martyrem pro ista causa. Illa benedictio veniat super vos, & me, & omnes illos, qui sunt, & erunt de ista sanctissima voluntate, quam dedit pater in Capitulo Arelatensi, quando frater & pater beatus Antonius prædicabat de titulo Crucis. Ac illa gratia, quæ in die Pentecostes venit super Apostolos & non placeat avertere, propter peccata nostra: quia scriptum est in Evangelio, & in regula nostra:* nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro aptus est regno Dei: *Cum ego sim peccatrix, & insufficiens, & illitterata, & loqui litteraliter nesciam, nisi ex gratia Dei & consuetudine, & nihil confidam de me, die Jovis* XVIII. *Aprilis intravi capellam parvam, juxta cameram meam in castro novo de Neapoli, ubi bene per tres candelas ante diem, clausa porta, sola cum corpore Christi, quod erat super altari, recommendavi me sibi, & postea incepi scribere, sicut Dominus ipse ministravit mihi, sine alicujus consilio humano vel terreno. Recommendo vobis Dominum Regem, virum meum reverendum, & Patrem, ac filium spiritualem vestrum, orationibus vestris, & omnes suos tam vivos, quam mortuos, & specialiter bonæ memoriæ Ducem Calabriæ, quod Deus det gloriam suam ei, & mihi, & omnibus nostris, tam vivis, quam mortuis, & illis quos ego intendo, & specialiter Dominum Ferdinandum carissimum fratrem meum, qui fuit Pater Regis Majoricarum, qui est carissimi nepotis mei, & filii mei. Scripta manu propria die præfata, in Castro novo Neapoli, Indictione anno* MCCCXXXI.

Ve-

Venerabilibus, & Religiosis viris, in Christo filiis, Reverendissimis fratri Geraldo Ordinis Fratrum Minorum Generali Ministro, ceterisque Fratribus apud Perpinianum in Generali Capitulo congregatis, Joannes provisione divina sanctæ Sedis Alexandriæ Patriarcha, & administrator sanctæ Ecclesiæ Terraconensis, salutem in Domino, & in adversis constantiam, & perseverantiam in promissis.

IX. OMne gaudium existimate, *Fratres mei*, cum in tentationes varias incideritis, ut probatio fidei vestræ multo pretiosior sit auro, quod per ignem probatur; *nam teste Sapiente*: figuli vasa probat fornax, & homines justos tentatio tribulationis, *nec formidare debetis si pluviæ descendant, si venti flaverint, si flamma irruerit, dum tamen domus sanctæ Religionis vestræ supra petram Christum a sapientissimo & sanctissimo Patre nostro Francisco fundata solida perseveret: quod fundamentum Dei firmissimum stare debet. Hoc igitur, Fratres carissimi, moneo, hoc exhortor, hoc in Christi Jesu vulneribus, Patri Francisco impressis, efflagito, ut supra soliditatem hujus petræ, & vestræ regulæ prædicto Patri divinitus inspiratæ, firmi & stabiles persistatis, perseverantes in ea usque ad finem, ut salvi sitis:* Quia nulla vobis nocebit adversitas, si nulla dominetur iniquitas. *Desiderio autem desideravi vestro sacro Collegio personaliter interesse, sed impedimentum præstat nuptiarum inclyti Domini Infantis Petri Germani mei concurrens solemnitas, Spiritu tamen vobiscum sum, a vobis postulans illud idem, & me commendans devote orationibus vestris sacris, cum promptitudine peragendi omnia Ordini profutura. Scripta propria manu Gerundæ, die Martis, post Ascensionem Domini Dei filii benedicti. Valete anno Dom.* MCCCXXXI.

Jacobi 1. 2. 1. Petri 1. 7. Eccl. 27. 6.

Joann. Patriarchæ Alexandrini erga Ordinẽ affectus.

Orat. post comm. super pop. fer. 6. ciner.

X. Attamen timor, quem timebant, evenit piis illis viris regulæ zelatoribus: non obstante enim tot Regum, & Procerum cautione, & præmonitione, Gerardus Minister graviter in regulam peccare tentavit, omni astu & conatu nisus, ut vel abraderetur ex formula Instituti a sancto Francisco præscripta, præceptum de non recipienda pecunia, vel Pontificia evacuaretur dispensatione, ita ut liceret singulis Fratribus pro suæ voluntatis arbitrio, saltem per interpositam personam, denarios recipere, & habere. Eam ipsam prætexuit in hoc Capitulo, quam in Lugdunensi, causam, videlicet ut caveretur populorum scandalo, & Fratrum conscientiæ, dum contra manifestum præceptum manifeste peccabant. Restiterunt tamen animose optimi quique Fratres huic temerario & irreverenti conamini, neque quidquam communibus suffragiis potuit stabilire, imo peculiari constituto decretum est, ne Minister Generalis, aut alius Superior possit privilegium aliquod impetrare, quod regulæ puritati derogaret. Vocavit itaque Gerardus in partes suæ factionis Provinciales Ministros quatuordecim, quorum aliquos minis & terroribus, alios promissis honorum incrementis allexit, & horum syngraphis, sigillisque munitum supplicem conscripsit libellum, cui suum etiam sigillum & nomen adjunxit, & Pontifici porrexit, ut scribit Alvarus Pelagius, in quo tria expostulabat: primum, ut tollerentur e medio omnes Pontificum declarationes super regulam, quas dicebat contrarias voluntati sancti Francisci in suo testamento manifeste, & magis inservire ad illaqueandum Fratrum conscientias, quam ad dubia explananda: secundum, quod illa verba regulæ: *Ubicumque sunt Fatres, qui scirent & cognoscerent, se non posse regulam spiritualiter observare, ad suos Ministros debeant & possint* re-

Vide Zuritam 14. lib. 7. cap. 14.

Gerardus Minister aliqua molitur in regulam.

Chron. antiq. Marian. lib. 4. c. 9 Marc. lib. 8. cap. 25.

Pelag. lib. 2. de planct. cap. 67.

In regest. c. 10.

recurrere: Ministri vero caritative & benigne eos recipiant &c. placeret suæ Sanctitati explicare, & declarare fuisse voluntatem sancti Francisci, ut Ministri potuissent in præceptis regulæ dispensare, qua ratione facilius Fratrum conscientiis possent mederi: tertium, ut declararet, non voluisse eumdem legislatorem in illis verbis: *Fratres nullo modo recipiant pecuniam per se, vel per interpositam personam: tamen pro necessitatibus infirmorum, & aliis Fratribus induendis, per amicos spirituales Ministri tantum & Custodes sollicitam curam gerant &c.* prohibere ne saltim per interpositam personam reciperent pecuniam pro infirmorum necessitatibus, & Fratribus induendis. Per *infirmitates* vero & *necessitates* intelligi voluerunt quamcumque necessitatem, vel indigentiam corporalem, quæ secundum eos dicebatur infirmitas, per quæ latissimum aperiebant ostium violandæ paupertatis.

Ibid. cap. 4.

XI. Non dubitavit Gerardus hæc placitura Joanni Pontifici, quem ex controversia paupertatis judicavit alienum animum ab humili & rigoroso Minorum vivendi Instituto induisse. Magna itaque fiducia quibusdam ex prædictis associatus Ministris accessit, & in præsentia multorum Cardinalium libellum, quindecim appensis sigillis, honorificentius commendatum Joanni porrexit. Displicuit valde Pontifici hominis temeritas, & impium in sanctam regulam conamen, dixitque indignanter, glossas illas & interpretationes duorum regulæ articulorum violentas esse, & perperam extortas contra apertum ipsius regulæ sensum: *Neque credimus*, inquit, *quod de mille ipsius Ordinis Fratribus unus tecum in hujusmodi intellectu concordabit*. Cardinales etiam id ipsum dixerunt, atque inter semetipsos hominem deriserunt, scientes hæc omnia ab ambitionis spiritu, quo ad Pontificis gratiam & Cardinalatum aspirabat processisse. Additque prædictus auctor, unum ex Cardinalibus sibi dixisse: *Vere hodie nobiscum fuit sanctus Franciscus, cum assideremus Pontifici, videlicet ad defendendam suam Regulam & Institutum*: Ita confusi retrocesserunt regulæ temerarii supplantatores, neque circa revocandas declarationes aliorum Pontificum quidquam potuerunt obtinere, neque quod ultimum tentarunt, ut tollerentur ex decretali Clementis V. *Exivi de paradiso*, quidam articuli. Mira sane res: ut sancti Francisci Vicarius, & in officio successor, adeo temere in sanctum Franciscum peccare tentaverit, neque alias circa hæc ipsa repulsam passus, ab iniquo machinamento voluerit resilire. Mirum etiam quam dispar illius & prædecessoris inclinatio, quam alienæ Gerardi cogitationes a studio Cæsenatis: *hic* omnibus se opposuit & Pontifici ad mortem usque restitit pertinaciter pro conservanda paupertate Franciscanorum, quam indigne putabat offendi; *ille* præter & ultra Pontificis voluntatem eamdem paupertatem enervare, vel omnino abolere miro astu contendit. Hic dignitates omnes, quas sperare poterat, contempsit, & quam possederat, amisit, ut regulæ dignitatem tueretur: ille ad majores aspirans, sui officii, fidem, & instituti singularem perfectionem violavit. O misera ambitionis conditio! *Eo ipso perniciosior, quod blanda est conciliatricula dignitatum, & sæpe quos vitia nulla delectant, quos nulla potuit movere luxuria, nulla avaritia subruere, facit ambitio criminosos*.

Ejus conatum Pontifex retundit.

Ann. 1325. n. 6.

Dispar Gerardi & Cæsenatis studium.

Ambros. lib. 3. in Lucam.

XII. In eodem etiam Capitulo cœremonias novas pro recipiendis Tironibus, & ad professionem admittendis præscripsit, quas alias cum de Comitiis generalibus seorsim scripserimus, dabimus opportunius. Statuta etiam Ordinis a sancto Bonaventura edita, additis multis ex partibus, Capitulorum Generalium constitutionibus, & Ordinis privilegiis, ampliora fecit, & clariori ordine distinxit. Hæc tamen in Capitulo Generali Parisiensi statuis-

Hujus Capituli Generalis statuta.

tuisse, perperam contra antiquorum fidem scribit Rodulphus. Abusus omnes in picturis & inania simulacra, sive Christi Domini, sive Sanctorum, vitas aut actiones, quæ cum probatis eorumdem actis non concordabant, referentia stricte prohibuit. Jussit, ne Ministri Provinciales ultra generales multiplicarent constitutiones, præcepitque ut iter aliquod suscepturi utroque poplite flexo a Prælato benedici humiliter postularent. *Rodul. fol. 140.*

XIII. Hoc anno die XIV. Januarii Feria II. circa horam nonam beatus Odericus Provinciæ sancti Antonii ex portu Naono oppido Fori-Julii oriundus, obiit in civitate Utinensi. In tenera adolescentia Ordinem Minorum professus, super nudam carnem semper habebat cilicium, vel ferream loricam, panem dumtaxat & aquam in cibum admittens, una tunica contentus, excalceatus incedens, crebris flagellis in suum corpus severe animadvertebat. In oratione assiduus & humilitatis religiosæ studiosus sectator, noluit assentiri dignitatibus Ordinis communi Patrum suffragio sibi collatis. Ex Ministri sui licentia in eremum secessit, ubi solitariam vitam, per longum tempus traduxit. Adeo profecit in virtute & sanctitate, ut miraculis coruscaret, & plurimos ad Christi fidem, & Minorum Institutum alliceret. Lucrandarum zelo animarum universum ferme orbem pervagatus est; lustrata etenim Europa per Pontum Euxinum, Trapezuntiam, vetustam civitatem in extremo Ponticæ oræ sitam, Persarum, Medorum, multarumque gentium Emporium se contulit. Hinc in Armeniam majorem transiens, ad Acheræam urbem olim magnam, tunc pene a Scythis eversam divertit. Inde Taurisium viginti dierum a Babylone itinere remotam, permeavit. Deinde Kairum perrexit, & varias urbes percurrens Jop Persarum extremum oppidum adiit, mox per Ichtyophagos, Oros & Gedrosios ad mare Indicum progressus, Ormus celeberrimum Emporium conspexit. Posthæc viginti & octo diebus navigans pervenit Thanam Pori Regis, qui cum Alexandro conflixit, civitatem, in qua paulo ante martyrium passi sunt frater Thomas Tolentinas, & socii, uti alias enarravimus, quorum corpora diximus eumdem non sine miraculo detulisse Palumbum, deinde Zaitonem. Hinc decem dierum itinere confecto, ad regnum Moabar, ubi sancti Thomæ Apostoli corpus requiescit, mox quinquaginta diebus, & noctibus navigans, ad insulam Lamorin. ubi abscondito polo Arctico, Antarcticus conspicitur, incolumis pervenit. Ab hac insula multorum dierum remigio navigavit ad regnum Zapha, & inde Sillam profectus est.

Moritur B. Odericus. *Marian. citat. Rodul. fol. 125. Marc. citat.* *Ejus pœnitentia.* *Humilitas.* *Per universum orbé animas lucratur.* *Ann. 1321. n. 1. & seqq.*

XIV. Hinc cursum Meridiem versus absolvit (solum enim supererant frequentes, sed parvæ insulæ) & in Orientem direxit ad Indiam superiorem. Zaitonem regressus, & postea multorum dierum spatio Cansajam transgressus, processit demum Katajum ad civitatem Cambalecicensem, ubi magnus Cham Tartarorum Imperator residebat. Illinc ad regnum Thibech fertilissimum processit, ex quo postremo rediit in Europam post annorum sexdecim continuam peregrinationem, disseminato ubique Evangelii semente, & sacro baptismate intinctis ultra viginti millia Paganis, Sarracenis, aliisque infidelibus. Ita squalore & inedia mutata est facies ejus, & a Sole denigrata, ut parentes eum minime potuerint cognoscere. Mirabilia sunt, quæ se vidisse in illis regionibus recenset; scripsit enim seu potius dictavit, dum jaceret infirmus, fratri Guillelmo de Saxonia scriptori, ita jubente, & importune imperante fratre Guidotto Ministro Provinciæ sancti Antonii, quæcumque vidit prodigiosa in regionibus Orientis, inscriptusque est liber de Mirabilibus mundi, in quo plura judicabit lector incredibilia, nisi fidem adstruat, vel extorqueat sanctitas auctoris.

Redit in Europam.

Aliqua ejus gesta in Oriente.

XV. In hac peregrinatione multa passus, accidit ut in quadam Provincia, in qua sub pœna capitis cautum erat, ne ullus Christianus sub tecto reciperetur, valde ægrotaret, & sub umbra cujusdam arboris per dies multos decumberet, nec quidquam in gravi & prolixa infirmitate comederet, præter decidentem ex arbore fructum, & aquam ad ejus radices placide manantem. Paululum convalescens accessit ad vicinum flumen, repertumque in eo præterlabens pomum comedit, ac tantam illico virtutem sensit & robur, ut animose ambulaverit dies novem nihil bibens aut manducans. Vidit beatissimam Virginem Mariam multis Virginibus, martyribus, & viduis associatam, gloriose procedentem, ut piam fœminam, quæ multis annis Domino inviolata virginitate servivit, mox morituram consolatione & honore afficeret, sicuti ipsa eidem Oderico, ex nomine ad se vocato, narravit producto colloquio ad integrum milliarium, eodemque invitato, ut languenti sacram præberet synaxim. In magna Tartaria mira facilitate dæmones ex hominum corporibus expellebat, & idola comminuebat, quorum aliqua in ignem conjecta resiliebant, quæ aqua benedicta aspersa denuo injecta conflagrabant. Mansit apud magnum Chamum Tartarorum annis tribus in pretio habitus, & cum eo sæpe manducans, ad cujus votum rediit in Occidentem Fratres convocaturus ad Tartarorum catechesim.

XVI. Redeunti occurrit dæmon in via, mala illaturus, propter multam, quam ei eripuit prædam animarum, & propter novum, quem contra eum conscribere militem tentabat, prædixitque irritum fore ejus conatum, neque iterum rediturum in Tartariam. Ille importunum & insolentem invasorem signo crucis repulit: sed verum esse probavit, quod dixit. Nam ut in Italiam anno MCCCXXX. applicuit, & Pisas pervenit, ut inde navigaret Avenionem, rerum Orientalium statum Pontifici significaturus, & operarios pro magna illa messe Tartarorum petiturus, dum audiret calamitates Ordinis ex fuga Cæsenatis & intrusione Corbarii ortas, vehementer doluit, cupiitque quantocius ad curiam accedere, ut laboranti sodalitio, si qua posset, succurreret, & Consodalibus adlaboraret. Sed in gravem incidens morbum vidit sanctum Franciscum sibi in magna nube interius lucida, exterius obscura, apparentem, & dicentem: *Ego pro te & pro reliquis vadam, & curabo, quæ tu concupiscis. Indue re fortitudinem & surge: revertere ad nidulum tuum: ibi morieris, non enim hæc civitas, quæ tantopere vero resistit Pontifici, meretur te, vel mortuum possidere.* Obsecutus voci paternæ statim curavit se deferri ad Provinciam suam sancti Antonii, non obstante corporis languore, & itineris longitudine. In civitate Utinensi decubuit, ibique, quem diximus, ad Ministri præceptum librum dictavit. Cum vero infirmitate gravaretur, & post generalem peccatorum confessionem absolveretur a Sacerdote, dixit: *Utere, reverende Pater, potestate tibi tradita, quantumvis mihi Dominus nunc significaverit, se condonasse omnia mea peccata, attamen tamquam humilis filius libenter me subjicio clavibus Ecclesiæ.* Paulo post accepta sacra Synaxi & extrema unctione, placide obdormivit in Domino.

Avenionem proficisci intentat.

Sed infirmitate impeditur.

Pisis Utinam deportatur.

Paulo post moritur.

XVII. Ipso eodem die, quo obiisse supra monuimus, voluerunt Fratres post Vesperas corpus ejus sepelire, sed impediit Castaldus Rector civitatis, fratris Oderici carus amicus, dicens: *Non expedit ut tantus vir statim absque honore tradatur sepulturæ: expectate usque in crastinum, & ego cum universis urbis proceribus conveniemus, ut honorifice funus peragatur.* Annuerunt Fratres & exequias die sequenti solemniter celebrarunt, posito cadavere pretioso in loculo in omnium conspectu. Accedebat universus populus,

Honorifice sepelitur.

lus, osculabatur manus & pedes, & vestimenta decerpebat. Præ reliquis adfuit nobilis matrona, soror Patriarchæ Aquileiæ, septem mensibus brachium dolens contractum, quod dum magno fidei ardore brachio applicuit Oderici, repentino clamore se sanatam esse circumstantibus ostendit. Ad apertum miraculum commotus populus, vere sanctum esse proclamavit, accurreruntque alii languidi & infirmi, & curati sunt omnes. Noluerunt itaque permittere, ut adeo cito terræ mandaretur optima languentium medicina, sed per integros dies voluerunt insepultum. Avide omnes reliquias colligebant, ex habitu scindebant fragmenta, pilos capitis & barbæ evellebant, tentavitque quædam hæroina forsice auriculam abscindere, sed mirabiliter effectum est, ut nullatenus potuerit forsices occludere, vel adnectere, quos ad secandum dilataverat. Hac intentata corporis injuria Fratres commoti, in arca condiderunt, & tertia die sub vesperam egregius concionator Ordinis Prædicatorum, sacræ Theologiæ professor, universam ejus vitam & pie gesta pro sermone recitavit ad populum. Quarta die translatum est corpus ad aliam arcam nobiliorem tribus seris munitam, præsente Domino Pagano Patriarcha Aquilejæ, & Decano Canonicorum Utinensium, talemque emisit mirificum odorem ut suspicionem ingesserit aromaticæ conditionis. Unus ex eis volens probare an ita esset, ad omnes ferme corporis partes manus applicuit & nares, juravitque non humanum, aut terrenum, sed cœlestem se sensisse odorem, eodemque flagrasse manus, quibus sanctum corpus tractavit, per dies septem.

Brachium sanat contractum.

Multos item languidos.

Mirabilem spirat odorem.

XVIII. Deposito in novo loculo sancto cadavere, primum in quo jacuit, pii viri in minutissimas assulas desciderunt: sed uno incaute avideque secante digitum mutilavit, hærente pelle dumtaxat. Linteolo mox involuit, & assulæ colligatum suo loco direxit, abiitque ad chyrurgum remedium adhibiturus. Explicato vero digito ita integer, & illæsus apparuit, ut nec sectionis vestigium appareret. Post multos dies Patriarcha desiderabat videre, quo in statu esset sanctum cadaver, vocatisque rectore & consulibus civitatis, ac Conventus Guardiano, qui tres capsulæ claves habebant, fecit exhumari. Extractum ex arca corpus repositum fuit super altare, suavissimum emittens odorem, adeoque mollia, tractabilia & candida erant universa membra, ut viventi potius, quam mortuo simile videretur, ac color ruborque faciei vegetior & pulchrior tunc fuisset, quam dum viveret. Non potuit Patriarcha se a lacrymis continere, extraxitque annulum e digito suo & posuit in indice beati Oderici, exhibita prius flexis genibus reverentia, universaque familia devotis precibus se ejus meritis & intercessioni commendavit. Extruxit ei confestim nobile sepulcrum, speciosam & nobilem aram erexit, atque sacellum picturis & multo cohonestavit ornatu, & atque hinc judico sumpsisse fundamentum Pisanum, ut minus proprie diceret, eum in Patriarchatu Aquilejensi esse canonizatum. Curam imposuit Meliorantio Canonico Utinensi, & Maphæo Cassino ut sancti Viri miracula diligenter perquirerent, qui septuaginta authentica conscripserunt, & Guidoni Candido Episcopo Utinensi remiserunt, ut eumdem inter sanctos annumerari diligenter & efficaciter curaret in curia Romana.

Resectum digitũ sanavit.

Exhumatum corpus pulchrum & vegetum apparet.

Cohonestatur nobili sepulcro a Patr. Aquileien. Pisan. con. 8. & 11.

Ejus conscribuntur miracula.

XIX. Crebrescentibus itaque miraculis, & divino quodam æstu hominum animos succendente, absque omni humana opera, aut cura subito totius populi & provinciæ Foro-Juliensis accrevit devotio in utroque statu, Ecclesiastico & seculari. Confluebant undique ad visitandum ejus sepulcrum Castellani cum consortibus & filiis, Foro-Julienses nobiles, populares, cives, & rustici mixtim certatimque ex oppidis, agris concurrentes cum crucibus & vexil-

Turmatim omnes confluunt ad ejus sepulcrum.

vexillis in forma supplicationis publicæ, pedestres, & magna ex parte flagellantes se, accesserunt in tanta multitudine, ut aliquando convenerint sexdecim cruces & vexilla diversarum urbium, villarumque ex regionibus Carneæ & Fori-Julii. Abbatissa Monasterii majoris civitatis Austriæ cum toto suo collegio, composito consuetoque Ordine supplicandi pedites venerunt Utinum; & similiter Abbatissa Aquilejensis, cujus Monasterium per VII. leucas distabat ab Utino. In hujus gratiam (erat enim nobilissima) præsentibus Rectore & Consulibus Urbis, extractum est sanctum corpus ex loculo, & multis accensis cereis collocatum super altare. Accedentibus binis & binis Sanctimonialibus, ut pedes exosclarentur, cecidit fortuito quidquam ex alto super tibiam sancti Viri, & vulnus inflixit. Ex cicatrice statim recens & rubicundus sanguis effluxit, quem adhibitis linteolis collegerunt Rectos & Consules, aliquotis panniculis sanguine tinctis concessis Abbatissæ & Monialibus.

XX. Ita perseveravit hic populorum concursus, ut totis diebus & noctibus Ecclesia Minorum plena fuerit populo. Quin etiam ex longinquis regionibus veniebant multi Dei servum veneraturi. Comitissa Goriciæ cum magna solemnitate & devotione eo concessit; ex Sclavonia & Germania multi adveniebant heroes. In Villacho, in finibus Pannoniæ magnificatum est nomen ejus, sanante Domino nobilem heroinam gravi & diutina infirmitate laborantem ad contactum ejus tunicæ, quam illuc asportavit quidam professor Theologiæ Minorita, qui adstitit morienti. Frater Michael a Venetiis concionator Minorita, & socius aliquando servi Dei in Oriente, septem annis laborans incurabili fistula in gutture, habensque guttur ipsum perforatum, cum magna fiducia accessit ad sepulcrum, oravitque his verbis, Frater Oderice amice & comes carissime, per caritatem, per amicitiam & societatem, quam longo tempore professi sumus inter infideles, & per meritum tuæ sanctitatis supplico, rogo, & obtestor, ut me digneris liberare per intercessionem tuam a molesto & gravi hoc morbo. Ita oravit in vigilia Pentecostes post Matutinum, præsentibus duobus Fratribus, & apposita gutturi lorica, quam gestabat Vir sanctus, repente & perfecte convaluit, ita ut ipso eodem die populo prædicaverit, & enunciaverit mirabilia Dei. Die sequenti curru evecta accessit ad sepulcrum mulier Patavina spina dorsi ita confracta, ut incurvata caput ad genua ferme dimiserit, & hoc pacto decem annis incesserit, tribus diebus orans & vigilias exercens repente convaluit tertia die, rectoque corpore absque baculi aut alterius adjumento rediit in patriam. Quemdam Fratrem Minorem sex dies habentem in monumento, propter preces sororis ad vitam revocavit. Hunc Fratrem a mortuis resuscitatum se vidisse & allocutum fuisse, retulit Henricus Alferus Astesanus, Ordinis Minorum generalis Minister, Bartholomæo Pisano, uti ipse testatur, dum de hoc servo Dei quædam enarrat. Multa sane vivens & mortuus patravit miracula; cæcos illuminavit, surdos fecit audire, mutos loqui, claudos ambulare, contractos, & diversis infirmitatibus oppressos mirabiliter sanavit.

Multa patrat miracula.

Pisan. cit.

XXI. Reversus hoc anno Minister Generalis ex Regno Neapolitano, quo superius diximus amandatum, Assisii egit cum civibus, ut ex conventu Carceris in monte Subasio, in quo sanctus Franciscus cum sociis frequenter asperam vitam traduxit, expellerent Fratricellos, qui locum violenter occuparunt. Quibus ejectis, illic hæsit per aliquot dies cum piis & religiosissimis viris, quos aliunde selectos & evocatos ibidem collocavit. Concessit hoc anno Pontifex licentiam Elisabethæ Reginæ Hungariæ, ut in quacumque

Marian. cit. Chron. antiqua. Hoc an. n. 3.

E Conventu Carceris eliciuntur Fratricelli.

vellet civitate, vel villa sui regni, insula Danubii, & castro Budæ exceptis, Fratribus Minoribus conventum extrueret. Nescio quem tamdem ædificaverit: Berachfasiensem ab ea constructum scribit Gonzaga, sed sub anno MCCCLXX absolutum: *Eximiæ devotionis*, XI. Kal. Augusti. Scripsit etiam hoc anno Pontifex Generalibus Præfectis Prædicatorum, Minorum, & Eremitarum Sancti Augustini, ut viros religiosos & doctos mitterent ad insulam Corsicanam, qui incolas in fide instruerent. Asserit vero in diplomate, nullam ex his religionibus locum aliquem habere in universa insula, præter unum Prædicatorum in castro Bonifacii: *Sperantes in Domino*, Kal. Decembris. Sed scrupulum mihi movent circa bullæ narrationem ista tria quæ objicio. Primum, quod ante annum MCCCIV. ad portum Siracusanum vulgo *Bonifacii*, habuisse Minores Domicilium ex lapideis monumentis probent alii, uti sub illo tempore narravimus. Secundum, quod in distributione provinciarum facta a D. Bonaventura in comitiis Narbonensibus, tunc numerabantur septem conventus in ista insula. Tertium, quod ipse idem Pontifex, ad preces Alphonsi Regis Aragonum, ante biennium subjecerit Provincialibus Aragoniæ & Cataloniæ Ordinum Minorum & Prædicatorum Conventus & Fratres insularum Corsicæ & Sardiniæ; de quo speciale damus diploma in regesto. Scripsit etiam tunc Pontifex Ministris Provinciarum Januensis & Tuscanæ Ordinis Prædicatorum & Minorum, ut statim unusquisque illorum sex Fratres idoneos ad prædictam insulam amandaret. Conventus Serræ Petronum circa hoc tempus translatus fuit ab eo loco, in quo prius extructus fuit paulo post ordinem conditum, prope torrentem adlabentem, cujus alluvione injuriam passus minabatur ruinam. Floruit ibidem & sepulturam accepit prope aram sancti Antonii. „ Et festive colitur die XII. Martii ex pu„ blico decreto Concilii, & Rectorum illius populi edito anno MCDLXXIII.„ B. Joannes vulgo dictus *del Martello*, qui novi Conventus Ecclesiam construxit. Ultimo hoc seculo eamdem restauravit Joannes Picus Magister Generalis, ibique conditus est ad aram prædictam sancti Antonii, quam ipse noviter erexit. Reliquerat olim honesta matrona Cunegundis Fratribus Conventus Andernacentis domum in oppido Sintrigh pro receptione & hospitio eorumdem. Fuerunt, qui possessionem impedirent, sed jubente prius Henrico Rege Romanorum, & hoc anno die S. Joannis Evangelistæ Godefrido de Juliaco Domino, in Berchem pacifice eamdem recuperarunt.

Gonz. in prov. Ungar. S. Mar. Con. 22.

Quando missi Minores Corsicam.

An. 1260. n. 14.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI. *Rodul. fol. 256. Monu. MSS.*

Monu. MSS. Coloniæ. Hospitium Sintiicen.

XXII. Occurrit hoc anno memoria Conventus Confluentiæ, urbis insignis sub dominio Principis Electoris Trevirensis, ita dictæ a confluentibus ibidem fluviis Rheno & Mosella, in quodam instrumento compromissi, quo Guardianus Confluentinus, & Abbas in Himmeren. controversiam quamdam commiserat Decano sancti Castoris, Commendatori domus Teutonicæ decidendam. Ferunt, hunc Conventum tempore sancti Francisci exstructum, sed nullum certum id probat monumentum. Primum illud occurrit vetustatis argumentum, sepultum fuisse in ambitu Monasterii anno MCCXCI. in festo sanctorum Petri & Pauli, uti ex lapide sepulcrali constat, nobilem heroem Hermannum, Dominum in Helfenstein, arcis olim supra montem e regione urbis Confluentinæ munitissimæ, nunc autem ne civitatem aliquando offenderet, destructæ. Sepultus etiam ibidem juxta portam domus capitularis anno MCCCLXV. die XI. Maii Dominus Gerwicus Episcopus Balezeus, ex Ordine Minorum assumptus. Transiit domus ad Observantes anno Domini MCCCCLI. sub Jacobo de Sirch Archiepiscopo, curante venerabili Patre Ivone Hueti de Conventu Lavalle Provinciæ Turoniæ, qui resignarunt bona omnia propria, quæ Conventus possidebat, nempe, vineas, domos, annuos

Con. Confluent. *Eadem mon. MSS.*

annuos census, redditus, jocalia, & pretiosa ornamenta in manus Consulum, & Senatus Civitatis, quod publico manifesto voluerunt instrumento. Venisse ferunt primos Fratres, Observantiæ regularis restauratores ex residentia Boppardiæ (seu ut in vetustis monumentis legitur, Bodobrigæ) ibidem fundata a sancto Bernardino, ubi super pallium cum socio Rhenum transmisit. Multas & insignes reliquias huic loco contulit frater Joannes Capet vir gravis & doctus, socius & commensalis Cardinalis Raymundi per Germaniam Legati, & Friderici III. aliquando Nuncius ad Albertum Archiducem Austriæ Imperatoris fratrem. Asservantur ibidem aliquot sermones ejusdem, in quibus fatetur se audivisse concionantem beatum Joannem Capistranum, & vidisse miracula facientem. Floruerunt ibidem Viri doctissimi & piissimi, atque alii ibidem sepulti, præsertim prædictus Pater Ivo reformationis auctor, & Conradus Wesaliæ Minister Provinciæ Coloniæ, qui viginti annis domum hanc gubernavit. Ecclesia sancto Sebastiano martyri sacra, magnam ejusdem brachii partem reverenter conservat, quam tamen non a beato Joanne Capistrano, ut vult Gonzaga, sed a prædicto Joanne Capet accepit.

Gonz. in Prov. Colon. Conv. 1.

An. 1327. n.

XXIII. Ante hunc annum constructum diximus a nobili muliere Margareta, Domina de sancta Cruce, Lugdunen. diœcesis, Monasterium Clarissarum, in loco vocato sancta Maria de Cabilone, quod hoc anno amplissimis redditibus locupletavit, & Pontifex multis privilegiis munivit: *Dudum exponente*. Kal. Martii. Aliis etiam gratiis afficitur Monasterium Clarissarum de Altaripa Tolosanæ diœcesis, cujus aliunde mihi mentio occurrit: *Sacra Religio*. Nonis Junii. Bonifacio Comiti Donaratico, sibi perquam caro propter reductionem Petri de Corbario, hoc anno Pontifex licentiam concessit, ut de variis legatis, quæ solvere tenebatur, Monasterium construeret Clarissarum in urbe Pisarum, in quarterio (ut bullæ verbis utar) Chinsicæ, in contrata, quæ dicitur Guassolungo, cui adnexit Prioratum sancti Martini cum horto, redditibus & pertinentiis: *Dignum arbitramur*, VIII. Kal. Martii. Indulgentias largitus est visitantibus sacellum beatæ Mariæ Virginis, quod Fratres hoc anno construebant in sua Ecclesia urbis Cassellensis in Hibernia, & similes visitantibus Ecclesiam eorumdem, quæ tunc construebatur in Derotonia Olonen. diœcesis: *Dum præcelsa*. Idibus Julii. Dispensavit cum Endelina Moniali Cœnobii sancti Marcelli prope Parisios, filia Ludovici Regis Galliæ, ut non obstante impedimento natalium, in Abbatissam prædicti Monasterii posset assumi: *Testimonium tibi laudabile*. IV. Idus Augusti. Tamdem, orante Generali Ministro, confirmavit omnes Indulgentias suorum Prædecessorum concessas visitantibus Ecclesias Ordinis Minorum, & eorum audientibus conciones: *Filiationi vestræ*, IV. Kal. Septembris.

Monast. Cabilonen.

Monast. Altaripæ.

Mon. Pisanum.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. Geraldo, seu Gerardo Ministro Generali Ordinis Summus Pon„ tifex commisit, ut Provinciis Tusciæ & Sclavoniæ suos præfi„ ceret Ministros, qui eas regerent, datis litteris pro Tuscia: *Cum sicut &c.* „ II. Idus Februarii; & pro Sclavona: *Cum pridem &c.* IV. Nonas Octobris. „ Erant autem inter Fratres non pauci, qui in schismate partes Corbarii se„ quuti fuerant, consequenter Ecclesiæ censuris innodati, quamobrem ei„ dem Generali concessit, ut eos absolvere posset: *Cum pridem &c.* IV. No„ nas Octobris, quod etiam paulo ante Ministro Provinciæ Januensis indul„ serat: *Accepimus nuper &c.* XVII. Kal. Februarii, & Alemaniæ Ministro: „ *Dudum nobis &c.* Nonis Martii, ac iterum per aliud Breve: *Pro parte &c.* VI. Kal.

Litteræ P. Ordini. Indic. ex Vatic.

„ VI. Kal. Augusti, data postea eidem commissione absolvendi quemdam „ Theodoricum, pro quo supplicaverat: *Ex tuarum &c.* XVII. Kal. Januarii. Ceterum Amalphiensi Ecclesiæ dedit in Archiepiscopum fratrem Rodulphum: *Romani Pontificis &c.* XII. Kal. Octobris: & jussis sex Fratribus in Corsicam ad evangelizandum, plures etenim ibidem erant adhuc infideles atque agrestes, scriptisque litteris ut admitteretur Episcopus Sagonensis Jacobus Minorita, quem nuper ab obitu sui Prædecessoris in eadem Ecclesia creaverat . . . . . . VIII. Kal. Octobris. Bertrando Cardinali mandavit, ut eidem præfato Episcopo pensionem consignaret: *Habet insinuatio &c.* Kalendis Decembris. Monialibus etiam suos contulit favores. Etenim iis de Campo Martio, ut esset Primiceria, quam in votis habebant, dispensavit ætatem: *Ex parte &c.* IV. Idus Januarii. Claramontanis Confessarium dedit: *Vota prudentum &c.* VI. Kal. Aprilis. Tolosanis excommunicationem relaxavit: *Ad impendendum &c.* I. Kal. Junii; & Civitatensibus, præter concessam liberam sepulturam: *Devotionis vestræ &c.* nil de sibi legatis a pietate fidelium solvere cuiquam teneri declaravit ac voluit: *Justis petentium &c.* hæc & alia nonnulla directe vel indirecte in favorem universalem vel particularem nostrorum ab Apostolica Sede emanarunt hoc anno. Nec mihi superesset quidquam nostris Annalibus addendum, nisi quidam occurreret scripturarum nexus, accuratum lectorem confundens, dum eum in bivio intelligentiæ ponit, ibique suspensum relinquit, qui tamen solvendus his supplementis aliquid incrementi dabit.

Fr. Rodulphus fit Archiep.

Ex lib. Card. Barber.

„ II. Frater Pricevallus, vel Percevallus cum Nebiensem Ecclesiam usque ad hunc annum laudabiliter rexisset, locum cedens, frater Raphael Spinula eas infulas Episcopales assecutus est: hujus autem Raphaelis Waddingus meminit dicens: *Nebiensis in Corsica sub Archiepiscopo Januensi, per liberam cessionem Percevalli, etiam Minoritæ, frater Raphael Spinula &c. Inter cetera, & Idibus Aprilis.* Ex his ergo Waddingi verbis liquet, Percevallum haud in Nubia Africæ Episcopium habuisse, ut alibi prætetigimus, sed in Nebio Corsicæ: & quidem Ughellus de Nebiensibus Præsulibus agens, de isto Raphaele ita scribit: *Frater Raphael Spinula Januensis Ordinis Minorum eamdem sedem consecutus est ex cessione Percevalli anno* MCCCXXXI. *Idibus Aprilis, ex regesto Vaticano.* Enarrat etiam huic Raphaeli aliquorum locorum jura sui Episcopatus a Rolando Corsineo Nebiensis civitatis Domino restituta fuisse; sicut & ab Alberto de Lasco viro potente decimationes montium Agnatæ anno MCCCXLVI. Septembris XXIII. At ingerit dubium Ughellus dum de Marianensibus agens, ait: *Frater Vincentius ex Ordine Minorum, paulo ante Episcopus Nebiensis, ad hanc Ecclesiam Marianensem fuit translatus anno* MCCCXXXI. *Kal. Decembris, post Vidonem, qui obierat anno* MCCCXXVIII. Ughello consentit Waddingus ita scribens: *Vincentius ab Ecclesia Nubien. transfertur ad Marianensem in Corsica, sub Archiepiscopo Januensi per obitum Guidonis: Angit nos cura propensior &c. Kal. Decembris.* At profecto non a Nubia Africæ ad urbem Marianam translatus est Vincentius, sed a Nebio Corsicæ, cujus Cathedralis ab anno MCCCXI. usque ad hunc annum MCCCXXXI. semper occupata, nulli Vincentio sedendi locum fecit.

Cessio, & successio Ecclesiæ Nebiensis.

Wadd. ad ann. 1332. n. 7.

Wadd. ad ann. 1330. n. 12.

„ III. Superat hanc difficultatem translationis Vincentii Apostolicum Breve, simulque ostendit Nubiensem Ecclesiam & Nebiensem eamdem esse.

Breve a Melissano relatum omittitur, quia legitur in Regesto hujus Tomi, fratri Vincentio Episcopo Maranensi directum.

„ IV. Ex Apoſtolico diplomate eidem fratri Vincentio directo, in quo „ aſſeritur Nubiam & Marianam urbes eſſe in eadem Provincia, liquido „ conſtat, Nubiam, de qua eſt ſermo, non eſſe urbem Africæ, ſed ſicut Ma- „ riana, in Corſica Inſula in Mediterraneo Mari, Liguriæ adjacenti repe- „ riri, & non longe ab eadem diſtantem, cum ambo ejuſdem Provinciæ „ ſint: ſecundo conſtat, Vincentium a morte Guidonis ſequuta anno „ MCCCXXVIII. fuiſſe conſecratum Epiſcopum Nubienſem; at quod ea Ec- „ cleſia non vacaret, ejus Cathedram non occupaſſe: tertio, quod vacante „ Mariana, ne ſine Epiſcopatu eſſet, ad eam fuiſſe hoc anno promotum: „ unde qui Ughellum legit inde Nebienſibus Epiſcopis num. VII. frater „ Vincentius Ordinis Minorum Raphaeli ſucceſſit, advertat quod fuit con- „ ſecratus quidem, ſed non ſucceſſit ei in ſede.

„ V. Placet autem in gratiam curioſorum de Nebio, & non Nubia, „ necnon Mariana, & non Marana, ut vitio Scriptoris legitur, urbibus in „ Corſica Inſula Mediterranei in aquis, adjacenti Liguriæ (ut dicebamus) „ quæ Cyrnus Græcis eſt, nomine a vetuſtiſſimo Rege derivato, nonnulla „ ex Ughello huc transferre.

Vghel. Ital. Sac. tom. 4. fol. 1191.

„ VI. Mariana Colonia niſi ſcripſiſſet Plinius, & loquerentur ruinæ, „ quoſque poſteros nomine & re fere lateret: a Cajo Mario ſæpius Con- „ ſule, qui eo Coloniam deduxit, nomen habuit: a littore maris ad tria „ milliaria, ſub latitudine arctoa graduum XLI. cum minutis XX. & longitu- „ dine a Canariis graduum XXXII. cum minutis XX. diſtans, Orientem „ reſpiciebat: navigabili amne, Eolo nuncupato, præruptus e montibus „ defluente in duas diviſa partes, bino Ponte penſili & camerato connexas, „ conſpiciebatur: earum partium borealis Mariana; meridionalis Caſinea „ dicebatur; & eadem nomina locis ruinarum etiamnum durant; ſed uter- „ que Pons dirutus eſt, ac unius tantum pedes apparent; aliis alterius de- „ currentiam aquarum vi ſublatis: ad meridiem alveus mille paſſuum eſt, „ in extremo cujus Doganam urbis fuiſſe teſtantur incolæ proximi. Civita- „ tis peripheriam quatuor milliarium extitiſſe mœnium veſtigia docent. In „ parte borea & flumini vicina, Cathedralis Eccleſia perampla, ſub invoca- „ tione beatiſſimæ Virginis Aſſumptæ, lapidibus albis, ſectis, dolatis, & „ optima arte diſpoſitis, tecti tamen expers, adhuc apparet; ſicut & altera „ non longe a prima ejuſdem materiei & ſtructuræ, ſed etiam & ipſa ſine „ culmine, ſancto Petro nuncupata, cujus ad valvas Columnenſium genti- „ litia inſignia confixa, paucis ante annis conſpiciebantur; narratque fama „ circum illam vetuſta Romanorum ædificia extitiſſe Catholicam fidem „ chriſtianam ab ipſis Apoſtolorum temporibus amplexam, proprios habuiſ- „ ſe Paſtores, quorum tamen memoria deperdita fuerit, ad annum DCCCC. „ noſtræ ſalutis, notavit Salvator Vitalis. Illius Antiſtes Eccleſiæ Januenſis „ ad Archiepiſcopalem honorem ſublimatæ ſuffraganeus eſt; ſedetque nunc „ in percelebri oppido Baſtitæ, totius Inſulæ primario.

„ VII. Nebium autem, quod Ptolomeo Cerſurum eſt, a Mariana in „ Occidentem duodecim circiter milliaribus, & a mari tribus diſtans, pe- „ rantiqua Civitas, quæ olim ſuper amœno colle ſuperbe muros extollebat „ in altum, his temporibus ſqualet omnino ruinis. Cathedralem nihilomi- „ nus Eccleſiam Deiparæ Aſſumptæ dicatam, & quadratis lapidibus extru- „ ctam, non obſtantibus temporum injuriis, integram adhuc oſtentat. „ Anno DCCC. noſtræ ſalutis a Mauris ad Chriſtianam fidem converſis ædifi- „ catam fuiſſe, narrat Philippinus in ſua hiſtoria: at nuper campanæ ſacræ „ turris inſculptæ litteræ de anno DCC. ejuſdem ſtructuram longe antiquio- rem

Philipp. in hiſt. Corſ.

„ rem esse demonstrant. Quantum olim fuerit Nebium, ruinarum suarum „ saxa, quibus (satagente Episcopo) sancti Florentii frequens oppidum & „ elegans, ab antiquo Nebio quingentis passibus, a mari vero quinque mil- „ liaribus elongatum, extructum est, satis indicant: at hujusmodi sancti „ Florentii oppidum, egregie ipsa loci natura munitum, præsidio Januensis „ Reipublicæ firmatum, si alias civium numero, divitiis, & opulentia flo- „ rebat, diutinis post bellis labefactum, pene attritum est: amissis ob rebel- „ lionem privilegiis, cum cives gravamina, pœnasque inflictas ferre non „ possent, alio transmigrantes patriam aliis reliquerunt. Episcopus Nebien- „ sis, pariter Januensis Archiepiscopi suffraganeus, ab anno MCXXXIII. „ commodam & amplam Diœcesim habet. At hæc in gratiam curiositatis „ rerum præteritarum, ac etiam pro veritate historiæ, de Mariana & Nebio „ civitatibus dicta sufficiant.

ARGUMENTUM.

Mittuntur Fratres in Armeniam majorem, & Minister Generalis, adhibito socio ex Prædicatoribus, ut Reges Angliæ & Scotiæ pacificaret. Alius amandatur ad Regem Majoricarum. Recensentur Inquisitores, Episcopi, viri docti, & Monasteria.

I. HOc anno Gerardus Minister Generalis, ad preces Zachariæ Episcopi sancti Thadæi, & aliorum Fratrum Minorum, qui convertendis infidelibus ibidem laborabant, misit in Armeniam majorem plures religiosos ex Provincia Aquitaniæ, præfecto constituto missionis fratre Vitali Saurato, quem Platus, & alii vocant Gonzalum, viro doctissimo, qui tum in concionibus, tum pluribus libris in illam linguam conversis, multum profecit. Missus etiam ipse Generalis Minister Gerardus, simul cum fratre Arnaldo de sancto Michaele Ordinis Prædicatorum sacræ Theologiæ Magistro, & Pœnitentiario Apostolico ad pacificandos Eduardum Angliæ & Davidem Scotiæ Reges, qui hostiliter se invicem oppetebant. Legationis instrumentum hic subjicio.

Chron. antiq. Marian. citat. Rodul. fol. 140.

Mittuntur Fratres in Armeniã.

Platus lib. 2. de bono status relig. c. 30.

Gerardus Minister amandatur in Angliam.

Geraldo Otonis Generali Ministro Minorum, & Arnaldo de sancto Michaele Prædicatorum, Ordinum Fratrum, Pœnitentiario nostro, sacræ Theologiæ professoribus.

II. *CUm, sicut nimis displicenter percepimus, his diebus pacis æmulus, & humani generis inimicus inter carissimos in Christo filios nostros Eduardum Angliæ ex parte una, & David Scotiæ Reges illustres ex altera, gravis dissensionis materiam suscitarit, adeo Reges ipsos commovens dissidentes, quod non juribus, sed congressibus bellicis decrevisse videntur, & velle exortam dirimere quæstionem, qui tamen affinitatis attento vinculo, quo junguntur invicem, præter cognationem naturalem, quam natura constituit inter homines, se deberent potius mutuis fulcire præsidiis, & favoribus confovere, ac illa quæ pro temporum diversitate contingit emergere, quantumcumque gravia, quantumcumque difficilia, tractatibus ordinare domesticis, & familiaribus collationibus expedire. Nos animarum pericula, strages corporum, damna rerum, quæ dicta dissensio, proh dolor! intulisse dicitur, ante mentis nostræ oculos expendentes, necnon & considerantes attente quantis sit onusta peri-*

Ex secr. an. 18. fol. 108.

Ut pacem induceret inter Angliæ & Scotiæ Reges.

periculis, quantisque plena dispendiis, quantaque multorum discrimina secum trahat dicta dissensio, quantaque impedimenta comminatur Terræ sanctæ negotio, nisi ocius occurratur ad hujusmodi sedandam discordiam, & turbatæ pacis fœdera reformanda, vigilantibus studiis intendentes, ac de circumspectione vestra gerentes fiduciam pleniorem, vobis districte præcipimus & mandamus, quatenus ad partes illas vos personaliter conferentes, Reges ipsos ad pacem & concordiam, juxta datam vobis ex alto prudentiam, sollicitis monitis & efficacibus suasionibus inducatis, ut auxiliante Domino, qui pacis est auctor & humanæ salutis amator, vestraque cooperante vigilantia, tam utilis & necessaria fidei orthodoxæ concordia possit utiliter provenire. Ut autem bonum pacis hujusmodi iis interim, quæ afferre in hac parte impedimentum valerent, vel viam pacificam difficiliorem reddere cessantibus, melius & utilius valeat procurari, Reges eosdem ad cessandum a congressionibus & offensionibus mutuis, & propterea treguas, pacis repræsentantes imaginem, duraturas usque ad aliquem competentem terminum ineundum exhortari & inducere procuretis. Quas quidem treguas, si eas præfati Reges inierint, auctoritate nostra confirmandi, roborandi & vallandi pœnis & sententiis, de quibus videritis expedire, necnon dissolvendi, vacuandi, annallandi, ac irritandi quasvis colligationes, confœderationes, & pactiones inter quoscumque, occasione dissidii hujusmodi nutriendi, sub quacumque forma vel expressione verborum factas quomodolibet, vel initas, pœnas super eis adjectas, & juramenta præstita, cum juramentum vinculum iniquitatis esse non debeat, nihilominus relaxando, plenam vobis concedimus tenore præsentium facultatem. Datum Avenione Nonas Septembris anno XVIII.

Carissimo filio Regi Angliæ Illustri.

Ibidem. III. NOn *sine multa mentis amaritudine, fili carissime, percepimus his diebus, quod zizaniæ sator, cunctorumque malorum inventor, inter te ac carissimum in Christo filium David illustrem Regem Scotiæ, adeo gravis dissensionis injecit semina, quod jam ad tam diros congressus bellicos processistis mutuo, quod proh dolor! gens innumera in eisdem cecidisse dicitur, nec his contenti ad graviora, hinc inde vos, ut fertur, disponitis inferenda. Nos igitur more pii patris, quem incommoda filiorum non prætereunt, ad hujusmodi sedandam discordiam turbatæque pacis fœdera reformanda, necnon & ad hujusmodi semina, ne perniciosam coalescant in segetem, extirpanda radicitus, vigilantibus studiis intendentes, dilectos filios Geraldum Otonis Generalem Minorum, & Arnaldum de sancto Michaele Pœnitentiarium nostrum Prædicatorum, Ordinum professores, Magistros sacræ paginæ, ad tuam & dicti Regis præsentiam destinamus. Quocirca Serenitatem Regiam rogamus, hortamur & obsecramus in Domino Jesu Christo, in remissionem tibi peccaminum suadentes, quatenus pacis commoda, & dissensionum crimina considerantur attendens, summi, pacificique Regis intuitu, nostrorumque precaminum interventu, ad pacem regalem habilitans animum præmissos nuncios benigne recipias, eorum exhortationibus, ac salutaribus monitis acquiescas, ut per hæc non solum Regno tuo quietem indulgeas, sed & publicæ utilitati provideas, Dei servitiis, Terræ sanctæ negotiis, quæ per tuam, & sæpefati Regis discordiam impedimenta noscuntur recipere, consulas, illumque tibi retributorem constituas, qui fidelium obsequia in resurrectione justorum sine retributione ineffabili non relinquet. Datum ut supra.*

IV. Si-

IV. Similiter scripsit ad Davidem Scotiæ Regem, nec non ad Franciæ Regem, & Reginam, ad Isabellam matrem, & Philippam conjugem Eduardi, Angliæ Reginas, ad Joannem Regis fratrem Comitem Cornubiæ, ad Prælatos & proceres Regni, ad Icherium de Concorreto, Sedis Apostolicæ tunc Nuncium in Anglia, ut suas operas interponerent pro stabilienda pace, ne bellum imminens erumperet in strages populorum, Regnorum ruinam, & impedimentum belli sacri, quod Sarracenis eo anno statuit Pontifex indicere. At postquam hi Legati Lutetiam Parisiorum pervenerunt, Procurator Regis Scotiæ eis significavit, inutiliter transfretaturos, dum Rex extra Scotiæ Regnum alio perrexerit, nec alicui vices suas, aut potestatem commiserit, ut de pace ineunda cum Anglo pacisceretur. Hæc illi insinuant Pontifici responsumque accipiunt, ut regrediantur, si velint: Gerardo vero potestatem facit, ut in Angliam, vel ad alias quasque partes ad sui Ordinis regimen, aut negotia possit abire. Præter hos missus a Joanne alius Nuncius ad Jacobum Regem Majoricarum, frater Bernardus Laurentii res ponderosas tractaturus, & Regem excitaturus ad sacrum bellum Sarracenis inferendum.

Hærent Nuncii Parisiis. *Ex secr. an. 19. fol. 164.* *Frater Bernardus Nuncius ad Regem Majoricar.*

V. Inquisitorum Minoritarum hoc anno recurrunt ista vestigia, Simonis de Tarquio in partibus Romanis, quem ab hoc officio revocat Minister Generalis: Bartholomæi de Perusio in partibus Tusciæ, quem Pontifex in hoc munere confirmat, ut absolvat processus inchoatos contra Tudertinos, & definitivam ferat sententiam, licet idem Minister Generalis hunc etiam revocare voluerit: Guillelmi Astiæ in Provincia, & Comitatu Venaysino, cui Pontifex præscribit aliqua restituenda Petro de Gegardasico civi Carpentoraten. de crimine hæresis per suam confessionem convicto, sed pœnitenti, & erroribus abjuratis, absoluto. Hoc ipso anno assumptus est hic Guillelmus ad Episcopatum Aptensem: Joannis de Badis in civitate & diœcesi Massiliensi, cujus amplior habebitur notitia ex hoc, quod addimus, diplomate, in quo etiam hoc tempore miram fuisse in confinibus Italiæ libertatem Waldensium hæreticorum conspicietur.

Ibid. fol. 146. *Fr. Simon Inquisitor in partibus Romanis.* *Ibid. fol. 150. & 143.* *Fr. Barthol. Perusinus in Tuscia.* *Ex secr. an. 17. fol. 52.* *Fr. Guillelm. in Provincia.*

Dilecto filio Joanni de Badis Ordinis Fratrum Minorum Inquisitori hereticæ pravitatis in Civitate, & Diœcesi Massilien. per Sedem Apostolicam deputato, vel etiam ejus Vicesgerenti.

VI. *Nuper ex relatione dilecti filii Joannis Alberti de Castellario Ordinis Fratrum Prædicatorum, Inquisitoris hereticæ pravitatis in partibus Pedemontis, superioris Lombardiæ, auctoritate Apostolica deputati, ad nostrum pervenit auditum quod in Vallibus Lucernæ, & Pelusiæ, Terris utique dilecti filii nobilis viri Philippi de Sabaudia, Domini Taurinen. temporali dominio subjectis, ita creverunt, & multiplicati sunt heretici, præcipue de Secta Valdensium, quod frequentes congregationes per modum Capituli facere inibi præsumpserunt, in quibus aliquando quingenti Valdenses fuerunt insimul congregati, quodque dudum cum præfatus Albertus vellet ibi Inquisitionis officium exercere, dicti Valdenses contra ipsum Albertum Inquisitorem manu insurrexerunt armata, & quod quadam die quondam Guillelmum Rectorem parochialis Ecclesiæ de Engravia, Taurinen. diœcesis, celebrata Missa per eum, in platea dictæ Villæ nequiter occiderunt, suspicantes quod dictus Rector eos penes Inquisitorem præfatum, de ipsorum heresibus detulisset; quodque prænominati heretici ipsum Inquisitorem in quo-*

Ex lib. 2. an. 16. ep. 2170. *Valdenses in regione Pedemontis.*

quodam Castello patenter & publice obsederunt, sic quod oportuit eum inde recedere, Inquisitionis hujusmodi officio relicto totaliter imperfecto, quodque tu Martinum Pastræ, qui alias se vocari facit Petrum Martinum, alias Juliani, dictæ diœcesis, unum de hæreticis supradictis detines in tuis carceribus mancipatum, qui quidem Martinus principalis in dictis congregationibus & capitulis ipsorum hæreticorum existebat, ac fugitivus omnium Inquisitorum, qui fuerunt in Pedemonte a viginti annis citra, & generalis prædicator hæreticæ pravitatis, quique specialiter prædicat contra Incarnationem filii Dei, & existentiam Corporis Christi in sacramento altaris, & qui etiam scit totam conditionem terrarum dilectorum filiorum nobilium virorum Marchionis Salutiarum, ac Dominorum de Lucerna, & Philippi de Sabaudia prælibati. Cupientes igitur, ut idem Albertus Inquisitor de hæresibus hujusmodi, & rerum circumstantiis universis plenam habere valeat veritatem, discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus eidem Alberto copiam dicti Martini hæretici faciens, ipsum sibi in loco tuto tradere, & assignare indilate procures, ut idem Inquisitor possit inquirere super his, tam contra Martinum quam alios hæreticos memoratos, & etiam ipsos quæstionare, si hoc justitia patiatur. Datum Avenione VIII. *Idus Julii anno* XVI.

Fr. Guillel. Episcopus Sulcitanus. Fr. Guillelmus Apten. Fr. Raphael Nebien. Fr. Alvarus Coronen. Fr. Bonifac. Corbanien. *Anno* 1325. n. 25. Fr. Franc. Sutrianen. Fr. Vitus Milchonen. Fr. Angelus Accien. Fr. Joan. Calvien. Fr. Matthæus Clusinus.

VII. Episcopi assumpti sunt hoc anno plerique ex Minoritis, Sulcitanus in Sardinia sub Archiepiscopo Calaritano, per mortem Bartholomæi, frater Guillelmus Jornetus: *Pastoralis officii* VIII. Kal. Maii. Aptensis in Gallia sub Archiepiscopo Aquensi, per translationem Bertrandi ad Bononiensem Ecclesiam, frater Guillelmus Astiæ Inquisitor hæreticæ pravitatis, uti diximus, in Provincia, & Comitatu Venaysino: *Supremæ dignitatis*. Idibus Junii. Alium supponit Claudius Roberti Guillelmum, quem Concilio Avenionensi refert interfuisse, neque Bertrandi meminit prædecessoris. Nebiensis in Corsica, sub Archiepiscopo Januensi per liberam cessionem Percivalli etiam Minoritæ, frater Raphael Spinula: *Inter cetera*. Idibus Aprilis. Coronen. sub Principe Achajæ, & Archiepiscopo Patracen. per obitum Alberti, frater Alvarus Pelagii, vir doctissimus, qui opus satis evulgatum scripsit de planctu Ecclesiæ: *Quam sit onusta*. XVI. Kal. Junii. Corbanien. in provincia Graden. sub Archiepiscopo Spalatensi, per obitum Petri frater Bonifacius de Pilis olim electus, & consecratus, ut diximus, ad Sulcitanam Ecclesiam. Nicosiensis Archiepiscopus in Regno Cypri, per obitum Joannis, frater Elias de Nabinallis paulo post evectus ad Cardinalatum: *Militanti Ecclesiæ*. XVI. Kal. Decembris. Sutrianen. Episcopus in Regno Neapolitano, sub Archiepiscopo Compsano, per obitum Aduini, frater Franciscus de Spoleto: *Pastoralis officii*. IV. Nonas Decembris. Milchonen. in Hungaria in finibus Tartarorum, sub Archiepiscopo Strigonien., frater Vitus de Monte-ferreo, Sacellanus Caroli Regis Hungariæ: *Licet ex suscepto*. IV. Nonas Octobris. Accien. in Corsica, sub Archiepiscopo Januensi, per obitum Benevenuti, frater Angelus: *Apostolatus officium*. XVIII. Kal. Octobris. Calvien. in Regno Neapolitano, sub Archiepiscopo Capuano, per obitum Thadæi, frater Joannes prius electus & consecratus Isernien: *Pastoralis officii*. Kal. Novembris. Alterius occurrit memoria ad Ecclesiam Clusinam, sub Archiepiscopo Senensi ante hoc tempus translati, fratris Matthæi filii potentissimi viri Fortibrachiæ de Ursinis, quem hoc anno quidam volunt, obiisse. Attamen antiquior sane fuit, satisque concessit anno MCCCXXII. uti ex ejus Epitaphio ad Conventum sancti Francisci Trans-tyberim in Urbe, quod Joannes Ludovicus Lellius in historia Ecclesiæ Montis-regalis transcripsit, expresse habetur, *In*

In nomine Domini. Amen. Hic jacet venerabilis Pater & Dominus frater Matthæus Ordinis Minorum, filius quondam Domini Fortibrachiæ de Ursinis, qui fuit Archiepiscopus .... Olensis, postmodum ad Clusinam diœcesim translatus, in Episcopatus ministerio est defunctus. Obiit anno MCCCXXII. *die* XIII. *Mensis Junii, &* XVI. *tumulatus, cujus anima requiescat in pace.*

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

„ VIII. Fuisse hoc anno Episcopum Ebroicensem in Normannia, sub
„ Archiepiscopo Rothomagensi fratrem Joannem a Prato scribit Claudius
„ Roberti in sua Gallia Christiana, & in Reg. Vatic. invenio fratrem Mo-
„ naldum Monaldescum Urbevetanum hoc anno translatum fuisse ad Ar-
„ chiepiscopatum Salernitanum ab Ecclesia Melphiensi. Hoc eodem anno
„ Episcopum fuisse Svessanum in Regno Neapolitano, sub Archiepiscopo Ca-
„ puano fratrem Hugonem Minoritam, Regis Roberti Confessarium, con-
„ stat ex Archivo Regio Neapolitano. Obiit anno MCCCXLIV. sepultus-
„ que est in Ecclesia sancti Joannis ejusdem Civitatis.

Fr. Joan. Episc. Ebrnicen. Fr. Monald. Archiep. Salernitan. Fr. Hugo Episc. Svessanus.

IX. Floruit hoc anno Monaldus Justinopolitanus Dalmata, alius a Monaldo Anconitano, uti diximus alias, quem Theologum, Jurisconsultum, ac Archiepiscopum Beneventanum inscribunt Rodulphus, Possevinus, Henricus Willottus, & alii, de quo ita scribit Guillelmus Eysengrenius: *Monaldus Ordinis Minorum sacræ paginæ Doctor, atque Jurisconsultus celeberrimus, vir doctissimus & humanissimus, non minus vita, quam conversatione præclarus.* Plura scripsit, quorum catalogum alias dabimus opportunius. Floruerunt etiam in Academia Parisiensi frater Pastor Sarrascuderius, qui actu legebat in eadem libros sententiarum, & frater Arnaldus de Claromonte anno sequenti ad Episcopatum Tutellen. assumptus, cui ex Pontificio privilegio concessum est, ut in vacationibus, non obstante statuto contrario Universitatis, eosdem libros legeret, & ultra Baccalaureatum, gradum Magisterii ante consecrationem Episcopalem susciperet. Suum etiam fecit Joannes Pœnitentiarium in Urbe fratrem Petrum de Viterbio, quem a *puritate Religionis, vitæ munditia, discretionis maturitate, litterarum scientia, animarum zelo, & aliis virtutibus* impense commendat.

Floret Monaldus Justinopolitanus. *Ann.* 1314. *n.* 11. Fr. Pastor Sarrascuderius. Fr. Arnaldus Claromontanus. Petrus de Viterbio Pœnitentiarius.

X. Indultum est hoc anno Fratribus Provinciæ Germaniæ superioris, ut comitia celebrarent in civitate Basileæ, quantumvis tunc Ecclesiastico interdicto subjecta, præside Rodulpho Ministro. Occurrit hoc anno memoria duorum Conventuum Regni Scotiæ Bervicensis, in diœcesi sancti Andreæ, & Beybingen. in Glascuen. jubente Pontifice, ut Episcopus sancti Andreæ faciat restitui eisdem Cœnobiis libros, & sacram supellectilem per vim, & occulte translata ad Monasterium de Helchon, Ordinis sancti Benedicti. Ministro Generali, & Fratribus Provinciæ Anglicanæ concessit, ut admitterent locum in villa de Maydestan. Cantuariensis diœcesis, sibi ab Eduardo Rege pro salute animæ suæ, & Eduardi sui genitoris concessum: *Merita vestræ Religionis.* XVII. Kal. Januarii. Fratribus sancti Laurentii, urbis Neapolitanæ facultatem dat commutandi quasdam domos cum vicino, & quasi contiguo Monasterio sancti Gregorii Armeni Monialium Ordinis sancti Benedicti, quæ sane permutatio cedebat in utriusque Conventus commodum & honestatem: *Opus meritorium* VI. Idus Decembris.

Capitulum prov. Germaniæ superioris. *Ex lib.* 1. *an.* 16. *fol.* 229. Conv. Baybingen. Conv. Maydestan.

XI. In provincia Turoniæ ad Salinas maris ædificatus hoc anno Conventus Burginoni, uti ex hoc Epitaphio in choro habetur: *Hic jacet Dominus Gerardus a Muscolio Burginoni possessor, & Domina Leonora Tonarcensis ejus uxor, qui hunc Conventum fundarunt, & Basilicam construi curarunt,*

Conv. Burginoni. *Gonz. in Prov. Turon. Con.* 15.

runt; & Fratres Minores in illum introduxerunt anno Domini MCCCXXXII. *die vero Mensis Octobris*. X. *Præfatus vero Dominus Gerardus fato cessit anno Domini* MCCCXLIII. *Uxor autem ejus obiit anno Domini* MCCCLXIII. *Februarii* XXVII. Prodiit ex hoc loco vir gravissimus Joannes Amicus, cujus hæc habetur memoria in tabula Fratrum defunctorum: *Obiit bonæ memoriæ Magister N. P. ac frater Joannes Amicus hujus Conventus alumnus, quondam hujus Provinciæ Minister, tandem Episcopus Bethleemitanus, postmodum vero Sarlatensis anno Domini* MCCCCX. Extat hoc in loco bulla Joannis XXII. concedentis hujus loci incolis facultatem bona mobilia & immobilia possidendi propter loci sterilitatem: siquidem terra illa versa est in salsuginem, nec fructum ullum producit, sale excepto. Diximus alias, facultatem Francisco Vigintimilio Comiti Hieriaci, vulgo Giracii, concessam a Joanne Pontifice, ut in aliquo loco sui Comitatus Monasterium extrueret Minoritis. Non nisi hoc anno die XVI. Martii illud inchoavit Hieracii sub titulo sancti Francisci, Joannes Marchio Giracii, & Capitaneus Generalis, ut vocant, Regni Siciliæ anno MCCCCXLVIII. die XVI. Junii; illud proventibus auxit, ibique voluit sepeliri.

Fr. Joannes Amicus.

Anno 1318. *n.* 33.

Conv. Hieracen.

Rodul. fol. 181.

XII. Hoc anno in amplum Monasterium, capacissimamque Ecclesiam evasit tuguriolum, & parvum sacellum in Religionis exordio constructum ad Aureliacense oppidum, dum illic sanctus Antonius Patavinus prædicaret. Paruit Patribus Conventualibus usque ad annum MDCXLII. quo tempore a Paulo III. translatum est ad Observantes. Anno MCCCLXIX. capto ab hæreticis oppido, Fratribusque in carcere conjectis, Cœnobium in cineres redactum est. Anno sequenti hæretici cum Rege Gallorum fœdus pepigerunt, & oppido cesserunt; populusque Aureliacensis Fratres, qui e vinculis soluti ad illa loca diverterunt, evocavit, & domum assignavit in Monasterium coaptandum. In illa hæreticorum irruptione frater Franciscus Pogetius elabi volens, in nebulonem quemdam incidit, qui eum gladio confodit, additisque vulneribus occidit.

Gonz. in prov. Aquit. antiquio. Con. 16.

Conv. Aureliacensis.

XIII. Concessit hoc anno Pontifex licentiam nobili heroinæ Lucæ Belliprandii, & Fayni Dominæ Lugdunen. diœcesis, ut in oppido suo Casalis Monasterium extrueret Clarissarum: *Ex favore devotionis*. II. Nonas Martii. Hoc tempore aliud ædificavit Offinia Ducissa Carinthiæ in oppido Merani Cariensis diœcesis, cujus Ecclesiam in honorem beatæ Mariæ Virginis constructam, visitantibus indulgentias largitus est Pontifex: *Dum præcelsa*. VII. Idus Augusti. In Monasterio Campi Martii Veronen. Alboinam de la Scala concorditer in Abbatissam electam, confirmavit, non obstante quod adolescens esset viginti duorum dumtaxat annorum. Nec non permutationem quamdam bonorum, in quam convenerunt Clarissæ Monasterii Guadalfaiaræ, & Archiepiscopus Toletanus: *Ecclesiarum*. II. Idus Martii. Monasterio de Camberiaco Gratianopolitanæ diœcesis univit Ecclesiam seu Capellam sancti Roberti diœcesis Gibennen. cujus præsentatio pertinebat ad Aymonem Comitem Sabaudiæ: *Romanus Pontifex*. IV. Nonas Junii. Absolvit Clarissas Tolosanas a solutione decimarum, & molesta vacatione Archiepiscopi ac Vicarii Tolosani: *Prævenire debet*. VI. Nonas Octobris, deditque conservatores, & executores decreti Apostolici Petrum Stephani de Osmille Capellanum suum, & Bertrandum de Caymaco de Brina Tolosan. & Lemovicen. diœcesis Priores, & Joannem de Castro-novo Cancellarium Ecclesiæ Tolosanæ.

Monast. Casalen.

Monast. Merani.

Varia Indulta.

SUP-

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

I. QUamdam controversiam patiebatur Monasterium sanctæ Claræ Neapolitanum, ob quam summus Pontifex Siciliæ Regi scripsit: *Litteris percepimus &c.* quo tempore Sancia Regina haud lætis Gerardum Ministrum oculis aspiciebat, quamobrem & eidem litteras pacis & amoris dirigebat: *Pace te frui &c.* ambo sub IV. Kalend. Maii. At paucis ante diebus Ministro Terræ laboris Clarissarum Neapoli curam commiserat: *Cum ad salubre &c.* XIII. Kal.... Interim vero cum in Sarracenos arma pararet, & Christianorum castra sub Crucis vexillo hoc anno movere studeret, bis Philippo Francorum his desuper eodem tempore scripsit: *Ineffabilis &c.* & *ut idem passagium &c.* VII. Kal. Augusti; ac etiam de eadem re Aucmensi Archiepiscopo eadem sub data breve direxit: *Providere volentes &c.* Ceterum fratrem Pastorem Sarrasceuderium in Academia Parisiensi florentem, ab obedientia Ministri Generalis exemit: *Exposuit tua &c.* Kal. Augusti: ac eodem tempore Episcopo Cersonensi, Francisco de Camerino, & Joanni Archiepiscopo Vosprensi, variis diplomatibus expeditis, operarios Evangelicos, Prædicatores & Minoritas summopere commendabat.

Lit. Pont. in favorem Ordinis.

Indicul. ex Vatican.

Et pro bello cōtra Sarracenos.

Ex Odo. n. 9.

Indic. ad hunc annum.

II. In provincia Boemiæ & Poloniæ, coactis hoc anno Comitiis Eparchiæ Boleslaviæ in festo Pentecostes, adsistentibus Visitatoribus ex Hungariæ provincia fratribus Jacobo, & Conrado, fratrem Nicolaum suffragia communia ad ministerium Provincialatus evexerunt: quo tempore Petrus Gastoldus Podoliæ Palatinus sacro fonte renatus, fidei orthodoxæ in magno Ducatu Lithuaniæ propagandæ zelo succensus, Religiosos quatuordecim de nostris, primos Lithuanorum Apostolos, ex Russia & Podolia Vilnam invitavit; eosque primitus ad Ecclesiam sanctæ Crucis, in horto, a tergo nunc, Episcopalis Curiæ constituit: erat autem Nicolaus XIX. iis in partibus Minister.

Inf. ad an. 1333.

III. Garsiæ Blandez interea Religiosi optimæ famæ occurrit memoria. Hic Lucentiæ in Gallicia nobili ortus familia, seculi vanitatibus & illecebris mascula virtute ut expeditius renuntiaret, Adolescentulus Ordini Minoritico nomen dedit, sodalitioque adscriptus, vincere seipsum prolixo studio attentus didicit; Pauli Apostoli siquidem exemplo, spiritui rebellem carnem edomare non tantum rationis freno, & flagellis, quantum Dominicæ passionis meditatione satagebat. Hinc innotuit palam omnibus suis Consodalibus, & aliis spiritus puritatis, corporisque castitatis amor, quo maxime flagrabat: etenim quo diutius iis meditationibus incumbebat, majorem pariter copiam charismatum spiritualium hauriens, defluxibus gratiæ divinæ assiduis roboratus, sui ipsius victor & Dominus undequaque mirabiliter evasit; maxime quod Deiparæ Virginis, quam summopere omni cum humilitate ac devotione colebat, singulari patrocinio frueretur, & ejus etiam frequenti visitatione dignatus, in proposito adipiscendæ perfectionis confirmaretur. Hinc ausus in publicum prodire, ne gratia divina in se vacua foret, vel aliis inutilis, Verbum Divinum omni cum fervore confluentibus ad se evangelico lepore conditum proponebat, ea gratia felici, ut audientium corda facile raperet, & in supernarum rerum contemplationem attolleret. Efficaciæ suorum sermonum spiritualium testes radii splendidissimi ex ejus vultu prodeuntes erant, quibus veluti spiculis, intemerati amoris audientium cor-

Garsias Blandez fit frater Minor.

Claret virtutibus:

„ corda urebat; simulque illuminabat adeo, ut quisque semetipsum dignosceret, & reatus proprios execraretur. Hæ profecto erant artes divinæ misericordiæ in suo servo mirabiliter operantis in animarum salutem. Provinciam D. Jacobi in Gallicia inculpabili ministeriatu rexit, & Violantis Alphonsi X. Regis Castellæ uxoris a Confessionibus cum esset, in semitis mandatorum Dei ejusdem gressus prudentissime dirigebat. Demum vitæ sanctitate, virginitate optime custodita, signis, virtutibus, & miraculis clarus obdormivit in Domino hoc anno XIII. Kal. Augusti, ut Marieta notavit, apud Conventum sancti Patris Francisci Orensæ. Ejus postea corpus ad Monasterium sanctæ Claræ Allarizii, in territorio Orensano translatum, ubi nonnumquam Confessarii Monialium munus exercuerat, in altero ibi Ecclesiæ Sacello honorifice reconditum est, ejusque meritis plura in dies beneficia misericors Deus fidelibus, præsertim ipsis Monialibus, quarum in eum incredibilis devotio est, impertitur, quorum Tossinianus abunde meminit.

Mariet.l.17.hist. Eccles.

Obit clar. miraculis.

Tossin. l. 1. hist. Seraph.

ARGUMENTUM.

Mittitur ad Tartaros Nicolaus Minorita Archiepiscopus Cambaliensis & alii ad terras Gazaniæ & Gocbiæ. Inquisitorum & virorum Illustrium memoria celebratur. Joannis Pontificis sententia circa animarum purgatarum beatitudinem examinatur. Instituuntur Episcopi: mittuntur Fratres in Armeniam. Beatus Thomasuccius tertium sancti Francisci amplectitur Institutum. Anna Austriaca, & Heduigis Polona Reginæ, fiunt Clarissæ. Beatæ Cunegundis, Hungariæ Regis filiæ, vita & miracula largius recensentur. Extruuntur Monasteria.

Joannis a Monte Corvino fructuosa prædicatio in Tartaria.

I. MOrtuo sub hoc tempore optimo viro, & vere Evangelico Ministro Joanne de Monte Corvino primo Archiepiscopo Cambalien. in Dominio, & Emporio Tartarorum, cujus unius opera conversa sunt ad veram fidem plusquam triginta millia Sarracenorum, teste beato Oderico de Foro-Julio, qui tunc illas regiones perlustravit; maturo consilio, & gravi præmisso examine substituitur hoc anno frater Nicolaus Minorita, quem multipliciter a virtute, prudentia, & doctrina Pontifex extollit, datisque in obsequium & auxilium amplissimæ conversionis viginti Fratribus Sacerdotibus, & sex laicis, uti ex regesto amplius apparebit, per varias litteras eumdem commendat Magno Cham summo Tartarorum Regi, seu Imperatori, & reliquis illius gentis Regibus, & Principibus, Leoni Regi Armenorum, & Jacobo Catholico eorumdem. Præcipuas epistolas ad rei veritatem confirmandam, & vetustorum Pontificum fidei propagandæ zelum magnificandum hic subnecto.

Et substituitur in Archiepisc. Cambalien. frater Nicolaus.

Magnifico Viro, Magno Cam, Regi Tartarorum, Deum diligere ac timere.

Ex lib. 1. an.18. epist. 4.

II. A*Ccedit ad tuæ magnitudinis laudem, gloriam & honorem, quod sicut famæ præconium, & fide dignorum relationis affectus ad Apostolatus nostri audientiam perduxerunt, tu jactans tuum in Domino cogitatum, & promereri cupiens apud eum, Christianis in Regno & Terra tui dominii commorantibus, & aliis indigenis ad fidem orthodoxam conversis, & in*

in ea Neophitis mansuetudinem favoris impendis, & benignitate favorabili tractas illos. Ad nos quoque qui licet immeriti, Domini nostri Jesu Christi Vicariatus officium in orbe terrarum gerimus, habes & ostendis admodum affectum reverentiæ filialis, ex quibus nomini & statui tuis titulus amplæ & dignæ commendationis attribuitur, tuque tibi proinde Creatoris cæli & terræ gratiam vendicabis, per quam in præsentis vitæ cursu dominii altitudo suscipiet firmitatem, & postquam carne solutus fueris, sicut naturaliter solvitur omnis caro, apud Majestatem Regis Regum æternam, qui potens est salvare rationalium, & mortalium animas universas, si credideris in eum & baptizatus fueris, legemque susceperis Christianam, requiem impetres sempiternam. Ecce igitur nos, qui tuam, & totius Regni tui salutem perpetuam sincera in Domino dilectione zelamus, ejusque fructum salutiferum & perennem tibi & ipsi Regno cupimus provenire, ut hæc fœliciter, & efficaciter valeant per misericordiam summi Patris succedere, venerabilem fratrem nostrum Nicolaum Archiepiscopum Cambalien. Ordinis Fratrum Minorum professorem, virum quidem in devotione ac fide Catholica servidum, eminenter in sacra Scriptura peritum, & expertum in opere ac sermone, virtutum comitiva stipatum, fama præclarum, a nobis ex multis bonis & idoneis religiosis electum, & ad Cambalien. Archiepiscopatum, de Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio promotum, præsentium exhibitorem, cum decenti & sufficienti, honesta & virtuosa comitiva Fratrum dicti Ordinis, ad Ecclesiam suam Cambalien. tuamque præsentiam, ac partes, & loca, & Terras tui dominii providimus salubriter destinandum, ut ipse ac dicti Fratres collaterales eidem, more sanctorum Apostolorum, qui dispartiti ore Dominico, & Spiritus Sancti gratia illustrati ferendo verbum Dominicum cuncta mundi climata, prout eis adscripta fuerant, peragrarunt, conjunctim & separatim, prout eisdem Archiepiscopo & Fratribus visum fuerit salubrius expedire, Regnum & terram prædicta, aliasque regiones adjacentes circumeant, & frequentent, ac juxta datam eis a Domino prudentiam, verbum Dei Evangelizare studeant cum diligentia, operosa medela prædicationis salutiferæ linientes illorum oculos, qui adhuc gloriam Domini non viderunt, eosque ad dictam fidem perfectam, & lucidam Christi, Sanctorum & Sanctorum miraculis certissimis comprobatam, dulciter convertentes, & tam ipsos, quam alios ad fidem ipsam jam feliciter conversos, & neophitos in eadem pascentes eruditionis salutiferæ nutrimento, etiam in fide prædicta cum infusione cælestis miserationis & gratiæ roborando. Hæc est enim fides recta meritoria & salubris, quam cælestis agricola seminavit & irrigavit, ad fructus copiosos perduxit, diffudit & divulgavit usque ad terminos orbis terræ mundialis, & quam dicta Romana Ecclesia mater cunctorum Christi fidelium & magistra docet, prædicat, atque credit, extra quam non est penitus ulla salus. Per istam innocens anima Christiana, quam fore pretiosiorem corruptibili corpore perpetuam, ambiguum non existit, inter agmina collocatur Civium cælicorum. Cum ergo sit thesaurus incomparabilis præmium Beatorum, felix qui per temporalia sic pertransit, quod æternæ felicitatis bravium assequatur: hoc siquidem bravium per susceptionem & observationem dictæ fidei, bonorumque operum executionem acquiritur. Et quamvis per ipsius fidei callem recte incedere difficile videatur, mentalis tamen oculus, fide ipsa Catholica media, dum eam credit, intellectualiter intuetur divinam omnipotentiam, & gloriam supernorum, sicut luce videt materialiter carneus oculus mediante. Magnitudinem itaque tuam attente rogamus, & hortamur in Domino Jesu Christo, quatenus pro ejus reverentia

Imperatoris Tartarorũ erga christianos benevolentia.

Ad eum mittitur Archiepiscopus frater Nicolaus.

Fidei Christianæ commendatio.

& honore, qui te produxit ad esse, conservat in esse, tibique imperanti super tam gloriosum, quamquam transitorium, & pompale fastigium, subjecit tantam & tam diffusam multitudinem populorum, prælibatos Archiepiscopum & Fratres cum ad Regnum, & terram tua jam dicta, tuumque conspectum pervenerint, vultu sereno recipias, & a tuis subditis recipi jubeas, sincero & mansueto affectu pertractes & facias pertractari, habeasque tam illos, quam eamdem Ecclesiam Cambaliensem, cunctosque Christianos in Regno & terra prædictis manentes, necnon conversos, &, Deo propitio, convertendos ad fidem eamdem, infra tuum dominium constitutos cum piæ humilitatis dulcedine affluente favorabiliter commendatos, eis in iis, quæ circa suscipiendam per te, Deo vivo & vero inspirante, sacri Baptismatis gratiam, legemque Christi, & alia tuæ salutis commoda duxerint exprimenda, prædicanda & consulenda, benignum auditum aperiens, & attentum exhibens intellectum, illaque recipiens tamquam donum divinitus missum, tenaciter in tabulis memoriæ tuæ scribas, credas firmiter, operose, fideliter, & perpetuo exequaris, sisque aliis tuis subditis salutis exemplar, ut una tecum tuique ad instar, ad Dominum convertantur, dictamque legem Christi suscipiant & observent, tecumque glorientur nomine Christiano & salvi fiant, nec pereant in æternum. Itaque misericordiarum Dominus atque pater tui abundanter misereri dignetur, conferatque tibi jugiter in hujus vitæ studio plenitudinem pacis & gaudii, & post tui dissolutionem carneam ad æternæ jucunditatis ferias te perducat, & glorianter collocet in excelsis. Nos nempe ac eadem Romana Ecclesia tibi copiam benedictionis uberrimæ pollicemur, omni tempore proventuram, & devotis affectibus exorabimus miserantem clementiam summi patris, ut numquam in te deficiat fides sua, quam in tuis præcordiis duxerit inserendam, sed pro bonis, quæ feceris, centuplum de polorum altitudine in terris percipias & supernis. Datum Avenione Kalend. Octobris anno XVIII.

Magnifico viro Socho de Chigista Regi Corum, Deum diligere, & timere.

Ibid. epist. 4.

III. D*Eo vivo & vero, Regi Regum, & dominantium Domino gratum præstas obsequium, cum Christianos sive antiquos, sive novellos in fide Christi, commorantes in Regno tuo benigna humanitate prosequeris, & favoris mansuetudine tractas illos, quod quidem lætanter audivimus te fecisse. Unde cum hoc nomini tuo bonam famam adjiciat & honorem, tu levans tuæ mentis oculos ad divinæ omnipotentiam majestatis circa id benigne continues in posterum, quod hucusque laudabiliter effecisti: nam ab hoc in gloria firmabitur tuum solium dicti regni, & si credideris in Dominum nostrum Jesum Christum, & fueris baptizatus, legemque Christianam, sine qua nullus salvatur, susceperis, & impleveris, salvus eris. Quare nos, qui licet immeriti, beato Petro principi sanctorum Apostolorum succedimus, Vicariatus officium pro eodem Domino nostro Jesu Christo, eo disponente, gerimus super terram, tuam, & ipsius Regni salutem zelantes in Domino, qui te omnesque alios extra Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam existentes, & in tenebris ambulantes, ad conversionem, suamque veram lucem expectat, ad te dictumque Regnum aliasque circumpositas regiones & partes ad prædicandum tibi & gentibus earum verbum Dominicum, teque & gentes ipsas ad Deum suamque fidem orthodoxam salubriter per ipsius infusionem gratiæ convertendum, venerabilem fratrem nostrum Nicolaum Archiepiscopum Cambalien.*

Or-

Ordinis Fratrum Minorum professorem, virum quidem in dicta fide fervidum, devotione sincerum, plene in sacra pagina eruditum, in prædicatione ipsius Dominici verbi expertum, & alias potentem in opere & sermone, famaque preclarum eum sufficienti & honesta comitiva dicti Ordinis, Deum diligentium, & timentium, sufficienter in sacra pagina litterarum, & in divinis laudibus expertorum; quem quidem Nicolaum, ob suorum exigentiam laudabilium meritorum, ad Archiepiscopatum Cambalien. de Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio promovimus, quique ad Ecclesiam etiam suam Cambaliensem accedit, salubriter providimus destinandum, ut tibi & eisdem gentibus Archiepiscopus, & Fratres prædicti evangelizare satagant Legem Christi. Hæpropter magnitudinem tuam attente rogamus & hortamur in Domino Deo nostro, per quem vivis & regnas, quatenus pro ejus reverentia & honore, qui te ad imaginem suam creavit, & permittit multitudini gentium imperare, & ad cujus imperium solvitur omnis caro, præfatos Archiepiscopum & Fratres, cum ad te idemque regnum pervenerint, vultu sereno recipias, & a subditis tuis recipi facias, & jubeas, benigno affectu pertractes, & ab illis facias pertractari, & tam eos, quam alios Christianos indigenas, in prædicto regno morantes ad eamdem fidem Christianam conversos, & propitiante Domino, convertendos, cum humanitatis dulcedine affluente habeas favorabiliter commendatos, ipsis Archiepiscopo, & Fratribus in illis, quæ circa suscipiendam per te de beneplacito ipsius Domini nostri Jesu Christi, eaque inspirante ac tuæ mentis præcordia inflammante, sacri baptismatis gratiam, dictamque legem Christianam conversos, ipsorumque subditorum salutis commoda exprimenda, & prædicenda duxerint, benignum auditum aperiens, & attentum exhibens intellectum, illaque recipiens, tamquam donum divinitus tibi missum, credas in eumdem Dominum nostrum Jesum Christum, baptismum & fidem suscipias supradicta, ipsamque fidem semper colas, teque in operibus bonis exerceas, quia per illa pervenies ad gloriam sempiternam, ubi post mundanam & transitoriam gloriam, quam conspicis, atque palpas, succedet tibi gloriosa suavitas sine fine. Nos enim Altissimum Salvatorem nostrum devote, & suppliciter exoramus, ut sua clementia miserans tuum illuminet intellectum, ab eo errorum tenebris profugatis, ut viam suæ videas veritatis, ipsamque legem Christianam suscipias & observes, per quas videre suam ineffabilem gloriam merearis. Datum ut supra.

Similiter scripsit ad reliquos omnes Tartarorum Reges, verbis competenter mutatis, necnon magnifico viro Usbech in Gazaria imperanti.

Universo populo Tartarorum viam agnoscere veritatis.

IV. *Salvator noster, summus Pontifex in æternum, Rex Regum, & Dominus dominantium, Dominus noster Jesus Christus, beato Petro, fauctorum Apostolorum Principi, claves regni cælorum tribuit, eique ligandi atque solvendi contulit potestatem, ut quodcumque per ipsum super terram ligatum & solutum foret, in cælis ligatum existeret & solutum. Hanc siquidem potestatem transfudit in Romanum Pontificem, suosque posteros Romanos Pontifices, ejusdem beati Petri usque in finem sæculi successores, constituens illos in sede ipsius beati Petri successive sessuros suos Vicarios super machinam mundialem. Unde nos qui licet immeriti, præfato beato Petro succedimus, & in regno mundi vice fungimur cælestis pastoris, & Domi-* Ibid. epist. 7.

mini animarum, exigente officii nostri debito, tenemur, & totis desideriis affectamus, omnem humanam creaturam extra sanctam Romanam Ecclesiam existentem, fideique Christianæ insciam & deviam ab eadem, Dominici gregis inducere ac reducere in ovile, unire & reconciliare penitus Ecclesiæ prælibatæ. Ceterum quia hæc poscunt ex gratia divina præambula, & ejus infundente misericordia efficaciter provenire, si talibus fidei jam dictæ insciis, & ab ipsa deviis verbi Dominici sanctimonia prædicetur, ipsique præfatæ fidei articulis & regulis dulciter informentur, ut ex hoc Deo lucrifaciamus animas eorumdem, ipsisque salutis æternæ præmium procuremus. Nos diligentia paterna providimus ad vos, & partes vestras personas religiosas, spe, fide, caritateque placidas, sufficienter in sacra pagina eruditas & expertas, Deo gratas, & vobis acceptas, pro salutis vestræ, quam ferventer optamus, impetrandis a Domino commodis destinare. Ad evangelizandum itaque vobis salutifera verba Christi, vosque ad supernæ majestatis miserantem gratiam, suamque fidem rectissimam suaviter convertendos & fovendos in illa, venerabilem fratrem nostrum Nicolaum, Archiepiscopum Cambalien. Ordinis Fratrum Minorum professorem, Deum diligentem & timentem, in divina & humana sapientia & scientia illustratum, facundum, & probatum, & a nobis ex multis viris religiosis, devotis, & virtuosis electum, & de Fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio, ad Archiepiscopatum Cambalien. promotum, cum decenti comitiva Fratrum dicti Ordinis, jamdiu in divinis obsequiis expertorum, sufficienter in sacra Scriptura litteratorum, aliarumque virtutum muneribus dotatorum ad vos & partes transmittentes easdem, ut vobis & sibi ipsis proficiant ad salutem; Universitatem vestram attente requirimus, monemus, rogamus, & hortamur in Domino Jesu Christo, quatenus diligenter vestram memoriam excitantes & reducentes ad illam, qua Protoplastus, ex quo genus humanum descendit, extitit divinæ manus operatione formatus, in paradisi terrestris deliciis collocatus, sibique boni & mali cognitio data fuit, & quod homines estis ad imaginem Dei facti, quodque creatura non possit suo Creatori pro meritis respondere, levetis ad Deum vestræ intelligentiæ oculos, & consideretis quod ipse vos creavit, & pascit assidue, ac vivitis per eumdem, & quod cum vult, omnis carnis figmenta dissolvit, quodque sacræ Scripturæ attestatione inducitur, quod omnis spiritus Deum laudet, omniaque animantia & inanimata Dominum benedicunt, pro ipsius Creatoris reverentia & honore, & ut sibi reddatis humanæ gratitudinis holocaustum, & contemplatione nostri, qui vos Deo vivo & vero conjungere cupimus, & etiam laboramus; eosdem Archiepiscopum, & Fratres recipere curetis, quotiens ad vos pervenerint, reverenter, humiliter & lætanter, eorumque prædicationibus & verbis salubribus vestrum attentum patefaciatis auditum, aperiatis sollicitum intellectum, & quæ pro vestræ perfectione salutis, vobis expresserint, in memoriæ vestræ tabulis tenaciter inscribatis, corda vestra omnimode disponentes ad suscipiendam sacri baptismatis gratiam, legemque Christi, doctrinam Evangelicam, & fidem Catholicam Domini nostri Jesu Christi, quam dicta Romana Ecclesia docet, prædicat, atque credit, & cum fidem ipsam susceperitis, eam firmiter, & perpetuo custodite, ut cum aliis Christianis efficiamini de cetero fortia membra Christi, & quibuslibet Satanæ, quibus decipimini erroribus, procul pulsis, ab ejus sitis vinculis penitus liberati, & mereamini post vitæ præsentis exilium in æterna Domini tabernacula introire, cum aliis cælestibus civibus glorianter, & feliciter collocandi. Et quia cæli & terra plena sunt divina gloria, ipse manum aperit, suaque benedictione animal omne implet, dum in

hac

hac luce manebitis, & per dictam fidem Jesu Christi eritis conjuncti, abundabitis in bonis temporalibus, per suam gratiam copiosam. Nos insuper omnipotentiam Altissimi, qui essentialiter in cœlis, & potentialiter in terris permanet, quique regnat & principatur omnipotenter & æternaliter in utrisque, devotis affectibus exoramus, ut illuminet corda vestra, & intelligentias vestras ad suscipiendum ejusdem baptismatis gratiam, ipsamque Christi legem, & eam credendum firmiter, ac perpetuo adimplendum, quia sine illis nullus salvatur, ac per illas salvi eritis, & pervenietis ad sempiternam gloriam beatorum, prædictos quoque Archiepiscopum, & Fratres habeatis cum humanæ suavitate dulcedinis favorabiliter ac efficaciter commendatos, consideratis humaniter & exacte omnibus & singulis prænarratis, ut exinde apud ineffabilem gloriam Dei Patris, Filii & Spiritus sancti, cum multiplicato fructu æternæ messis manipulos colligere valeatis. Datum Avenione Kal. Octobris anno XVIII. [3]

Carissimo in Christo filio Leoni Regi Armeniæ Illustri salutem.

V. *AD salutem cunctorum Christi fidelium, & etiam aliorum, qui extra Catholicam & Apostolicam Ecclesiam infeliciter esse noscuntur, paternis & sollicitis studiis intendentes, opem & operam opportunas libenter impendimus, ut debemus, qualiter ii qui per fidem rectam & operationem bonam adhuc Domino misericordiæ non placuerunt, connectantur ejusdem Ecclesiæ veritati, & alii, qui a dictæ fidei semitis deviarunt, ad caulam gregis Domini reducantur. Habet nempe fide digna relatio, veritatis suffulta suffragiis, notumque tuæ Celsitudini esse potest, quod in terra Tartarorum jamdudum per divinæ miserationis gratiam & ministerium prædicationis verbi Dominici, quod nonnulli Fratres Ordinis Minorum in terra prædicta exercuerunt, & non desinant exercere, multitudo indigenarum ad verum ejusdem fidei lucem de suorum errorum tenebris, est conversa, & multi alii, qui ab ipsius fidei rectitudine declinabant, ad ejusdem Ecclesiæ gremium sunt reversi, & sicut devote creditur, & verisimiliter speratur in Domino, terræ præfatæ hominum nec dum conversorum diffusionis multitudinis conversio, Deo largiente, succedet. Ecce igitur Venerabilis frater noster Nicolaus Archiepiscopus Cambalien. dicti Ordinis Minorum professor, devotione, fide, Theologica scientia, experientia, & fama præclarus, quem de Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio Ecclesiæ Cambalien. tunc vacanti, nuper in Archiepiscopum præfecimus & pastorem, ad eamdem Cambalien. Ecclesiam sponsam suam cum decenti, & honesta, & virtuosa Comitiva Fratrum dicti Ordinis, necnon ad alias terræ jam dictæ partes cum gratia nostræ benedictionis accedit, ut ipsi verbum Dominici dogmatis Evangelica grana serant, & eos, quos ad legem Christi converterint, pascant dulciter verbo Dei, ac ipsos doceant normam fidei memoratæ, aliosque jam conversos in observantia ipsius fidei suaviter foveant, & confirment. Cum itaque dictis Archiepiscopo & Fratribus sit tui culminis favoris præsidium opportunum, serenitatem regiam attente rogamus, & hortamur in Domino Jesu Christo, quatenus pro divina & Apostolicæ Sedis reverentia, & pro ejusdem fidei honore, ac nostræ hortationis hujusmodi obtentu, ipsos cum ad tuum conspectum, & loca tui regni pervenerint regalis benignitatis affectu recipias, atque tractes, & recipi facias, ac tractari, eosque habeas favorabiliter, & efficaciter commendatos, ut regalis devotionis sinceritas exinde assequatur titulum humanæ laudis, ac divinæ misericordiæ fructum percipere mereatur. Datum Avenione* II. *Kal. No-*

Ibid. epist. 304.

Fructuosa prædicatio Minorum inter Tartaros.

Novembris anno XVIII. Similiter accommodate scripsit ad Jacobum Catholicum eorumdem Armenorum.

In Gazaria.

Ex lib. 2. an. 17. epist. 32.

VI. Eodem anno Pontifex locum vocatum Vesprum in terra Gazariæ in vastitate Tartariæ populosum, insignem, aptum, & comodum mercibus advehendis, rerumque ubertate fœcundum, in civitatem & metropolim erexit, & Ecclesiæ in eadem construendæ, sub honore sancti Michaelis Archangeli, Episcopum constituit fratrem Franciscum de Camerino Ordinis Prædicatorum, refertque multos Schismaticorum, & Infidelium Gazariæ, prædicatione Fratrum ejusdem Ordinis, & Minorum, qui circa conversionem eorumdem ad fidem Christi diutino tempore laborarunt fideliter & ferventer, ad sanctæ Ecclesiæ gremium accessisse, & in Christiana religione per temporum incrementa sedulo profecisse. Similiter ait, de terra Gochiæ in partibus Orientis, per utriusque Ordinis alumnos luce fidei illustratæ, in qua locum Certonæ in civitatem, & Ecclesiam construendam in honorem sancti Clementis, in Cathedralem erexit, dato Episcopo Richardo Anglico ejusdem Ordinis Prædicatorum.

Et in Gochia.

Ibid. epist. 34.

Ex secr. ann. 17. & 18. fol. 285. Inquisitores Marchiæ frater Guillelmus, Fr. Nicolaus &c. Ibid. fol. 49. Tusciæ Fr. Franciscus & Fr. Bartholinus. Provinc. Romanæ frater Simon Philippi.

VII. Erant hoc tempore Inquisitores Minoritæ in Provincia Marchiæ Anconitanæ, frater Guillelmus de Massa, frater Nicolaus de Offida, frater Andreolus Rusciolus, frater Laurentius de Ancona, atque hujus Vicarius, frater Raynaldus de Fallerone. In Provincia Tusciæ, fratres Franciscus & Bartholinus Perusini, quibus specialiter committitur, ut contra quosdam hæreticos procedant, & processus absolvant. In Provincia Romana hoc ipso anno instituitur a Pontifice frater Simon Philippi Spoletanus: Institutionis hic profero instrumentum; ex quo constabit etiam, hoc tempore penes Prælatos Ordinis auctoritatem fuisse Inquisitores instituendi.

Dilecto filio Simoni Philippi de Spoleto Ordinis Fratrum Minorum, in Provincia Romana Inquisitori hereticæ pravitatis.

Ex lib. 2. an. 17. epist. 1327.

VIII. *Excitamur cura sollicita, ut negotium Catholicæ fidei ad Dei gloriam & honorem ubique per personas salubriter dirigatur idoneas, & nostris temporibus prosperetur. De tua igitur providentia plenam in Domino fiduciam obtinentes, ac sperantes quod, divina tibi suffragante gratia, negotium hujusmodi velut ejusdem fidei zelator fervidus, utiliter exequeris, officium Inquisitionis hereticæ pravitatis in Provincia Romana, prout Inquisitor pravitatis ipsius, qui fuerit pro tempore auctoritate Apostolica deputatus, illud consuevit hactenus exercere, auctoritate præsentium tibi usque ad Apostolicæ Sedis beneplacitum duximus committendum, faciendi, gerendi, & exercendi in dicta Provincia omnia, quæ ad officium ipsum pertinent, facultatem tibi plenariam concedendo. Quocirca discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus officium hujusmodi sic solerter, & fideliter exequaris, quod exinde divinam & ipsius Sedis gratiam uberius valeas promereri. Per hoc autem non intendimus ei, cui alias ex indulto Sedis prædictæ deputare Inquisitorem pravitatis ejusdem in dicta Provincia competit, aut Ordini tuo super prædictis quomodolibet imposterum derogare. Datum Avenione Kal. Julii anno* XVII.

Henric. de Chalem resipiscit.

IX. Jam resipuerat, derelicto Ludovico Bavaro, frater Henricus de Chalem, quem partes Cæsenatis sequutum, ad Imperatorem diximus abiisse, & hic in tanto pretio habuit, ut suum instituerit Cancellarium. Hoc anno ad curiam accedenti litteras salvi conductus dedit Pontifex; aliisque duo-

duobus probis viris fratri Lambertutio de Fiscobaldis sacræ Theologiæ professori in Conventu Lucensi, ejusque socio fratri Francisco de Bulgario. Suum Pœnitentiarium in Urbe creavit Bartholinum Joannellum de Perusio, quem etiam diximus, Inquisitorem fuisse in partibus Tusciæ. Scripsit ad Cancellarium Parisiensem, ut ad dignitatem magistralem admitteret fratrem Fortanerium Vasellum Aquitanum, tunc in sacra Theologia Baccalaureum, mox Gerardi Ministri Generalis successorem, Archiepiscopum Ravennatem, & S. R. E. Cardinalem.

Ex secret. an. 18. fol. 71. & 74.

Ibid. fol. 2.

Fr. Bartholinus Pœnitentiarius. *Ann. hoc n. 7.*

Ibid. fol. 184. Fortaner. Vasellus creatur Magister.

X. Diximus superius Joannem Pontificem excitasse controversiam de visione beatifica animarum, quæ in gratia discedunt, & sufficienter igne purgatorio expiantur, atque eumdem magis inclinasse in sententiam, quæ negabat, eas videre divinam essentiam ante corporum resurrectionem. Cum vero intelligeret hanc suam opinionem Principibus, Academiis, & Doctoribus plerisque displicere, protestatus est in publico Cardinalium consessu, nulli parti se immobiliter aut determinate adhæsisse, sed controvertendo, & inquirendo veritatem indagasse. Quam ut facilius & solidius liceret invenire, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, præcepit omnibus Prælatis, & sacræ Theologiæ Doctoribus, qui tunc præsentes aderant, ut investigandæ veritati incumberent, & quidquid sive pro affirmante, sive pro negante parte comperissent, in scriptis deferrent. Propendere sane visus est aperte in negantem, quam sanctorum Patrum esse judicabat, & proinde si quis pro ea asserenda, vel auctoritatem, vel rationem aliquam cujuspiam momenti retulisset, ejus gratiam, & mercedem aliquam sibi conciliabat. Accidit itaque, ut sub hujus anni finem, vel sequentis initium, Gerardus Generalis Minister Pontificis conterraneus (quem Parisiis hæsisse diximus, dum in Angliam, cum collega Arnoldo Ordinis Prædicatorum ad pacificandos Reges properaret) ex suggesto prædicaret eamdem Joannis sententiam, sive id fecerit spe mercedis, sive veritatis indagandæ desiderio. Male hoc habuit Parisienses Doctores, mendicantium Ordinum magistros, & maxime Regem Philippum, qui acriter hominem reprehendit, eumque induxit, ut aperte prædicaret se controvertendo non asserendo ita dixisse. Deinde simul cum Roberto Rege Siculo monuit humaniter Pontificem, ut deinceps missam faceret prædictam opinionem, a doctis quibusque reprobatam, insinuavitque a pluribus submurmuratum, quod Gerardum ad hanc spargendam & fovendam opinionem miserit Parisios. Calumniam hanc tergendam judicavit Joannes, Regisque litteris quo ad hanc partem, ita respondit.

Ann. 1331. n. 4. Quid senserit Joannes Pontifex in controversia de visione animarum? *Joannes Villan. lib. 10. cap. ult.*

Ejus sententiæ adhæret Gerardus Minister. *Ann. 1332. n. 3.*

Regi Franciæ Illustri.

XI. *LItteras Regias super responsione certorum Prælatorum &c. Adhuc in eisdem litteris regiis vidimus contineri, quod a pluribus dicebatur, quod nos miseramus dilectum filium Geraldum Ottonis generalem Ministrum Fratrum Minorum Parisios ad docendum & prædicandum, quod animæ separatæ a corpore, & a peccatis purgatæ divinam essentiam usque post resurrectionem corporum non videbant. Ad quod dicimus, & asserimus coram Deo, quod numquam hoc cor nostrum intravit, nec exivit ab ore, imo supponebamus firmiter, quod inibi late exposita legatione sua excellentiæ Regiæ, ejusque audito beneplacito, an vellet pro eodem negotio aliquos, vel aliquem nuncios destinare, statim cum collega suo deberet prosequi versus Angliam, & Scotiam cœptum iter: sed ipsis Parisiis stantibus, Procurator carissimi in Christo filii nostri Regis Scotiæ illustris ad eos veniens, eis insinuare curavit,*

Ex secr. ann. 12. fol. 191.

quod Rex Scotiæ non erat in Regno Scotiæ, nec pro eodem aliquis, cum quo posset super negotio pacis, vel alio tractatum habere, ideoque earum viam ad præsens infructuosam, & inutilem reputabat. Hoc autem tam ipsi nuncii nostri, quam Procurator Regis prædicti nobis per suas litteras nunciarunt. Nos autem fidem adhibentes Procuratori prædicto, præfatos nuncios per nostras litteras duximus revocare, hoc adjecto, quod Generalis Minister si pro sui Ordinis negotiis habebat in Anglia, vel alibi proficisci, hoc posset facere, ad nos nuncio alio redeunte. Et quia Procuratorem prædictum Regis Scotiæ Parisiis credimus adhuc esse, Excellentiam Regiam precamur attente, ut cum dicto Procuratore se informare debeat de præmissis, & si hæc quæ præmisimus, invenerit esse vera, velit celsitudo Regia relatoribus talibus minorem in aliis fidem adhibere. Rursus continebatur &c. Datum Avenione VI. *Idus Martii anno* XVIII.

XII. Quod vero in his litteris ait se per alias ex legatione revocasse Gerardum & Arnaldum collegam, omnino verum esse probatur ex ipsa, quam ante tres menses misit, epistola, hic ad majorem rei comprobationem exscribenda.

Geraldo Ottonis Ministro Generali Minorum, & Arnaldo de sancto Michaele Pœnitentiario nostro Apostolicæ Sedis Nunciis.

Quia per litteras vestras, quas benigne recepimus, causas certas, quibus accessum vestrum in Angliam reputatis prorsus inutilem, exprimere curavistis, volumus vestræque discretioni mandamus, quatenus ad nostram præsentiam redeatis, non tamen intelligimus, quin tu fili Minister, ad partes Angliæ, vel alibi possis accedere, si pro tuis, vel Ordinis tui negotiis expedire videris. Datum Avenione II. *Kal. Novembris anno* XVIII.

XIII. Per veram & apertam totius rei narrationem ex coævo & candido scriptore, & regesto Pontificio productam, facile refelluntur hæreticorum calumniæ, qui Joannem non solum hanc tenuisse, verum & definiisse vel saltem sub mortem definire voluisse opinionem contendunt, quas etiam amplius ex alio diplomate ejusdem sub mortem edito diluemus. Apertum etiam hinc patet, fuisse Calvini mendacium asserentis Joannem dixisse animas fuisse mortales: quod nemo, etiam ex ipsis adversariis, quos tunc habuit plurimos, eidem aliquando objecit. Improbantur quoque illorum imposturæ, qui Gerardum solum, vel eumdem simul cum collega Dominicano, uti habet Aventinus, a Joanne submissos veluti hujus sententiæ internuncios, qui eam Parisiensi scholæ inferrent, mentiuntur. Exploditur etiam quod Bzovius ait, Gerardum hunc primum de hac sententia Joannis Parisiis mentionem injecisse, cum vel ipse anno MCCCXXXI. abunde glorietur sit, doctores omnes in Palladio Parisiensi Fratribus Prædicatoribus contrariam defendentibus subscripsisse. Et sane Joannes ultra duos annos huic addictus opinioni multos habuit etiam ex ipsis Parisiensibus, qui secum sentirent, & in ejus regesto invenio, eum ad initium anni præcedentis dedisse Petro Rogerii de Malo Monte Archiepiscopo Rothomagensi omnes auctoritates sanctorum Patrum, qui huic favebant sententiæ, ad quorum mentem se semper sensisse protestatus est, ut eas legeret, explicaret, & suggereret Joannæ Franciæ Reginæ: quas etiam denuo submisit II. Idus Maii ejusdem anni Fratri Gualtero de Divione Minoritæ, prædictæ Reginæ Confessario. Ut vero totam hanc historiam absolva-

Vide Bellarm. lib. 4. de Rom. Pont. c. 14. Calv. lib. 4. instit. c. 7. §. 28.

Aventin. lib. 7. histor. Bojar. Bzov. hoc an. n. 6. Idem ann. 1331. n. 11.

Ex secr. an. 17. f. 114.

vamus, & manifeste appareat, Joannem nihil ultra æquum & justum in hac re scripsisse, multo minus definiisse, sed multis & manifestis SS. Patrum assertionibus excitatum in illorum propendisse sententiam; attamen liberam reliquisse omnibus veritatis indagandæ semitam, atque etiam expresse sub censurarum interminatione præcepisse omnibus, ut eandem investigarent; ipsius produco sub vitæ termino solemnem protestationem, cujus exemplar Villanus, illius temporis scriptor, Italico exhibuit idiomate, & ego ex vetusto codice produco Latinum. *Villan. lib. 11 c. 19.*

Joannes Episcopus Servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

XIV. *Ne super iis, quæ de animabus purgatis separatis a corporibus, an citra resumptionem corporum divinam essentiam illa visione, quam vocat Apostolus facialem, videant, tam per nos, quam per nonnullos alios in præsentia nostra recitando, & allegando sacram scripturam, & originalia dicta Sanctorum, vel alias ratiocinando sæpius dicta sunt, aliter, quam per nos dicta & intellecta fuerunt, intelligantur & dicantur, auribus valeant fidelium inculcari. Ecce quod nostram intentionem, quam cum S. E. Catholica circa hoc habemus, & habuimus serie præsentium, ut sequitur, declaramus. Fatemur siquidem, & credimus, quod animæ purgatæ, separatæ a corporibus, sunt in cœlo cœlorum, & in paradiso cum Christo, consortio Angelorum congregatæ, & vident Dominum & divinam essentiam facie ad faciem clare in quantum status & conditio patitur animæ separatæ. Si vero alia vel alias circa materiam hujusmodi per nos dicta, prædicata, seu scripta fuerint quoquo modo, illa diximus, prædicavimus, seu scripsimus recitando, & conferendo dicta sacræ Scripturæ, & Sanctorum, & nolumus esse dicta, prædicata & scripta de omni alio erronee dicto. Insuper si quæ alia sermocinando, conferendo, dogmatizando, docendo, seu alias quovis modo diximus, prædicavimus, vel scripsimus circa præmissa, vel alia, quæ fidem concernunt Catholicam, sacram Scripturam, aut bonos mores, ea in quantum sunt consona fidei Catholicæ, determinationi Ecclesiæ, sacræ Scripturæ, ac bonis moribus approbamus: alias autem illa habemus, & haberi volumus pro non dictis, prædicatis, & scriptis, eaque revocamus expresse. Ac prædicta omnia, & alia quæcumque dicta, prædicata & scripta per nos de quacumque materia ubicumque, & in quocumque loco, aut in quocumque statu, quem habemus, vel habuimus hactenus, submittimus determinationi Ecclesiæ, ac successorum nostrorum. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ intentionis, declarationis, confessionis, voluntatis, approbationis, revocationis & submissionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem, &c. Datum Avenione* III: *Nonas Decembr. Pontific. nostri ann.* XIX. *1. Cor. 13. v. 12.*

XV. Hi creati hoc anno Episcopi, frater Arnaldus de Claromonte vir nobilis sacræ Theologiæ Magister, de quo anno præcedenti præfati sumus, Ecclesiæ Tutellen. in Gallia, sub Archiepiscopo Bituricen. per obitum alterius Arnaldi primi Episcopi illius Ecclesiæ, a Joanne hoc Pontifice in Cathedralem erectæ: *Pridem Ecclesiæ*. Idibus Septembris. Hujus posterioris Arnaldi non meminit Claudius Roberti in catalogo Episcoporum Tutellensium. Frater Hugucçio de Perusio Sutrinæ in provincia Romana, per cessionem Berengarii de sancto Africano, Clerici Vabrensis, ad hanc Ecclesiam electi: *Pastoralis officii* XIV. Kal. Aprilis. Frater Joannes de Prescoa Neocastren. in Calabria, sub Archiepiscopo Rhegiensi, per obitum Ambrosii: *Ad universalis Ecclesiæ* III. Kal. Augusti. Frater Franciscus de Perusio Sarnensis in Re *Fr. Arnaldus Episcopus Tutellen. An. 1332. n. 9. Fr. Hugucçio, Sutrinus. Fr. Joan. Neocastren. Fr. Franc. Sarnen.*

Fr. Gratia Dulchinen.

Fr. Robert. Cephaluden.

Fr. Nicolaus Arch. Cambalien.

Hoc an. n. 1.

Fr. Guillel. Brundisin.

Regno Neapolitano, sub Archiepiscopo Salernitano, per obitum Nicolai: *Apostolatus officium*. Idibus Martii. Gratia de Aquila Dulchinensis sub Rege Rassiæ, & Archiepiscopo Antibarensi, per translationem Thomæ ad Cathanensem: *Apostolatus officium* XVI. Kal. Septembris. Robertus Campuli de Messana Cephaluden. sub Archiepiscopo Messanen. in Sicilia, per obitum Rogerii: *Apostolatus officium* II. Idus Octob. Frater Nicolaus Archiepiscopalis Ecclesiæ Cambalien. in Tartaria per obitum, uti diximus, optimi viri Joannis a Monte Corvino: *Militanti Ecclesiæ* XIV. Kal. Octobris. Frater Guillelmus Episcopus Albensis, de quo sæpissime egimus superius, transfertur ad Archiepiscopatum Brundusinum in Regno Neapolitano per obitum Bertrandi: *Romani Pontificis*. VIII. Idus Octobris. „ In catalogo MSS.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

Fr. Conradus Episcopus Assisiat.

„ Episcoporum Assisiat. recensetur hoc anno frater Conradus Cerra de „ Monte Minorita, a Capitulo electus, & a Joanne Pontifice confirmatus. „ Alii id factum volunt anno MCCCXXXV. & a Benedicto Joannis successore „ approbatam electionem.

Gerardus Minister Protector Monialium.

Sub trahitei regimen Monasterii.

XVI. Destituto hoc tempore Ordine Sanctæ Claræ Patrocinio Protectoris, curam omnem & protectionem commisit Pontifex Generali Ministro, quam usque ad illud tempus Pontifices S. R. E. Cardinalibus committebant. Aliunde tamen auctoritatem minuit, cum ob dissensiones, quas nuper retulimus, & alias quæ exortæ erant inter eumdem Ministrum, & Sanciam Siciliæ Reginam, ei subtraxit regimen sumptuosissimi Monasterii Monialium Corporis Christi Neapolitani, sibique reservavit, substituto ad biennium Ministro Terræ Laboris. Scripsit tamen Reginæ, ut in gratiam suam Ministrum admitteret, & Roberto Regi, ut piam conjugem ad redintegrandam pristinam benevolentiam alliceret.

Sanciæ Siciliæ Reginæ Illustri.

Ex secret an. 17. fol. 146.

Iratam erga eumdem Sanciam Reginam conatur placare.

XVII. *Nosti, filia in Christo carissima, quantum Redemptori nostro sit accepta misericordia, quantumque sibi immisericordia sit exosa: Nec ignorat tua prudentia, quæ misericordibus præmia quæque, immisericordibus supplicia veritas repromittit. Ea propter, præsertim quia ab infantia miserationem crevisse tecum eamque quasi egressam tecum de tuo supponimus utero, ea quæ ad misericordiam pertinent Excellentiæ tuæ cum fiducia suademus; scienteSque, quod ipsius exercitatio est ad omnia utilis promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ cum spe exauditionis, te ad ipsius exercitium invitamus. Sane quia notum est, & forsan amplius quam deceret, contra dilectum filium Geraldum Ottonis Ordinis Minorum Generalem Ministrum, tuam benevolentiam irritatam, eamdem toto cordis affectu exortandam duximus, & rogandam, ut secum misericordiam faciens, sibi digneris tuam reddere gratiam, & si contra te peccaverit in aliquo, eidem indulgere clementer, ipsoque uti, sicut fideli servo prompto tuæ magnificentiæ in omnibus, quæ citra Dei offensam poterit complacere. Datum Avenione* XIV. *Kal. Maii anno* XVII.

Roberto Regi Siciliæ Illustri.

Ibid. fol. 147.

XVIII. *Quam sit patri misericordiarum accepta misericordia, sibique immisericordia sit exosa, quæve misericordibus sint præmia & immisericordibus supplicia repromissa, ad carissimæ in Christo filiæ nostræ Sanciæ Reginæ Siciliæ Illustris, consortis tuæ memoriam per alias nostras litteras reducentes, eam ad parcendum dilecto filio Geraldo Ottonis Ministro Generali Ordinis Fra-*

Fratrum Minorum, si eam offendit, aut irritavit, suamque sibi restituendam gratiam affectuosis precibus exhortamur. Quocirca Regiam celsitudinem attentius deprecamur, quatenus Reginam eamdem, ut precibus nostris hujusmodi plene ac prompte obtemperet efficaciter inducere Regia prudentia non omittat. Datum Avenione XII. *Kal. Maii. an.* XVII.

Chron. antiqua Marian. lib. 9. c. 4.

XIX. Etiam hoc anno misit Gerardus Minister Fratres Armeniam, deprecante, uti superius diximus, Zacharia Archiepiscopo S. Thadæi, quorum Dux erat frater Rogerius Guarini Provinciæ Aquitaniæ. Obtinuit hic a Suldano Ægypti, ut Fratres possent commorari in aliquibus locis Terræ sanctæ, ita forte per illum repetitis precibus exorantibus Roberto & Sancia Regibus Siciliæ, uti suo loco largius dicemus, agemusque de primis & præcipuis habitaculis Minorum, quæ etiamnum possident sub feritate Turcarum in terra Palestinæ, & civitate sancta Hierusalem. Ex his unus frater Gratia Arnaldi Aquitanicus ex custodia Bisuntina, remansit Constantinopoli in obsequio Imperatricis Græcorum pientissimæ feminæ Joannæ, ex familia & domo Sabaudiæ, cujus opera & plurima sua virtute Imperatorem induxit, ut Romani Pontificis primatum confiteretur, & unitatem utriusque Ecclesiæ Grecæ & Latinæ summo opere desideraret. Ipsum conceptæ veritatis auctorem fratrem Gratiam ad Pontificem misit, rogavitque ut virum gravem remitteret, qui unionem & amicitiam Græcorum conciliaret, ministrosque adhiberet, qui veræ doctrinæ semitam edocerent. Hoc audito Nuncio, Joanes mittere decrevit Gerardum ipsum Ministrum Generalem, cujus conatus mors paulo post superveniens, intercidit.

An. 1322. n. 1. Mittuntur Fratres in Armeniam. Fr. Guarin. obtinet habitacula Jerosolymis.

An. 1342. Imperatrix Græcorum agit de unione cum Latinis per Minoritas. *Vide infra an. 1341. & an. 1349.*

XX. Inter eos qui missi fuerunt, duodecim adolescentiores, spiritu ferventes, sancto amicitiæ spiritualis fœdere conglutinati ad magna virtutis exercitia continuis exhortationibus semet invicem excitabant. Continuæ carnis macerationi, assiduæ orationi, & perfectissimæ regulæ observantiæ insistebant, donec virtutis hostis contra eos procellas excitavit, aperteque comminatus est, se eos segregaturum, ne tanta virtus unita fortior evaderet. Neque inanes hæ factæ sunt minæ, nam intra paucos dies suspicati superiores, hos sibi proposuisse novam reformationem, aut singularem congregationem, a corporis religione distinctam, quæ graves tumultus jam sopitos resuscitaret, eos disperserunt per varias urbes, neque amplius cohabitare permiserunt. Unusquisque tamen in loco, qui sibi ad prædicandum obtingebat, testimonium reddidit gratiæ & virtutis cælitus acceptæ, multosque ad Christi fidem convertit. Paucos post annos moriens ex his unus, alteri inter duodecim seniori apparuit, revelavitque placitas esse Deo animas illorum, & nomina in libro vitæ conscripta, quod comprobavit illorum exitus, dum omnes sancto fine quieverunt.

Hostis insidiæ adversus regulæ zelatores.

XXI. Hoc anno institutum tertii Ordinis amplexus est B. Thomas, ex humilitate vel contemptu dictus Thomasuccius, divite ortus progenie in Villa Valmacinajæ, ditionis Nucerinæ in Umbria. Mater re & nomine Bona, dum infantulum gravido gestaret in alvo, ab Angelo felicis partus, futuræ sanctitatis, & nominis Thomæ, quo deberet insigniri, præmonita, sacrum hoc germen edidit anno millesimo trecentesimo nono. Præter hunc alium enixa filium, & duas filias omnes Deo consecravit, quorum pietas & virtus probavit ex bona arbore bonos fructus prodiisse. Thomas duodecim factus annorum Deo obtulit suam virginitatem, & anno ætatis vigesimo quarto, longa præmissa oratione, & parentum obtenta, vel potius extorta licentia, mundo valedixit, & in solitudinem recessit. Hic hærens & plangens Magistrum deesse virtutis, ab Angelo salutatur, jubeturque ut in Gualdi montem

Jacobil. de sanctis Fulgin. & peculiari de ejus vita libello Legen. ejus MSS.
B. Thomasuccii ortus & pueritia.

In monte Gualdi se tradit disciplinæ Petri Eremitæ.

tem ascendat, ubi Dominus præparaverat optimum præceptorem fratrem Petrum Eremitam, virum piissimum, admirandæ pœnitentiæ, cujus disciplinam jussit ut perpetuo adamussim sectaretur. Ab hoc viam salutis æternæ edoctus, & tertii Ordinis sancti Francisci habitu suscepto, annis vinginti quatuor convixit. Mortuo demum Magistro, quingentis a Gualdi oppido passibus, cellam sibi construxit, in qua se reclusit, relicta dumtaxat fenestrella, per quam pii Viri panem ministrarent & aquam. Integro triennio hic delituit, bis dumtaxat in hebdomada pane pastus & aqua, nulli hominum præter confessarium locutus, dormiebat paulisper recto consistens corpore, vel ut plurimum muro innixus, numquam detracta sed immutata & illota veste segmentitia, sub hoc vitæ genere videbatur potius prolixam mortem, quam vitam præferre humanam, præsertim cum virtutis & pœnitentiæ hostis alias addiderit calamitates, quas superno vicit auxilio. Reliqua hujus pii Viri acta sub anno MCCCLXXVII. quo ex hoc mundo discessit opportune referemus.

Et habitum suscipit tertii Ordinis.
Mira ejus pœnitentia.

XXII. Hoc anno vel circiter duæ illustres Reginæ factæ sunt Clarissæ: Anna Austriaca, de qua ita scribit Cuspinianus. (*Fridericus Dux Austriæ filius Cæsaris Alberti primi, cognomine dictus Pulcher, duas sortitus conjuges Isabellam scilicet filiam Ducis Geldriæ, quæ ante celebratas nuptias mortua est, Elisabetham post Jacobi Minoris Aragonum Regis filiam uxorem duxit, ex qua tres liberos genuit Fridericum, Elisabetham & Annam, quæ Poloniæ Regem primum sortita conjugem, sed posiquam naturæ concessit, Joanni Carinthiæ Comiti nupsit, quo jam fato functo, Monialis tamdem effecta est Viennæ apud sanctam Claram in Austria. Fridericus pater mortuus est anno* MCCCXXX. *in Maurbach Carthusiana domo Austriæ sepultus.*) & Heduigis Waladislai Regis Poloniæ hoc anno defuncti conjux, ac Kasimiri Regis Poloniæ, & Elisabethæ Hungariæ Reginæ mater, in Cœnobium Sanctimonialium in antiqua Sandecia se recepit ubi regulam sancti Francisci professa, jejuniis, & orationibus reliquum vitæ tempus explevit.

Anna Austriaca Regina fit Clarissa.
Cuspin. in Austria pag. 637.
Ac Heduigis Reginæ Poloniæ.
Miechou de reb. Polon. lib. 4. c. 17. Cromer. lib. 12. Monum. MSS.

XXIII. Huic præcessisse aliam Poloniæ Principem, Cunegundam Boleslai Pudici consortem, intactam fœminam sanctissimam, alias brevius insinuavimus. Postea excitata pietas Polonica, quod alias tentasse scribit Rodulphus, denuo ardentiori studio concupivit, ut in sanctarum Virginum numerum referretur. Missa itaque in Urbem plena fide & diffusiori methodo conscripta acta & prodigia, ex quibus aliqua, hac arrepta occasione, hic sub compendio licebit exscribere. Fuit Cunegunda, Hungaris *Kinga*, filia Belæ Regis Hungariæ, & Mariæ filiæ Alexii Græcorum Imperatoris. Ejus ortus & sanctitas fuerunt divinitus clara voce genitrici prædicta, arrhamque accepit mater in quadam consolatione cœlitus immissa, dum tædio & mœstitia affecta propter eam, quam utero concepit, se liberatam cœlitus audivit. In lucem edita infantula, non aliarum more fletum edidit aut vagitus, sed articulato, & claro sermone lingua Hungarica protulit hæc verba: *Ave Regina cælorum, mater Regis Angelorum.* Quartis & sextis feriis semel tantum nutricis ubera sugebat, ut sanctus Nicolaus fecisse perhibetur. Quoties infans in brachio nutricis Missæ sacrificio intererat, oculos in cœlum figere, & ad nomina sanctissima *Jesus* & *Mariæ* caput solebat inclinare. Elapso ablactationis tempore, tota genuflexionibus, orationibus, jejuniis, eleemosynis erogandis, & aliis piis operibus erat intenta. A Boleslao Poloniæ Duce (nondum enim Regis nomen habebat) in matrimonium expetita, primo restitit, tum parentum minis & precibus inducta, assensum præbuit. Anno Domini MCCXXXIX. Cracoviam perducta, suam pudicitiam assiduis pre-

Tom. 5. an. 1279. n. 5. & an. 1292. n. 12. Rodul. fol. 143.
B. Chunegundis parentes.
Ejus ortus miraculosus.
In infantia præludia sanctitatis. Vide ejus vitam apud Sur. c. 1.
Boleslao Poloniæ Principi in matrimoniū datur.
Cum quo in perpetua vivit virginitate.

precibus Deo cum lacrymis commendabat, & ut altera Cæcilia prima nocte sponsum induxit precibus & terroribus ut intactam relinqueret, ac pudicitiam primo ad tempus, tum totam vitam se servaturum promitteret, quod sancte præstitit, unde *Boleslaus Pudicus* dictus est, atque alias ambo ad virginitatem servandam publico & solemni se voto in Ecclesia in manibus Episcopi Cracoviensis obstrinxerunt.

XXIV. Perpetuum ejus sanctitatis testimonium apparet in oppido, tunc pago, Bockniæ, quinto a Cracovia milliario. Cum enim annuente marito, in Hungariam rediret, parentem Belam Regem invisura, & cum eo insigniora quædam loca, atque inter hæc salis fodinas plurimas & magnas lustraret, unam petiit sibi condonari. Dedit pater, & illa ex tempore aureum annulum, e digito extractum, cavernæ, quam elegerat, injecit. Factum tunc forte ridiculum. Paulo vero post, dum in Regnum Poloniæ regrederetur, in eo, quem dixi, vico, casu sal repertum, primisque initiis lapidum more extractum, in quorum uno annulus nuper Hungarico solo projectus repertus est. Res memoria digna, quam Hungarici initio deriderunt; in hanc tamen usque ætatem Poloni divino utuntur munere, dum sal multis effossum cavernis perpetuas divitias subministrat, & regios redditus adauget. Salis fodinas divinitus ministrat Polonis.

XXV. Acceptis a marito pro dotalitia recompensatione quibusdam possessionibus in confinio Hungariæ, ad antiquam Sandeciam, nobile ibidem construxit Clarissarum Monasterium, cooperante eodem Boleslao, in quod dum sub ipsis viduitatis auspiciis se simul cum Jolenta sorore, uti alias diximus, reclusisset, idem Institutum professa, ac postmodum Tartarorum incursionem declinatura, simul cum reliquis Sororibus septuaginta, ad munitissimam Pieninam arcem, sicuti alias narravimus, confugisset, in petra quadam dura prope villam Charthoreæ, ad flumen Dunaret sitam, quiescere volens fessa ex itinere pedis dextri vestigium, veluti in cera pressum reliquit, quod ad hæc usque tempora conspicitur. Tom. 5. an. 1279. n. 5. Tom. 5. an. 1287. n. 5. Petræ duræ pedis imprimit vestigium.

XXVI. Majus adhuc & ultra modum admirandum hoc, quod refero, miraculum. Postquam Clarissis nomen dedisset in prædicto Monasterio, & Sorores aquæ laborarent penuria, perrexit ad fontem vivum a Monasterio P. M. distantem, ex quo fluviolus Pusysietnica manabat, versusque villam Barcicæ tunc fluebat: atque immissum baculum in fluviolum, non longe a fonte originario, domum rediens per terram toto traxit itinere. Res mira & contra naturam! aqua dimisso priori cursu, quo deorsum fluebat, montem ascendentem versus oppidum Sandeciæ sequebatur, alveumque sibi ipsa efficiebat, quasi præeunte & ducente bacillo, usque ad oppidum & claustrum Monasterii. Eumdem adhuc cursum servat fluviolus, per oppidum & Monasterium, prout ipsa desiderabat decurrens, aquam abundanter oppidanis ministrans, & agitandis molendinis sufficienter inserviens. Simili etiam miraculo infixo baculo, puteum deduxit aquarum viventium, quæ variis morbis medendis etiam nunc, mirabiliter inserviunt. Fluvii decursum invenit. Puteum educit aquarum viventium.

XXVII. In Monasterio divinis apparitionibus assueta, prophetiæ dono, & miraculorum gloria illustris, postquam annos tredecim monasticæ professionis peregisset, & uno ferme gravi vexaretur ægritudine, mortis hora divinitus præcognita, devotissime vitam absolvit anno MCCXCII. die XXIV. Julii feria secunda. Christianus Canonicus Visliciensis, vir devotus in oratione positus eam in cœlum niveo candore progredientem vidit, agminibus Angelorum canentibus: *Regnum mundi & omnem ornatum ejus contempsi*, quod cum admiraretur, dictum est illi, beatam Cunegundam in illa Sanctissime moritur. In cœlum eunti occurrunt Angeli.

hora

Plurima ejus miracula.

hora a corporis ergastulo solutam. Ab anno autem MCCXCII. quo mortua est, ad annum MCCCXXIV. octuaginta mortui meritis ipsius vitæ pristinæ sunt restituti, sexaginta cœci illuminati, quindecim captivi a vinculis soluti, septingenti a variis ægritudinibus curati.

Frequens ejus veneratio.

XXVIII. Plurima ex his, & alia recentiora miracula picturis & votivis tabellis ad sepulcrum appensis indicantur. Præter hæc apposita etiam anathemata pleraque argentea, quibus insculptæ & inscriptæ beneficiorum memoriæ. In universo Regno Poloniæ pro patrona, & tutelari proclamatur, ejusque sepulcrum magna devotione invisunt die sanctissimæ Trinitatis, cui Ecclesia dedicata est, non solum Poloni, verum etiam Provinciæ Sceputiensis incolæ, Germani, Rutheni, Silesii, Moravi & Hungari magno omnis generis & ætatis concursu, & qui vota sua ad sepulcrum pro beneficio aliquo consequendo deponunt, diem Lunæ sanctæ Cunegundi fatalem, jejunio, eleemosyna, aliisque piis operibus sacrare non omittunt. Missa & Officium olim recitabantur die XIV. Julii ex communi Virginum, exceptis peculiaribus orationibus: atque hæ quidem illæ ipsæ sunt, quibus colitur alia præclarissima Cunegundis Imperatrix, Henrici II. Imperatoris conjux illibata, & virgo, huic nostræ in multis simillima, quam Innocentius III. Sanctorum adscripsit catalogo, & his ipsis orationibus in bulla canonizationis honestavit, de quo videndi Gretserus de Divis Bambergen. & Surius ad diem III. Martii.

Oratio.

Omnipotens & misericors Deus, qui a gloria tua nullum excipis sexum, nullamque conditionem excludis, te suppliciter imploramus, ut sicut beatæ Chunegundi Virgini tuæ post terreni culmina Imperii cælestis Regni solium contulisti, ita nobis meritis ejus, & precibus æternæ felicitatis præmia largiaris. Per Dominum &c.

Secreta.

Sacrificium laudis tuæ, Domine Deus noster, offerimus, tuam clementiam implorantes, ut per hujus virtutem Sacramenti, intercedente beata Chunegunde Virgine tua, nos a peccatis expedias & a periculis tuearis. Per Dominum nostrum &c.

Post Communionem.

Sacramentum redemptionis humanæ, quod in honorem beatæ Chunegundis obtulimus, tibi Domine nos reddat acceptos, ut per quod ipsi accepimus de tuo, & tu suscepisti de nostro, in tuo semper honore vivamus. Per Dominum nostrum &c.

XXIX. Injecto tamen scrupulo, quod non liceat absque Romanæ Curiæ auctoritate Officio Ecclesiastico quempiam colere Sanctorum, abolevit ille ritus: viget tamen consuetudo, ut quotannis in die obitus fiat solemnis ejus commemoratio per Antiphonam: *Veni Sponsa Christi*, & hanc Orationem.

Deus, qui inter cetera gratiæ tuæ dona, etiam in sexu fæmineo tua operaris magnalia, concede propitius, ut beatæ Chunegundis Virginis tuæ apud tuam misericordiam patrocinia sentiamus, cujus non solum castitatis irradiemur exemplis, verum etiam miraculorum gloria jucundemur, per eum, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & seculum per ignem. Amen.

XXX. Ad sepulcrum orantibus exposita est in tabella hæc deprecatio, quam omnes communiter recitant, ut quæ petunt beneficia, consequantur.

Venerabilis atque felix Ducissa urbis Sadecensis utriusque Provinciæ, sanctaque Chunegundis Ordinis sanctæ Claræ, quæ multis modo refulges hic, & coru-

coruscas miraculis, & multis Christi fidelibus sexus utriusque tam infirmis, quam morbidis, claudis, cæcis, leprosis, caducis, febricitantibus, obsessis, in aquis submersis atque hydropicis, paraliticis, & quamplurimis languidis tuum corpus felicissimum, ac tumbam hic visitantibus, & vota facientibus manifeste, & aperte, divino mediante auxilio, pie misericorditerque subvenis. Te igitur venerabilis ac felix Chunegundis indigni peccatores obsecramus cernui, ut nos ab instantibus, & supradictis infirmitatibus, atque malis accidentibus, universisque tam præsentibus, quam futuris, & hanc Civitatem cum omnibus nostris benefactoribus, atque parentibus, amicisque & proximis nobis bona facientibus, ab omnibus periculis liberare, salvare, defendere, & in omni tempore protegere digneris, & de potestate omnium inimicorum nostrorum, visibilium atque invisibilium, atque malignorum spirituum potenter nos cum dictis ut supra eripias, & custodias, ne nos in hoc seculo, nec in mortis articulo suis cum complicibus perturbent, nec coram majestate divina minus juste accusent, sed & a nobis confusi recedant, & sancti Angeli & Archangeli omnes Dei, & custodes nostri, nos ab eis ubique locorum, & post vitæ nostræ exilium protegant, & ad æterna gaudia feliciter, illæse, læte pariterque cum gloriosa Virgine Maria, & omnibus Sanctis per te sancta Clara, o felix Chunegundis, nos perducant. Amen.

℣. *Ora pro nobis beata Chunegundis.*

℟. *Ut digni efficiamur promissionibus Christi.*

OREMUS.

Deus, qui inter cetera gratiæ tuæ &c. ut in præcedenti Oratione.

XXXI. Sacellum, in quo sepulta fuit, seorsim ad latus Ecclesiæ situm, ambitu Monasterii continetur, ad quod nulli patet aditus, nisi solis Monialibus. Super sepulturæ locum altare erexit Cardinalis Radzivilus, in quo asservantur ejus ossa scriniolo argenteo per Cardinalem Macziowiski inclusa, & caput argentea theca seorsim reconditum. Asservatur etiam tunica interior sub diligenti custodia Abbatissæ, in qua illud observatur, nullam pati læsionem tribus integris seculis, quibus frequenter distrahitur, & defertur ad varias ægritudines depellendas. Habetur insuper cochlear, quo communiter utebatur, & annulus a Boleslao sponso arrhæ loco immissus. Conspicitur denique ibidem religiosissimæ Virginis imago lignea, ipsa adhuc vivente dolata, quæ perhibetur membrorum accuratam delineationem, & veram corporis mensuram præferre, habitu quidem communi Clarissarum, ceterum sacro capiti Principis imposita corona. Dextera tenet Monasterium a se fundatum, sinistra pixidem, vel thecam reliquiarum. Mira de hac imagine passim prædicant, utpote per quam non obscure signa impendentium Monasterio consolationum, sive incommodorum præmittuntur, usu rerum magistro comprobante, ad eventum rerum prosperarum statuam illam colorem rosaceum induere, contra futuram calamitatem pallore ingrato portendere, prout recens anno MDCXXIV. accidit. Fundebant devotæ Virgines ardentes ad illam imaginem preces in arduis sui Monasterii necessitatibus. Res mira! statuæ illius facies rubicundior insolito comparuit. Attonitæ novo miraculo Virgines sacram statuam manibus contrectare, basia figere, certatim perrexerunt, faciemque & nasum calentem, ut vivo homini non absimilem expertæ sunt. Exponitur hæc statua publicæ venerationi in die Trinitatis, quo diximus, finitimas nationes turmatim ad ejus sepulcrum confluere.

Ubi reconditæ ejus reliquiæ.

Portentosa ejus statua.

XXXII. De ea scripserunt Matthias de Miechovia Canonicus Cracovien. Martinus Cromerus prius Canonicus, deinde Episcopus Vermien. in histo-

Quinam de ea scripserunt?

historiis Polonicis variis in locis, Sarnicius libro VI. Annalium, Jodocus in libro Vetustatum Polonorum, Joannes Dlugoskius Canonicus Cracovien. peculiari scripto libro de ejus vita & miraculis, quem pro memoriali sempiterno legavit Sororibus prædicti Monasterii, Sandecen. anno MCCCCLXXIV. die VIII. Maii, & in alio libro ejusdem MSS. de rebus Polonicis, cujus exemplar asservatur apud Patres Congregationis Oratorii ad Vallicellam in Urbe, ubi inter cetera ad annum MCCXCII. quo Chunegundis obierat, relatis sub compendio ejus miraculis, subjunxit: *Ut ex his miraculis præstetur certa & evidens fiducia, quod quæ in vita præsenti, dignitate præfulgebat Regni, per gratiam Regis cœlestis glorificationem sit amplissimam inter superos consecuta. Nec mirum; coluit enim & custodivit assidue integritatem mentis, & nobilissimo pudore integerrimæ virginitatis castimoniam sub nimio & arduo bello transegit, expers palmæ non credenda martyrii, quæ puritate mentis duplici cum mortificatione carnis suæ videlicet, & martii, assidue cum oculis, cum naribus, cum ceteris sensibus, cum quiete & otio, cum silentio & solitudine, cum ipso denique fastu & apparatu Regio, cum cibis & potibus opipere conditis, cum rerum temporalium affluentia, & successuum felicitate, vestium, gemmarum & unionum pompa confligens, noctu atque interdiu, momentisque singulis animi & corporis præferebat cruciatus. Sanguineam rosam præferens centeno fructu & geminata laurea; virginitatis videlicet & sanguinis meruit coronari. Virginitatem enim magnopere custodiens mente & spiritu, hostem suum quocumque se verteret, secum ferebat, assiduo premebatur certamine, sine induciis bellum gerens, non vespere, non nocte, non diluculo, non meridie, non mane respirasse permissa, sed singulis diebus atque horis fornacis medio succensa, auri instar probata, purior prodibat. Cogita quanti officii labor sit & fatigatio. Hæc constante matrimonio vixit modeste, castigate, abstinenter. Non cultus in ea luxuriosior, non conversatio cum viris, sed nec viro licentiosior, non convictus splendidior. De qua sane & ejus virtutibus tanta dici possunt, ut ad longum usque volumen excrescerent.*

Uterque Poloniæ status eam canonizari petit.

XXXIII. Demum continuo virtutum & miraculorum splendore excitati Poloni, præsertim Illustrissimus Dominus Martinus Szifzkorcki Episcopus Cracovien. examinatis & compertis quamplurimis hac nostra ætate ab ea patratis miraculis, Serenissimus Sigismundus Rex Poloniæ ejus canonizationem summis votis, missis processibus, quibus vitæ sanctitas & miraculorum frequentia comprobatur, a Sanctissimo Domino Urbano VIII. efflagitarunt. Regis epistolæ ad sacrum Pontificem missæ exemplar lectori subministro.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo Patri ac Domino D. Urbano divina providentia Papæ VIII. Sacrosanctæ Romanæ & universalis Ecclesiæ Pontifici Maximo, Domino Clementissimo.

XXXIV. *Sanctissime ac Beatissime in Christo Pater & Domine, Domine Clementissime. Post oscula beatorum pedum S. V. mei ac meorum Regnorum humillimam commendationem, quod toti Regno meo Poloniæ, dominiisque ei annexis, non potest non esse gloriosum & salutare.... Ita venerantur religioso obsequio sanctitatem olim suæ Chunegundis, ut a ternis & amplius seculis divam, tutelarem, & patronam suam, consentientibus votis, eam nuncupent. Quæ autem hæc aut quanta extiterit heroina, vel inde palam esse potest, quod inter regalis summæque fortunæ delicias, obsequia, conjux*

jux ſimul virgo ſupra nomen mortalitatem egerit, & marito poſtmodum ſuo Boleslao Pudico Poloniæ Principi ſuperſtes, erogatis in pauperes Chriſti facultatibus, divi Franciſci Inſtitutum amplexa fuerit. Emicat hæc ipſa ſanctitatis perpetuis illuſtribuſque conteſtata documentis, ad ſacrum ejus ſepulcrum, ubi diverſorum membrorum victa ſæpius contumacia, aliaque ſtupendæ virtutis edita opera, ad vicinas quoque gentes famam ejus ſanctitatis cum religione loci commendarunt. Hanc igitur communi conſtantique opinione ſanctam, ut Apoſtolicæ cenſuræ auctoritate beatorum numero Sanctitas Veſtra adſcribere velit, univerſa pene Sanctitati Veſtræ per me ſupplicat Polonia. Attulerit ea res cœlo triumphum, Regno meo, accenſis publico Sanctitatis Veſtræ decreto ad devotionem animis, firmiſſimum præſidium, utrique eximium decus, & ornamentum: imprimis vero ad Dei gloriam pertinebit, qui in Sanctis ſuis amat venerari. Quod reliquum eſt, me, Regnaque mea gratiæ Sanctitatis Veſtræ diligentiſſime commendo. Datum Varſaviæ die XXII. *menſis Martii anno Domini* MDCXXVIII.

Ejuſdem Sanctitatis Veſtræ obſequentiſſimus filius
Sigiſmundus Rex Poloniæ.

XXXV. Pii Principis, & devoti Cleri Polonici votis ut ſanctiſſimus Pontifex ſatisfaciat, graviſſimorum virorum S. R. E. Cardinalium examini commiſit omnia præclariſſimæ virginis, & Regiæ Conjugis acta, ut ſi conſtent, eam Sanctis adnumeret. Interim nos digredimur ad alia. Conceſſa hoc anno licentia Nicolao Miniſtro Provinciæ Boemiæ conſtruendi Cœnobium pro Fratribus ſibi ſubjectis in oppido Bethiniæ Pragenſis diœceſis: *Sacræ Religionis*. Idibus Januarii. Hujus loci meminerunt Piſanus & Rodulphus ſub nomine Bechinæ. Miniſtro generali Gerardo alia exhibita facultas, intercedentibus Rege Alphonſo, Epiſcopo, & Villæ Conſulibus, ut Fratres Provinciæ Aragoniæ Conventum poſſint extruere Bergæ Urgellenſis diœceſis: *Ex zelo tuæ devotionis*. Kal. Auguſti. Antiquiorem facit Gonzaga, & prius derelictum ait a Fratribus, denuo reaſſumptum ſub anno MCCCXXX. at nihil horum conſtat ex diplomate Pontificio, in quo hujuſmodi deſtitutiones, & reaſſumptiones exprimi conſueſcunt. Devenit in poteſtatem Fratrum Obſervantum anno MDLXVII. Pio V. jubente. Similiter indultum, ut reciperent & conſtruerent domicilium in oppido Lubamen. Miſnen. diœceſis in provincia Saxoniæ: *Sacræ veſtræ Religionis*. VII. Kal. Februarii. Neſcio an aliquando hæc domus extructa ſit; non enim invenio ullum apud Piſanum, aut Rodulphum hujuſmodi nomen, niſi fortaſſis illud ſit *Lumbecb*, quod ſub quarta cuſtodia Lumbicenſi eſt primum & præcipuum. Conventus Aquenſis, ſive Aquiſgranenſis hoc anno ex miſerabili caſu totus conflagravit: cujus rei memoria æri inciſa eſt, nam in campana ejuſdem Conventus hæc legitur inſcriptio: *Anno* MCCCXXXIII. *per incendium miſere perii, Clara vocata, anno* MDXLVII. *tertio refuſa, nunc Franciſcus vocor.*

Conv. Bethiniæ. — Conv. Bergæ. — *Gonz. in prov. Catalon. con.130.* — Conv. Lubamen. — Conv. Aquen. comburitur.

XXXVI. Viterbio ſub hoc tempore diſceſſerunt Monachi Armeni Ordinis ſancti Baſilii, qui Cœnobium ſanctorum Simonis & Judæ inhabitabant. Cives donandum judicarunt quibuſdam Sororibus tertii Ordinis ſancti Franciſci, quæ in privata, & conductitia domo commorabantur, idque Pontificis auctoritate confirmari curaverunt. Sub Alexandro VI. ex Tertiariis Clariſſæ factæ ſunt, evocatis magiſtris ex Urbe, & Monaſterio ſanctorum Coſmæ & Damiani, tantæque pietatis & diſciplinæ monaſticæ nomen

Monaſt. Viterbien.

mox fortitæ sunt, ut fundatrices Cœnobii Urbevetani anno MDVIII. & restauratrices sancti Silvestri in Urbe anno MDVII. hinc prodierint. Multis reliquiis Ecclesia ornatur, & domus ipsa aliquibus bullis munitur Pontificiis.

Monast. Ravellen. XXXVII. Ravelli in Regno Neapolitano præextitisse hoc tempore Monasterium Clarissarum probat diploma Joannis Pontificis, quo Abbatissæ & Monialibus solvi jubet, quæ legavit Monasterio quondam Philippus Pirontus civis Ravellen. In Ecclesia Tricaricensis Clarissarum Monasterii conceditur indulgentia eamdem visitantibus statutis diebus beatæ Virginis, sanctorum Francisci, Antonii, & Claræ, referturque simul cum sororum domicilio fundata a Sveva Comitissa Tricaricen. ,, Sed in Regesto Joannæ I. Reginæ Neapolitanæ habetur, Monasterium sanctorum Petri & Pauli de Tricarico Ordinis sanctæ Claræ a Roberto Rege fuisse fundatum, & Monasterium ipsum emisse medietatem Casalis Gallipoli in Basilicata. ,, Fortassis Sveva incœpit, Robertus perfecit, vel tantum tribuit construendo subsidium, ut veluti auctor sit censendus. ,, Ceterum Joannes ad sublevandam Monasterii Condomiensis nimiam paupertatem locum privilegiis hoc anno affecit: *Et si pium & meritorium* II. Kal. Aprilis.

Ex lib. 2. an. 18. fol. 267.
Monast. Tricaricen.
Ibid. fol. 837.
ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.
Reg. an. 1333. fol. 113.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

Litter. Pontif. contra Fratric. — Waddin. de hoc tractat ad ann. sequentem. — Indic. ex orig. Aracæli.

,, I. Fratricellorum, seu Bizzocchorum insana Religio, adhuc insolescens in perniciem & scandalum Orbis Christiani, Pontificis zelum excitavit; unde ut e vinea Domini Sabaoth radicitus extirparetur, edita constitutione: *Dudum ad audientiam &c.* V. Idus Februarii. III. Idus ejusdem mensis Inquisitoribus hæreticæ pravitatis epistolas direxit: *Ad nostrum &c.* & in specie fratri Joanni de Spoleto in Provincia Romana Inquisitori: *Nuper accepimus &c.* & fratri Simoni Philippo Spoletano Minoritæ in eadem Provincia pariter Inquisitori: *Cum velimus &c.* ambas Idibus præfati mensis. Cum autem accepisset eorumdem Bizzocchorum Ministrum per eas partes vagari, Guardiano de Urbe, & Philippo Inquisitori, per duas ejusdem tenoris: *Intelleximus &c.* sub eodem tempore. IX. Kal. Martii, ut eum captivarent injunxit. In provincia vero Austriæ Fratres ad electionem Ministri devenerant, quam Apostolica auctoritate expedito brevi: *Ex parte &c.* Idibus Aprilis, confirmatam voluit; & instantibus Comitiis Generalibus Ordinis Assisii celebrandis, non tantum ea commendavit Urbi Assisinæ, sed etiam Civitati, & Communi Perusii, datis pro expensis eorumdem Comitiorum Florenis centum, pro quibus Ducatus Spoletani Thesaurario scripsit VI. Kal. Maii: *Scripsimus &c.* Non desides autem, vel socordes, sed impigres & strenui cum per hæc tempora, pro fide Catholica vel amplianda, vel tuenda Fratres Prædicatores & Minoritæ laborarent, in eorumdem favorem XI. Kal. Augusti Apostolicum breve expedivit: *Pro certis &c.* Ceterum missis litteris: *Si vis fili &c.* XVII. Kal. Octobris, Regi Francorum pro expeditione in Sarracenos tyrannide sæva Terram sanctam prementes. Clarissis Condomiensibus indulgentias concessit: *Quoniam ut ait &c.* XII. Kal. Decembris.

Odor. n. 44.

Martyres 14. in Lithuania.

,, II. Anno proxime præcedenti Petrum Gastoldum Podoliæ Palatinum 14. Religiosos ex Russia & Podolia pro Lithuanis convertendis Vilnam invitasse, ibique firmasse dicebamus: ii ergo Evangelici Operarii, absente Petro Gastoldo, dum primi fidem Christi disseminant, a tumul-

„ multuante populo gentili hoc anno MCCCXXXIII. eorum septem in foro „ Vilnæ gladio jugulati, & igni traditi combusti sunt, reliqui vero septem „ inter montes, quos *Calvos* vocant, Crucibus affixi, fluvio Viliæ immersi „ fuere : quorum corpora a Gastoldo regresso postea conquisita & reperta, „ in cœmeterio Templi sanctæ Crucis, in loco ubi hodie Crux eorum me„ moriæ conservandæ stat erecta, sepulta sunt. In columna Crucis etiam „ nunc hæc verba leguntur expressa: *Jesu Christo crucifixo; & memoriæ* „ *quatuordecim Martyrum, Ordinis sancti Francisci Minorum Conventus, qui* „ *primi M.D.L. fidem Christianam plantaverunt : atque anno* MCCCXXXIII. „ *martyrio coronati, hoc in loco requiescunt*. Ita refert Marcus Corona ex „ Annalibus Lithuaniæ in suo speculo provinciæ Russiæ, & M. D. L. & „ Matthias Stricovius in descriptione M. D. Lithuaniæ Ducum Lithuano„ rum.

In foro Vilnæ 7. *Ad annum 1332.*

Ad Montes Calvos 7.

Inf. ad annum 1341.

Marc. Coron.

Matth. Stricov.

„ III. Waddingus conversionem Lithuanorum per Fratres Minoritas, „ Dei opera factam, retractam ad annum MCCCXXIV. aliter refert, ex „ quo Casimirus Biernaski. Quod præfatus ut promiserat, anno sequenti „ ad probandum bina domicilia Minoritas extruxisse, diploma Apostolicum „ non protulit, si recte eum intellexero, in Lithuania propagationem fidei „ sua initia per ea tempora, sub quibus scripsit, non habuisse vellet, suspi„ cans forte, hos quatuordecim Martyres haud recte dici posse ob id pri„ mos, qui Christianam fidem in Lithuania plantaverint. At quod eo an„ no MCCCXXIV. Minoritæ iis in partibus Operarii fideles essent, Petrus „ de Alva, & Astorga indicans Apostolicum breve ad Gedemunem Re„ gem Letuvinorum, in quo de Minoritis Pontifex agit: *Missa nobis &c.* „ datum Avenione.... satis aperte ostendit. Nec tamen id tollet, quin „ hi XIV. Martyres primi dici possint, qui in M. D. L. Christianam fidem „ plantaverint; cum hi primi fuerint, qui testimonio verborum testimo„ nium sanguinis proprii addiderint. Ceterum quod non retulerit breve „ promissum de Cœnobiorum duorum supradictorum fundatione, hoc me„ moriæ lapsui attribui potest.

Sup. ad annum 1324. n. 2.

Inf. ad annum 1341. n. 3.

ARGUMENTUM.

Usus Joannes Pontifex opera Minorum in rebus ponderosis, moritur Avenione, & succedit Benedictus XII. Refertur martyrium Stephani Hungarici & aliorum. Claret vitæ sanctitate frater Michael Magothi, & alii doctrina eminentes. Celebrantur Assisii Comitia Generalia. Protector Ordinis destinatur Jacobus Caetanus, & multiplicantur domicilia.

I. ETIAM hoc anno Joannes Pontifex Fratricellorum sectam ubique per Italiam se diffundentem per suos Ministros insectari non destitit. Fratri Simoni Philippi de Spoleto, deputato a se Inquisitori in Provincia Romana, & Guardiano Minorum Conventus Aracœli in Urbe scripsit, ut Majorem, uti se appellabat, seu præfectum generalem eorumdem errorum, effronti audacia, sub quorumdam patrocinio Romæ conversantem apprehenderent. Ad hæc & alia negotia a se missos Henricum de Talahino, deinde Gerardum de Tancarariis, & Teneradinum de Rango Bononiensem multis munit privilegiis. Guillelmo olim Alben. nunc Brundusino Antistiti, multas agit gratias ob res feliciter peractas apud Umbertum Delphinum Viennensem, pacemque inter ipsum, & Aymonem Sabaudiæ Comitem conclusam. Epi-

In rebus ponderosis utitur Pontifex opera Minorum.

Ibid. fol. 251.

Ibid. fol. 106. & 307.
Ibid. fol. 301.

Fr. Henricus Episcop. Milevitanus. Fr. Gregor. Syrmien. Fr. Arnald. Vencien.

Episcopos elegit Milevitanum, sub Archiepiscopo Panormitano, fratrem Henricum de Cephaludo, per mortem Alduini: *Inter cetera* IV. Idus Januarii. Syrmiensem in Hungaria sub Archiepiscopo Colocen. fratrem Gregorium, per obitum Georgii: *In supremæ dignitatis*. XVI. Kal. Julii. Venciensem in Gallia sub Archiepiscopo Ebredunen. fratrem Arnaldum de Antifico, per translationem Raymundi ad Nicien. *Pastoralis officii* VII. Idus Februarii. Hujus Arnaldi, licet institutum non referat, memoriam haberi in Concilio Aven. anno MCCCXXXVII. celebrati, narrat Claudius Roberti; Raymundi vero prædecessoris neque in hac, neque in ea, ad quam translatus est, Ecclesia, ingerit mentionem. „ Hoc anno, Firmanum in Piceno Jacobum de Cingulo V. Idus Maii; rexit illam Ecclesiam usque ad „ annum MCCCXLIX. Syndico sanctæ Mariæ Novellæ Caritatis Firmanæ „ potestatem fecit Xenodochium fundandi, & pleraque loco privilegia „ concessit.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI. Fr. Jacobus Episcop. Firman.

Joan. XXII. moritur.

II. Porro Joannes longo, sed turbulento Pontificatu, majore animo quam corpore perfunctus, hoc anno, cum de novo Imperatore in Bavari locum deligendo cogitasset, & consistorium IV. Nonas Decembris indixisset, nocte præcedenti, ante primum galli cantum, exitiali profluvio correptus, consistorio omisso, eo die quievit. Ad III. Nonas circa vesperas, convocatis Cardinalibus orationem de digno eligendo Pontifice habuit, hortantibusque consanguineis, bullam supra relatam edidit, qua quid de visione animarum purgatarum ante diem judicii sentiret explicavit. Reservationes Episcopatuum, & beneficiorum, atque alia pleraque a se statuta, revocavit. Postridie post sacra audita, & Eucharistiam susceptam, in crepusculo diei orans & psallens, die Dominico hora 3. Avenione in Palatio Apostolico ex hac vita nonagenarius migravit, sepultus cum magna pompa in Ecclesia Cathedrali. Octodecim auri milliones cusos, & septem rudes non elaboratos, scilicet jocalia, vasa, suppellectilem auream & argenteam reliquisse in suo thesauro, scribit Joannes Villanus, cujus frater tunc Pontifici inserviebat. Vir fuit parvus corpore, magnus animo, acer ingenio, virtute invictus, incessu modestus, facilis iræ, propositi tenax, in cibo temperatus, juris utriusque valde peritus, neque tamen a legendo & studendo inter summas rerum curas vacabat. Conqueruntur ex nostris consodalibus multi, quod nimis dure & violenter cum universo egerit Sodalitio in controversia paupertatis. Verum est, mitius & suavius hanc terminari potuisse quæstionem, attamen multam subministrarunt Pontificis iracundiæ materiam, quorumdam nimia arrogantia, & insipiens audacia, qui dum humili obsequio, & debita submissione in disputationis initio summum omnium pastorem flectere, & patrem potuerunt conciliare, voluerunt potius præcipiti temeritate in faciem resistere, publice de ejus sententia appellare, scriptis lacessere, modis omnibus irritare. Leniendi sunt Magnatum animi, non exasperandi, deliniti prosunt, irritati potenter offendunt. Certe si in hac re minus propitius, in reliquis valde favorabilis Joannes, neque alium legi Pontificem, qui plura in Ordinem contulerit beneficia, majora indulserit privilegia, aut plures ex Fratribus ad infulas promoverit Pontificias.

Villan. lib. 11. c. 20.

Qualis erga Religionem Franciscanam.

III. Vacante autem Sede Apostolica diebus quindecim, Cardinales a Comite Monesio Præside Provinciæ, qui pro Roberto Rege Siculo Narbonensem administrabat, reclusi, utque electionem maturarent, coacti, post aliquot contentiones, septimo comitiorum die XIII. Kalend. Januarii, in vigilia sancti Thomæ Apostoli, omnium infimum, doctum tamen virum, casu, nullo præhabito consilio, in Pontificem elegerunt. Is fuit frater Jacobus Fur-

Furnerius in Pontificatu Benedictus XII. nuncupatus ex Provincia Tolosana, oppido Savarduno ad Aurigam amnem, diœcesis Appamiarum, ignobili genere, patre Guillelmo molitore ortus, sicut & Joannes prædecessor sutore veteramentario. At ignobilem esse Pontificem nihil obest, dum multarum splendore virtutum eam sibi acquirat nobilitatem, quæ magis requirenda est in Principe Ecclesiastico, quam mundana & pomposa prosapia. A juventute monasticam vitam Cistercii professus, Parisiis sacris litteris operam dedit, ubi doctoratus laurea suscepta, Abbas Montisfrigidi, deinde Episcopus Appamiarum, mox Mirapici, demum Presbyter Cardinalis sanctæ Priscæ a Joanne Pontifice creatus est. Inopinatam sui electionem admiratus, rem præclaram, post tot contentionum dissidia, fecisse Cardinales ironice dixit, & asinum in Papam elegisse. Id tribuunt aliqui ejus humilitati, & abjectæ sui opinioni: alii præsagio referunt, quamquam enim doctrina & vitæ integritate præstiterit, hebetioris tamen fuit ingenii, & aulico instituto minus idoneus. Eligitur Benedictus XII.

IV. Ut ad facta Ordinis redeamus, insignis fuit hic annus quorumdam martyrum agone, & aliorum virtute illustrium natalitiis. Præmittimus infirmi Fratris, & fortissimi martyris præclarum martyrium. Frater Stephanus de Hungaria in civitate Saray Imperii Tartarorum, & Vicaria Aquilonari, de Ordinis scenam ingressus, & hominis & martyris personam mira egit varietate. Certabant in ipso quasi ad æmulationem dæmonis invidia, & divinæ miserationis bonitas: infirma propensio, & gratia; ex transfuga factus illustris Christi confessor, & quod, diabolo suasore, in publicam fidei contumeliam, & scandalum attentavit, Dei gratia & sapientia conversum est in cœleste artificium, & ejusdem fidei altius prædicandæ, ac miraculis confirmandæ solemnem apparatum. Casus hic est divinæ virtutis, quo diaboli technas & illusores suos Dominus illudit. Egregium spectaculum, vidente Diocletiano, exhibuit Genesius Mimus, cum mysteriis Christianorum in theatro illuderet, deinde serio mutatus egit, quod antea jocis actitavit, perfecte factus Christianus & martyr: quod Ardelioni mimo pariter contigisse Ecclesiasticæ tabulæ perhibent, sicut & Discoro Architheatro scribit Augustinus. Ita profecto & hunc athletam, quem sui nominis confessioni destinavit, fraudibus dæmonum irretiri permisit Deus, ut ex desertore publico statim ad feria conversus, fieret etiam ejusdem fidei testis publicus, & nomen quod ex maleficio acquisivit in fidelium confusionem, mox in majorem concursum fieret audiendæ, & defendendæ virtutis Christianæ. Eodem in loco, eodemque pene tempore, quo lapsus conversionem excepit, & Mahometicæ perfidiæ assumpta larva, seminandæ fidei magis quam evellendæ conventum populi majori frequentia evocavit.

Fr. Stephani de Hungaria martyrium.

Diaboli artes Deus sæpe eludit.

Prov. 3. 34.

Vide Baron. an. 303. n. 118. Martyrolog. 14. April. Aug. epist. 67. ad Alippium.

V. Monemur proinde in domum figuli cum Jeremia descendere, & ibi audire verba Domini: *Descendi*, inquit, *in domum figuli, & ecce ipse faciebat opus suum super rotam, & dissipatum est vas, quod ipse faciebat e luto manibus suis; conversusque fecit illud vas alterum, sicut placuerat in oculis ejus, ut faceret, &c. Numquid sicut figulus iste non potero vobis facere domus Israel, ait Dominus, &c.* In quem locum Epiphanius. *Attende enim, quomodo, velut dixi, postquam transgressus esset homo, magna illa manus non probavit in contentionem relinquere suum opus vel adulterinum, cum diabolus illud injuste ex invidia læsisset: sed liquefactum emollivit ipsum rursus in lutum velut figulus, reformans ipsum, quo per reformationem omnes in ipso turpitudines, & confusiones deleantur, ut ipsum totum complacens denuo irreprehensibiliter fiat, &c.* Ita factum esse cum hoc præclaro agonothe-

Jerem. 18. 2.

Epiphan. lib. 2. hæresi 64.

theta martyrii acta testantur, quæ fusius exscripsit auctor Anonymus, excepitque ab iis, qui agoni præsentes fuerunt, & ex fide omnia minutim retulerunt.

Chron. antiqua Marian. lib. 4. c. 10. Marc. lib. 8. c. 34. Rodulp. fol. 129.
Stephanus ubi natus?
Minorita factus, quas pertulit dæmonis molestias?

VI. Natus est Stephanus in Hungaria: locum nativitatis designant aliqui Narodin, qua de causa Nardinum appellat Rodulphus: sed magis Varadinum dixerim, ab oppido sic dicto Varadino Petri, in tractu Sirmiensi, confini Belgrado, aut non longe distante, quod Ecclesiæ cessit Colocensi. Adolescentiori ætate, incertum ubi, Institntum Minorum professus, annorum factus viginti qninque, & ad presbyterium admissus, tamdem in Conventu sancti Joannis, tribus a Saray civitate milliaribus disjuncto, lubricæ conversationis suspectus, disciplinæ subjectus est & carceri inclusus. Hinc visibilis illi cum dœmonibus lucta, qui apertis claustris fugam suadebant, & quandoque per vim impellebant: quorum importunitatem sibi diffisus, ad Fratres refert, rogans ut sollicitudinem non vacuam custodiæ adhibeant, ne forte sibi permissus tentationi succumbat, quæ secessum a fide etiam obtruderet. Nocte quadam victus, diabolo eum per fenestram propellente, cessit, liber tamen, casu, seu Dei potius interiori admonitu, retro ad crucem in turre campanaria eminentem, & simul ad cor conversus, decussa tentatione, vias suas reprehendit, Domini pro se mortem & passionem recolens: *Quomodo*, inquit, *Dominum meum, qui pro me talia pertulit, negare possum? non negabo:* & explosis dœmonibus, defectionis auctoribus, atque in visibili forma comitibus, substitit. Sequenti autem die cum antea in horto, concepto ex fuga metu, latuerit, ultro quærentibus Sodalibus se obtulit, seriem fugæ & tentationis, injectumque divina gratia impedimentum sincere aperuit, rogavitque instanter sui curam & vigilias observari, tot impugnationibus hostis imparem se agnoscens.

Transit ad sectam Sarracenorum.

VII. Superiores interim inde in tutiorem custodiam ducendum ad Conventum Caphæ curarunt: sed comitem cunctanter & neglectius munus exequentem, maligno spiritu denuo exagitatus, fefellit, dilapsus ad Saray civitatem, familiari cuidam Sarraceno & Mahumeticæ sectæ defectionis consilia communicavit: ille approbavit, retulitque quam primum ad summum inter ipsos in religione magistratum, quem Cadi appellant. Cadi autem hanc occasionem ex invidia & concepto veritatis odio, velut per manus datam non contempsit, plurimum inde emolumentum accedere sperans, suæque sectæ confirmationem, quod vir religiosus & Sacerdos, illiusque Instituti, cujus in Tartaria notus inter infideles progressus, & Evangelii propagatio cum fructu vigebat, neglecto Christo, Mahumeticæ legi accederet. Stephanum ergo amplexatus, & osculatus bono esse animo jubet. Interim insequentis diei festum, quod solemne Sarracenis fuit, & lingua eorum Mereth appellatur, receptionem ejus distulit, quo majori applausu & concursu initiaretur in scandalum Christianorum. Tempus ipsum & occasionem defectionis idoneam diabolus captavit: nam fuga Stephani in illius solemnitatis vigilia contigit, quæ tunc erat feria v. hebdomadæ sanctæ.

Magna pompa profitetur Mahometismum.

VIII. Sequenti ergo feria sexta, quando conventus ex condicto frequentius habebatur in fano, quod inter eos Mesquitæ nomen sortitur, Stephanus inducitur, fidem abjurat, profitetur Alcoranum, Mahometo & sectatoribus publica confessione adhæret; exuitur habitu Monastico per ipsum Cadi, quem ex contemptu pedibus calcat & conspuit, induitur purpura & vestibus pretiosis, auro intextis; adjicitur spes & promissio honorum & divitiarum, quo in tironis animo prioris Instituti memoria omnis aboleretur, & laxaretur ad illicita per copiam, qui parcimoniæ & angustiæ monasti-

ſticæ pridem conſuevit. Converſus illico ad Sarracenos idem Cadi: *Lætari*, inquit, *oportet, ex acceſſu talium virorum, qui in lege Chriſtianorum doctrina & conſtantia inter ceteros eminent*. Spargitur per totam Civitatem fama de converſione cujuſdam magni Sacerdotis Chriſtianorum ad Sarracenismum; fit concurſus undecumque; inſtituitur pompa; Stephanus in equum paratum & phaleratum ſublevatur; conſcendunt & Magnates Sarraceni officii cauſa equos; præferuntur vexilla, & inter alia habitus Stephani pendens in haſta ceteris altius ad oſtentationem levatur; canitur tubis, & ita per totam civitatem pompa ducitur cum magno Sarracenorum applauſu, Chriſtianorum vero inſigni mœrore, quorum tanta fuit confuſio & maxime ſodalium, ut turbæ ſe ſubducerent cum lacrymis exſibilati, nec aliud tum conſilium, ob imminens periculum commune reliquorum Chriſtianorum attentare auderent.

IX. Hucuſque vas illud in contumeliam, arte diaboli ex manibus artificis delapſum, & confractum eſt: ſed mox Dominus illud aſſumens, in honorem reformavit. Stephanus namque videns confuſionem fidei, & ſcandalum ſubortum, Fratrumque ſuorum afflictionem, dum inter ceteros ſublimis obequitaret, & ipſe interius, facti pœnitentia concepta, moveri & conturbari cœpit, Deo tangente cor ejus, nec applauſus infidelium, & lætitia æſtum mentis temperare potuerunt, quin exterius prodiret interioris motus & redivivus ad reſipiſcentiam animus; cujus hoc ſignum edebat. Quando Sarraceni inſtabant, ut elevato digito uno, confeſſionem unius Dei monſtraret, ille primum unum oſtentabat, & mox tres ad deſignandum trium perſonarum in una deitate convenientiam. Habitabat tunc in eadem civitate quædam matrona nobilis Armena, Fratribus & Eccleſiæ Romanæ devota: hæc pluſquam virili animo, diſſimulato habitu, & facie in turbam ſe injecit, & novo profugæ equitanti appropinquans lingua Armenica (quam & Stephanus calluit, & mulierem novit) alta voce inclamavit: *Frater Stephane, utinam te brevi videro cauda equina per totam civitatem trahi ad ſupplicium in honorem & confeſſionem Chriſti, ſicut hodie in ejus contumeliam adeo ſublime equitantem cerno*. Hoc verbum prudentis mulieris factum eſt in corde ejus velut ſagitta acuta. Poſtmodum inſtruuntur epulæ magno apparatu: ſed is ne guſtare quidem poterat. Interrogatus, *quorſum?* Reſpondet ſe ſpiritu Mahometi plenum. Ducitur domum, cuſtodiæ ejus dato uno Sarraceno inſtructore legis. Facti pœnitet.

X. Interim quidam frater Michael, per ſervum Fratrum, Henricum nomine, clam mittit litteras admonitorias, quibus acceptis, fingens quaſdam eſſe inſtructiones juvandæ memoriæ idoneas, reſpondit in hanc formam: *Peccavi ſicut Judas, non tamen, ſicut ille deſpero. Noveritis ab errore Dei gratia me converſum. Si latere abſque periculo veſtro poſſum, carceres perpetuos ſubire paratus ſum: ſi ſecus, colloquium deſidero, ut pro Chriſto publice occumbam, quem ſic publice abjuravi*. Ad hæc Fratres ex parte læti, ex parte dolentes, inter ſpem, metumque cunctabundi hærebant, ne quidquam accideret in detrimentum populi Chriſtiani, ad deſolationem Eccleſiarum. Sequenti die Sabbati iterum ejus animum tentarunt, internuncio eodem famulo, ut explorarent conſtantiam propoſiti. Is Stephanum ad ripam fluminis mœrentem, & dolore adeo abſorptum reperit, ut vix trementibus labiis loqui poſſet in hæc pauca: *Heu, heu Henrice peccavi, peccavi: patres admoneas, ut propter Deum huc cras adveniant, animæ meæ curam acturi*. Illi ſubmiſerunt ut ſequenti die, qui fuit Dominica, in domum cujuſdam Petri Chriſtiani, qui hunc ipſum Stephanum in filium adoptavit, clam ſe ſub-

subduceret, quo liberius & sine discrimine liceret alloqui. Monita exequitur, & ejusdem Petri advolutus pedibus veniam cum lacrymis supplex exposcit, rogans quamprimum patres advocari. Venit illico frater Petrus Bononiensis Guardianus cum aliis, quibus visis humi prostratus, veniam defectionis rogat, & recipi ad pœnitentiam & communionem, tantis singultibus & lacrymarum copia, quæ præsentes omnes ad fletum provocaret, & deplorandi lapsus ejus compassionem. Secedentibus reliquis, post verba consolatoria, conscientiam, facta exhomologesi, coram Guardiano expiat cum maximo ejulatu, ut etiam a procul stantibus audiretur, neque alioquin vocem cohibere poterat, tantum in sui ultionem divina gratia spiritus ejus intumuit, & præteriti delicti horrore percussus modum in planctu non inveniret, nec alio contentus esset, donec veram Christi confessionem sanguinis effusione redintegraret: *Filius*, inquit, *æternæ mortis sum, nisi pro Christo moriar: nihil eunctor, nihil vereor: superest apud me habitus religionis, vultis ut abjectis profanis, in illo solo comparearn?* Respondit Guardianus, subtus indueris habitu, coram Cadi apparebis, & facta fidei professione, dissecabis & distrahes profanum novitatis tuæ indumentum, & sic apparebis verus frater Minor mente & cuculla. Exposcit deinde supplex Dominici corporis sacramentum: *Crede*, inquit Guardianus, *& manducasti: nec enim alioquin in ea veste, quam geris, auderem sacramentum Dominicum tibi offerre, nec tam cito ante condignam satisfactionem & pœnitentiam opere completam, lacrymæ impetrabunt & desiderium, quod ex legitima causa subtrahitur: crede firmiter, & confide in Domino, quia ipse tecum erit tamquam bellator fortis.* Rogat ille, ut Evangelium sancti Joannis: *In principio erat verbum*, super caput ejus legeretur, quo lecto, cum lacrymis se commendavit orationibus Fratrum: *Orate*, inquit, *pro me, quia ad certamen accedo.*

XI. Ita valedicens, & in Domino confortatus, habitum, quem domi servabat, sub purpura induit, ut præscriptum est. Die vero Lunæ ante meridiem spiritu plenus fanum Sarracenorum, in quo ferme decem millia Sarracenorum convenerant, ingreditur. Intranti ex officio nobiliores assurgunt; ipse vero ad suggestum accedens, silentium manu indicit, omnibus suspensis & expectantibus aliquam de more concionem audire in suæ superstitionis confirmationem, ut qui de ejus scientia præsumebant, & blasphemiis in Christum aures patulas habebant, atque ita exorsus est: *Ego*, inquit, *per viginti quinque annos nomen Christo dedi, legem ejus vidi nihil mali continere, esse salutarem & veritatis plenam, inter Sarracenos per tres tantum dies apostata existens, mala omnia & mendacia regnare comperi, legem vestram, superstitionem, & mendacium & peccatum esse: Mahometem autem Legislatorem pseudo-prophetam & seductorem. Confiteor itaque Christum verum esse Dei Filium, & Salvatorem mundi, & beatam Mariam matrem ejus, semper Virginem, vestram superstitionem tota intentione & animo abjuro & detestor.* Quibus dictis, vestes Sarraceni ritus excidit & abjecit, & in solo monastici Instituti habitu, quem subtus gerebat, permansit. Insurgunt ad hæc in ipsum Sarraceni, lapidibus, fustibus, & quibuscumque ad manus oblatis, alapis, pugnis, calcibus contundunt, & protundunt. Exclamat Cadi, ut occisioni ejus supersedeatur, & ex lege reservetur flammarum incendio. Manibus ergo ligatis, in custodiam in domum ipsius Cadi protrahunt, & ad vesperam usque tormentis fatigant, quem ex contusione & pœnis debilem, & quod nihil tribus pene diebus ex concepto sui casus mœrore gustaverit, relinquunt in sequentis diei spe-cta-

In legem Mahometis audacter invehitur.

Male afficitur.

ctaculum. Cadi noctu ad eum accedens temeritatem damnat: *Quis genius,* inquit, *malus, huc te sponte adegerat? non coactus venisti, quid officii in te prætermissum est a nobis, ut tam cito resilires, & in legem & prophetam nostrum blasphemus existeres?* Ad hæc Stephanus: *Recte dicis: malus enim genius deceptor & seductor mihi fuit, ut Deum & Dominum meum, fidemque ejus desererem, sicut vester Mahometus spiritu maligno possessus, vos sine dubio seduxit, damnationis & mortis reus, sicut & ejus sectatores.* Ad hæc inflammatus Cadi, eum denuo tortoribus subjecit, quem loris arena refertis & plumbatis usque ad animi & virium deliquium ceciderunt, & semivivum in equuleo ex manu & pede dextro suspenderunt, appensis ponderibus & lapidibus ex altera manu & pede sinistro, totoque corpore, & sic tota nocte in agone certavit.

XII. Sequenti die, qui fuit feria III. accedunt, & stupefacti vivum reperiunt, deponuntque. Imperatrix autem Tartarorum, filia Imperatoris Græcorum, eidem compassa submisit alimenta, quibus refocillatus vires resumpsit. Cadi sub noctem advenit, & in fide constantiorem inveniens, subdidit flagellis & scorpionibus sicut nocte superiori, & semivivum suspendi mandavit ex manibus, divaricatis pedibus, & extensis violenter quantum distrahi poterant, magnæ molis & ponderis truncum appendit, atque ita distentus totam noctem transegit. Sequenti die depositus in præsentia Cadi, & interrogatus, si vitam redimere vellet & tormenta, per veram professionem legis, alioquin sequenti nocte crudelissimam mortem operiret? Respondit invictus Christi athleta: *Ne cuncteris,* inquit, *in mortem & tormenta pro Christo paratus sum ire.* Nocte sequenti flagellatum sicut alias, chorda collo appensa suspenderunt, subtus magnum ignem accenderunt, ingerentes copiam fimi, ut fumo & flamma cruciatum suffocarent, & jam mortuum putantes, in carcerem quasi exanime cadaver neglectim projecerunt.

Variis torquetur tormentis.

XIII. Interim sequenti aurora duæ Sarracenæ ejus tolerantiam, & in tormentis longanimitatem audientes, ex curiositate muliebri, & quodam naturalis compassionis instinctu ad carcerem veniunt, & prospicientes per rimas, vident totum magno splendore divinitus illustratum, fratrem Stephanum flexis genibus solutum & orantem, restauratis integre viribus, & duas columbas albas, alteram hinc, alteram inde humeris ejus insidentes. Prodigio obstupefactæ rem ad Cadi deferunt: hic territus nuntio, & ipse ocius accedit, splendorem videt, Stephanum orantem, & vinculis solutum. Stupore ergo & metu plenus Gubernatori civitatis id narrat, & inops consilii, quid agendum? consultat; is respondit: *Tu videris, tuo consilio Sarracenum fecisti, tuo consilio reliqua de ipso dispone. Ego causæ non interveniam, quæ sine me initium & progressum, te auctore, habuit, habeat & exitum.* Cadi itaque anxius mentis, & de exitu sollicitus, libentius dimisisset, si populi timor & scandalum transgressæ legis permitteret; ex altera parte secundum legis scriptum flammis adjudicandum putabat. Verebatur tamen aliquod insolitum prodigium suboriri posse ad populi motum, ut qui jam expertum habebat, eum divina virtute tormentis superiorem evasisse, quid si in publico eadem probanda esset majori periculo, & flammis eriperet, quæ alias applicatæ nihil nocuerunt, atque hac ratione animum populi captare posse prodigiis, & inde magnum subesse mutandæ religionis periculum. Ceterum in publica injuria legem contemnere nequaquam ausus, ex præscripto illius agere decrevit: suspicio tamen miraculosæ evasionis illum in omnem partem sollicitum trahebat, ideoque ad dolos conversus specie qui-

Digna luce splendet.

quidem adimplendæ legis struem publico in foro congerendam mandavit; interim fornacem incendi clam præcepit, cui a foris clausæ includeretur. Visa illa strue lignorum, fama & rumor Stephani comburendi magis percrebuit.

XIV. Fratres de eventu solliciti, ne forte cederet tormentis, & inde scandalum augeri posset, frater Petrus Guardianus, & frater Guillelmus de Aquitania ejus visendi & hortandi causa, vestes ex ritu Sarracenorum desuper induti, ad carcerem accesserunt, eo etiam animo, ut si in quoquam ex metu & infirmitate titubaret, se comites ad supplicium pro fide offerrent, eumque suo exemplo sublevarent, portam carceris apertam, Sarracenos ingredientes, atque egredientes ipsi insultantes, repererunt, quibus ipse raro aut nihil respondebat. Frater Guillelmus alium se simulans ad Sarracenos (qui variis quæstionibus Martyrem Christi pulsabant, quibus ex contemptu nihil respondebat) *Forte*, inquit, *vos nequaquam percipit, voce patria interrogatus, respondebit promptius*. Et conversus ad Stephanum: *Quorsum*, inquit, *non respondes alacriter?* quem ut respexit, & simul Guardianum propius accedentem, conversus ad Sarracenos: *Quid me*, inquit, *sine fructu interrogatis? dixi quod expedit majoribus vestris, vos in superstitione versari, sectam vestram fallacem esse, in solo Christo ejusque doctrina salutem inveniri*. Quibus dictis, signum fecit Guardiano, & socio, ut se turbæ subducerent, de cujus constantia securi, discesserunt, & oblatis sacrificiis illo die omnes Fratres agonem ejus sollicite Domino commendarunt, præsertim sanctissimæ Virgini, & beato Patri Francisco, quorum missas recitarunt votivas, adjicientes alia suffragia. Illo die inducias a tormentis gravioribus habuit.

XV. Sub noctem Cadi accessit cum Ministris flammas sequenti die minitans, nisi votis consentiret: respondit: *minas tuas non timeo: perfice quod inique concepisti; studeo complacere voluntati Domini mei Jesu Christi*. Hæc audiens Cadi præcepit eum intrudi in fornacem eo sine accensam, & os ejus a foris obturari. Ita factum est, illo cum Ministris ad custodiam spectantibus, donec jam consumptum penitus putarent; deinde quasi re peracta, discesserunt. Sed Christi martyri fornax illa in Templum conversa est, & ignis in balneum tepefactum, totamque noctem in Christi laudes transegit orans & psallens. Mane autem illucescente, vocatis Ministris, Cadi præcepit, ut fornacem aperirent, & si quæ ossa illius desertoris, aut cineres superessent, diligentius scrutarentur, colligerent & absconderent, ne suis in cultum superessent. Accedunt illi, fornacem aperiunt, & quem pridem in cineres conversum existimarunt, inveniunt in oratione vigilantem, & leviter quasi in balneo sudantem. His auditis stupefactus Cadi expavit: *Miraculum Dei*, inquit, *est: ille mori non debet*. Ad hæc accensi Sarraceni, respondent: *secundum legem incendio & igni tradi oportet, quia legem contempsit; si volueris liberare, ejusdem mortis & pœnæ reum te cum ipso facis, uterque interficietur*.

Ignis evadit incendium.

XVI. His commotus Cadi, iterum ad Gubernatorem accessit, totum eventum narrat, consilium exposcens, cui ille non secus ac pridem respondit: *Non me immisceo*, inquit, *neque ullum mihi lucrum esse posset ex illorum Fratrum execratione, sicut nec fratri meo fuit, quem execrantes subito in delicti pœnas traxerunt non diu superstitem*. Deductus est interim Stephanus in custodiam publicam ad mortem damnatorum. Sarraceni nocte plures armati supervenerunt, neque patientes moræ, nec absentem custodem expectantes, dolabris & fustibus portam, excussis postibus & cardine, evulserunt

par-

partim, partim exciderunt, & ingressi cum tumultu: *Ubi* inquiunt, *ille, qui nostram legem destruit? alterum e duobus sine mora elige, aut mori cum Christo, aut in nostra lege vivere*: Ad hæc athleta Christi nihil cedens: *Sacerdos*, inquit, *Jesu Christi sum, non moror. Lex vestra superstitio est & damnatio, lex Christi vera & salutaris, pro qua libenter moriar*. Tunc unus securim in collum ejus adegit impacto lethali vulnere: alter ventrem gladio transfodit, ita ut viscera apparerent: sed alii clamant igne perimendum. Supervenit ad hæc Cadi, quem sponsionibus, & blanditiis aggreditur, sanitatem & medicinam spondet, adjungit filiæ nuptias, cum magnis divitiis & honoribus: objicit honorem impensum & officia a quibuscumque Sarracenorum magistratibus, sponte nomen dedisse sine sollicitatione, aut coactione, & alia multa. Ad quæ ille intrepidus paucis respondet: *Tuam nolo filiam & pecuniæ tuæ tecum sint in perditionem: de corpore hoc statue quod placuerit*.

XVII. Die igitur sequenti, qui fuit sabbati, facto per civitatem tumultu, exposcitur ad pœnam. Tunc Cadi lata sententia flammis addixit. Educitur, denudatur, caudæ equinæ alligatur, ne devotæ matronæ, quæ hoc ipsi precata est, preces non exauditas quispiam negligeret, quamquam & hæc talis noxæ reis ex usu contumelia accedebat. Tunc martyr successu exhilaratus, non segniter ad bravium in stadio cucurrit. Etsi enim ventre & collo lethaliter vulneratus, tot dierum inedia, & gravissimis tormentis exagitatus fuerit, ad robur animi & corporis omnia cessisse videbantur. Non solum enim non titubavit gressu, aut defecit sub pondere, sed exultans & psallens equum antevertit, quod omnibus stupori, fidelibus vero miraculo fuit, infidelibus autem furoris & irarum fomes, unde accurrentes undecumque fustibus absque misericordia cedunt, ita ut toto corpore sanguis emanaret, & incruentum nihil appareret. Quidam leno eidem auriculam excidit, pretio detrahendam cauponi, præ cujus officina ducebatur: dixerat enim ex contemptu & rabie se quovis pretio empturum aurem illius perfidi Christiani. Pretio acceptam in ignem præ foribus accensum projecit: illæsa tamen prosiliit, non sine miraculo, in sinum cujusdam Christiani casu adventantis: quam is detulit ad Fratrum Monasterium. Amputatur ei auricula.

XVIII. Ductus interim Stephanus ad incendii locum, gratias agens Deo, oravit in hæc verba: *Domine*, inquit, *Jesu Christe, pater misericordiarum, concede ut propria manu mihi ipsi signum crucis impertiar, antequam ingrediar flammam paratam*. Statim miraculose solutis vinculis & decidentibus, signo crucis seipsum muniens, & in confessione nominis Christi ignem sponte, non protusus ingreditur. Ad contactum tamen invicti athletæ fuit extinctus, neque corpori flamma potuit nocere. Hoc miraculum furorem incussit Sarracenis; demum calamos siccos congerunt, obliniunt cebo, atque ipsius etiam corpus, quo facilius arderet, manus vinciunt. Sed cum propelleretur in ignem, vincula iterum soluta sunt, & signum crucis impressit. Denuo ad ejus contactum ignis extinguitur sine corporis læsione. Exclamat ergo in confessione Domini potentiam, & misericordiam ejus plena voce & mentis jubilo exaltat. Deinde insultat infidelibus: *Væ vobis*, inquit, *Sarraceni, quia confusi estis; vobis prædico, ignis iste vester mihi non dominabitur vivo*. Quibus auditis, gladiis, securibus, hastis, lapidibus, eminus, cominus eum invadunt, & tandem in confessione nominis Jesu Christi constans & exultans gloriosus martyr vulneribus confossus & laceratus gloriose occumbit hoc ipso anno die XXII. Aprilis. Corpus ejus rogo traditur, ut nullæ reliquiæ superessent; sed paucula ejus ossa incendio re-

Denuo ex igne egreditur illæsus.

Iterum ignē extinguit.

Tandem gloriose occumbit.

relicta collegerunt Christiani. Eadem nocte & duabus sequentibus luminaria de cœlo supra locum incendii visa sunt, non modo a Christianis, sed etiam a Judæis & Sarracenis, & postea ipse pluribus coruscavit miraculis. In quo magnum certe divinæ miserationis & gratiæ exemplum exhibetur, ne quisquam sibi ex dono confidat, aut certe ex lapsu divinæ bonitatis diffidat, cernens idem vas in contumeliam quandoque permitti, quandoque vero in honorem purgari, cecidisse ex confidentia Petrum, ex desperatione Judam. Sed hujus rei neque documenta desunt, neque exempla. Scripserunt de hoc glorioso Martyre, præter Anonymum, quem diximus, auctorem, Bartholomæus Pisanus, Chronica antiqua Ordinis, Marianus Florentinus, Marcus Ulyssiponen. Petrus Rodulphus, & alii. Ejus mentio honorifica infra occurret in epistola fratris Pascalis Victoriensis.

Ann.1342.

Chron. antiqua. Marian. citat. Marc. cit. c. 40. Fr. Dominicus Hungarus martyr. Frat. Guillelmus Anglus Martyr.

XIX. Hoc etiam anno, scribunt Chronica antiqua Ordinis, occisum a Tartaris, & vivum decoriatum Hungarum alterum fratrem Dominicum, qui in tormentis laudes decantabat Deo, quod dignus sit habitus, qui pro nomine Jesu tormenta pateretur. Circa hoc tempus in Salamastro Sarracenorum villa & Vicaria Aquilonari, & custodia Claurensi passus est illustre Martyrium frater Guillelmus Anglus, dum Mahumetanis Christi fidem prædicaret, eorumque legem spurcissimam exprobraret. Conjectus in carcerem clamante & furente populo, educitur in publicum & interrogatur, an quæ dixit in Mahometem, vellet retractare? Ille silentium manu indicens, quasi ad votum illorum dicturus, intrepide respondit, solam Christianorum legem & fidem veram esse ac salutarem, Mahometanam autem falsam & mortiferam. Ad hæc omnes infremuerunt, & clamaverunt, vilissimum porcum Christianum debere perire; statimque unus ex eis gladio latus ejus perfodit. Guillelmus vulnere constantior, manu vulnus fovens altissima voce cœpit Sarracenis insultare, & fidem Christi commendare. Illi e contra majori furore agitati impetum fecerunt unanimiter in eum, & crebris vulneribus occiderunt. Ubi conditus sit, aut quid de ejus corpore actum sit, non est qui recenseat.

Marian. lib. 4. c.10. Marc.2. par. lib. 8. cap.41. Fr. Michaelis Magothi virtutes.

XX. Obiit hoc anno in provincia Aquitaniæ, & Conventu Tolosano frater Michael Magothi, professione conversus, vitæ laudabilis, in oratione assiduus, vir rigidæ pœnitentiæ, & cultor paupertatis. Cibus fuit panis & aqua, habitus rudis, sub quo cilicium gerebat, cella sacellum Virginis in Ecclesia, lectus scabellum cui incumbebat, aut pavimentum, prout sors ferebat, quando in continua vigilia necessarius somnus obrepebat reluctanti. Nudipes semper incessit, rigente etiam hyeme. Nullum illi tempus in vigiliæ sine oratione elapsum, quam vel flexis genibus vel stans aperto capite persolvebat, numquam sedit nisi in mensa & refectione, vel gravatus infirmitate corporis, & deficientibus viribus. Hunc etiam in extrema senectute rigorem non intermisit.

Dæmon ei frequenter insidiatur.

XXI. Ejus progressibus & potissimum orationi miris artibus virtutis hostis dæmon obstrepebat. Cum semel in sacello Virginis nocte profunda orationi & rerum cœlestium contemplationi incumberet, in forma musculi ex laqueari descendit per funem, quo oleum lampadis absorberet. Sed vir Dei manibus complosis abegit, ad quem Satan humana voce: *Sufficit mihi, ut cursum orationis absciderim*. Alia item nocte ad extremum chori subintravit dæmon in specie Ministri Provincialis, & quasi divinum officium submurmurans, genua flexit ante cancellos altaris prope servum Dei: quem ut statim per spiritum recognovit, arrepta cuculla per caputium: *Non es tu*, inquit, *probus sicut ille, cujus assumpsisti formam, seu larvam*. Quibus dictis

ctis, in fumum evanuit. Nocte qualibet, per omnia Ecclesiæ sacella & altaria, assumpta in humeris magni ponderis cruce, prolixas stationes distribuebat, & corpus in memoriam Dominicæ passionis, usque ad sanguinis effusionem, sine remissione cædebat.

XXII. Quantum autem Deo placeret servi sui in humilitate & oratione famulatus, signis ostendit. Cum Fratrum culinæ præfectus, die quadam Dominica altius orationi absorptus insisteret, nec alioquin suæ curæ memoria ulla subvenerit, dum Fratres Missam conventualem in choro cantarent, a quopiam admonitus, tempus instare refectionis, nec quidpiam paratum esse; ille quasi expergiscens, sibi redditus culinam solus est ingressus, clausaque porta, ferventi oratione impetravit, quod sollicitudini defuit. Peracta autem Missa, omnibus paratis monuit, ut signum ad refectionem daretur consuetum, & stupentibus cunctis, comprobavit sollicitudini nostræ, & rebus curandis non subtrahi, quod orationi adjicitur, cum ipse Dominus per orationem inclinatus, ex thesauro suæ misericordiæ & virtutis omnia cumulatim & per centuplum rependat. Romam petens, a latronibus habitu spoliatur, quem, ut cilicio cinctum viderunt, compuncti restituunt. Ille autem exultans in spiritu: *Filii*, inquit, *vobis maneat si eo indigeatis*: illi vero suffragia orationum poscunt, habitu restituto. Quidam ex concepta pietate rogavit, ut ei rosarium quo pensum Deo reddebat, continuæ orationis, tribueret; quod accipiens, laxato dolio, quod vinum transmittebat, superimposuit, & sic continuit, ut ne gutta efflueret. Ab adolescentioribus rogatus, qua norma capescendum esset perfectionis iter? *Filii*, inquit, *toto corde perficite, quod faciendum Deus primum aperuit: mox plena fide replicate: Domine quidquid faciendum docuisti, feci, si vis ut amplius in opere progrediar, tu ipse doceas, & paratus sum exequi. Tunc ipse Doctor Doctorum ceteris altius instruet.* Profunda sane Theologia, & idonea proficientibus servorum Dei regula, ut pulsent, quærant humili corde, & inveniant. Alteri etiam quærenti opportunum consilium, respondit per parabolam. Ille sæpius in vocatione, Deo præveniente cor ejus, dulcedinem sentiebat, quam mox orationi incumbens amittebat. *Frater*, inquit, *tibi nihil cogitanti & vacanti, per forum occurrit, qui vinum vendat, ut emas invitat, & quam sit pretiosum poculum propinat, ut magis ex sapore & colore ad emendum alliciat: ut probes liberaliter invitat, ut emas, avare vendit, & caro pretio. Ita Dominus Jesus te feriantem, & vagum nunc in lectione, nunc in concione, nunc occulta inspiratione diligenter invitat, ut gustes, quam suavis sit Dominus, cælestis dulcedinis modicum cordis ori ingerit; sed transitorium hoc est, quod non ad ebrietatem aut satietatem, sed ad allectamentum offertur; unde si amplius expetas vendibile est, & oportet, ut emas sed care; quia dulcedo spiritualis non nisi afflictione corporis, & requies labore comparatur.*

Mirabiliter Fratribus cibum ministrat.

Detractum habitû restituunt latrones.

Ejus rosarium miraculosum.

Illius documenta spiritualia.

XXIII. Quidam frater Vitalis negligens confessionem usque ad extremum terminum, in actu ipso expiravit. Expavescens & sollicitus de salute defuncti Pater Guardianus, accessit ad fratrem Michaelem, etiam lecto decumbentem, dicens; *frater Michael vide ut frater Vitalis expiravit.* Respondit senex: *Pater scio, scio*, inquit, *sed magnum evasit periculum quod imminebat ob neglectam confessionem*, *quid*, inquit Guardianus, *ergo sospes est?* frater Michael respondit, *sospes pater, quia voluntatem ejus Deus non sprevit, sed reus est gravium pœnarum*. Tamdem vir Dei devotus, luminibus orbatus, variis laboribus & infirmitatibus examinatus, ad Dominum migravit. Quo audito, per urbem factus est maximus concursus populorum,

Moritur Tolosæ.

rum; hinc inde habitum pii Viri dissecant, & vix sepulturæ dari potuit, ob frequentiam irruentium. Sepultus in facello sancti Thomæ Apostoli, multis post mortem miraculis claruit.

Marian. citat. Florent viri pii, Fr. Richar. & Fr. Guillelmus. Fr. Joan. de Vallibus.

XXIV. In eadem Aquitaniæ provincia virtute & pietate claruerunt quidam frater Richardus Aureliaci in custodia Ruthenen. & frater Guillelmus ad sanctum Africanum in eadem custodia sepulti, miraculis clari. In Provincia sancti Francisci gloriose emicuit frater Joannes de Vallibus vita & sanctitate admirabilis, zelator præcipuus sanctæ paupertatis. Hic post multas ærumnas, a laxioris vitæ sectatoribus illatas, tandem obtinuit a Generali Ministro asperrimum locum de Pisquia, sive de Bruliano, ad collem floridum & Serravallem, Provinciæ sancti Francisci, custodiæ Spoletanæ, inter Fulgineum & Camerinum, ubi cum Fratribus sibi adhærentibus vixit in regulari obser-servantia & maxima vitæ perfectione. Consiliarios & amicos habuit Fratres Angelum Clarenum in ultima senecta, & Gentilem de spoleto, viros pios & doctos, & cooperarium successivum in restituendo Ordinis nitore, fratrem Paulutium Fulginatem. Obiit in præfato loco Pisquiæ an. MCCCLI. miraculis clarus. Perseverarunt in prædictæ observantiæ rigore aliqui ex ejus discipulis, præsertim frater Angelus de Monte Leonis, & prædictus Gentilis socius, donec advenit prædictus Paulutius, qui feliciter inchoatum opus felicius promovit. In eadem Provincia & conventu Eugubii hoc anno decessit quidam Fratr. Thomas, virtute & miraculis illustris.

Fr. Thomas Eugubin. *Marian. citat.* FF. Florent. doctrina.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI. Fr. Petr. & Fr. Grimaldus Inquisitores.

„ In Provincia Tusciæ floruerunt, & hoc anno decesserunt duo illustres Viri frater Petrus, & frater Grimaldus Pratenses, quorum uterque in patria apud suos Consodales sepultus est, inscriptis his epitaphiis. *Hic jacet V. P. F. Petrus de Prato olim Cappellanus Dom. Joannis de Muro Cardinalis & Ordinis Protectoris, & Minister Provinciæ Tusciæ, & sancti Francisci, & Procurator Ordinis, & Inquisitor hæreticæ pravitatis. Obiit an.* MCCCXXXIV. „ In alio lapide Marmoreo: *Hic jacet V. P. F. Grimaldus de Prato, olim Minister Provinciæ Januæ, & Inquisitor hæreticæ pravitatis, vir tenax justitiæ, & magnæ constantiæ. Obiit anno* MCCCXXXIV.

Fr. Fortan. Vassal. Fr. Guillel. Farinerius. Fr. Joan. Buechius. Fr. Franc. de Fabrica. Fr. Guillel. de Podio. Fr. Joan de Mirabello.

XXV. Claruerunt etiam doctrina hoc tempore in prædicta Provincia Aquitaniæ frater Fortanerius Vassalli fratris Gerardi Ministri Generalis in officio successor, deinde S. R. E. Cardinalis; frater Guillelmus Farinerius, etiam Fortanerii successor & Cardinalis, custodiæ Caturcensis; frater Joannes Buechius ejusdem custodiæ, qui Farinerio in Ministerio successit; frater Franciscus de Fabrica Custodiæ Tolosanæ, ac Provinciæ sancti Francisci Minister, qui in partibus Auxitanis multa laudabiliter operatus est, potens in opere & sermone; frater Guillelmus de Podio ejusdem custodiæ & loci Castri novi facundissimus concionator; frater Joannes de Mirabello vir clarissimus ejusdem provinciæ, licet transierit ad eam quæ Burgundiæ appellatur. In Provincia Coloniensi magnum nomen obtinuit frater Joannes Blomendal egregius Ecclesiastes, quem inter præcipuos doctores, qui sub Joanne XXII. floruerunt, Ciaconus reponit.

Fr. Joan. Blomendal.

Pitseus de scriptor. Angl. Fr. Joan. Winchelseus. Fr. Richar. Coninglonus.

XXVI. In Anglia celebris est memoria fratris Joannis Winckelsæi Doctoris Oxoniensis & publici Sacræ Thelogiæ professoris: vitæ integritate conspicuus, ad Christianam aspirans perfectionem in ultima senectute Minoritis nomen dedit Sarisburiæ, sed ante expletum tirocinium apud eosdem diem clausit extremum; Fr. Ricardi Coningroni qui matura etiam ætate hoc Institutum amplexus, plurimum in virtute profecit, & Provinciæ Anglicanæ institutus est Minister. Acriter contra Occhamum Joanni XXII. refragantem scripsit, Pontificiam per omnia defendens auctoritatem. Ejus commentarium in Ma-

Magiſtrum Sententiarum vidi in Bibliotheca Vaticana. Obiit Cantabrigiæ anno MCCCXXX. Joannis Ridevalli,quem aliqui Franciſcanum, alii Auguſtinianum affirmant. Ad divinas litteras explicandas humanis, quas optime callebat, ubique utebatur, qua ratione tamquam miniſtras faciebat ſacræ Theolgiæ ancillari, & quaſi detractis Ægyptiorum ſpoliis, Dei templum ornabat. Ita ſane fit, ſi docte & prudenter fiat, ut ſacra Theologia his inferioribus ſcientiis, tamquam quibuſdam gemmis diſtincta reſplendeat, & ſua multiplici varietate lectoris animum oblectet. Multos eruditos auctores,tum ſacros tum profanos luculentiſſimis commentariis illuſtravit, & omnia quantum fieri poterat, vel ad virtutis amorem, vel ad vitii fugam convertit, quod vel maxime apparet in iis explanationibus, quas ad Mythiologias Fulgentii adhibuit.Guillelmi Alvewi patria Northumbrii,ex oppido nativo olim contra Scotos munitiſſimo, cognomen ſortiti, Doctoris & profeſſoris Oxonienſis,quem ad Epiſcopatum Juvenacienſem alias diximus aſſumptum. Vir erat pietatis & doctrinæ titulis inſignis, in omni litterarum genere optime verſatus. Obiit Avenione anno MCCCXXXII. Guillelmi Herbeſti, illuſtri Britonum familia in Wallia nati, inſtitutum Minorum amplexi apud Herefordenſes; inde miſſus ad Academiam Oxonienſem, in ſacra & profana Philoſophia plurimum profecit, & doctoratus lauream obtinuit; deinde quadrageſimus tertius Theologiæ profeſſor inter conſodales inſtitutus, obiit anno MCCCXXXIII. Hunc præceſſerat in lectione Theologica Frater Martinus Alvervicus,Guillelmi ſupranominati conterraneus, hoc Inſtitutum profeſſus in conventu Novi-caſtri, trigeſimus ſecundus inter ſuos prælector. Deceſſit anno MCCCXXXVI. Sepultus in prædicto tirocinii Monaſterio.

Fr. Joan. Ridevallus.

Fr. Guillel. Alvewicus.

An. 1330. n. 12.

Fr. Guillel. Herbeſtus.

Fr. Martinus Alvervicus.

XXVII. His accedunt frater Henricus Coſſeius, vel Coſteſaius, Oxonienſis Cœnobii alumnus, Philoſophus inſignis, cum primis ſui temporis conferendus, Doctor etiam & Profeſſor Sacræ Theologiæ. Vir acuti ingenii, qui mira induſtria Sacræ Scripturæ arcanos ſcrutatus eſt ſenſus, multos abſtruſos myſteriorum receſſus magna felicitate penetravit, & commentariis illuſtravit tanta fœcunditate, ut in ſolam Apocalypſim triplicem ediderit explanationem. Sepultus eſt apud Belwcllam prope Bujiam in Suffolcia an. MCCCXXXVI. Frater Guillelmus Nottongamus, prius Evoracenſis Eccleſiæ Canonicus, & Prædicator, demum Ordinis Minorum, & Theologiæ profeſſor, & mox Angliæ Miniſter Provincialis, fratrem Germanum habuit Auguſtinum ejuſdem Inſtituti, quem Clemens V. teſte Pitſeo, Epiſcopum conſtituit Laodicenſem, cujus tamen alibi non invenimus mentionem. Guillelmus vero poſtquam Provincialem annis quatuordecim egiſſet, Magiſtratum ceſſit Richardo Coningtono. In Italiam profectus, dum reditum parat, peſte corripitur Genuæ, mortem tamen, ægre licet, evadit, & in patriam regreditur, ubi fatis ceſſit Liceſtriæ, anno MCCCXXXVI. Vir erat pius, prudens, & doctus, laudaturque frequenter a ſui temporis ſcriptoribus, a linguæ facundia, ab ingenii ſubtilitate, a morum gravitate. In regendo inerat ei magna auctoritas, in judicando maturitas, in decernendis negotiis mira ſed juſta reſolutio. Frater Joannes Barwicanus Doctor Oxonienſis & Theologiæ profeſſor, quem mirifice laudat Joannes Lelandus, & citat Joannes Picus Mirandulanus libro duodecimo contra Aſtrologos. Thomas Hallenſis Doctor Pariſienſis, tum in Anglia, tum in Gallia ex diſputationibus & concionibus celeberrimus. Citatur frequenter a Petro Vincentino Dominicano in ſuis collectaneis. Frater Thomas Eccleſtonus, cui quidquid eſt notitiæ ingreſſus aut progreſſus Ordinis in Anglia debetur. Scripſit enim accurate de vita, moribus & regula ſancti Franciſci, de Ordinis initio & incre-

Fr. Henricus Coſſeius.

Fr. Guillel. Nottongamus.

Fr. Auguſtin. Epiſc. Laodicen.

Fr. Joan. Barwicanus.

Fr. Thomas Hallenſis.

Fr. Thomas Eccleſtonus.

cremento, & præcipuis Fratrum gestis in Anglia, deducta historia ab adventu Agnelli Pisani in Angliam, usque ad Provincialatum Guillelmi Nottinghami supra nominati. Opus jam absolutum & perfectum dedicavit Simoni Essebio amico suo, ejusdem Instituti professori. Frater Robertus Eliphatus, quem tamen Josephus Pamphilus sui facit instituti, & aliquando audivisse Gregorium Ariminensem scribit. Opus prægrande edidit in Magistrum sententiarum quod Philippus Caisarbelus Carmelita Belga ad compendium reduxit. Frater Robertus Contonus sive Cothon Oxoniensis & Parisiensis Doctor, vir acuti & solidi judicii *Doctor Amœnus* vulgo nuncupatus. Acriter defendere solebat Beatæ Virginis Mariæ conceptum fuisse ab omni originalis peccati labe alienum, quod illi gravissimarum disceptationum frequentes præbuit occasiones cum iis, qui vel certam, vel magis probabilem existimabant contrariam sententiam: unde admiror, Petrum de Vincentia & alios pro maculati conceptus opinione eumdem citasse. Hi omnes plurima ediderunt opera, quorum catalogum alias opportunius licebit intexere.

Fr. Rober. Elliphatus. *Pamphil. in chron.*

Fr. Rober. Contonus. *Vide Pisanum de hoc Roberto.*

XXVIII. Gerardus Minister Generalis indixit hoc anno Assisii Conventum Generalem, in quo contendentibus præcipuis Patribus, & suffragantibus multis rationibus, revocatæ sunt constitutiones Capituli Perpiniani, & irritæ novæ cæremoniæ, quas præscripsit Gerardus, in receptione & professione novitiorum observandas. Horum loco alia salubriter & mature ordinata sunt circa recitationem divini officii, circa educationem novitiorum, circa qualitatem & formam habitus, circa regimen studiorum, ac librorum editionem. Scripsit Joannes ad Patres Capitulares gravissimam epistolam, qua eos ad fraternam caritatem, observantiæ regularis studium, & assiduas pro se offerendas preces excitavit. Addidit alias litteras ad cives & Rectores Perusinos & Assisiates, quibus nobilem cœtum commendavit, ad Rectorem & Thesaurarium Ducatus Spoletani, ut in sumptuum subsidium ministraret florenos auri camerales centum, & demum alias ad Ministrum Generalem amandatas, quæ reliquas comprehendunt.

Capitulum Generale 45. Assisii. *Marian. citat. Rodul. fol. 240.*

Scribit Pontifex ad Patres capitulares.

Dilectis filiis Generali, & aliis Ministris Custodibus, & Fratribus Ordinis Minorum in Generali Capitulo celebrando Assisii congregandis.

XXIX. AD *vestri Ordinis Generale Capitulum certi Fratres ejusdem Ordinis, tam præsidentes, quam subditi, ut magna in eodem tractentur opera Domini, debent, ut præcepimus, in Assisio convenire. Et quia hæc in eodem compleri Capitulo intentis desideriis affectamus, vos Fratres hortamur in Domino & rogamus, ut dilectum filium Geraldum Ottonis Ordinis vestri Generalem Ministrum, aliosque vobis in eodem in Domino præsidentes, qui pro vobis laborare non cessant, abundantius habeatis recommendatos in caritatis visceribus, & pacem cum ipsis studiose curetis. Vos autem Generalem Ministrum aliosque præsidentes in eodem Ordine hortamur in Domino, & rogamus, ut debita reddatis singulis Fratribus, prout ad singulorum spectat officium, tam in distribuendis sine personarum acceptione, juxta eorumdem Fratrum sufficientiam, honoribus & officiis, tam in excessibus corrigendis, doctrinæ memores Apostoli suadentis, quod inquietos corripere, consolari pusillanimes, infirmosque debeatis suscipere, & patientes esse ad omnes; necnon & instruentes, ut* Si præoccupatus fuerit aliquis in delicto aliquo, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruere in spiritu debeatis lenitatis. *Et quia juxta doctrinam beati Gregorii:* disciplina vel misericordia nimis destituitur, si una sine alia teneatur, propter quod circa sub-

Reg. Vatic. in 2. par. lib. secr. an. 18. fol. 283.

1. Thessal. 5. 14. Galat. 6. 1. Gregor. lib. 20. Mor. c. 8.

subditos inesse debet Rectoribus & juste consolans misericordia, & pie sæviens disciplina. *Hoc profecto sic a vobis Rectoribus, optamus summopere observari, ut nec in disciplinæ rigore benignitatem mansuetudinis, nec rursus in mansuetudine districtionem disciplinæ aliquotenus deseratis, quatenus nec a compassione pietatis obdurescatis, cum contumacem corrigitis, nec disciplinæ rigorem molliatis, cum vos infirmorum contingit animos consolari. Regat ergo in vobis, quæsumus, rigor disciplinæ mansuetudinem, & mansuetudo ornet sermone rigorem, sicque alterum condiatur ex altero, ut nec rigor sit rigidus, nec misericordia dissoluta. Ad omnes autem vos sermonem nostrum, immo Apostoli potius, dirigimus sic dicentis*: Induite vos sicut electi Dei sancti & dilecti viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, & patientiam, supportantes invicem, & donantes vobis metipsis, si quis querelam habet adversus aliquem, sicut & donavit Christus: super omnia autem caritatem, quæ est perfectionis vinculum, habeatis. Et pax Christi, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras illuminet, *ad ordinondum, & prompte quæ sibi placita sunt, exequendum. Quantum autem Ecclesia Dei, & nos sanctorum egeamus orationibus, sic notum est vobis & aliis, quod exprimi non oportet; ideoque tam ipsam, quam nos vestris devotis orationibus humiliter commendamus. Gratia Domini nostri Jesu Christi sanctificet vos per omnia, ut integer spiritus vester, & anima, & corpus sine querela in adventu Domini nostri Jesu Christi servetur. Amen. Dat.* .... *Kalend. Maii anno* XVIII. *Coloss. 3. v. 12.*

Geraldo Ottonis Ordinis Fratrum Minorum Generali Ministro.

XXX. E*Cce, fili, quod tibi & generali Capitulo scribimus, prout in litteris nostris una cum eis poteris intueri. Mandamus etiam Rectori & Thesaurario Spoleti, ut ipsi vel alter eorum ad dictum accedont capitulum, benevolentiam offerant, instent pro devotis Ordinis prædicti orationibus, ac tibi & Procuratori dicti Ordinis centum florenos auri de pecunia nostræ cameræ in subsidium expensarum ejusdem capituli largiantur. Et insuper te aliosque Ministros, & Fratres accedentes ad ipsum capitulum dilectis filiis Assisiatibus, & Perusinis communibus commendamus. Sis igitur sollicitus quod pro nobis, & eadem Ecclesia per eumdem Ordinem devotæ preces ad Dominum effundantur. Datum* .... XVI. *Kalend. Maii anno* XVIII. *Ibidem fol. 184.*

XXXI. Magno numero confluebant tunc Assisium Fratres, tum ad hæc Comitia, tum pro lucranda Indulgentia Portiunculæ instituta die II. August. quibus suæ benevolentiæ & amoris indicium deesse non est passa pietas Sanciæ Reginæ Siciliæ, Ordini ultra omnes Principes addictissimæ; quod declaratum voluit universis Ordinis Patribus multis rationibus sincere & sine fuco plano stylo conscriptis. Illa potissima & insignis, quod plures habuerit consanguineos, qui huic Instituto nomen dederint, & in eo sanctissime vixerint. Omnes enumerat, uti epistolam legenti patebit *Epistola Reginæ Sanciæ.*

Venerabilibus Fratribus, ac filiis, Fratribus Minoribus venientibus ad sanctam Indulgentiam sanctæ Mariæ de antiquitate for. (de Angelis) *vocatæ, modo vero appellatæ de Portiuncula, in quo loco communis Pater noster beatus Franciscus incepit Ordinem, & vitam finivit, & benedixit Fratribus tam præsentibus, quam futuris, & recommendavit Virgini gloriosæ. Ego Sancia per Dei gratiam Regina Hierusalem, & Siciliæ, humilis filia & serva beati Francisci salutem in Jesu Christo crucifixo.*

Tom. 1. an. 1210. Tom. 2. an. 1226.

Sancia filia Sclaramondæ Reginæ Majoricarum. XXXII. *Noveritis fratres, quod ad hæc fecerit me Dominus nasci in hoc munda de tali progenie & plantula, sicut fuit Domina Sclaramonda Regina Majoricarum sanctæ memoriæ, & filia vera beati Francisci, Domina mater mea, & fecit, quod frater meus primogenitus renunciavit regno pro amore Jesu Christi, & fecit se filium beati Francisci,* Soror fratris Jacobi de Majoricis. *& intravit Ordinem suum, videlicet frater Jacobus de Majoricis carissimus frater meus, & fecit me esse de genere beatæ Elisabeth, quæ fuit ita vera* Proneptis sanctæ Elisabethæ Hungaricæ. *& devota filia beati Francisci, & mater Ordinis sui, & soror germana Dominæ matris Patris mei Domini Jacobi Regis Majoricarum bonæ memo-* Filia Jacobi Regis Majoricarũ. *riæ, & fecit me habere pro viro Illustrissimum Dominum meum D. Robertum* Uxor Roberti Regis. *Hierusalem & Siciliæ Regem, qui fuit filius Dominæ meæ Mariæ Reginæ in dictis regnis, & Hungariæ bonæ memoriæ, & fuit vera filia beati Fran-* Cognata S. Ludovici Episcopi. *cisci, & habuit pro filio beatum Ludovicum, qui recusavit regnum pro amore Jesu Christi, & fecit se Fratrem Minorem. Et credo firmiter, quod Deus, & beatus Franciscus ordinaverint, quod Dominus meus, qui erat Frater tertius, fuit Rex, & haberet omnes virtutes quæ decebant ipsum, sapientiam & scientiam plusquam sciatur a tempore Salomonis de aliquo Principe mundi, & scientiam istam didicit a Fratribus Ordinis, ad hoc ut defenderet Ordinem beati Francisci, & ego cum eo. Ista ego narravi adhoc ut videatis, quantum ego teneor & debeo esse serva tanti Patris & Ordinis sui. Si considero exemplum de illis, qui præcesserunt de genere meo, & de genere Domini mei, & possum accipere illud verbum in Joanne, quando Do-* Joan. 15. 15. *minus noster Jesus Christus dixit discipulis suis:* Jam non dicam vos servos, *sed filios. Et istud verbum possum in persona mea dicere vobis, & toti Ordini, sicut mater vestra propter tria. Primo quia mater est una caro cum filio, & ego sum una anima cum quolibet Fratre Minore, sicut patet in littera, quam habui a Generali Capitulo Neapoli, quæ littera facta fuit per Dominum fratrem Bertrandum de Turre Cardinalem, tunc Ministrum Provinciæ Aquitaniæ, in Conventu sacro Assisii, de mandato fratris Michaelis In-* Vide an. 1316. n. 4. *stituti Generalis Ministri, & in littera, quam ego misi sibi. Secundo mater diligit filios, & sic ego diligo filios meos Fratres Minores, sicut patet in* An. 1329. n. 6. *littera, quam ego misi Generali Capitulo Parisiis celebrato. Tertio mater dat consilium filiis & juvat eos: sic ego dedi consilium & adjutorium filiis meis Fratribus Minoribus, quod declaratur in littera, quam ego misi Capi-* An. 1331. n. 8. *tulo Perpiniani. Licet ego non sim digna ex me: tamen per gratiam Dei, ego multipliciter possum dicere hæc verba, scilicet mater Ordinis sancti Francisci, non solum verbo vel scripto, sed ex operibus, quæ feci continue, & intendo facere cum adjutorio suo toto tempore vitæ meæ. Nam quamvis nihil sentiam habere ex me, nisi peccatum, tamen possum accipere verbum Aposto-* 1. Cor. 15. 10. *li:* Quod sum ex gratia Dei sum. *Dico autem vobis illa verba:* Non dicam Joan. 15. vos servos, quia servus nescit quid faciat Dominus ejus: sed nota vobis facio omnia, quæ audivi a patre meo. *Et ego sicut mater possum dicere vobis, & to-*

& toti Ordini: non dico vos servos, sed filios intimos, quasi effetis geniti ex proprio corpore meo, & tanto magis, quanto est major amor spiritualis, quam amor carnalis. Datum in Casa sana prope castrum Maris de stabia, sub annulo meo secreto, die XXV. *Julii anno* MCCCXXXIV. *Indictione* XV.

XXXIII. In prædicto autem Capitulo communi consilio decretum est, ut in Protectorem Ordinis peteretur a Pontifice Jacobus Caetanus de Stephanesis, Cardinalis Diaconus sancti Georgii ad Velum aureum, Bonifacii VIII. ex fratre nepos, sodalitio valde addictus. Obierat enim hoc tempore vel propter senectutem, aut causas alias onus deposuit Arnaldus Cardinalis de Pelagrua, Protector a Clemente V. uti diximus institutus. Video a Ciaconio hunc recenseri inter Cardinales, qui ad conclave & electionem Benedicti XII. convenerant, & sub fine Pontificatus ejusdem Benedicti, obitum Arnaldi constitui anno MCCCXXXV. Sed ex institutione alterius Protectoris per bullam Pontificiam, sub mense Julii hujus anni constat vel jam decessisse Arnaldum, vel protectione se exonerasse. Gravis est error Mariani, qui ad annum MCCCXXXI. defunctum affirmat, & propterea eo anno, ex assensu Capituli Generalis Perpinianensis, postulatum & obtentum scribit novum Protectorem Jacobum Caetanum. At non nisi hoc ipso anno ista contigisse diploma probabit Pontificium.

Petitur in protectorem Ordinis Jacobus Cardin. Caetanus. — *An.1313. n.4.* — *Marian. lib. 4. c.9.*

Dilecto filio Jacobo sancti Georgii ad Velum Aureum Diacono Cardinali.

XXXIV. N*Uper dilecti filii Generalis & Provincialis Ministri Ordinis Fratrum Minorum, de Generali ejusdem Ordinis Capitulo, novissime in Assisio celebrato, ad Sedem Apostolicam accedentes, nobis juxta præceptum regulæ ipsius Ordinis humiliter supplicarunt, ut cum Ordo ipse protectore, gubernatore & correctore careret ad præsens, te, quem ad Ordinem ipsum noscunt specialis devotionis, & dilectionis affectum habere, in protectorem, gubernatorem, & correctorem eidem Ordini concedere dignaremur. Nos igitur, qui Ordinem ipsum sincere diligimus, supplicationi hujusmodi benignius annuentes, te de cujus probitate, scientia, & providentia circumspecta plene confidimus, in protectorem, gubernatorem, & correctorem, auctoritate Apostolica, Ordini & Fratribus concedimus memoratis. Nulli ergo, &c. Datum Avenione* X. *Kalend. Augusti anno* XVIII.

Reg.Vat. ex lib. secr. ann.18. fol. 300. — *Reg. cap.12.*

XXXV. Erat hoc anno, ut ex monumento Vaticano constat, Minister Provincialis Austriæ frater Dutricus de Velsperch, custos Avassensis frater Galhardus, Lector in Conventu Bozanen. frater Franciscus. Hi duo posteriores egerunt cum Pontifice Joanne, ut restitueretur ad pristinum gradum prædictus Minister, a quo eum dejecerat Minister Generalis. Concessit idem Joannes, ut Fratres provinciæ Datiæ celebrarent Comitia Provincialia hoc anno, in festo Assumptionis beatæ Mariæ Virginis, in oppido Winebireg Occonien. diœcesis, & si totum regnum interdicto subjaceret, vigore cujusdam statuti per Archiepiscopum Lunden. in eodem Regno Metropolitanum, qui tunc erat, ejusque suffraganeos editi, & per Sedem Apostolicam ex certa scientia confirmati. Episcopo Olomucen. scripsit, ut si vera esse comperisset, quæ referebantur, suo nomine incolis oppidi Braditz suæ diœcesis, facultatem construendi, & Fratribus recipiendi Monasterium concederet, propter liberatum mirabiliter prædictum oppidum a direptione inimicorum per merita san-

Ex lib. 1. an.18. ep. 516. — *Conv. Bozanen.* — *Ex lib.2.ep.844.* — *Conv. Winebireg.* — *Conv. Braditz.*

sancti Francisci in ipsa ejus festivitate: *Magna lætitia* Kal. Maii. Diximus superius, concessum beato Joanni de Vallibus Conventum sancti Bartholomæi de Brulliano, prope Collem floridum, quem tamen Gonzaga a beato Paulo Trincio admissum affirmat. Verius quidem a priori obtentum, atque hoc ipso anno extructum sumptibus piorum virorum prædicti oppidi, suadente præfato Joanne. Certum est postea Paulum ibi inhabitasse, & Ordinis restaurationem inchoasse, seu promovisse. Insinuavimus etiam alias breviter nimis Patres Benedictinos Monasterii Farsen. donasse Fratribus Minoribus Provinciæ Marchiæ, & Custodiæ Firmanæ Ecclesiam sanctæ Mariæ in Georgio, alias Montis sanctæ Mariæ. Incidimus hoc anno in diploma, quo, dum Patres Benedictini revocare voluerunt post annos sexaginta donationem factam, confirmatam voluit Pontifex paulo ante mortem suam, refertque Præposituram regularem fuisse beatæ Mariæ Ordinis sancti Benedicti eidem Monasterio Farsen. immediate subjectam, libereque donatam Joanni Cardinali Caetano Ordinis Protectori, pro usu & incolatu Fratrum Minorum: *Ex tenore petitionis* VII. Kal. Octobris; quam sub eodem tenore verborum Benedictus XII. anno sequenti, sui Pontificatus primo confirmavit.

Hoc anno n. 14. Conv. Brullian. Gonz. in Prov. sancti Francisci Con. 27. Vide Jacobillum de Episc. Fulgin. ad hunc annum. Anno 1163. n. 11. Conv. Montis S. Claræ.

XXXVI. Elisabethæ Hungariæ Reginæ concessit hoc anno Pontifex facultatem ædificandi pro suæ, ac progenitorum animarum salute, Monasterium Clarissarum, in oppido Budæ Vesprimien. diœcesis: *Eximiæ devotionis*. Idibus Julii. Ut Monasterio Waterbechensi Clarissarum in Anglia, Elien. diœcesis, uniretur Ecclesia de Bydinhem Diæc. Lincolnien. commisit facultatem Icherio de Concoreto, Nuntio Sedis Apostolicæ in eodem Regno: *Pro parte dilectarum*. VII. Kal. Octobris.

Monast. Budæ. Vide ann. 1296. n. 10. tom. 5.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

Eccl. S. Fr. Ypor. consecratur & describ.

„ I. Quid hoc anno supplendum valde parum est: dicemus tamen Ecclesiam Cœnobii sancti Patris Francisci Yporediæ, licet antiquissimam, quamque Patres Conventuales incolunt, tantum hoc anno consecratam fuisse, quemadmodum publica inscriptio, quæ in Odeo legitur, ostendit; licet Antistitem, qui eam consecraverit, reticeat. Est Ecclesia satis ampla, antiquitate, & religioso cultu venerabilis, pluribus sacellis hinc atque illinc exornata. Altare majus sub patronatu Comitum sancti Martini, præcipue nobilitatis inter Salassos inferiores, habet: sed cetera aliis familiis etiam nobilibus urbis sunt adscripta.

Philipp. de Saband. sepelitur in Ecclesia fratrum Min. Ypor.

„ II. Hoc etiam anno Philippus de Sabaudia Princeps Achajæ & Moreæ, nec non Comes Pedemontii, & Dominus Yporediæ, cui plurimum Sodalitium Minoriticum debet, cum jam pridem, idest de an. MCCCXXX. die IX. supremæ suæ voluntatis, in Jerophilatio Ecclesiæ Minorum, publica instrumenta signasset: tamdem satis hoc anno functus, eadem in Ecclesia honorificam sepulturam accepit, sub hac inscriptione: *Anno Domini* MCCCXXXIV. *die* XXV. *Septembris obiit Illustrissimus Dominus D. Philippus de Sabaudia Princeps Achajæ, & Pedemontium*. Julioduni, sive Losduni in Gallia apud Pictones, Illustrissimus Dominus Joannes de Aula, D. de *Bounan*, etiam & ipse tanta caritate prosequebatur Fratres nostros Juliodunenses, ut supremum diem singulari cum pietate claudens, in capitulo Cœnobii eorumdem Fratrum sepeliri voluerit; ratus quod sicut ipse vivens Religiosos sincera caritate dilexerat, ac eleemosynis juverat, ita vicissim defunctus eorum suffragiis apud altissimum juvaretur.

Ad an. 1296. Ad an. 1566.

AR-

ARGUMENTUM.

Benedictus Pontifex se commendat precibus Minorum, ex quibus institutis Inquisitoribus, fidei puritati sedulo invigilat, maxime in extinguendis sectis Dulcinistarum, & Fratricellorum. Elisabetha Regina Lusitaniæ peregrinatur Compostellam. Extruuntur domicilia.

I. Benedictus Pontifex in ipsa meta anni præteriti creatus Pontifex, in hujus initio suorum more prædecessorum sapientiam & virtutem a Domino ad orbem universum regendum expostulaturus, litteras dedit ad Religionum Primicerios, in quibus enixe se illorum precibus commendabat. Exemplar diplomatis, ad Minoritarum præfectos missi, hic subjicio. Pontifex se Religiosorum orationibus commendat.

Dilectis filiis Generali, & ceteris Provincialibus Ministris, & Fratribus Ordinis Minorum.

II. *Altitudo cælestis consilii, supra cuncta tenens in excelsis imperium, sic dat esse rebus, & dispensat ineffabili providentia munera gratiarum, sic creaturarum conditiones, & status ordinat, ac prout vult variat, & disponit, quod sensus humanus ejus secreta consilia perscrutari non valens su horum consideratione potius hebetatur, cum sint investigabiles viæ Domini, & sapientiæ suæ magnitudinem humani non capiunt intellectus. Facit enim fortem ex debili, balbutientibus eloquium tribuit, & ponit nonnumquam humiles in sublimi, plenam & perfectam habens ad singula, tamquam palma concludens omnia, potestatem. Sane felicis recordationis Joanne Papa XXII. prædecessore nostro, nuper, sicut Domino placuit, ab hac luce subtracto, & ad cælestem patriam ab hujus mundi miseria, sicut pie credimus, evocato, ejusque corpore cum exequiarum solemnitate debita tumulato, venerabiles fratres nostri Episcopi, Presbyteri, & Diaconi Romanæ Ecclesiæ Cardinales, de quorum numero tunc eramus, pro futuri substitutione pastoris convenientes in unum, sub deliberatione consilii, quam tanti negotii qualitas exigebat, habito super electionis futuri Papæ celebratione tractatu, licet consentire potuissent in alios majorum meritorum claritate conspicuos, & plurium virtutum titulis insignitos, tamdem tamen ad personam nostram dirigentes unanimiter vota sua, nos ad summi Pontificatus apicem divinæ dignationis clementia evocarunt. Nos igitur nostrarum insufficientiam virium, & administrationis tam arduæ sarcinam, tantique oneris gravitatem intenta consideratione pensantes intra nostra præcordia, quid inter tot diversas & varias seculi fluctuationes, & pugnas agendum, quidve tenendum, quidve pensandum existeret, animo duximus trepido revolvendum. Demum vero spiritus virtute resumpta, in illo qui assurgit in occursum timentium, & implorantium humiliter nomen suum, quique clementer in semitis suis gressus hominis perficit, inter hujusmodi cogitationum fremitus anchoram spei nostræ fiximus ad ferendum sub ejus fiducia jugum servitutis Apostolicæ, imbecilles humeros humiliter submittentes, ac subsequenter benedictionis & coronationis solemnia, & cetera recepimus, secundum morem ejusdem Romanæ Ecclesiæ, in personis Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum hactenus observatum, anxiato, & humiliato spiritu Domino supplicando, ut ipse, qui nos jugum hujusmodi subire concessit, sic ad ipsum portandum de-*

Ex lib. 1. epist. commun. ep. 1.

Absoluta Dei potestas.

Refert modum suæ electionis.

bili-

bilitatem nostram suæ virtutis robore fulciat, sicque illud faciat sua benignitate portabile, quod sub illo nos non contingat ex nostra debilitate deficere, sed ita sua omnipotentia nobis, & gregi Dominico vigilantiæ nostræ commisso potius proficere, quod de talento nobis credito dignam valeamus in extremo judicio reddere rationem. Considerantes igitur, quod nos tamquam hominem inter mundanos conflictus, & turbines constitutos, nostrumque imperfectum diligentius attendentes, ad devotionem vestram Deo gratam nostræ mentis levamus oculos, & ad vestrarum orationum suffragia ferventius aspiramus.

Rogat ut pro ipso orent.

Eapropter universitatem vestram precamur, & obsecramus attentius, per viscera misericordiæ Jesu Christi, quatenus pro persona nostra, statuque salubri & felici universalis Ecclesiæ orationes devotas & sedulas ad supernæ majestatis clementiam effundatis, & etiam effundi faciatis in vestris generalibus capitulis celebrandis, ut omnipotens Deus, qui humeris nostris imbecillibus molem imposuit Apostolicæ servitutis, nobis suæ omnipotentiæ dexteram porrigat, defectum nostrum suæ virtutis robore fulciat, ut dum navigabimus in hujus vitæ solo, ac tempestuosis fluctibus, & procellis, sciamus, & possimus dispersa colligere, fracta connectere, deperdita restaurare, custodire pinguia, manuducere fortia, & humilia confovere, aliasque sponsæ nostræ, nobis divinitus copulatæ, Romanæ præfatæ, & generali Ecclesiæ præesse pariter & prodesse. Nos enim Ordinem vestrum devotæ caritatis zelantes affectu, ipsius salutis, & prosperitatis cupimus incrementum, cui libenti animo, quatenus secundum Deum poterimus, prout expedire noverimus, annuemus.

Prohibet importunam cursorum exactionem.

Cum autem, sicut intelleximus, portitores hujusmodi litterarum interdum esse consueverint contra intentionem mittentium exactores, nunc importunæ petitionis instantia, nunc etiam murmurationum susurris, ac detractionum, & querelarum comminationibus exigendo, scire vos volumus, quod nostræ intentionis exitit, latoresque præsentium jurare voluimus, quod ad exigendum, vel obtinendum aliquid præter ea, quæ ad victum, vel ob infirmitatis, ac alios casus necessaria, per alias eis sub certa forma litteras, quas vobis exhiberi mandamus, ministrari præcepimus, talibus instantiis, murmurationibus, detractionibus, seu comminationibus non utantur, nec recipere oblata præsumant. Ideoque, ut nostris in hoc intentioni, & beneplacitis concurratis, præfatis eorum abusionibus, ceterisque similibus, si forsan eis, quod non est verisimile, uti præsumerent contra proprium juramentum, contemptis, animo vos ultra præmissa ipsis nostro ministranda mandato, tribuendo aliquid non gravetis, cum non per extorsiones hujusmodi, sed alia retributione congrua intendamus ipsorum laboribus respondere. Datum Avenione v. Idus Januarii anno 1.

III. Post hæc statim animum adjecit Benedictus ad expurgandum in area Ecclesiæ triticum, & evellenda hæreseos zizania. Audivit de remotis tam Alemaniæ, quam circumpositis regionibus irrepsisse hæreticos in regnum Boemiæ, & maxime in Civitatem & diœcesim Olomucensem.

Instituitur frater Petrus Inquisitor Boemiæ.

Instituto itaque ibidem fratre Petro de Naczeracz Minorita, hæreticæ pravitatis Inquisitore, per similes omnino litteras, quibus deputasse diximus Joannem XXII. alios Inquisitores in eodem Regno, incipientes: *Præ cunctis mentis nostræ desiderabilibus*. Datas XI. Kal. Septembris. Scripsit eodem ferme tenore verborum ad Episcopum Olomucen. qui tunc erat Joannes, cognomento Wolko, filius Venceslai Regis Boemiæ, & ad universos Ecclesiarum Prælatos, in prædictis civitate & diœcesi constitutos, & demum, quam subjicio epistolam ad Joannem Regem, ut huic Inquisitori necessarium præberet auxilium.

Anno 1318. n. 3.

Vide catal. Episcop. Olomucen. ep. 23.

Ca-

Carissimo in Christo filio Joanni Regi Boemiæ Illustri salutem.

IV. **P**Otentiæ secularis, & præsertim Catholicorum Regum & Principum, cujuscumque sint præeminentiæ, dignitatis, aut status, materialis gladius in fulcimentum Ecclesiasticæ potestatis institutus existit tam divinitus, quam humanitus, provisione videlicet canonica & civili, ut qui judicium vel censuram Ecclesiasticam damnabiliter vilipendunt, per brachii temporalis auxilium potentialiter compellantur. Est ergo exerendus promptius ipse gladius, & vigorosius exercendus contra quoslibet hostes crucis Dominicæ, ac non minus, sed potius contra hereticos, credentes, fautores, defensores, & receptatores eorum, qui majestatem æternam periculosius offendere non expavent. Nos itaque cupientes fervide, ac opem & operam sollicite impendentes, ut tales pestiferi homines, qui ad gremium sanctæ matris Ecclesiæ redire noluerint, proscribantur ubique de agro Domini, & etiam desolationis ultimatæ opprobrio confundantur, auctoritate sonora, tam per nos, quam per alios viros prudentes, & orthodoxæ fidei zelatores vigilis speculatoris ministerium jugiter exercemus, ut contra hujusmodi execrabiles homines per orbis climata, in quibus Christiani nominis cultus viget, non desit indago diligens nec desistat. Hujusmodi namque provisionis cautelam in regno tuo, Christianitatis titulo insignito, adhibere volentes, ne latens in eo pestis heretica cum vulpinæ sagacitatis astutia, serpere valeat, & contagium errorum jacere in simplices animas fidelium aliorum, ac de dilecti filii Petri de Naczeracz Ordinis Fratrum Minorum prudentia industria, & de ipsius fervore devotionis & fidei, de quibus nobis a fide dignis etiam dicti Ordinis, laudabile testimonium perhibetur, plenam in Domino fiduciam obtinentes, eum elegimus ad hujusmodi sollicitudinis curam, laborisque sarcinam tam necessarias quam salubres, ad honorem Dei, & exaltationem fidei prælibatæ specialiter supportandas, & debite, ac prout tanti negotii arduitas exigit, exequendas sollicite ac prudenter, dictumque Petrum Inquisitorem hæreseos in civitate & diœcesi Olomucen. per nostras litteras duximus deputandum, qui juxta instituta canonica, super his promulgata, Clero & populo auctoritate Apostolica convocatis, generalem prædicationem in dictis Civitate ac diœcesi, ubi & quotiens expedire viderit, faciens, Inquisitionis officium contra labem hereticæ pravitatis ferventer & fideliter, prout ei Deus dederit, exequatur contra hæreticos, credentes, fautores, defensores, & receptatores eorum, secundum instituta hujusmodi, auctoritate præfata, nihilominus processurus. Et si aliqui, heretica perfidia penitus abjurata, redire voluerint ad Ecclesiæ unitatem, ipsis juxta formam Ecclesiæ, ac secundum instituta hujusmodi, beneficium absolutionis impendat, ac injungat eis, quæ secundum dicta instituta sunt talibus injungenda. Ideoque Magnificentiam Regiam rogamus, monemus, & hortamur attente in remissionem tibi peccaminum injungentes, quatenus eumdem Inquisitorem pro divina & Apostolicæ Sedis, ac nostra reverentia benigne recipias, & honeste pertractes, eidem in iis regalis favoris præsidium, & opportunum auxilium taliter impendendo, quod ipse Inquisitionis hujusmodi officium sibi commissum exequi valeat inconcusse, nosque sinceritatis tuæ zelum possimus in Domino amplis laudibus commendare, ac tu exinde perenne bonum quod fuis fidelibus divina clementia pollicetur, ad Regis Regum cœlestis laudem & gloriam, animæ tuæ salutem, ac Regni ejusdem exaltationem digne consequi merearis. Datum apud Pontemsorgiæ Avenion. diœcesis XI. Kal. Septembris anno I.

Ex lib. 1. epist. commun. ep. 764.

Principes orthodoxi debent hæreticos contere-re.

An. 1317. n. 56. Richardo Episc. Ossorien. favet Pontifex. Annal. Hibern. ad an. 1328.

V. Similiter Eduardo Regi Angliæ binas mittit litteras, ut Richardo Ledredo Episcopo Ossoriensi in Hibernia, ex Minoritis, ut suo tempore diximus, assumpto, multa incommoda passo propter Inquisitos, & punitos in sua diœcesi hæreticos, per omnia faveret, & restitui curaret, quæ injuste & temere Regii Ministri illi abstulerunt. Circa hæreses, de quibus Pontifex hic agit, concordant Annales Hiberniæ, præcipuumque referunt auctorem.

Carissimo in Christo filio Eduardo Regi Angliæ Illustri salutem.

Vat. ibid. ep. 909.

VI. *Decet Catholicos Reges & Principes, non solum Prælatis, & personis Ecclesiasticis negotium Catholicæ fidei contra hæreticos prosequentibus, præsidiis, & favoribus opportunis adesse, sed etiam defensores ejusdem fidei existere principales, ac temerariis ausibus eorumdem, qui prosecutionem dicti negotii impedire conantur, debitæ provisionis remedio obviare. Cum itaque, sicut habet venerabilis fratris nostri Richardi Episcopi Ossorien. in Hibernia expositio facta nobis, ipse, qui negotia fidei contra certos hæreticos illarum partium inimicos ejusdem fidei diutius in Romana Curia prosecutus est, & adhuc prosequitur, ac Ecclesia sua Ossorien. ad dictorum hæreticorum instantiam, bonis multis fuerint spoliati, & multipliciter lacessiti. Nos eidem Episcopo in hac parte paterno compatientes affectu, ac sperantes firmiter, quod Celsitudo tua pro exaltatione Catholicæ fidei præfato Episcopo in restitutione ablatorum eidem se debeat promptam & favorabilem exhibere, Serenitatem Regiam rogamus in Domino, & hortamur, quatenus attente considerans, quam meritorium apud Deum, & apud homines commendabile tibi sit, si præfato Episcopo in præmissis assistas, quantumque honori tuo, & nomini derogares, si spoliationem prædictam ad talium instantiam factam, conniventibus oculis pertransires, Justitiario, & ceteris Ministris tuis in Hibernia mandes districtius, & injungas, ut omnia & singula bona ipsius Ecclesiæ Ossorien. Episcopo, & Ecclesiæ prædictis, ac ministris ipsius Ecclesiæ ublata, postquam idem Episcopus iter arripuit pro hujusmodi prosecutione negotii, ad dictam curiam veniendi, restituant, & ab illorum detentoribus cum integritate, sine dilationis obstaculo restitui faciant, cum effectu, ita quod idem Episcopus ob defectum necessariorum non compellatur negotii prosecutionem relinquere memorati, preces hujusmodi, quæ ex paterno effectu prodeunt, sic ad exauditionis debitum admissurus, quod præter retributionis æternæ præmium tibi exinde a Domino proventurum, Apostolicæ Sedis, & nostram gratiam, ac favorem uberius assequi merearis. Datum Avenione* VIII. *Idus Novembris anno* 1.

Eidem Regi.

Ibid. epist. 910.

VII. *Unigenitus Dei vivi & veri, Dominus noster Jesus Christus, qui corda fidelium sua ineffabili claritate illuminat & illustrat, ut excellentiam agnoscant ipsius, in omnipotentiam suam credant, & in ejus virtuosa virtute confidant, & propterea salvi fiant, perveniantque post vitæ præsentis exilium ad patriam civium supernorum, diebus novissimis detexit in tua terra Hiberniæ lupinæ rapacitatis astutiam vellere aginno velatam, patefecit vulpeculas, demoliri vineam Domini pro viribus præsumentes, & ostentavit tribulos infra segetem agri Dominici, usque ad hæc tempora latitantes, hæreticos quidem pestiferos diversas habentes facies, sed colligationes exe-*

execrabiles, & execrandas insimul incuntes, utpote convenientes de vanitate deceptoria in idipsum. Nam sicut nuper ad Apostolatus nostri prob dolor! pervenit auditum, dum Venerabilis frater noster Riebardus Episcopus Ossorien. suam diœcesim jure ordinario visitaret, apparuerunt in medio Catholici populi homines, & eorum fautores, beretici, cœno pravitatis bereticæ labefacti, quorum quidam asserebant, Jesum Christum fuisse hominem peccatorem, & juste crucifixum pro suis extitisse peccatis. Alii vero, factis per eos homagiis dæmonibus, & eis sacrificiis impensis, ad dictorum informationes dæmonum de Sacramento Corporis Christi aliter sentiebant, quam de illo Catholica & Romana Ecclesia sentit, dicentes non esse colendum nec adorandum ullo modo Sacramentum præfatum, & etiam asserentes, quod decretis, & decretalibus, etiam mandatis Apostolicis, credere vel obedire minime tenebantur, nec non ad consulendum dæmones in agendis, juxta ritus & sectas gentilium & paganorum, spretis Ecclesiæ Catholicæ Sacramentis, Christifideles suis superstitionibus attraxerunt. Hæc profecto labes heretica intermixta fidelium cœtibus fœdat illos, hic morbus sui pudore contagii proximos fideles inficit adhærentes, & hoc pestiferum aconitum serpens interimit animas illius pestilentia infectorum. Unde cum sicut accepimus, in eadem Hibernia, & Regno, aliaque terra tui dominii Angliæ non sint Inquisitores hæreseos, nec ex officio Inquisitionis suæ pravitatis hæreses ibidem inveniri & puniri soleant, propter quod jura & privilegia Inquisitionis ejusdem pravitatis incognita & insitata inibi existere dignoscuntur, ad tui favoris clypeum, fili carissime, in quo splendor longe lateque irradiat fidei orthodoxæ, velut ad strenuissimum Christi, & ejusdem fidei pugilem, pro hujusmodi pravitate, & ejus cultoribus confundendis, & extirpandis recurrit sancta Mater Ecclesia confidenter. Quapropter serenitatem Regiam attente requirimus, attentius exhortamur in Domino, & obnixius deprecamur, cum in fulcimentum Ecclesiasticæ potestatis temporalis fortitudinis sit gladius institutus, quatenus pro divina reverentia, honore ipsius fidei, & populari salute, tam Justituario tuo Hiberniæ prælibatæ, quam ceteris Ministris tuis, per ipsam Hiberniam constitutis, dare cures pervigil, ferventer & efficaciter per tuas litteras in mandatis, ut dicto Episcopo, ceterisque Antistitibus Hiberniæ supradictæ, quotiens & quando ab eis fuerint requisiti, viriliter, & potenter assistant auxilio brachii secularis ad capiendum, puniendum, & extirpandum præfatos hæreticos, & alias hæreses in illis partibus noviter pullulantes, ac etiam ceteros credentes, fautores, receptatores, & defensores eorumdem hæreticorum, juxta Canonica instituta, quæ etiam præsidentes regimini Regni, Provinciæ sive loci obligant & astringunt. Ex hoc enim æternæ Majestati offeres gratitudinis debitæ holocaustum, fidem exaltabis eamdem, sanctam Ecclesiam honorabis, requisitioni, exhortationi & deprecationi nostris hujusmodi acquiesces, tuique regalis nominis titulus extolletur altius, & continuus tibi prosperitatis & salutis proveniet usufructus. Datum Avenione VIII. *Idus Novembris anno* 1.

VIII. Repullulavit hoc tempore in quibusdam Italiæ partibus periculosa nimis hæresis Dulcinistarum, maxime in civitate Reatina, ad quam cum venisset frater Simon Philippi Inquisitor in Provincia Romana, morbidam contagionem, ne ulterius serperet, compressurus, Paulum Zoppum præcipuum dogmatistam comprehendit, & civium tradidit custodiæ. Habuit hic, uti solent omnes hæresiarchæ, suos fautores, quorum opera factum, ut liber dimitteretur, & Inquisitor male haberet. Vehementer ad hæc ira- Fr. Simon Inquisitor inquirit Sectatores Dulcinistas.

tus Pontifex, Reatinis sequentem scripsit epistolam, & per aliam similis tenoris jussit, ut Inquisitor in causa procederet, atque adversus refractarios, juxta sanctiones Apostolicas & privilegia Inquisitionis, commissa uteretur potestate.

Dilectis filiis communi civitatis Reatinæ.

Reg. Pat. in lib. secret. fol. 44.

IX. *AD nostram pridem veniens præsentiam dilectus filius Simon Philippi de Spoleto, Ordinis Fratrum Minorum, Inquisitor hereticæ pravitatis in Romana Provincia, auctoritate Apostolica deputatus, nobis exponere procuravit, quod ad ejus dudum deducto notitiam, quamdam periculosam hæresim, cujus speciem per ipsum nobis expositam inserere præsentibus causa honestatis, ad præsens omittimus, in illis partibus, præsertim in civitate Reatina, quibusdam Satanæ Ministris procurantibus, & dogmatizantibus periculose nimium his temporibus pullulasse, idem Inquisitor, ut ex debito sui officii tenebatur adstrictus, ad inquirendum, ut pestifera hæresis ejusdem semina priusquam in periculosam crescerent segetem, valeret facilius extirpare, descendens, quemdam hominem per fidem, vulpinam astutiam & rapacitatem lupinam, sub pelle latitantem ovina, Paulum videlicet de Carcere, alias Zoppum de Reate vocatum, reperit dogmatizatorem hujusmodi hæresis principalem, quem postquam præsentibus nonnullis, tam religiosis, quam secularibus viris aliis scientia litterarum, & auctoritate status pollentibus, confessionem ejus audivit, eamque fecit in scripturam publicam redigi, suo mancipavit carceri, ac eumdem vobis, vel officialibus vestris custodiendum, quousque illum repeteret, tradidit, & commisit. Sane eum subsequenter Inquisitor prædictus ulterius vellet in negotio procedere supradicto, & eumdem Paulum, ut posset de ipso, ejusque in hac parte complicibus justitiæ debitum exequi, a vobis seu officialibus prædictis peteret sibi reddi, & per vos ac eosdem officiales super dicto Inquisitionis perficiendo negotio favorem debitum exhiberi, vos non solum dictum Paulum sibi restituere, & circa hoc assistere, nescimus quo ducti, vel potius seducti consilio, recusastis, quinimo verbalibus eidem illatis minis & terroribus, quo minus posset super eodem Inquisitionis negotio procedere, impedivistis multipliciter, de quo, si veritas refragetur relatibus, plurimum admiramur. Quocirca Universitatem vestram requirimus tenore præsentium, & monemus, vobisque nihilominus injungimus & mandamus, quatenus quam graviter Deum & fidem offenderitis Catholicam, quantisve vos & status vestros subjiceretis periculis & jacturis, si fidei negotium impediretis, vel ei debitum non impenderetis favorem; & insuper quantum nobis, & toti patriæ illi expediat, quod illa horrenda hæresis extirpetur, & alia quæ vobis circa præmissa possunt occurrere considerantes attente, dictum Paulum restituatis & restitui per Officiales vestros faciatis Inquisitori prædicto, eique assistatis super negotio prædicto prosequendo, & perficiendo, & impendatis prout vos requisierit, & opportunum fuerit, auxilia, consilia, & favores, taliter quod, vitatis periculis ex contrario vobis imminentibus, in vobis tamquam viris Catholicis, & prudentibus, fidei fulgeat claritas, vestraque possit in hac parte devotio erga Deum, & Sedem Apostolicam merito commendari. Rursus quia mulieres vestræ, si forsan delatæ, vel suspectæ habitæ fuerint, de aliquibus tangentibus hæresim supradictam, extimari possunt verisimiliter magis ex simplicitate, quam indicit sexus fragilitas, quam ex malitia deliquisse, si culpas suas libere confitentur coram Inquisitore prædicto, conterantur & pœniteant, & dixerint de se ac de aliis,*

aliis, quam sciverint veritatem, volumus & eidem Inquisitori verbotenus injungimus, ut mite, favorabiliter, & gratiose se gerat erga eas, nullam eisdem, propter hoc, absque nostro mandato & expressa conscientia, ut earum deferatur honestati, ac vestro & ejusdem civitatis consulatur honori, pœnam vel pœnitentiam publicam imponat quomodolibet vel injungat. Datum Avenione III. *Idus Maii anno* I.

X. Serpente nimis per universam Italiam hæresi Fratricellorum, & diffundente se undique impia hac nebulonum colluvione, Benedictus ad omnes Inquisitores Marchiæ Anconitanæ, & Tarvisinæ, Lombardiæ, Tusciæ, Romandiolæ, Provinciæ Romanæ, Ducatus Spoletani, Regni Siciliæ citra Farum, Insulæ Siciliæ & Sclavoniæ, & harum Regionum Prælatos scripsit, ut diligenter in eorum animadverterent errores, & pessimam hanc turbam ab hominum consortio eliminarent. Deinde nobilibus viris Petro Savonis, Tarlato de Perra-mala, Sinibaldo de Ordalafis, & Francisco ejus nato, horum tenebrionum fautoribus, & receptatoribus graviter & severe interdixit, ne amplius auxilium, consilium, aut habitaculum hujusmodi hæresum auctoribus præberent. Do exemplar epistolæ ad Inquisitorem Anconitanum transmissæ.

Jubet Pontif. severe agi contra Fratricellos.

Dilecto filio Inquisitori hæreticæ pravitatis in Marchia Anconitana, auctoritate Apostolica Deputato.

XI. *Licet dudum secta illa pestifera, quæ Fratricellorum, seu Fratrum de paupere vitâ dicebatur vulgariter, reprobata & damnata, perpetuæque prohibitioni subjecta fuerit, per Sedis Apostolicæ providentiam circumspectam: nonnulli tamen pernitiosi homines, & perversi se Fratricellos, seu Fratres de paupere vita nominantes, sub habitu, quem gestare ante reprobationem prædictam solebant homines dictæ sectæ, in Marchia Anconitana suas iniquas & damnatas congregationes, sicut habet multorum assertio, faciunt, ac periculosos & detestandos errores, & hæreses ibidem disseminant, & ut ex illis sinceritatem fidelium possint inficere ac corrumpere, illos dogmatizare præsumunt, sub ovina pelle, ad decipiendum citius, vulpinam, qua utuntur, astutiam abscondentes. Nos igitur tam periculosam & præsumptuosam ipsorum audaciam refrænari & corrigi, ac prædictos, & quosdam alios errores & hæreses extirpare de medio fidelium cupientes, discretioni tuæ, per Apostolica scripta, in virtute sanctæ obedientiæ districtius injungendo mandamus, quatenus Inquisitionis commissum tibi officium diligenter & fideliter super his & aliis exequens & exercens, de prædictis nequam hominibus, eorumque complicibus, receptatoribus, defensoribus, & fautoribus, ac eorum & cujuslibet ipsorum in hac parte criminibus, erroribus, & hæresibus, simpliciter & de plano sine strepitu, & figura judicii solerter inquirere, & ut de ipsorum erroribus habere valeas citius & plenius veritatem, libris, & scripturis eorum, per te sicut cautius poteris, perquisitis & captis, ad correctionem, & punitionem ipsorum ac complicum, receptatorum, defensorum, & fautorum eorum, prout cujuslibet excessus, vel criminis qualitas exegerit, procedere, secundum Sanctiones Canonicas, & privilegia prædicto concessa Inquisitionis officio, adhibita diligentia operosa, procures, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, contradictores per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Non obstante si eis, vel eorum aliquibus, communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum,*

Reg. Vat. ex lib. secr. ann. 1. fol. 66.

tum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Datum in Castro Pontisorgiæ Avenionen. diœcesi. VII. *Idus Julii anno* 1.

S. Elisabetha invisit Templum S. Jacobi Compostellæ.

Process. vitæ S. Elisabeth. Freyre. l. 1. c. 16.

XII. Hoc anno ætatis suæ LXIV. sancta Elisabetha Regina Portugalliæ, majori meritorum aggregando cumulo, invisit secundo sancti Jacobi Templum Compostellanum. Erat eo anno Pontificum Romanorum Indulgentia & plena peccatorum remissione celebris hæc peregrinatio. Ne itaque tantam divinæ liberalitatis occasionem negligeret piissima Regina, in ea ætate, quæ vix domi tolerari potest, iter instituit laboriosissimum. Nam paucis comitata matronis honestissimis, mutato habitu, quo uti solita erat, ne agnosci facile posset, pedibus ivit ac redivit, sarcinula sua, & fasce gravis stipem sibi, sociisque ostiatim mendicans. Fidem excedere videtur tanta animi submissio in Regina, tanta in delicato effœtoque corpore, viarum, laborumque tolerantia, tanta in proprio Regno latendi industria; sed pietatis ingenium qui probe norit, id minime incredibile judicabit. Sane peregrinatio hæc eo gratior acceptiorque Deo fuit, quod nullus applausus populorum, nullus favor urbium, nulla circumfusa multitudinis admiratio, nullus peditum, equitumque famulatus, nullus impedimentorum, currumque strepitus, itineris molestias ullo modo lenire ac mitigare possent.

Conv. Ivodien.

XIII. Ludovicus Comes & Margarita de Lotharingia Comitissa de Los & de Chynejo statuerunt ædificare Fratribus Cœnobium in villa de Yvodio Diœcesis Treveren. Scripsit Archiepiscopo Pontifex ut si expediret, suo nomine Fratribus hoc habitaculum recipiendi faceret facultatem: *Sacræ Religionis*. VIII. Kalend. Decembris. Aliquod oblatum crediderim impedimentum ne ad opus procederetur; non enim hujus Cœnobii invenio vestigium. Occurrit etiam hoc anno memoria Conventus de Ficechio Lucanæ Diœcesis Ordinis Minorum in quodam diplomate, quo Benedictus Pontifex patrocinatur Bonavoltæ plebano sancti Joannis de Ficechio. Hujus loci meminit Pisanus sub nomine Ficcchio, Rodulphus vocat Fichinum in provincia Tusciæ, & custodia Lucana, „ Ex Historia Ecclesiastica Silesiæ monemur, „ hoc anno a Boleslao Lignicensi, & Brigensi Duce Cœnobium Brigense, „ cum Ecclesia sanctorum Apostolorum Principibus dicata fundatum „ esse.

Conv. Ficechii.

ADDITIO ALIORUM. Conv. Brigen.

XIV. Monasterio Clarissarum de Moncellis Beluacen. diœcesis a Philippo Rege & Joanna consorte, Regina Franciæ illustribus fundato, multa & ampla tribuit Pontifex hoc anno privilegia, quæ dabimus in regesto. Hoc etiam anno inchoatum Neapoli a Regina Sancia Monasterium sanctæ Mariæ Ægyptiacæ, pro mulieribus penitentibus, scribunt Gonzaga & Sumontius, sed originem hanc ad annum MCCCXLII. refert Cæsar Engenius atque tunc die XIX. jactum primum lapidem a Joanne Dianio Archiepiscopo Neapolitano, in fundo nuncupato Campani, in ædibus Nicolai Bonifacii, prope vetustam Ecclesiam sanctæ Mariæ de Cerbeto. Aliam prius extruxerat Sancia domum, uti diximus, sanctæ Mariæ Magdalenæ sacram, pro eisdem fœminis a licentiosa vita conversis, in qua sub primo anno Clementis VI. numerabantur trecentæ & quadraginta, uti tunc dicemus ex ipsius Pontificis diplomate. Voluit itaque hoc aliud addere receptaculum, sub titulo alterius divæ pœnitentis, & sub eodem Instituto sancti Augustini, sub quo primum fundaverat, addita cordula sancti Francisci, cujus regimen penes Fratres Minores constituit. Ex consensu Archiepiscopi & capituli exemptum est Mona-

Monast. S. Mariæ Ægypriacæ. *Gonz. 1. par. de hoc Monast. Summont. lib. 3. Engen. in Neap. sacra.*

Ann. 1224. n. 31.

Ann. 1342.

ste-

sterium a jurisdictione Ordinarii, in cujus rei memoriam pendunt Sorores quotannis, in festo sanctæ Mariæ Ægyptiacæ unam ceræ libram Ecclesiæ Cathedrali. Parum abfuit quin eæ meretriculæ, quæ statim ab incœpta domo receptæ fuerunt, redirent ad vomitum, sed fervidis suis exhortationibus ita restitit beatus Philippus Aquerius Reginæ confessarius, ut non solum intra Monasterii claustra remanserint, verum etiam major pars, religiosis emissis votis, se Deo consecrarint. Non amplius patet hoc receptaculum perditæ vitæ mulierculis, sed nobilibus Virginibus, a quo tamen tempore hæc sors mutata incertum.

XV. Inter alias reliquias servatur ibidem caput Divæ Tutelaris sanctæ Mariæ Ægyptiacæ, cujus veritas magno comprobata est miraculo: dum enim anno MDXLII. Jacobus Matalonicus, hujus loci Guardianus, ipso die VIII. festi sacerdotalibus indutus thura adoleret huic sacro capiti, & secum hæsitans diceret: *Quis novit an caput hoc sanctæ Mariæ Ægyptiacæ an alterius sit, cui honor nullus debeat impendi?* statim, amissa loquela, cœpit graviter torqueri, & pene spiritum exhalare. Commoto populo, qui ad solemnitatem convenerat, atque de tantæ rei novitate stupefacto, accurrit frater Cæsar a Cajazza, Monialium confessarius, & præsago animo clamitare cœpit: *Firmissime, Domine, ego credo hoc verum caput esse sanctæ Mariæ Ægyptiacæ*: sumptamque ex ipsa calvariæ aquam, quam ex industria ei infuderat, patienti obtulit, qua hausta, illico convaluit, suamque publice fassus est incredulitatem. Ab hoc tempore sacrum pignus cœpit haberi in majori veneratione. Paruit hoc Cœnobium regimini Patrum Conventualium usque ad annum MDLXVIII. quo translatum est ad Fratres regularis Observantiæ.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. INsinuavimus anno proxime præterito, Joannem Pontificem sub finem
„ vitæ, suadentibus consanguineis, bullam edidisse, qua suam de ani-
„ marum visione ante finale judicium sententiam, explicaverat: nunc vero
„ occurrit notandum, illum eumdem articulum de visione Dei ante judi-
„ cium finale determinatum fuisse, expeditis ob id duobus diplomatibus
„ sub IV. Kalend. Februarii, quorum unum incipit: *Benedictus Deus &c.*
„ penes Petrum Matthæi; alterum vero: *Dudum tempore &c.* penes Odo-
„ rium. Kalend. autem Martii, Pontifex in suum Pœnitentiarium coopta-
„ to fratre Philippo de Montecallerio Minorita Pedemontano: *De Reli-
„ gionis &c.* Philippo Regi Francorum pro Terræ Sanctæ expeditione
„ scripsit: *Sane fili carissime &c.* III. Idus Martii: at pro eodem negotio
„ Siciliæ Regi Roberto: *Diris afflictionibus &c.* XIII. Kalend. Aprilis.
„ Sed Monialibus de Moncello concesso, quod possint recipere personas li-
„ beras & solutas: *Virtutum vestrarum &c.* VI. Kalend. Aprilis. Conser- *Odor. ex n. 1. 65.*
„ vatores privilegiorum Ordinis constituit Episcopos Reatinum & Viter-
„ biensem: *Super egenos &c.* IV. Nonas Aprilis; & sub eadem data Fratres
„ a quacumque jurisdictione Episcoporum & solutione, dato brevi sequenti
„ exemit.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI,

Dilectis filiis Generali & Provincialibus ac universis Fratribus Ordinis Fratrum Minorum, salutem & Apostolicam benedictionem.

Bulla exemptionis FF. a jurisdic. Episc. *Ex Arch. SS. Apost.* *Ex specul. fol. 31.*

„ II. *INter ceteros Ordines, quos Cælestis Agricolæ summa benignitas in horto plantavit Ecclesiæ, Fratrum Minorum Ordinem jam per Orbis provincias superna gratia propagante, diffusum, dum minori fungeremur officio, sincera caritate dileximus, ad statum ejus feliciter promovendum sollicitis studiis intendentes; nec minuit utique, sed auxit potius circa ipsum præbabitæ dilectionis affectum personæ nostræ subsequuta promotio ad apicem Apostolicæ dignitatis; cum tanto propensius ad ipsius Ordinis intendamus augmentum, quanto nobis facultas præstantior, quamquam nostris non exigentibus meritis, noscitur cælitus attributa. Licet igitur nonnulli Romani Pontifices prædecessores nostri præfatum Ordinem a Prælatorum jurisdictione quorumlibet prorsus exemerint, ipsumque fore decreverint per ipsorum litteras speciales exemptum: nos tamen Ordinem ipsum ob salutis fructus innumeros, qui ex ipso noscuntur animabus fidelium provenire, gerentes in visceribus caritatis: & propterea nolentes omnino, ut quisquam, cujusque sit Ordinis, dignitatis, conditionis, aut status, vos generaliter, vel specialiter, ac præfatum Ordinem super exemptionem ipsius, ac aliis vestris dicti Ordinis libertatibus & immunitatibus quibuscumque, sub quavis forma vel expressione verborum, vobis & eidem Ordini ab Apostolica Sede concessis, impugnare, impedire, turbare valeat, vel quomodolibet molestare; vos & Ordinem ipsum ab omnium & singulorum quorumlibet Prælatorum, & personarum Ecclesiasticarum omnimoda potestate, ac jurisdictione prorsus eximimus de Apostolicæ plenitudine potestatis; ita quod nec etiam ratione delicti commissi, vel initi contractus, aut rei sitæ, positæ contra loca vestra exempta, possitis coram eis, non obstante constitutione felic. record. Innocentii Papæ IV. prædecessoris nostri in contrarium edita, impeti, molestari, seu quomodolibet contraveniri: decernentes vos & Ordinem ipsum immediate eidem Sedi, ac soli tantummodo Romano Pontifici subjacere. Ecclesias insuper, Oratoria, & loca, quæ tenetis & inhabitatis ad præsens, ac tenebitis & inhabitabitis in futurum, dum & quoties vos illa tenere, & inhabitare contigerit, exempta prorsus existere, nulloque medio Sedi subesse decernimus prælibatæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ exemptionis, decreti, derogationis, & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum &c.* IV. *nonas Aprilis anno* 1.

Indic. ex Vatic. „ III. Concessa post Indulgentia Monialibus Beluacensibus: *Splendor paternæ &c.* XV. Kalend. Julii; Bertrando Archiepiscopo, & aliis contra Fratricellos: *Dudum ad audientiam &c.* IX. Kalend. Julii; & maxime contra eos, qui per Siciliæ & Neapolis oras divagabantur: *Habet fide dignorum &c.* VIII. Kalend. Julii; scripsit, & aliam contra eosdem executorialem: *Infesta multorum &c.* VII. Idus Julii: lite subinde exorta inter quem-

„ quemdam Plebanum & Fratres Minores, Episcopo Lucano, seu Lucensi „ causam commisit: *Debitum officii &c.* XIV. Kalend. Augusti. Confirma- „ tis vero constitutionibus Ordinis: *Redemptor noster &c.* IV. Kalend. Se- „ ptembris. Tandem plura pro Fratribus nostris statuit ac determinavit: „ *Ut in sacro Minorum &c.* IV. Kalend. Decembris: & Episcopo Majori- „ carum pro Terræ sanctæ expeditione: *Dudum carissimus &c.* XVI. Ka- „ lend. Januarii scripsit. Majoricensi autem in urbe Tertii Ordinis Seraphi- „ ci Sorores religiosam Ædem communem, quam incolerent his temporibus „ habuisse facile persuademur: nam egregius historicus Dominus Vincen- „ tius in suis, quos conscripsit annalibus, asserit, sacrarum Virginum a „ sancto Hieronymo denominatarum Cœnobium, quod vulgo dicitur *san* „ *Geronimo* ab anno MCCCXXXV. usque ad annum MCCCCLXXXV. a Sorori- „ bus Tertiariis nostri Ordinis inhabitatum fuisse. At de hujusmodi æde nil „ aliud scire licet.

Odor. n.65. an.3.

ARGUMENTUM.

Inquisitores Minores severe animadvertunt in Fratricellos. Moritur Alphonsus IV. Rex Aragonum sodalitio devotus. Sancta Elisabetha Lusitaniæ Regina ad superos abit; illius virtutes & miracula diffusius enarrantur, atque inter sanctos solemnis enunciatio. Multiplicantur domicilia.

I. Erant hoc anno Inquisitores in Tuscia frater Michael, in provincia Narbonensi frater Guillelmus de Monterotundo, & in Urbe Pœnitentiarius Pontificius frater Philippus de Monte Calerio, quibus ut in Fratricellos districte animadverterent præcepit, eamdemque curam imposuit Bertrando Archiepiscopo Ebredunen. & Joanni Episcopo Anagnino suo in Urbe Vicario, & Rectoribus Tusciæ, Campaniæ, Maritimæ, civitatis Beneventanæ, Marchiæ Anconitanæ, Romandiolæ, ac Ducatus Spoletani. Roberto etiam Regi Siciliæ scripsit ut eos suo Regno delitescentes procul faceret, vel ad mortem perquireret: atque in litteris ad eumdem scriptis hos nebulones *diversis se nominibus appellantes, diversorum colorum seu petiarum variarum curtos, & deformes gestasse habitus, ab illis quibus Fratres Minores utuntur, plurimum discrepantes*. Et in epistola citata ad Ebredunensem Antistitem, ait, *horum malorum ac superstitiosorum hominum præsumptionem periculosam & temerariam in Italia non fuisse diminutam sed auctam, cum nedum ipsi, quinimo quam plures alii eorum, sub aliis tamen diversis fictis habitibus, sequentes & imitantes damnata vestigia in Urbe, terris & partibus Italiæ, necnon & in Regno Siciliæ disseminantes varios errores & hæreses, non sine multorum fautorum consiliis & auxiliis commorarentur*. Deinde valde conqueritur de Francisco Camerinen. & Jacobo Firmano Episcopis, qui eisdem favorem omnem ex cæca pietate præstabant. „ In Chronicis MSS. Magdeburgensibus, ad hunc annum comperio, in Germania aliam renovatam heresim Luciferianorum, ita enim habent: *Targermunda in diœcesi Brandeburgensi, hæresi Luciferianorum turpissime infecitur, sed per fratrem Jordanum tunc Lectorem Magdeburgensem, & fratrem Nicolaum Ordinis Minorum Guardianum purgatur; & fidei orthodoxæ, quatuordecim personis utriusque sexus in purgatione deficientibus, per Advocatum Marchionis igni traditis, restituitur*.

Fr. Michael Inquisitor Tusciæ. Fr. Guillel. prov. Narbonen. Fr. Philip. Pœnitentiarius Urbis. *Ex lib. secr. ep. 247. & seqq.* Jubet Pontifex animadverti in Fratricellos. *Ibid. ep. 189.* *Ibid. ep. 256.*

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI. Targermund. hæresi liberatur.

II. Hoc anno IX. Kal. Februarii Alphonsus IV. Aragonum Rex justus, pius

Moritur Alphonſ. Rex Aragonum.

pius, moderatus, *Benigni* cognomen sortitus, Barcinone moritur, ibique in Monasterio Minorum, quibus erat addictissimus, sepelitur, uti scribit Zurita: sed inde Ilerdam delatum, atque in Cœnobio eorumdem Minoritarum humatum refert Hieronymus Blancas, cui haud omnino refragatur, quod narrat Zurita, nempe Petrum filium & Regni hæredem, dum Cæsaraugusta Barcinonem ire parat, ut funus Ilerdam ex patris testamento ducatur, accepto nuncio jam sepultum ad Minores Barcinonenses, substitisse, & Cæsaraugustæ ad S. Salvatoris ædem justa pio parenti solvisse, pro rostris erudite declamante fratre Sancio de Ayerne Regis confessario, & regio sanguine orto, postea Episcopo Tyrasonensi, mox Archiepiscopo Tarraconensi, post hæc enim potuit Ilerdam transferri. Sane Gonzaga noster in neutro horum Cœnobiorum hujus Regii funeris meminit: meminerunt tamen Pisanus, Jacobus Oddo Perusinus, & Marianus vetusti auctores, qui Ilerdæ demum sepultum referunt in habitu Franciscano, quem ante mortem sibi petiit concedi. Addictissima fuit semper hæc domus Aragonensium Regum Ordini Minorum, uti ex multis argumentis jam relatis constat, quibus animas in vita, & corpora in morte credebant, eligentes in eorum Ecclesiis sepulturas. Erant autem tunc Regis confessarius prædictus frater Sancius, & Reginæ Eleonoræ frater Joannes de Monteforti, quem a Fragæ oppido ad Sicorum amnem, legatum simul cum Gondisalvo Garcia palatii præfecto ad privignum Petrum Regem destinavit, res suas filiorumque composituram.

Zurita Indic. rerum Arag. & in Annal. lib. 7. c. 27.
Blancas in comment.
Ubi sepultus

Pisan. confor. 8.
Oddo Perusin. c. 31.
Marian. lib. 1. c. 32.
Confessarii Regii.

III. Hujus Alphonsi magna amita Isabella Aragonia, Lusitanorum Regina, Fœmina lectissima & sanctissima, de qua sæpius, & diffusius locuti sumus, etiam hoc anno IV. Nonas Julii ad superos evolavit. Ita statuendum est omnino ex duobus principiis, in quibus omnes vitæ scriptores communiter conspirant, nimirum & natam anno millesimo ducent. septuagesimo primo, & denatam anno ætatis sexagesimo quinto, qui in hunc ipsum annum Christi recurrit. Admiror itaque vitæ scriptores adeo varie opinatos, ut Marcus Ulyssiponen. & ex eo testes aliqui citati in processu canonizationis, dixerint vita defunctam anno MCCCXXXII. Hieronymus Zurita alias gravissimus & diligens rerum Aragonensium historicus, anno MCCCXXXIII. Blasius Freyre anno MCCCXXXVII. reliqui vero auctores, quorum nomina dabimus inferius, unanimiter conspirant, non nisi hoc anno diem obiisse, quod omnino verius, existimo, & ex cænotaphio ad ejus sepulcrum inciso a me infra exscribendo manifestius apparebit.

S. Elisabetha Regina moritur.

Quo tamen anno?

Marc. lib. 8. c. 32.
Zurita lib. 7. c. 18.
Freyre lib. 3. c. 37.

IV. Cum itaque fœmina piissima ex peregrinatione Compostellana anno proxime elapso rediisset, virtutum, maxime humilitatis, operibus & morti meditandæ expectandæque se totam addixit. Ut hujus certissimi omnium finis præ oculis esset spectaculum, fecerat sibi fabricari ex operoso marmore arcam sepulcralem, quam sub hoc tempore ingens miraculum fecit nobiliorem. Etenim verita ne restagnans hybernis alluvionibus Menda fluvius, adlabens de more effusus, divæ Claræ Templum, ubi sepulcrum extruxerat, inundaret, illud ad superiorem Templi partem, ubi novum ædificaverat odeum medio pariete Sanctimonialibus & externis divisum, transferri decrevit. Verum nullis viribus aut machinis fabri illuc prægrandem arcam attolere valebant: *Quid desperatis*, inquit Elisabetha, *moliendo ponderi manus admovete, meas ego etsi aniles, pariter admovebo*. Dixit & arcam leviter baculo impellens, veluti modico gubernaculo sursum adductam aptata in Sede, ubi illam hoc tempore omnes intuentur, facile collocavit.

Ingens Sepulcri miraculose mutavit.

V. Hoc itaque in loco, ubi post mortem requiescere decrevit, dum reliquam vitam tranquille in silentio, & sacro latibulo transigere constituit, ite-

iterum in publicum prodire, ac novos labores oportuit subire. Ortis enim simultatibus inter Alphonsum Castellæ, & Alphonsum alterum Lusitaniæ Reges, quorum hic Elisabethæ filius, ille nepos, & Mariæ nepti matrimonio conjunctus, dum Alphonsus Lusitanus in oppido Sremotio, XXX. M. P. a Castella, bello necessaria pararet, illa tanto malo obviam itura, nullum laborem, nullum vitæ discrimen, viæ molestiam, æstatis calorem, negotii difficultatem verita, Conimbrica discedens, magnis itineribus Stremotium contendit, ut placato filio, nepotem conveniret, nec prius incæpto desisteret, quam eorum animos precibus & auctoritate ad concordiam omnino flecteret, quamvis & sanguine & vita instaret, animamque sub gravi ardui negotii fasce exhalaret; tantus erat Elisabethæ pacis amor & concordiæ. Lusitaniæ & Castellæ Reges dissidentes pacificat.

VI. Contraxit tamen tum ex caloris æstivi injuriis, tum ex itineris jactatione morbum lethalem, quo vehementius urgente, testamentum coram Alphonso filio, & Beatrice nuru condidit, deinde animæ recreandæ cogitatum omnem impendit. Dum vero Beatrix Reginæ socrus adstat obsequiis, & Elisabetha elevatis oculis in cœlum mente contemplatur cœlestia, repente exclamat: *filia, filia* (ita reginam nurum solebat appellare) *cede locum Dei genitrici, quæ candida veste nos sua vult consolari præsentia*. Quarta vero ægritudinis die, expiata magno dolore conscientia, Missæ sacrificium fieri curavit extra conclave, in loco & ad videndum & ad audiendum idoneo. Quo perfecto ut erat religionis amore flagrans, & ad colendum Numen supra modum alacris, vestes induit, surgit e lecto, nitensque utroque genu adrepit altari, ubi flens, ejulans, ingemiscens, aliisque eximiæ pietatis indiciis editis, quasi valedicens rebus humanis, extremum iter factura in cœlestes regiones, sanctissimum Christi corpus in viaticum sumpsit venerabunda. Deinde mortem suam vicinam præsentiens, etsi medici aliter sentirent, remotis arbitris, multa cum filio de pace, cæterisque rebus necessariis colloquuta, animo ad cœlestia tantummodo intento, se viæ accingebat, Deiparæque Virginis imprimis opem exposcens, versus illos magno animi sensu repetebat: *Maria mater gratiæ, mater misericordiæ, tu me ab hoste protege, & hora mortis suscipe*. Deinde Apostolicum Symbolum, Dominicam precationem, & alias minores cum recitasset, accepto unctionis extremæ Sacramento, paulatim voce, sensibus ac viribus deficiens, ore, oculis, vultu cœlestem ad spem compositis, corpus ita deservit laborum socium per annos LXV. magnus ille animus, ut levi potius consopitum somno, quam exanime videretur; evectus ipse in patriam suam, terram beatam, felicitatis æternæ domicilium. Digna profecto heroina ut ante illustrium reginarum oculos perpetuo observetur, atque ad vivum hoc exemplar, & archetypum, maximarum virtutum speculum, suos mores diligentissime componant. Inferioris vero conditionis fœminas pudeat saltim aspernari virtutis & pietatis opera, quæ Serenissima Regina amanter diligenterque amplexa est. Sub mortem videt Dei genitricem. Pie sacrum suscipit viaticum. Elisabetha virtutis exemplar.

VII. Ea igitur, qua mortua est, luce, & nocte dieque insequenti complures sacri Antistites solemnes in funeribus precationes, regio quidem, sed ferali apparatu ante sanctissimum cadaver decantarunt. Id vero ex ultima Reginæ voluntate (cujus adamussim adimplendæ procuratores testamento designaverat Alphonsum filium, & Pontificem Lamecenum) Conimbricam deportandum erat. Non deerant tamen qui aut in eodem oppido apud Franciscanum Monasterium, aut Eboræ, quæ parum distaret, in Templo maximo deponendum esse judicarent, donec absumpta carne, ossa commode transferri possint Conimbricam, & in regio sepulcro collocari; ita neque Re- Corpus Conimbricam defertur.

ginæ voluntatem rescindi, neque intolerabilem prosequendi exanime corpus laborem ac molestiam gravissimis injungi. Cum vero e contra alii existimarent non esse vel latum unguem a Reginæ voluntate discedendum, sed omnia sicut testamento notarat exequutioni mandanda; Rex, uti bonum procuratorem decebat, horum sententiam magis probavit.

VIII. Quamobrem die proximo (qui Veneris erat) a Reginæ obitu corpus illius bene compositum, ligneoque loculo inclusum, sed neque exenteratum, neque ullis aromatibus, ut ipsa jusserat conditum, Pontifice Lameceno, aliisque multis præclaris viris officii causa prosequentibus, deportatum est Conimbricam. Sed loculus ascensu, descensuque montium creberrime ac vehementer in itinere adeo longinquo concussus, rimas agere cœpit, qua humor quidam crebra illa jactatione expressus, e cadavere defluens, honorarios viæ socios in varias distraxit sententias, aliis deliberationem Alphonsi de cadavere tunc Conimbricam portando incusantibus, aliis e contra defendentibus. Primi eo argumento se tuebantur, quod jam putida sanies exhalaret, quæ non modo Comitatum omnem gravissime offenderet, sed etiam aerem ipsum instar pestilentiæ infestaret. Id pernegant alii de sanctissima Regina dignius sentientes. Accedunt utrique victoriæ cupidi ad loculum: diffluentem liquorem excipiunt digitis hic, alius manibus, odorantur, sentiunt omnes, mulieres, viri, equites, nobiles, ignobiles, profani, & religiosi miram quamdam suavitatem, cœlestem fragrantiam, odorem naribus hominum numquam antea perceptum, admirantur, exclamant, inter gaudia lacrymantur: Deum miraculi auctorem agnoscunt, Elisabethæ sanctitatem gratissima recordatione commemorant, deprædicant, exaggerant, venerantur, pergunt hilares, non jam reginæ cadaver, sed pretiosissimas divinæ fœminæ reliquias animo, cura, cogitatione attenti diligenter custodiunt, libentissime prosequuntur. Admirationem tamen, ac religionem duo alii non minus inopinati eventus auxere: nam Alphonsus Martinus sacerdos ex familia Lameceni Pontificis, & Joannes Maceria Reginæ, dum viveret, vestiarius, molestissima febri laborantes, ad loculum accessere venerabundi, prosperamque sibi unusquisque valetudinem precati, illico ab omni morbo & molestia se liberatos esse divina ope, sanctissimæque Reginæ meritis senserunt.

Suavissimi odoris emittit liquorem.

Duos curat febricitantes.

IX. Septimo tamdem die per iter æstuosissimum, & torrentissimum solem Conimbricam perventum est, atque in feretro depositum cadaver in medio sanctæ Claræ Templo omnibus patuit ea luce, & prodigiis neque paucis neque vulgatis a Deo illustratum est. Inter reliquas nutrices nobilium puerorum, quas regina domi vivens habebat, Maria Michaelia Leiriensis deformem gibbo ingenti dexteram manum gerebat, cui Maria quædam, Dominici filia, Reginæ ancilla, & in extremo illo itinere, ac morbo comes: *ora*, inquit, *Deum ut per Reginæ sanctitatem liceat tibi manus tuæ recuperare sanitatem*. Linteo deinceps, quo malagmata Reginæ imponenda solerent excipi, gibbosam dexteram obvoluit, & bono fidentique animo esse jubet: illico revelata manus inventa est tota æqualis & integra.

Gibbosam manum sanavit.

X. Lamecenus Pontifex, quia repleri omnia plangore ac lamentationibus videbat, decrevit cum viris aliis gravissimis, regii funeris procuratoribus, corpus nocte illa proxima ad gallicinium sepulcro includere, aliumque inanem loculum, ne fraudem multitudo experrecta intelligeret, substituere: factum tamen est divina voluntate, ut minores urbis magistratus, aliique mortales ad id munus advocati tanto mergerentur sopore, ut evigilare nequirent, nisi certissima luce, cum jam religiosæ familiæ omnes, sacerdotes-

Omnes ei parentant.

tesque complures ex omnibus Templis convenissent, officium debitum carissimæ Reginæ, communique parenti, in præsentia ipsius sanctissimi cadaveris magnifico ritu, etsi funebri apparatu, præstituri, atque pietate singulari parentaturi.

XI. Inter hujusmodi vero sacra parentalia, & paulo post illa, incredibile dictu est, quam multis, & quam inopinatis morborum omnigenum curationibus Deus palam fecerit, quanti ipse apud se in cœlo regnantem faciat Elisabetham. Erat in eo Monasterio virgo, ita genuum vehementissimis cruciata doloribus, ut aut ingredi, aut flectere genua nullo modo posset; illa tamen magna spe concepta, animo Reginam amice rogat, ut sibi fas esset fungi supremo illo in carissimam parentem cum reliquis sociis virginibus officio; en tibi dicto citius voti compos, salit præ lætitia, incedit coram aliis rei novitatem inexpectatam admirantibus, procedit ad exequias pro liberatrice sua libenter, & si illam iis precibus minime indigere probe intelligeret, precatura. Exequiis peractis, multi viri Principes feretrum humeris subeuntes, regium cadaver ad mausoleum superiore odeo, ut antea memoravimus, proxime in Sacello collocatum extulerunt, quorum manus, atque vestes sanie diffluenti madefactæ, divinam quamdam spirabant suavitatem. Ubi virgines intra Sacellum habuere parentis suæ dulcissimæ corpus tuendo, amplectendo, & osculando inter lacrymas, & singultus expleri non poterant, quarum una nomine Constantia Ania, patria Eborensis, jamque horribili insanabilique affecta morbo, labia, gingivasque carcinomate rodente, deformiter amiserat. Hæc igitur magna de Elisabethæ sanctimonia, ac eximiis apud Deum meritis concepta existimatione, spei ac fiduciæ plena, feretrum suppliciter osculatur, ac statim recedit integra, sana, venusta. Lætatur ipsa, gestit, gratias agit, sociæ inspiciunt, admirantur, congratulantur.

Genibus male habentem curat.

Item aliam ore male affectam.

XII. Quotquot funeri interfuere mortales, per roseta odoriferaque prata visum sibi spatiari, dum ex ipso cadavere diffusum odorem accipiebant, domum unusquisque suam redeuntes testificabantur, ut in tabulas publicas, ne oblivione injuriosa deleretur, ex Lameceni Episcopi mandato, relatum est. Inter discedentium a funere non mediocrem, ut fieri solet, tumultum, Ferdinandus Stephanus Conimbricensis, dum propellitur a turba, pedem clavo præacuto, qui ex feretro deciderat, transfigit, quo per acerbissimum dolorem avulso, ita vulnere adhuc præpediebatur, ut aut stare, aut incedere nequaquam posset. Conversus ergo ad sanctissimam Reginam pia simplicique querimonia: *Itane*, inquit, *sanctissima Elisabetha, ceteri, si claudi venerant, ex tuo funere integri, reliquique domum redeunt, ego qui firmus ac sanus veneram, redibo sauciatus & claudus?* Res mira! Piam quærimoniam firmissima excepit valetudo, ne vestigio quidem relicto cicatricis.

Alium pede sanum.

XIII. Maria Martinia in parœcia sancti Christophori, civis Conimbricensis, antiqua cœcitate pœnitus ab usu videndi impedita, Reginæ prodigiosam post mortem in miseros beneficentiam audiens, ad ejus sepulcrum duci voluit, quo cum pervenisset, humi parumper jacens, enixe rogavit Deum, ut sibi per Elisabethæ merita liceret impetrare jamdiu amissam videndi facultatem. Hæc ubi oraverat, obdormiit sponte sua; ac paulo post ita vigilavit, ut alterum oculorum solutum reperiret, videretque sepulcrum & sacellum. Quare supra modum hilaris, Deo Reginæque patronæ suæ ingentes habet gratias, domumque ad sororem Margaritam revertens alterum sensit oculum aperiri divina vi, & Elisabethæ beneficio. Illa donum a Deo sanctissimaque Regina perfectum consecuta, solvitur tota in gratiarum actionem: sorori, reliquisque mortalibus, qui prius captam oculis

Cœcæ visum restituit.

lis noverant, ingentem affert admirationem. Deinde vix trigesimo die ab Elisabetha sepulcro recondita, quædam fœmina, Dominica Dionysia dicta, mire pallida, & exanguis ad monumentum accessit, orans liberationem ab enormi sanguisuga, quæ illius fauces incluserat, ac spirandi facultatem propemodum impedierat, sanguinemque totum exhauserat; ecce tibi cum admiratione multorum, qui aderant, mortalium, illa insaturabilis humano sanguine bestia in terram sponte sua, sed vi impellente divina, desiliit, miseramque fœminam vitæ periculo liberatam, hilarem, Reginæque gratam reliquit.

Alteri periclitanti vitæ sospitatē.

Duabus fœminis visum restituit.

XIV. Theresia Rodriguez, civis Scalabitana, oculis capta, Reginam enixe, fidenterque precata, carissimum sensum recuperavit, & gratias pro tam singulari beneficio actura, Conimbricam se contulit ad sepulcrum, ubi testificata est multa alia concivibus suis Elisabethæ patrocinio & meritis, beneficia ab optimo, maximoque Deo collata esse. Eodem videndi munere donata rediit a sepulcro Elisabethæ fœmina alia cujusdam Canonici Augustiniani, nomine Alphonsi Fernandii, mater.

Mœstæ matri filium reddit.

XIV. Alia mater tenuis quidem mulier, & afflicta colona Taveriensis, qui vicus est in agro Conimbricensi, absentis filii desiderio, eo quod nesciret ubi terrarum degeret, mortuus ne an vivus esset? Rogavit illa affectu vehementi Reginam, ut filii conspectu frui posset antequam e vivis discederet: illico juvenis, qui centum viginti millia passuum aberat tam miro repatriandi studio, ac desiderio se commotum sensit, ut a patriis laribus, maternoque conspectu remotus, ne momento quidem temporis sine dolore & angore consistere posset. Quamobrem animi secutus inopinatum ardorem, coram matre fuit ante octavam diem ab ea, qua supplicatum Reginæ fuerat pro reditu. Mater beneficii agnoscens auctorem, cum filio hilaris ad sepulcrum Elisabethæ venit gratificatura.

Ab hirudinis molestia jā jam moriturum liberat.

XVI. Eboræ apud Benedictum Pererium famulus quidam ipsius propediem moriturus, in lecto jacebat ex hirudinis, quæ faucibus intimis pertinaciter adhæserat, perpetua per dies quindecim sorbitione, nec vocem reddere, aut cibum capere biduo jam poterat, ideirco necessaria quæque producendo funeri comparata, & in promptu erant. Mulieres tamen quæ aderant, & mira ab Elisabetha per illos dies ubique patrata intellexerant, ut potuere monent, ut sanctissimæ Reginæ opem tacito pioque corde imploret. Ille, sublatis in cœlum manibus, animi votum significavit, ac e vestigio tussis subitanea hirudinem crassitudine horridam, teterrimi sanguinis involucro formidolosam eructavit, eademque die, & loquentem & valentem hominem Elisabethæ beneficio reliqui mortales sunt admirati. Stephanus Gonsalvius Leitanus, vir apprime nobilis, & militaris Ordinis Lusitani, cui a Christo nomen est, Magister, Reginæ olim honorarius famulus, brachium ita stupidum ex vulnere habebat, ut nihil tenere, aut comprehendere posset. Is vero certissime sperans firmitatem sibi pristinam a Deo fore concedendam, ob eximia Reginæ merita, fidenter oravit ad illius sepulcrum, & domum firmus valensque revertit, ut ipsemet Conimbricæ coram urbis Præfecto jurejurando sancte confirmavit.

Alterum brachio læsum sanat.

Obsessam a malis spiritibus liberat.

XVII. Lamecena mulier quamplurimis obsessa dæmonibus, per varias peregrinationes pie susceptas ab aliis jam liberata, septem obstinatiores retinebat, qui negabant se ab illa discessuros, donec ad Reginæ monumentum veniret. Multis ergo comitata cognatis, & germanis Fratribus duobus Minoritis, venit misera fœmina ad monumentum. Tota nocte in precibus transacta, dæmones ad primam lucem, uti solebant, vehementer mulierem ve-

vexare cœperunt; sed Reginæ ope fugati sunt, & mulier obsessa cum sociis gratias agentes, domum læti redierunt. In ipso Parthenone virgo quædam manum dextram impetigine vehementi ac deformi vexatam gerebat, cum in spem sanitatis erecta, si manum ceream Reginæ obtulisset, id sedulo fecit, ac intra brevissimum tempus, & molestus ille pruritus, & deformitas sponte sua excidit. Hæc & alia pene innumera beneficia multis a Deo collata, ob eximia Reginæ merita, illaque viventis excellens pietas, misericordia, liberalitas, religio, patientia, prudentia, constantia, omniumque virtutum cumulata series ita sanctitatem illius singularem apud Lusitanum populum effecerunt, ut antonomasticos *Regina sancta* appellari in hanc usque diem consueverit. Aliam manu laborantem sanat.

XVIII. Mirum sane qualiter tam excellentis vitæ, sanctimoniæ,& miraculorum memoria exciderit, ut longo tempore Conimbricensis non dixerim urbis, sed & Monasterii mœnibus occlusa lateret. Eam primus propagare cœpit anno MDXVI. Emanuel Lusitaniæ Rex, religiosissimus Princeps, obtenta per suum Legatum Michaelem Sylvium a Leone X. facultate colendi sanctissimam Reginam solemni ritu, ejusque imagines publice ac privatim dedicandi in tota diœcesi Conimbricensi. Lucius Andræas Resendius, vir sua ætate eruditus, Officium Ecclesiasticum eleganter pieque composuit solemnibus Reginæ feriis decantandum. Postea Joannes, hoc nomine tertius, Rex apprime religiosus ac pius, obtinuit primo ut eumdem cultum in Regia, ubicumque esset, exhibere fas esset Elisabethæ. Deinde a Pontifice Maximo Paulo, ejus nominis quarto, potestas facta, eodem Rege postulante, ut ubique terrarum quam longe lateque pateret Lusitanorum Regum ditio & imperium simili ritu ac veneratione coli posset Elisabetha. Quo tempore Joannes, Elisabethæ imprimis studiosus, instituit, ut anniversaria celebritate in collegio Regiaque Conimbricensi Academia, quæ maximis sumptibus erexerat, dies festus more scholastico recitata de Elisabethæ laudibus panegyri,multisque scriptis & affixis carminibus,ageretur pridie Nonas Quintiles, tunc enim Elisabetha, ut supra memoratum est, ad cœlites commigravit. Quinam Elisabethæ famam dilatarunt, & cultum?

XIX. Non defuere per hæc tempora sanctitatis ejus clarissima argumenta; nam in frequentissimo Monasterio nobilium fœminarum Ordinis sancti Bernardi prope Conimbricam, cui a finitimo vico *Cellæ* nomen est, Anna Azpilcueta, virgo genere clara, jamdiu cruribus ita laborabat, anno MDLI. ut incedere nullo modo posset. Huic magistra virgo veterana pridie feriarum sanctæ Elisabethæ serio commendavit, ut a Regina pristinam sanitatem pie fidenterque rogaret. Fecit illa, prout magistra commonuit. Et somnus obrepit, & secundum quietem sibi visa est audire quemdam præcipientem, ut surgeret, crura Elisabethæ munere pristinum in statum revaluisse. Excitatur spectro virgo, ac primum tota concussa pavore obriguit, deinde vestes arripiens, & corpori circumdans exiliit e lecto, firmansque rectis passibus vestigia ad odeum, ubi reliquæ virgines matutinas precationes solvebant, hilaris & festina se confert. Cantus in lacrymas, gaudio & admiratione plenas, convertitur; subsequitur communi consensu gratiarum actio jucundissima. Martinus Azpilcueta Navarrus, Christianæ Reipublicæ magnum decus, virginis consanguineæ beneficium, a Regina acceptum, publicis Notarii litteris prosequutus in processu citatur tamquam testis, qui præstito juramento refert, se neptem hanc comitatum fuisse, quando perrexit ad sepulcrum sanctæ Reginæ gratias redditurам pro accepto sanitatis beneficio. Civitates omnes Joannæ, Caroli V. filiæ, ab Alphonso Principe Lusitano jam tunc Cruribus dolentem sanat.

tunc defuncto, relictæ gravidæ partum masculum per continuas, publicasque supplicationes expectabant, ne Lusitanorum Regum deesset prosapia virilis, quæ in uno sene Joanne Rege, Alphonsi Patre, & Henrico Cardinale perseverabat. Conimbricensis civitas ad Elisabethæ sepulcrum supplicationem publicam instituit, ibique universo populo vota faciente, natus est Ulyssipone Sebastianus, qui licet gentis Lusitanæ breve solatium extiterit, illum debent Elisabethæ. Illius enim fuit dedisse tantum, tam fortem & tam religiosum juvenem, gentis vero infortunii illum in florenti ætate amisisse.

Ejus meritis tribuitur nativitas Sebastiani Regis.

XX. Vulgo mulieres lacte carentes ad filios aut alumnos nutriendos, Elisabetham pro eo impetrando solent implorare, quod videtur originem traxisse ex præcipuo studio, quo Regina Deiparæ Virginis lacte plenam exiguissimam ampullam vivens coluit, & in sacello ejusdem Virginis a Penna nominatæ in arce Leiriensi collocavit, ubi mira etiam hodie religione illorum populorum colitur, uti ipse conspexi: aut certe ex sollicita cura, quam posuit vivens in pueris expositis alendis, enutriendis, atque educandis. Id omnino liquet ex actis apotheseos ipsius, nimirum multa esse in hoc genere facta per illam miracula, & plusquam viginti testimoniis ac fidei dignis comprobantur.

Lac mulieribus ministrat.

XXI. Alenquerio vicinus est fluvius, qui fere morbis omnibus medetur, etiam nostra ætate; recens quoque in actis apotheseos curati dicuntur multi, inter quos fuit puer facie ustulata, & alius ophthalmia laborans; item quidam altero pede captus. Quam virtutem populus inditam fluvio credit propter frequentem Elisabethæ præsentiam, & sanctarum manuum ablutionem. In oppido Castanearia non minor est prodigiorum frequentia apud imaginem Reginæ, quæ in Monasterio Virginum sanctæ Claræ jamdiu conservatur, cum publica oppidanorum veneratione. Principium dedit soror Guimara, ejusdem Collegii sacra virgo; ea enim quadragenario afflictata morbo, & deliquiis sæpe oppressa diuturnis, ac vehementibus Reginam pro valetudine precata, vovit cereum munusculum ad ejus sepulcrum appendendum. Vix voti rea fuerat, jam compos omnino erat desiderii. Lues grassata totum pene collegium infecerat, & virgines tres propemodum confecerat; omnes tamen voto concepto, se unanimi consensu astrinxere in posterum ad sacrificium solemni ritu, precesque vespertinas annuatim peragendum ea die, qua Regina cœlo reddita est. E vestigio lues evanuit, moribundæ virgines convaluere, mali timor omnis abscessit. Annos circiter XXV. votiva hæc solemnitas per virgines adamussim celebrata fuerat, cum Andreas de Leiria Minorita, homo pius, ac illarum virginum a confessionibus, religione tactus, eo quod Regina superis rite non adhuc esset adscripta, celebritatem hujusmodi interdixit; sed statim ab interdictione Andreas, & quæ illi consenserat, Abbatissa, gravem morbum contraxere; ii tamen morbi causam non obscuram facile subodorati, votivam illam solemnitatem illico restaurari curarunt, ipsique ab eodem qui dederat ægritudinem, brevi valetudinem receperunt.

Fluvius ejus attactu miraculosus.

Imago ejus prodigiosa.

Monialem male habentem liberat.

A grassante lue Monasterium liberat.

Ejus cultum impedientes corripiuntur.

Promoventes sanantur.

XXII. Ea res pietatem, studiumque illarum virginum erga Reginam mirum in modum accendit. Inter alias soror Agatha ab Spiritu sancto cognominata, sanguinis vomitu & maligna febri consumpta; ac soror Eufrasia de Cruce gravissimis doloribus, thoracisque inflammationibus vexata, exiguo voto Reginæ nuncupato, perfecte convaluerunt. Imo soror Francisca de stigmatibus omnino surdastra, oleo lampadis, quæ ante Reginæ imaginem ardebat, illitis auribus, audiendi facultatem expeditissimam recepit.

Tres Virgines a variis liberat morbis.

XXIII. In

XXIII. In parthenone Deiparæ a Ribeira non impar extitit versus sacras illas virgines Reginæ favor & benignitas. Nam Catarina de Trinitate ex altissima cadens scala manifesto vitæ periculo Reginam fidenter invocavit, atque ad terram, nullo accepto nocumento, integra pervenit. Eadem quoties febri, capitis, auriumque dolore vexaretur, nullam præter Reginæ implorationem adhibere solita est medicinam. Quinque præterea virgines, quarum duæ aurium doloribus, tertia strumis, quarta oris inflammatione molestissima, quinta, quæ novitia erat, dotis defectu inter maximas versabatur angustias, Regina pie confidenterque invocata, omnes prosperum festinumque successum optatis suis habuere. Idem sacrum Collegium gratificationis causa anniversariam Reginæ celebritatem, copiosa etiam pauperibus largitione facere consuevit, sed innumeræ indigentium multitudini sæpenumero parata cibaria non sufficiebant; semper tamen divinitus multiplicata annona, fragmenta non modica superfuere. In eodem loco Joannes Rodriguez cæmentarius in die Reginæ sacro laborare conatus, & a virginibus, ne id faceret prohibitus, nihilominus laborem aggressus, illico solutis nervis, dexteram operi inutilem sensit, sed eam irreligiosæ pertinaciæ pœnam agnoscens, votoque subitaneo adstrictus, fore sibi perpetuo diem illam religiose in otio colendam, dicto citius primam firmitatem adeptus est.

Alias quinque a diversis eripit molestiis.

Multiplicat pauperum annonam. Ejus die laborans plectitur, pœnitens sanatur.

XXIV. Quotidiana præter hæc facta sunt ad illius monumentum prodigia; quæ cum maxima sint, frequentia ipsa & multitudine notam admirationis perdiderunt. Certe immensus labor esset singula recensere: summatim vero dixerim, incredibilem esse concursum populorum, civitatum, regnique totius etiam per supplicationes publicas, vel nova beneficia rogantium, vel pro acceptis in præsentia gratificantium ad ejus sepulcrum, oleum lampadis, quæ ibidem pendet, magis depellendis morbis, quam pascendis flammis inservire solet. Gravissimis etiam testimoniis acta apotheoseos, præter alia multa confirmant, sex moribundos morti fuisse ereptos per Elisabetham, quinque claudos restitutos, furiosum unum ab insania liberatum, elephantiacos duos absterfos, cancrum unum expulsum, brachium homini solidatum, sacram spinam loco suo repositam, dæmonem fugatum, vinctum a carcere solutum, fabrum deciduis ex altissimo ligneis fulcimentis cum iisdem crectum, denique nullum morbi genus non curatum, nullam calamitatis speciem non propulsatam, invocata Elisabetha.

Crebra miracula ad ejus sepulcrũ.

XXV. Crebris his instigata prodigiis pietas Lusitana ubique celebrari sanctissimæ suæ Reginæ concupierat sanctimoniam; excitaveratque Sebastiani Regis animum, quo apud Paulum IV. ageret, ut superiorum Pontificum diplomata circa beatæ Reginæ cultum amplificaret, & potestatem faceret ejus imagines exponendi, annua sacra faciendi, eique preces fundendi, per universum Lusitaniæ dominium, quod ei facile fuit obtinere, diffusa undique sanctissimæ fœminæ celebri opinione, & publica prodigiosæ fama virtutis. Anno deinde MDCXI. Catholicus, & vere pius Rex Philippus III. cum Margarita consorte repetitis precibus postularunt a Paulo V. ut in Sanctorum catalogum eamdem adscribere dignaretur. Rei examen commisit ille tribus sacræ Rotæ Romanæ Auditoribus, Francisco Pennæ Decano, Francisco Sacrato, mox Archiepiscopo Damasceno, & S. R. E. Cardinali, & Alphonso Quiñones de Manzanedo, postea Patriarchæ Hierosolymitano, qui in hujus nostri Collegii Templo, sub mortem delegit sepeliri. Hi vero remissorias & compulsorias in forma direxerunt Alphonso Albicastrio Conimbricensi, Alphonso Mexiæ Leyriensi, Episcopis; & Francisco Vazio Pin-

Ejus cultus amplius propagatur.

Agitur de eadẽ canonizanda.

Pinto Catholicô Regi a Consiliis, ut adhiberent necessarias probationes testibus ac scriptis, aliaque authentica documenta statuerent de vita, sanctitate, & miraculis sacræ Reginæ. Illi vero cum causæ Procuratoribus, examinatis multis testibus, extractis juribus, & juridicis processibus efformatis, Romam omnia ad prædictos Rotæ Auditores transmiserunt.

XXVI. Horum omnium, & si magnorum voluminum, habeo apud me exemplaria, hujus nostri Collegii archivo ab Illustri Domino Michaele Suario Pererio viro docto, olim Academiæ Conimbricensis Cathedratico, Regni Lusitanici, uti vocant, Agente, Brasiliæ Episcopo olim renuntiato, hujus causæ procuratore, propter veteremnostram amicitiam, concredita. Dum hæc Conimbricæ fierent, ego in ipsa urbe commoratus, studiis Theologicis operam dabam, præsensque audiebam, & videbam magnalia, quæ de sanctissima referebantur Regina. Ultra omnia me commovit integri & incorrupti corporis inventio, & sacri pignoris speciosum, perpetuumque miraculum. Ibi tunc eram quando prædicti judices, cum multis gravissimis viris ad sepulcrum venientes, illud coram peritissimis medicis, chirurgisque aperiri fecerunt anno MDCXII. die XXVI. Martii. Ablato itaque marmoreo mausolei operimento, intrinsecus capsa e pretioso ligno fabrefacta, corioque bubalo ad æternitatem convestita, sanctissimum cadaver lineis involucris, bissinaque sindone gemina coopertum, serico velo faciem tegente includebat. Vestem thorace tenus cum magna reverentia educentes Medici, corpus succosum, candidum, integrum, firmum & tractabile repererunt. Jam vero faciem ipsam quotquot aderant inter hilares lacrymarum rivos non poterant non mirari dormienti non absimilem, lætam, affabilem, compositam, materna adhuc pietate plenam, pristino candore, vivacissimoque rubore de morte ipsa per annum fere CCLXXX. triumphantem. Aderant viæ Comites, & immortalitatis participes baculus & crumena, quondam ab Archiepiscopo Compostellano Reginæ data, peregrinationis & pietatis gloriosa insignia, quæ Abbatissæ & Monialium sunt deputata custodiæ.

Corpus post aliquot secula integrum repertum.

XXVII. In lapide superiori, quo totum operiebatur monumentum, insculpta erant hæc carmina magnis caracteribus atris, totam sepulcri quadraturam ambientibus.

Elisabetha jacet sacro hoc Regina sepulcro,
Quæ meritis nitidi fulget in arce Poli.
Nempe ita dum vixit cæco se gessit in orbe
Virtute, ut morum vixerit omne genus.
Quo fit ut a summo Diva hæc selecta Tonante
Regnet; in Angelico nunc vivet usque choro.

In vicino pariete ad sepulcri caput conspicitur lapis alter, cui litteris Gothicis deauratis incisum est hoc Cœnotaphium.

Æra MCCCLXXIV. *dic* IV. *Mensis Julii, in Castro de Estremos obiit inclyta Donna Elisabetha, Regina Portugalliæ, & fuit sepulta* XII. *die dicti Mensis in hoc Monasterio sanctæ Claræ, quod ipsamet fieri jussit & dotavit: & fuit uxor Domini Dionysii Illustrissimi Regis Portugalliæ, & filia Regis D. Petri de Aragonia & Reginæ Donnæ Constantiæ, atque Mater D. Alphonsi Sereniss. Regis Portugalliæ, & Dominæ Constantiæ Reginæ de Castella, fuitque avia Regis Alphonsi de Castella, & Reginæ Donnæ Mariæ uxoris suæ: hos honoravit, iisque benedixit: cujus anima requiescat in pace.*

Vel ex hac inscriptione liquido constat, quod paulo ante dixeramus, nempe

pe obiisse præclarissimam Reginam hoc anno MCCCXXXVI. namque si ex *æra* MCCCLXXIV. annos demas triginta octo, quibus ante Christum natum anno quarto instituti Trium-viratus apud Romanos, sub *æræ* nomine supputari seu numerari cœperunt anni apud Hispanos, vel ex ingenti ære collato Octaviano Augusto, vel alia de causa, quod modo disputare non libet, recurret certe tempus & annus signatus mortis Reginæ in eum ipsum, quem statuimus.

Vid. notas Garsia Loaysa ad Conc. Eliberitinum verbo Æra. Vasæus in Chron. cap. 22. Baron. 22. Octob.

XXVIII. In pulchro hoc reconditorio invento pretioso thesauro, Episcopus Albicastrius Deum glorificans exultabundus & lætus, de pulchriori & nobiliori cogitans custodiendi & conspiciendi sacri pignoris loco, sacellum pariete integerrimo, qui Virginum superius odeum distinguit, polito ex marmore ædificavit testudine deaurata, cancellisque ex solido ac pretioso argento conspicuis; in medio argenteum mausoleum variis minutisque cœlaturis insigne collocavit, apertis ingeniose fenestrellis, quæ chyrstallinis specularibus ornatæ, corpus in lecto aurea veste instrato, recumbens, in ipsius Reginæ anniversariis, remotis laminis, ab exteriori latere confluenti populo, ab interiori vero Monialibus ostentarent. Neque ea tanta liberalitate versus Reginam sanctissimam contentus Pontifex magnificus ac religiosus, triginta quoque aureorum millia apud Catholicum Regem moriens in deposito reliquit, nummariis syngraphis in Urbem transferenda, ad illius Canonizationis ex parte faciendas expensas.

Conimbricen. Episcopi in sanct. Reginam pietas.

XXIX. Dum vero in processibus Conimbricæ efformatis, & Romam, uti diximus, transmissis, diligenter expendendis tempus, atque operam Rotæ Auditores impenderent, accidit ut Paulus V. prius, deinde Gregorius XV. ex hac vita migrarent, quapropter inchoatum opus non potuit absolvi. Successit Urbanus VIII. apud quem suas preces interposuit Philippus IV. per prædictum Lusitanici Regni Agentem, ut tamdem sanctissima Regina digno afficeretur honore. Placuit Pio Pontifici optimi Principis votis assentiri, causamque commisit examinandam Rotæ Auditoribus, Joanni Baptistæ Coccino Pecano, Alphonso de Quiñones Manzanedo, & Rotæ locumtenenti Jacobo de Cavaleris: quod per gravissimas & honorificas has litteras Regi voluit significatum.

URBANUS PAPA VIII.

Carissime in Christo fili noster, salutem &c. Mirari non debet Europa tam illustribus Omnipot .... clement .... beneficiis decorari Hispaniarum Imperium, quæ tot Sanctos educarunt, regnantes in terris, & triumphantes in cælo. Qui regnis istis invident per vanos thesauros, & Indicas gazas, discant ibi non raro latissimum esse felicitatis proventum, ubi uberrima floret sanctimoniæ seges. Quatuor beatis Hispanis non ita pridem triumphalia sanctitatis ornamenta prædecessor noster una die decrevit: consimilis honor non paucis isthic genitis quotidie postulatur. Et cum Catholicas aras Castellanus nuper orator obtinuerit, in tantæ nunc gloriæ societatem vocatur Lusitana Regina, ut pateat utrique terrarum Orbi, nullum in Provinciis Majestati tuæ subjectis, esse hominum genus, aut tam vili inopia deformatum, aut tam superbisicis opibus præpollens, quod sanctorum ferax non sit. Gratulamur Majestati tuæ cælestem hunc Hispanorum eum Christo regnantium chorum, quorum patrocinio non minus, quam legionum excubiis tranquillitas Provinciarum custoditur. Quod vero ad beatam Isabellam Reginam pertinet, laudamus cum primis pietatem Majestatis tuæ, radiatum dia-

diadema Regali capiti postulantis, cupimusque ex tantæ Reginæ honoribus consulere, & Provinciarum istarum, & Regiæ domus vota consolari: jussimus ergo acta confici, & testimonia explorari diligentissime. Porro autem accuratissimis precibus rogabimus Patrem luminum, ut Regium hoc sydus, fulgens splendoribus Sanctorum Pontificiæ menti ita detegat, ut illud toti Ecclesiæ adorandum proponere, quam primum possimus. Non deest autem qui cælestem hanc causam diligentissime agat, & Lusitani Regni Catholicæ Majestatis preces exponat. Nam dilectus filius Michael Soares Pereira, qui Portugalliæ negotia in urbe curat, tuæ pietati obsequens, Pontificiam etiam voluntatem demeruit, cum beatæ Reginæ dignitati, singulari industria & prudentia serviat. Ceterum quanto studio negotium tam grave conficiendum curemus, nobilis Vir Dux Pastranæ, & Michael Soares Pereira, qui Regias litteras reddiderunt, luculenter testabuntur Majestati tuæ, cui Apostolicam benedictionem amantissime impartimur. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem. Die XVII. *Augusti Pontificatus nostri anno* I.

XXX. Interim omnia examinarunt prædicti Rotæ Auditores, compereruntque singula justis ponderibus librata, & causam transmitti posse ad sacrorum Rituum Congregationem, ut illa visis & perpensis, quæ ad hanc materiam spectabant, suam sententiam diceret circa beatissimæ Reginæ canonizationem. Sacri vero hujus consessus Cardinales acceptis monumentis, & integra totius facti relatione, in dictis pluribus sessionibus, in quibus Auditorum conclusiones accurate ac diligenter examinarunt, unanimi consensu dixerunt die XXVIII. Septembris anno MDCXXIV. processus omnes valide, legitime, & legaliter fuisse compactos, & sanctitatem ac miracula sufficienter & solide fuisse comprobata. Hæc omnia retulit coram sanctissimo Domino Urbano, in secreto consistorio Franciscus Maria Episcopus Ostiensis, Cardinalis a Monte, sacri Collegii Decanus, die XIII. Januarii, anno MDCXXV. mox addiderunt suffragia in gravissimo illo totius Orbis consessu reliqui Cardinales, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, omnesque Antistites, ad quorum unanimem sententiam, sua Sanctitas declaravit, se velle Elisabetham tot miraculis, & manifesta sanctitate illustrem, Sanctis adnumerare: diemque indixit Maii vigesimum quintum, qui sancto Urbano Papæ & Martyri sacer est, eoque anno Dominicus fuit, & sanctissimæ Triados, anniversarius. Palam quoque professus est Urbanus affectam diutino morbo valetudinem beatæ Reginæ meritis sibi ex integro fuisse restitutam; imo & turbulentissimo tempore serenitatem cœlo redditam ope ejusdem, ut Tusculi convalescere perfecte ac recreari commode posset. Quamobrem imaginem illius præcipua quadam religione in secretissimo cubiculo semper apud se voluit retinere, singularem suam patronam & fautricem optimam quotidie ante oculos habiturus, & cultu frequentiori veneraturus.

XXXI. Interea Suarius prædictus Lusitanorum Agens, splendide & magnifice præparavit omnia quæ celeberrimo mysterio erant necessaria, ut Jubilæi causa immensi in Urbem confluentis populi animos admiratione suspenderet, ac pro Reginæ majestate, ac Lusitanorum opulentia apparatum præstaret nequaquam alienum: phrygionum artem omnem & laborem in sacrificalibus ornamentis auro intertexendis, exasperandis, & consarcinandis defatigavit.

Apparatus insignis canonizationis.

XXXII. Amplissimum præterea & pulcherrimum theatrum in adytis ipsis, supremaque parte Templi Vaticani, quo ad enormes tholi maximi circumeundas pilas pertingebat, palmos altum LXX. erexit opere Jonico, ge-

geminatis columnis, basi, capitelloque, ad artis illius præcepta conformatis, & supra operis coronam cancellata pergula circumducta ingentem candelabrorum vim, cum magnis accensis facibus sustinebat. Sub hac pergula quatuor videbantur, duo nimirum ab utroque latere, mœniana transennis ornata, unde Regum Legati, aliique Principes spectabant. Extendebatur inferius apertum ambulacrum excipiendæ honestiori multitudini accommodatum. Prope terram aliud erat spatiosius exedrium, transennis similiter custoditum, & honestis fœminis præcipue destinatum, inter utrumque vero insignia gentilitia omnium Cardinalium pari intervallo disposita cernere erat. In utroque cornu sedilia populi capacissima ad mediam altitudinem gradatim assurgebant. In media fronte theatri surgebat solium Pontificis, cui insignia ipsius imminebant, & a dextro latere fama altera habitu, uti pingi solet fœmineo, & cum buccina scutum Lusitanis, Aragoniisque armis insignitum ostentabat, altera e latere lævo eodem habitu, & instrumento solum Lusitaniæ insigne prætendebat. In singulis intercolumniis (quæ erant XIV.) singulæ stabant Lusitanorum Regum ab Elisabetha descendentium statuæ formosissimæ. Capitella vero, statuæ, & insignia æris colorem aureis intercursantibus lineis imitabantur. Suprema pergula extrinsecus, & superposita candelabra deaurata apparebant; cetera croceum, candidumque marmor promiscue referebant; concava vero quinque inter columnas, pilasque, relicta totidem Reginæ, rerumque ab ea gestarum imaginibus, æris colore spectandis omnium oculos tenebant. Theatrum ore ad utramque tholi pilam repando, & a fronte, & ab utroque latere, extrinsecus adstantem populum, qui gemino lignorum repagulo arcebatur ab ingressu, facile ad spectaculum invitabat. E tribus præterea tholi maximi arcuatis lateribus totidem enormi magnitudine Imperatoriæ coronæ, magnis cereis onustæ pendebant ad speciem & splendorem; denique totus immensissimi Templi zephorus, candelabris, accensisque candidissimæ ceræ immodicis facibus circumlucebat. Templum ipsum quantum est, a parte interiori Attalicus ornatus ambiebat. Pendens a summa Templi testudine vexillum triumphantem Elisabethæ imaginem spectanti populo gloriose explicabat. In ipso vero Apostolici monumenti splendidissimo conopæo expressam millies Elisabethæ figuram, Augusto Regni diademate redimitam, erat jucundissimum intueri.

Theatrum magnificum in Vaticano.

XXXIII. Hoc apparatu, hoc splendore, hac majestate Urbanus VIII. sancto Jubilæi anno, immensa spectatorum multitudine, incredibili orbis Christiani applausu, Lusitanorum, qui tunc præsentes erant, uberrimis ex lætitia lacrymis, sanctissimam Reginam consuetis ceremoniis Sanctarum in cœlo regnantium cœtui, flens quoque ipse præ gaudii magnitudine, adjunxit, & a se composita oratione, temporum illorum calamitatibus, sanctissimæque Reginæ virtutibus accommodata, in hunc modum invocavit. *Clementissime Deus, qui beatam Elisabetham Reginam inter ceteras egregias dotes, bellici furoris sedandi prærogativa decorasti, da nobis ejus intercessione, post mortalis vitæ, quam suppliciter petimus, pacem, ad æterna gaudia pervenire. Per Dominum nostrum Jesum Christum &c.*

Sanctis adnumeratur.

XXXIV. Paulo post pompa magnificentissima a Templo Vaticano vexillum, seu labarum, imagine illius insignitum, ab Excellentissimo Domino Roderico Gomez de Silva, Melitensi Principe, Pastranæ Duce, Hispaniarum Regis Oratore, Domino Antonio Barberino Pontificis nepote, equite Melitensi, Urbis Priore, & prædicto Agente Lusitano, aliisque Viris clarissimis tum Italis, tum Hispanis, facibus plusquam tribus millibus prælu-

Ejus vexillum portatur ad Templum sancti Antonii gentis Lusitanæ.

cen-

centibus, quarum septingentæ a solis Lusitanis, Hispanisque gestatæ, eximia erant magnitudine, ad Templum sancti Antonii Lusitanorum novo conspicuoque tholo, & aris duobus paulo ante, curante eodem Suario, amplificatum ac splendide adornatum, inter Urbis applausum, communemque lætitiam e summo fastigio suspendendum, propter memoriam immortalem, III. Junii die, quæ ejusdem Reginæ ferias antecedit, religiosissime deportatum est. Eam noctem, ac insequentem festivi, artificiosique ignes, seu rogales, sive pensiles, seu volatiles in tota pene Urbe illustrarunt, Serenissimo Cardinali Mauritio Sabaudo, qui a matre, & ab avia Elisabethæ sanguinem derivat, moresque proxime imitatur, facile ceteros obscurante.

XXXV. Ita in illa Urbe orbis capite, mortua Regina, quæ vivens se unam vicerat, Cæsare, & Pompejo Regnorum domitoribus, multo magnificentius ac gloriosius triumphavit. Hanc Regiæ sanctitatis majestatem & splendorem, populi sequuta est admiratio simul ac veneratio, nec jam Romano sermone nomen aliud quam Elisabetha, crebrius in viis, in compitis, in Templis, publice ac privatim usurpari, prædicari, in foro imagines venire, vitæ ejus conscriptos libellos circumferri, ejusdem reliquias investigari, auxilium in calamitatibus & morbis omnibus implorari. Nec desuit alienis, quæ domesticis continuum præstitit auxilium. Nam virum pedibus antea captum nomine Petrum Fanellum, Romanum ex regione Triviana, die XIV. Julii eodem anno MDCXXV. subito firmum recuperasse ingressum testes oculati multi publica fide confirmant, & cœcos videre, & audire surdos, & omni morborum genere oppressos illius ope in Urbe convalescere ferunt; magnumque propterea mortalium concursum ad illius imaginem in Templo Lusitanorum continuo fieri. Vidi ipse ibi, præter ligneas depictas tabellas, & multa ex argento anathemata, appensas etiam cruces quasdam, sive lignea fulcimenta illius claudi, qui Elisabethæ canonizatæ prodigiis initium fecit.

Multa ejus in Urbe miracula.

XXXVI. Gloriosissimam hanc Reginam a se inter cœlites relatam docto & vere Ecclesiastico, quod ipse composuit, officio, propriisque hymnis, quos etiam ipse cecinit, decoravit Urbanus Pontifex, quod recitari decrevit in universo Lusitaniæ Regno. Ante hoc peculiaria erant inter Lusitanos de hac sacra Regina officia; primum omnium illud a Resendio, quod diximus, compactum, aliud proprium habebant Cistercienses, aliud Canonici Regulares Monasterii sanctæ Crucis Conymbricen. aliud Prædicatores, aliud Ecclesia Cathedralis Conymbricen. approbata a Gregorio XIII. revisa a Cardinale Syrleto; quorum omnium habeo exemplaria. Communiter depingitur in habitu Clarissarum, quem post mariti obitum assumpsit, & sub quo tertii Ordinis institutum observasse diximus superius. Diademate Regium caput redimitur, in scapulario læva rosarum sustinet manipulum, in memoriam miraculi, quod retulimus, pecuniæ in rosas conversæ, & dextra baculum ab Archiepiscopo Compostellano in sua peregrinatione pedestri acceptum. Scripserunt ejus vitam auctor quidam Anonymus, paulo post Reginæ mortem, cujus libellus accurate servatur in eodem Monasterio, quo jacet; Marcus Ulyssiponen. part. 2. Chronic. Ordinis Minorum; Didacus a Rosario Ordinis Minorum in libro quem inscripsit: *Flos Sanctorum Portugalliæ*; Hieronymus Romanus in libro de vitis Sanctorum Hispaniæ; Joannes Marieta in historia Ecclesiastica Sanctorum ejusdem nationis; Petrus Ribadeneira; Alphonsus Villegas; & quotquot scripserunt inter Hispanos vitas Sanctorum. Eamdem scripsit alius, dicavitque anno MDLX. Catarinæ primæ hujus nominis Reginæ Portugalliæ, alteram dedicavit Margaritæ Austriacæ Hispania-

Varia in ejus laudem composita officia divina.

Quomodo depingitur.

Ann. 1325. n. 20.

Ann. 1311. n. 9.

Quinam de ea scripserunt?

niarum Reginæ anno MDXCIX. Gondisalvus Mendes de Vasconcellos; & demum postremi omnium eamdem conscripserunt tres ex Societate Jesu, Antonius Vasconcellos, Blasius Freyre de Pinna & Jacobus Fuligattus; priores Latino, hic Italico sermone: quo etiam eamdem concinnavit vir Illustris Ranuccius Picus, Serenissimis Ducibus Parmensibus a secretis. Ejusdem Reginæ meminerunt, & miris extollunt præconiis omnia Hispaniæ Chronica, præsertim Lusitanica, quæ Dionysii, & Alphonsi IV. ejus filii inscribuntur, & servantur Ulyssiponæ in archivo Turris quam *de Tombo* nuncupant: sed præ omnibus sanctissimam Heroinam culto & polito laudavit eloquio Petrus Joannes Perpinianensis in tribus Orationibus, quas de ejusdem Reginæ vita & miraculis Conymbricæ recitavit.

XXXVII. Hoc anno Bristiciensis Conventus in Hungaria Fratribus collatus fuit, erecto Monasterio, ubi prius erat Ecclesia Parrochialis, Senatus & Episcopi expensis. Eodem anno die III. Julii Jacobus Butlerus (primus Ormoniæ Comes in Hibernia ab Eduardo III. Anglorum Rege anno MCCCXXVI. renunciatus, cum prius vocaretur Comes Tipperariæ, uti Annales referunt Hiberniæ, quod tamen Camdenus videtur tribuere Eduardo II. qui Butlerum vocat Edmundum) donavit Fratribus domum, in qua habitabat e regione sui Castri ad ripam Surii fluminis. Illi locum ingressi in festo Apostolorum Petri & Pauli ejusdem anni ædes ad formam reduxerunt Monasticam; Ministro tunc Provinciale fratre Stephano Barrio, Custode fratre Guillelmo Naisse; Instituto primo Guardiano fratre Joanne Clyn, auctore Chronicorum, ex quibus hæc desumpta sunt. Construxisse Fratres ex variis eleemosynis Ecclesiam, dormitorium & claustrum satis angustum, reliquis imperfectis Officinis, referunt monumenta Hibernica ad me missa. Sed sub Clemente VI. anno Pontificatus VI. invenio hujus Jacobi uxorem Eleonoram, & Jacobum filium petiisse licentiam a Pontifice Monasterium construendi. In diplomate autem primus Jacobus fundator, seu fundi domusque donator non vocatur Comes, sed Latine pro Butlero cognominatur Pincerna: secundus vero Jacobus hujus filius Comes appellatur; & oppidum seu Castrum vocatur Car-rignagriffin. Prata & pascua adjacentia spectabant ad Monasterium, sed nunc possidentur a Comitibus Ormoniæ, qui ex altera parte fluminis amœno gaudent Castro Rupis-Surii, vulgo Hibernico *Carraignasiure* & pulchro palatio, ubi prius extitisse Clarissarum fertur Cœnobium.

Conven. Bristicien. *Gonz. in provin. Hungar. S. Mariæ n. 18.* *Annales Hibernici anno 1328.* *Camden. in Comitatu Tipperaria.* Ormonii comites quando creati. Conv. Carrigen.

XXXVIII. Diximus alias, Conventum Aginnensem in Gallia extra urbem extructum jussu Philippi Valesii Regis, in urbem translatum fuisse anno MCCCXXXVIII. ne Anglis Aquitaniam vastantibus, arcis loco, pro expugnanda urbe deserviret. Hoc ipso anno concessa licentia translationis, tum propter causam prædictam, tum quia Garonæ Fluvii adlabentis impetus domum magna ex parte destruxit: *Sacra vestra Religio*. XII. Kalend. April. similiter concessa facultas Fratribus Castri Montisfalconis in Umbria transferendi domicilium suum ad interiora municipii, quia clausis sæpe propter belli discrimina janius, Castri non patebat aditus pro petendis eleemosynis: *Tam tua quam quorumdam*. XVIII. Kalend. August.

Conv. Aginen. translatio. *Anno 1291. n. 26.* Conv. Montisfalconis translatio.

XXXIX. Alias diximus, erectum Monasterium Clarissarum Setabis villæ, vulgo *Xativa* in Regno Valentino, ab Illustriss. Heroina Saurina ab Entensa, quam alii cognominant de Lauria, a cognomine mariti Rogerii de Lauria: hoc anno proposuit Rex Aragonum Petrus, illud fabricatum fuisse pro solis Virginibus Valentinis, voluisse tamen Ministrum Provinciæ Aragoniæ, cujus regimini suberat, Aragonias introducere. Jussit itaque Ponti-fex,

Monast. Setabié. a quibus extructum?

fex, fcriptis litteris ad Miniftrum Generalem, ut ultima fundatricis obfervaretur difpofitio: *Significavit nobis*. vi. Idus Novembris. Gerardus vero Minifter decrevit, ut prædictum Monialium Monafterium tunc coalefceret ex duodecim Sororibus Monafterii Valentini, & decem Pertufenfis. At hæ difcordantes inter fe circa electionem Abbatiffæ, novos tumultus excitarunt, pro quibus componendis fcripfit Pontifex ad Epifcopum Segobrienfem, & alios, uti apparebit in Regefto anni fequentis.

Bened. Pontifex quafdam edidit conftitutiones Minoritis haud ita proficuas.

XL. Hoc anno iv. Kalend. Decemb. ampliffimas edidit Benedictus XII. conftitutiones pro regimine Fratrum & Monialium, in quibus nova plurima inftituit, vetera multa Ordinis decreta deftituit, & alia decrevit quæ magis in relaxationem, quam reformationem Ordinis manifefta & perniciofa experientia tetenderunt. Attamen Gerardus Minifter (ex cujus etiam aliorumque fibi adhærentium affenfu & confilio compactæ funt) uti erat largioris vitæ quam ftrictioris paupertatis amicus, & Pontificum gratiam venabatur, fecit conftitutiones has approbari & admitti in Comitiis Generalibus Caturcenfibus, anno infequenti celebratis, approbatafque tranfmifit ad fingulas Provincias: exemplar habeo epiftolæ, quam xxi. Junii ejufdem anni mifit ad Provinciæ Burgundiæ Miniftrum & Cuftodem, ut colligatas conftitutiones admitterent & obfervarent. Mortuo tamen Benedicto, in variis Comitiis rejectæ funt a Patribus doctioribus, difciplinæ Regularis zelofis, tamquam noftro Inftituto omnino nocivæ. Quæ ad Fratres fpectant, incipiunt: *Redemptor nofter, factor cælorum*. Quæ ad Sorores: *Infuper quia decet Chrifti famulas*.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. Nonnulla occurrunt emanata a fummo Pontifice hoc anno; & quidem circa obfervantiam conftitutionum Apoftolicarum: *Religioni debitum &c.* Guardiano Albenfi executorialis: *Rationi debitum &c.* Prædicatoribus & Minoribus circa proceffiones: *Rationi debitum &c.* litteræ Apoftolicæ Kalend. Januarii expeditæ fuere. Sed pro electione Inquifitorum Italiæ: *Inter curas affiduas &c.* xii. Kalend. Februarii, datis legibus iis, qui in provinciis Perufina & Aretina hujufmodi Inquifitionis officium exercebant, vi. Idus Martii fcripfit: *Difplicenter intelleximus &c.* ad futurum vero Capitulum Generale pro Miniftro Bononienfi: *Intelleximus quod &c.* iv. Idus Aprilis; contra vero fratrem Andream de Galliana: *Ad audientiam &c.* ii. Idus præfati menfis; & de recipiendis ab Ordine deviis Fratribus, etiam Michaele de Cœfena, ad eumdem Conventum, feu cœtum generalem celebrandum: *Illius licet &c.* iv. Idus Maii: fed vii. Idus Junii expedito brevi: *De finceritate &c.* quemdam fratrem Andream fuum Pœnitentiarium conftituit: & Guardianis Provinciæ pro electione Miniftri litteras Apoftolicas direxit: *Cum dilectus filius &c.* xi. Kalend. Novembris.

Indic.

Oder. n. 30.

Ex Vatic.

„ II. Fratri Aycardo Minoritæ & Archiepifcopo Mediolanenfi, qui partes Ecclefiæ in Vicecomitem Matthæum, ejufque filios egregie atque ftrenue fuftinuerat, ut fupra dicebamus, Pontifex hoc anno difficilem commendavit provinciam, cum ipfe longe majorem fuperare aggrederetur. Rem licet infeftam, breviter enarrabo. Philippus Vallefius jure falicæ legis, ob mortem trium Fratrum fucceffive Regum Franciæ Ludovici, Philippi, & Caroli ejufdem Franciæ Regum, quod, cum fine mafcula prole deceffiffent, Procerum favore obtinuerat contra quem Odoar-

" Odoardus Angliæ Rex Isabellæ præfatorum fratrum defunctorum sororis " filius, qui sibi jure successionis coronam deberi asserebat, gravissimum " bellum agebat; ob quod Vallesius Syriacam expeditionem, cui crucis " symbolo e manibus Petri Rothomagensis Archiepiscopi, qui postea ad " summi Pontificatus apicem evectus, Clemens VI. dictus est, accepto, so- " lemni ritu se devoverat, & jure jurando crucesignatas acies ex Occidente " in Asiam contra Babilonios & Ægyptios traducere promiserat, hoc an- " no MCCCXXXVI. Kalend. Augusti decretam, intermittebat: ac interea " subsidiarias sacerdotiorum decimas toto Orbi Christiano indictas & colle- " ctas, ad sumptus bellicos profundendas, sibique in eum finem attributas, " in rem suam, & non Ecclesiæ, vertere affectabat: quod ut novit Benedi- " ctus, Regi obstitit scriptis litteris: *A Regia non credimus &c.* II. Nonas " Aprilis: subiratoque Regi respondit, unicam se tantum accepisse annuam, " eamque salvam velle; si duas nactus esset, unam Deo, & alteram ipsius " dignitati addiceret.

Ex Odor. n. 21.

Ferdin. Ughell. cit. tom. 4. fol. 295.

" III. Cum vero quæstorum opera sacerdotum, ingentes opes coactæ " essent; non eas in Pontificium erarium, uti egerat Bonifacius, qui hu- " jusmodi auro proditoribus suis præmia rependerat, cum eos lucri lenoci- " nio irritasset: sed Ecclesiasticis illud decumanum aurum refundi jussit en- " cyclicis litteris, quæ his conceptæ verbis Aycardo Mediolanensium Ar- " chiepiscopo transmissæ fuerunt.

Venerabili Fratri Archiepiscopo Mediolanensi, ejusque suffraganeis, salutem & Apostolicam benedictionem.

Constitutio Benedict.

" 1. *EX quotidiana instantia nobis, licet immeritis, supernæ dispositio- " nis arbitrio, super cunctas orbis Ecclesias incumbere super earum " cura sollicite vigilamus, easque, cum possumus, ab oneribus libenter eximi- " mus; & ab eis gravamina submovemus.... totis adspirans desideriis adsub- " ventionem, quinimo ad reparationem hæreditatis Dominicæ, videlicet " Terræ Sanctæ, auctoritate Apostolica, de Fratrum suorum consilio, de " quorum numero tunc eramus, passagium generale ad Terram ipsam indi- " xit: & ut tantum negotium felicibus prosperaretur auspiciis, imposuit de- " cimam omnium redditruum Ecclesiasticorum, videlicet* VII. *Kalend. Augusti " Pontificatus sui anno* XVII. *per universas mundi partes usque ad sex an- " nos ex tunc computandos, certis terminis & cum certis modificationibus " persolvendam, mandans vobis, quod per vos, & alios, quos ad collectio- " nem & exactionem duceretis hujusmodi decimæ assumendos, tam a vobis " ipsis quam ceteris aliis personis Ecclesiasticis nobis subjectis, exigeretis " eamdem.*

" 2. *Idem quoque prædecessor in impositione hujusmodi decimæ voluit, " quod vos hujusmodi decimam, collectam ab aliis, & quam de vestris red- " ditibus solveretis, singuli videlicet vestrum, una cum Capitulo Ecclesiæ " Cathedralis, infra ipsam Ecclesiam, aut alibi, prout magis expedire co- " gnosceretis, in tutiori loco repositam, vestris & ipsius Capituli expensis, " faceretis cautius custodiri, assignandam cui idem prædecessor vellet, sive in " dictæ Terræ Sanctæ subsidium, sive contra hostes fidei convertendam: " quod si forte decimam ipsam hujusmodi commissam custodiæ, vel ejus par- " tem aliquam in usus alios converti, vel usurpari contingeret, eos, qui in " hoc culpabiles forent, excommunicationis incurrere voluit sententiam ipso " facto, prout in litteris prædecessoris ejusdem super his confectis, vobis di- " rectis, plenius & seriosius continetur.*

„ 3. *Cum autem in nonnullis provinciis, atque Regnis, juxta ordinationes, & modificationes in dictis litteris contentas, exactio, solutio, & depositio seu repositio factæ fuerint certæ partis decimæ supradictæ, & adhuc restet alterius partis ejusdem decimæ exactio, seu solutio facienda, ac prædictum passagium propter impedimenta, quæ, peccatis exigentibus, videntur obicem prædicto passagio præstitisse, sit pro præsenti tempore (quod dolenter referimus) impeditum; Nos decens & congruum reputantes, quod, postquam causa sequuta non est, nec vicinius sequi speratur, propter quam impositio, ac solutio hujusmodi decimæ factæ fuerunt, ejus deinceps exactio ac solutio debeat omnino cessare; quinimo eorum, quæ pro dicta decima sunt soluta, sit restitutio facienda, de Fratrum nostrorum consilio, vobis, & vestrum cuilibet districtius inhibemus, ne de cetero ad levationem, collectionem, vel exactionem hujusmodi decimæ per vos, vel per alios procedere quomodolibet præsumatis. Nos enim omnes processus ac sententias excommunicationis, suspensionis, & interdicti, quas contra inhibitionem hujusmodi per vos, vel auctoritate commissionis, vel subdelegationis vestræ per quoscumque haberi, vel fieri, seu ferri, vel promulgari continget, decernimus cassos, vacuos, irritos, & inanes, & nullius penitus existere firmitatis. Præcipientes nihilominus vobis, & vestrum cuilibet, ut præfatam decimam, si quam propterea per vos, vel alios collegistis, etiamsi juxta ordinationem per prædecessores ejusdem, una cum Capitulis Cathedralium Ecclesiarum, infra ipsas Ecclesias, aut alibi in tutioribus locis reponi fecistis, singulis personis Ecclesiasticis, a quibus exacta est & soluta, si dictæ personæ adhuc superstites rebus humanis existant, & præsint eisdem beneficiis, ratione quorum hujusmodi decimam persolverunt; alioquin si forte dictæ personæ defecerint, vel alias dicta beneficia dimiserint, eisdem beneficiis, ratione quorum hujusmodi decima extitit persoluta, in utilitatem dictorum beneficiorum per certas personas, quæ super hoc nobis rationem reddere teneantur, fideliter convertenda, infra unius mensis spatium post receptionem præsentium, cum integritate, quantum ad eos pertinet, restituatis, & per alios restitui faciatis: alioquin ex tunc singuli vestrum, si ultra prædictum tempus, prædictam decimam eisdem, contra præceptum hujusmodi restituere, seu restitui facere desertatis, duplum ejus personis seu beneficiis hujusmodi infra alium mensem solvere teneamini: quod si forte duplum ipsum eis, ut præmittitur, infra prædictum tempus restituere distuleritis, ingressum Ecclesiæ vobis noveritis interdictum: Capitula vero suspensionis sententiam incurrere volumus ipso facto, nulla vobis super his remissione, donatione, vel gratia eorum, quibus hujusmodi fieri debet restitutio, valitura vobis: Nihilominus pœnas alias juxta nostrum arbitrium proculdubio subituris, si super hoc detecti fueritis committere negligentiam, vel malitiam, sive fraudem.*

„ 4. *Ceterum volumus & mandamus, quod omnes sententias excommunicationis, suspensionis, & interdicti in quascumque personas, Capitula, Collegia, seu Conventus, eorumque Ecclesias, seu loca, occasione hujusmodi decimæ in statutis terminis non solutæ, prolatas, absque difficultate qualibet relaxetis, imposita eisdem personis pro modo culpæ pœnitentia salutari. Datum Avenione* XV. *Kalend. Januarii anno* II.

Sancta Elisabetha Portugal. obit. „ IV. Die IV. Julii hujus anni MCCCXXXVI. Elisabetha Portugalliæ Regina, Dionysii Vidua, cum esset annorum ætatis LXV. Extremotii ad ad cœlos evolavit; ejus tamen corpus in Conventu sanctæ Claræ Conimbriæ

„ briæ sepultum est, ut legitur in Annalibus. Huic sanctæ Reginæ Majordomus fuit Alphonsus Dionysius, naturalis Alphonsi III. Regis, & consequenter eidem Cognatus, qui Mariam Paez Riberam e Sosa, filiam D. Petriyannes de Portello, & Constantiæ Mendez e Sosa ejusdem consortis, descendentis a Comite Castellæ D. Didaco Porcellos, & D. Martino Fernandez de Toro, filio Regis Ferdinandi I. nuncupati Magni, uxorem duxit, & ab isto connubio descendit qualificata Familia de Sosa in Portugallia, necnon apud Castellam: Iste autem Alphonsus Dionysius jacet in sacello sancti Martini Conventus Monialium Conceptionis Ordinis sancti Francisci apud Toletum, ut fert antiqua traditio, & probationes inventæ apud D. Bernardum de Sosa illius Domus. D. Eleonora Alphonsa, Alphonsi III. Regis prælati filia, & ipsa naturalis, Stephanum Yannos filium D. Joannis Garziæ de Sosa, Pinto cognominati, progenitoris familiæ hujus nominis, in maritum duxit, cui prolem non dedit. Viduata viro transiit ad secunda vota cum Comite D. Gonzalo Garzia de Sosa, Regis Alpherio majore, primi sui sponsi Patruo, ejus Patris fratre, cui nec prolem dedit. Iterum viduata viro Monasterium Santarenense, vel Scalabitanum Ordinis sanctæ Claræ fundavit, & Religionis habitu suscepto, Monialis ibidem reliquum vitæ suæ religiose transiit.

Bern. Justin. hist. gener. H.sp. lib. 3. fol. 215.

Idem fol. 216.

ARGUMENTUM.

Recensentur Inquisitores, & viri Illustres. Pacem inducunt inter Castellæ, & Aragoniæ Reges legati Minoritæ. Comitia Generalia indicuntur Caturci. Beatæ Virginis cultus triplici commendatur miraculo. Augentur Cœnobia.

1. ERANT hoc anno Inquisitores Minoritæ in Provincia Tusciæ frater Philippus Orlandi, cui intervenit simultas cum Joanne de Sarzana Notario publico negotiorum Cameræ Apostolicæ, quem etiam carceri mancipavit. In Principatu Bosnensi frater Fabianus, & alii, quibus ut suam præstarent operam in eliminandis hæreticis, scripsit Pontifex ad Neliptium Comitem Tinien. Budislavum, Gregorium, & Paulum Corbaniæ, ad Daymum, & Bartholomæum Segniæ: Maledinum, Paulum, & Georgium fratres, Classiæ, Paulum Esterniçæ, & Constantinum Clusi Comites. In Marchia Anconitana frater Joannes de Burgo, cui committitur, ut severe agat contra receptores & fautores Fratricellorum, inter quos præcipue connumeratur Franciscus Episcopus Camertum. In Provincia Romana paulo ante præcesserat frater Simon Spoletanus, & sancti Francisci in valle Spoletana frater Franciscus Micarellus, uti ex commissionibus hujus anni ad Raymundum de Porolis Archidiaconum Petragoricen. Ducatus Spoletani Rectorem missis apparet. Creatus etiam in Urbe hoc anno Pœnitentiarius Apostolicus frater Andreas Barholi de Spoleto; & Episcopus Assisias frater Pastor de Serrescuderio vir doctus, Professor & Magister Parisiensis, uti alias diximus, mox S. R. E. Cardinalis, paulo antea electus in Ministrum Provinciæ Provinciæ, noluit tamen Patrum votis assentiri: *Regimini universalis*. Kal. Octobris. Eidem etiam in Italiam ad suam Ecclesiam proficiscenti commissum a Pontifice, ut ad preces Sanciæ Siciliæ Reginæ viginti Sorores discretas, ac provectæ ætatis transferret ex Monasteriis Provinciæ

Fr. Philipp. Inquisitor Tusciæ.

Ex secr. an. 3 epist. 111.

Bosnæ frater Fabianus.

Ibid. ep. 125. & seqq.

Marchiæ frater Joannes.

Ibid. ep. 157. & 174.

Vallis Spolet. Fr. Franciscus.

Ibid. ep. 232. & 233.

Pœnitentiarius in Urbe frater Andreas.

Frater Pastor Episcopus Assisias.

Ex lib. 2. an. 3. ep. 233.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI. Fr. Seraphin. Episc. Reggien. Et Justinopolitanus.

ad Regium Corporis Christi Neapolitanum, quæ adolescentiores disciplinis, & institutis Regularibus informarent. „ Electus est hoc anno Episco-„ pus Regii Lepidi in Emilia, sub Archiepiscopo Bononiensi, frater Seraphi-„ nus Tavaccius de Trio, & anno MCCCXLVII. translatus est ad Ecclesiam „ sancti Justini in Sardinia.

Zurita tom. 1. lib. 7. c. 37.

Fr. Petrus Legatus Regis Aragonii ad Castellanum.

II. Missus hoc anno Legatus a Petro Aragonum Rege, hujus nominis IV. frater Sancius de Miravete Minorita vir gravis ad Alphonsum Castellæ Regem, ut libertate donaret Heroes, quos Petrus Exericius Regii Aragonii sanguinis Princeps, Eleonoræ olim Reginæ Aragoniæ, Castellani Regis sororis, partes sequutus, cœperat, & vinctos misit in Castellam. Susceperat Exericius tuendam causam Eleonoræ, sicut jam se facturum præstito jurejurando promiserat Alphonso Regi ejus conjugi, & Petri Regis ex prima uxore genitoris: quam tamen privignus injuriis affecit, & possessionibus amplis ab Alphonso conjuge, Reginæ & filiis relictis, per vim spoliavit. Alium etiam Legatum misit ipsi Eleonoræ, qui de concordia ageret (præparabat enim Alphonsus Castellæ Rex copias contra Aragonium sororis ulturus injurias) & exacerbatæ animum deliniret. Remisit illa Albarracino ubi commorabatur, Minoritam alterum suum Confessarium fratrem Joannem de Monforte, de quo supra diximus, qui justas suas querelas privigno exponeret, & Exericii sui tutelaris gesta a calumniis vendicaret. Atque ita Minorita unus apud Castellæ, alter apud Aragoniæ Reges communis concordiæ sequestri, & pacis caduceatores sunt constituti. Tamdem horum opera rebus hinc inde compositis, inita est concordia, collectis viris Principibus, controversiæ arbitris, in Cœnobio Minorum Darocæ XXIX. Octobris anni insequentis.

Anno 1336. n. 2.

Fr. Joan. legatus Regis Aragoniæ ad Regem.

III. Celebrata hoc anno mense Junii Comitia Generalia in Cœnobio Caturcensi Provinciæ Aquitaniæ, in quibus lectæ & approbatæ, uti supra diximus, studio præsertim Gerardi Ministri Generalis, constitutiones Benedicti XII. atque inde missæ ad singulas Provincias. Ex Ministris, & Patribus fuerunt multi, quibus displicebat Gerardi regimen & vita; erat enim in supellectili & rebus domesticis splendidus nimis, ultra quam decebat pauperem Minoritam, in victu delicatus, in corrigendis Fratribus benignus, & indulgentioris naturæ, qua ratione disciplinæ fervor elanguit. Actum itaque ut deposito Magistratu, alius substitueretur, sed post longas disceptationes iterum in officio confirmatus est.

Capitulum Generale 46. Caturci.

An. 1336. n. 40.

IV. In hoc Capitulo conspirant nostri auctores, decretum fuisse, ut per Ordinem universum anniversaria solemnitate celebrarentur stigmata sancti Francisci, datamque curam Ministro Generali officium concinnandi; idque ipsum esse quod nunc universi recitant Minoritæ. Scrupulum hæc mihi movent, quod si nunc primum instituta est per universum Ordinem hæc festivitas, neque antea extabat hujus mysterii officium: quomodo constabit quod ex aliis auctoribus alias diximus, institutum hoc festum pro universis Minoritis a Bened. XI. qui Celestino V. successit? Nisi forte in Pontificum recensu sit ambiguitas, & quem communiter appellamus duodecimum, cujus Pontificatus acta nunc percurrimus, vocandus veniat veriori calculo undecimus, atque ab hoc confirmatum, & commendatum sit, quod Patres prius decreverunt in Comitiis, qua ratione recte affirmabitur, eum hoc festum instituisse. Vel fortassis minus probabiliter dicetur, toto hoc tempore a Bened. XI. Pontificatu usque ad hunc annum lapso, neglexisse universum sodalitium honorificum Pontificis indultum, & sui institutoris laudes comtempsisse? vel quod mitius est excusationis genus, lente & gradatim in singulis Provinciis

Quando institutum officium de stigmatibus sancti Francisci.

An. 1304. n. 14.

intro-

introductum ex Pontificis indulto, absque proprio tamen officio; hoc vero anno, communi omnium suffragio præceptum, ut generali omnium cultu hæc festivitas celebraretur, & proprio commendaretur officio. Ita tamen objectæ rationis vim eludi potius, quam solvi posse puto: atque, probabilius huic Benedicto quam illi, qui Celestino successit, hujus festi originem vel confirmationem tribui debere.

V. Ad generalem hunc totius Ordinis conventum binas vel ternas destinavit litteras Pontifex Benedictus. In primis facultatem amplam concessit, admittendi & absolvendi omnes, qui Michaeli Cesenati, aut Petro Corbario adhæserant. In secundis decidendam commisit gravem controversiam exortam inter Patres Bonon. & Ministrum Generalem. In ultimis constitutiones a se plurimorum, maxime ex ipsis Minoritis, consilio editas legi & observari præcepit, seque ipsum, & Ecclesiæ universæ statum illorum orationibus commendavit. Has dumtaxat lectori exhibeo. Scribit Pontifex ad Patres Capitulares.

Dilectis filiis Diffinitoribus Capituli Generalis Ordinis Fratrum Minorum, in proximo celebrandi Caturci.

VI. *AD Ordinem vestrum intra nostra & Apostolicæ Sedis præcordia recumbentem, gerentes paternæ dilectionis & caritatis affectum, ipsumque virtutum præfulgere splendoribus, ac personas ejusdem sic per viam rectitudinis dirigi cupientes, quod Ordo ipse aucta jugiter erga eum devotione fidelium, semper spiritualibus proficiat incrementis. Dudum inter sollicitudines varias, quas humeris nostris officium injunctæ nobis desuper Apostolicæ servitutis indicit, eumdem Ordinem internæ meditationis acie contemplando, certas ordinationes, non sine magna maturitate ac deliberatione, cum nonnullis ex Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, nec non dilectis filiis Generali, & aliis quibusdam Provincialibus Ministris, ac Magistris Sacræ Theologiæ, Ordinis prælibati professoribus, aliisque viris sapientibus & discretis præhabita, fecimus, quas vobis sub bulla nostra providimus destinandas, volentes & mandantes, ut ante quemcumque actum Generalis Capituli, præsentibus omnibus & singulis Fratribus dicti Ordinis, in loco illo tunc legantur publice ac distincte ut procedatur secundum eas, & ordinetur etiam quod per ipsum Ordinem inviolabiliter observentur. Quocirca Universitatem vestram attentius in Domino exhortamur, quatenus habentes præ oculis solum Deum super præmissis, statum utique prælibati Ordinis & personarum ejusdem prosperum concernentibus, solerter & fideliter in eodem Capitulo assistente vobis Spiritus sancti gratia, laboretis quod ex laboribus vestris fructus Ordini memorato proveniant uberes, & vos exinde præmia consequamini retributionis æternæ. Rursus quia circa regimen universalis Ecclesiæ imbecillitati nostræ commissum, devotarum orationum suffragiis nos plurimum conspicimus indigere, hujusmodi exhortationibus nostris adiicimus, ut pro nobis & statu ejusdem Ecclesiæ devotas preces fundatis ad Dominum, & fundi per præfatum Ordinem statuatis, ut Deus ipse dictam Ecclesiam, inclitam sponsam suam, misericordi ac benigno respiciat oculo, eamque defendat & protegat ab adversis, actusque nostros sic in suo beneplacito dignetur dirigere, quod ea quæ suæ Majestatis oculis grata & accepta fuerint, jugiter operantes, tamdem post laboriosum cursum præsentis vitæ, transire ad quietis æternæ beatitudinem, una cum grege nobis commisso feliciter mereamur. Datum Avenione III. Idus Maii anno III.* Reg. Vat. ex lib. secr. ep. 108.

VII: Accidit hoc anno in Cœnobio magno Parisiensi duos Hebræos irrisisse

Marian. lib. 4. cap. 10. Chron. antiqua. B. Virgo sibi devotum miraculose liberat.

sisse Fratres, dum illa Antyphonæ majoris *Salve Regina* verba ultima: *O clemens, O pia, O dulcis Virgo Maria*, pie decantarent; adstitisse tamen militem quemdam monoculum, qui injuriis affectos in atrium deduxit, atque unum occidit, alterum verberibus onustum dimisit. Superstes Hebræus apud Regem conquestus de socii morte, & sui injuria, lictores obtinuit, qui militem monoculum apprehenderent. Incautum hi capiunt & ad Regem ducunt: sed dum præ foribus cujusdam obvii templi beatissimæ Virginis conspicit imaginem, se in angustiis & proximo mortis periculo constitutum, propter ejus defensum honorem, devoto corde repræsentat, oratque humiliter ut velit esse propitia. Extemplo quo carebat, oculum, & animum recepit audentiorem. Videns Rex generosi pectoris, & utroque videntem lumine hominem, lictores reprehendit, & Judæum corripuit, quod hominem innocentem nullo orbatum oculo apprehenderint: cum vere illatas sibi injurias, & socio necem a gregario milite monoculo pridem fuerit conquestus: & proinde hunc tamquam insontem jussit dimitti.

Christo impense placet laudes suæ genitricis.

VIII. In eodem Cœnobio, dum Fratres in solemnitate Assumptionis ejusdem beatæ Virginis Mariæ Laudes pio corde cantarent in choro, apparuit eis sacratissima Virgo filium in ulnis bajulans, qui gratioso & delectabili vultu singulos circumiens hortabatur voce Gallica, ut suam genitricem impense laudarent, addens nihil sibi delectabilius Matris honore. Fuit in eodem loco quidam ex Fratribus, qui inenarrabili consolatione afficiebatur, quoties salutationem recitabat Angelicam; dum ita semel afficeretur, apparuit ei B. Virgo, ex cujus brachiis elapsus infantulus pulchram, & mirifici odoris rosam Fratri porrexit cujus odore admirabili suavitate recreatus est.

Con. Lucentiæ.

IX. Lucentiæ in citeriore Hispania vulgo *Lugo*, ante hunc annum Cœnobium & Ecclesiam extitisse Minorum mihi constat ex diplomate Pontificio, quo visitantibus Templum in festivitatibus Paschalibus, beatæ Virginis, SS. Francisci, & Antonii concedit Benedictus Indulgentiam. Confirmat hæc quæ de privilegio Alphonsi XI. Regis Castellæ in Fratrum hujus loci favorem an. MCCCXXXII. concesso refert Gonzaga. Ejus originem quidam referunt ad Petrum Lemosii, & Regii stabuli Comitem, prædicti Alphonsi nepotem, qui celebri conditus est mausolæo prope Altare majus. Alii ad quemdam Ducem de Argiona propter hanc inscriptionem, quæ conspicitur in aditu, seu sacristia: *Meminerint Patres Sacerdotes in suis sacrificiis Illustriss. D. D. Ducum de Argiona, quos hic locus sui fundatores atque patronos agnovit*. Sed cum Alphonsus Rex, qui suo privilegio hunc locum munivit, supradicti Petri Comitis fuerit avus, & hujus Petri Comitis filius, Fridericus, primus fuerit Argionensium Dux; liquido constat, utroque fuisse Cœnobium hoc vetustius. Probabilius est ab aliquo Lemosio Comite inchoatum, complementum & perfectionem accepisse a Petro Comite & Friderico filio, ac propterea fundatorum nomen obtinuisse. Jacet hoc in loco in sacello a se refecto R. P. Garcias a Quiroga vir doctus, & gravis olim Provinciæ sancti Jacobi, cui hic subest Conventus, Minister. Decessit anno MDXXXVII. relicto magno sui desiderio.

Gonz. in prov. S. Jacobi Con. 17.

Fr. Garcias a Quiroga.

Con. Porticen. *Rodul. fol. 275.*

X. Concessa hoc anno licentia Ministro Generali, ut admitteret locum construendum per nobilem virum Gualterum Galiotam, militem Neapolitanum, in quadam sua possessione dicta Portici: *Ad ea favorem Apostolicum*, v. Idus Martii. Hunc in Custodia Neapolitana reponit Rodulphus sub nomine de Porticibus: sed in duobus errat, quod ex aliorum opinione putet a sancto Francisco constructum, & ab Ecclesia primæva Ordinis Portiuncu-

læ nuncupatum, seu cognominatum de Porticibus. Additque ibidem extare puteum miræ profunditatis, quem effodisse suo baculo ferunt sanctum Franciscum. Profecto si quidpiam horum verum esset, saltim indicaretur in diplomate Pontificio. Solent enim hujusmodi pietatis vestigia, & institutorum memoriæ in bullis recenseri, vel ad majorem operis commendationem, vel ad faciliorem eorum quæ petuntur concessionem. Adde quod hujus loci non meminerit Pisanus; si enim sancti Francisci structura & puteus adeo celebris & vetustus esset, difficile ejus præterfugeret notitiam.

XI. Data etiam facultas Reginæ Siciliæ Sanciæ ædificandi Monasterium Clarissarum in civitate vel territorio Aquensi; cujus pietas & affectus erga Ordines a sancto Francisco institutos intra Italiæ fines non potuit contineri, quin ad exteras & longe dissitas nationes penetraret. Construxit itaque, assentiente & juvante Rege Roberto conjuge, Clarissarum pulchrum domicilium prope ipsam civitatem, sub titulo sanctæ Christi Nativitatis, ornavitque multis magni valoris jocalibus, præsertim ciborio & pixide pro sacra administranda communione fabricæ singularis, nec non Insignibus probatisque Sanctorum reliquiis. Sorores incolæ primam, quam vocant, & arctiorem regulam sanctæ Claræ observant, neque ullos redditus etsi liberalissime ab aliquibus Galliæ Principibus sæpe oblatos, admittunt, sed exemplum suæ institutricis sanctæ Claræ imitantes, in ditissima paupertate, quam ab initio elegerunt, vitam suam magna cum laude traducunt. In hujus Monasterii Ecclesia quiescit corpus religiosissimi viri, Dei servi, Patris Forasterii, quondam Sororum Confessarii, ante ducentos annos defuncti, qui mira pietate ac singulari obedientia præfulgens, præcipue paupertatem Evangelicam coluit, quam velut thesaurum incomparabilem in cælo reconditum, verbo simul & opere mirifice extollebat. Hic amore Jesu Christi omnia terrena velut lutum arbitrabatur, & cœlestia continuo meditabatur, eamque affecutus est perfectionem, ut in vita & morte multa patrarit miracula. Licet non sit Sanctorum catalogo adscriptus, summa tamen habetur in veneratione, honorifico conditus sepulcro, fortissima sera munito, cujus claves servant Consules Civitatis. Destructo autem hoc Monasterio propter bella, aliud ædificatum est sub annum MCCCLXII. intra Civitatem uti tunc dicemus.

Monast. Aquense.

Gonz. in prov. S. Ludov. Monast. 4.

Hic conditus honorifice P. Forasterius miraculis clarus.

XII. Infirmitatibus gravata prædicta Sancia Regina non in Regia, sed in Monasterio, non inter pedissequas & nobiles ancillas, sed inter pauperes Sorores & religiosas Virgines voluit curare salutem. Petiit itaque licentiam cohabitandi Clarissis Monasterii Corporis Christi a se magnifice extructi, quam facile impetravit: *Eximiæ tuæ devotionis*, VI. Kal. Martii. Concessit etiam Benedictus Clarissis Jadrensibus, ne solverent decimas Collectoribus Apostolicis. Sororibus sancti Silvestri de Capite in Urbe designavit Conservatores, qui curarent eis restitui multas ablatas possessiones.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. Decesserat Matthæus Vicecomes Dominus Mediolani, Gibel-
„ linarum partium assertor, & ut hæreticorum fautor, vehe-
„ menterque de hæresi ab Aycardo Minorita Mediolanensium Archiepisco-
„ po excommunicationis sententia innodatus, & nondum absolutus, eccle-
„ siastica sepultura privatus, insepultus servabatur. Cum autem aliquot
„ post annos ejus nepotes Joannes Episcopus Novariensis, & Luchinus in
„ gratiam Ecclesiæ restituti ægre admodum ferrent hanc Avi infamiam, cu-
„ jus labem in stirpem universam diffundebatur & redundabat, apud Bene-
dictum

„ dictum Summum Pontificem conquesti sunt, Matthæum quidem Vicecomitem ab Aycardo fuisse damnatum, sed Gibellinarum solummodo partium odio, & non rite: & licet flagitia plura in Ecclesiasticos, Guelfæ irretitos factione, quos suæ amplitudinis hostes putabat, commisisset, & iidem a suis militibus plura, quorum tamen haud erat particeps, passi fuissent; nihilominus in extremo flexu vitæ, & ancipiti morbo tentatum, inspecta rerum humanarum fragilitate, ritu Christiano mentem ad divina traduxisse, & criminum suorum acerbe pœnituisse: quibus propositis, Benedictus, quem non Guelfæ, nec Gibellinæ partes ab æquitatis tramite detorquere poterant, utpote excelsi, & omnibus virtutibus exagerati animi Pontificem, qui Cisterciensi in Ordine, ut ipse in pluribus documentis testatur, sanctimoniæ rudimentis fuerat instructus, Aycardo Mediolanensi Antistiti, ut ad Apostolicam Sedem, cum publicis actis in Matthæum Vicecomitem accederet incunctanter, expeditis litteris sequentibus, scripsit.

Venerabili fratri Aycardo Archiepiscopo Mediolanensi.

Ughell. to. 4. fol. 194. ex Vatic.

„ *Dudum, sicut accepimus, tu Apostolica, & Ordinaria auctoritate, una cum venerabilibus Fratribus nostris Pace Tergestino, & Jordano Bobiensi Episcopis Ordinis Fratrum Prædicatorum in minori officio constitutis, ac Inquisitoribus hereticæ pravitatis in Provincia superiori Lombardiæ auctoritate Apostolica deputatis, & quibusdam aliis Fratribus ejusdem auctoritate Coinquisitoribus vestris, super pravitate prædicta tunc viventibus, qui dicuntur de hac luce transiisse, contra damnatæ memoriæ Matthæum de Vicecomitibus de Mediolano, ejusque filios, necnon adversus nonnullas singulares personas, Mediolanensis, Novariensis, Pergamensis, Cremonensis, Cumanæ, Vercellensis, & quarumdam aliarum Civitatum, ac Castrorum, Villarum, & Locorum aliarum partium vicinarum super fautoria præfatorum Matthæi, & filiorum ejus inquisivisti communiter, & divisim; & nonnullos processus super hoc contra ipsos fecisti, & condemnationum sententias promulgasti. Cum itaque.... de dictis processibus, & sententiis tam per te, & alios poteris reperire, intra proximum futurum tempus Pentecostes ad nostram studeas præsentiam personaliter te conferre: præfatis etiam Episcopis per alias nostras consimiles litteras injungimus, ut ad nos propterea venire procurent. Datum Avenione* x. *Kal. Martii anno* III.

Vide inf. ad annum 1314.

„ II. Ad instantiam ergo Joannis, & Luchini Matthæi nepotum, ad quos eam injuriam vindicare spectabat, vocatus ad Curiam Aycardus, mox paruit jussis, actis requisitis secum delatis: causaque Matthæi diu discussa fuit, ejus interea corpore insepulto jacente. Præter hæc Pontifex pro quibusdam bonis ab Inquisitore Marchiæ Joanne de Burgo Minorita confiscatis: *Cum sicut accepimus &c.* XII. Kal. Aprilis litteras expedivit: sed alias ad Ministrum Generalem de fratre Laurentio de Ancona in eadem Marchia Anconitana Inquisitore scripsit: *Cum Laurentius &c.* Kal. Maii; ac iterum pro sententia data contra eumdem fratrem Laurentium: *Dudum fœlicis &c.* x. Kal. Junii, sed fratrem Accursium Bonfantinum anno MCCCXXVIII. institutum Inquisitorem hæreticæ pravitatis in Tuscia, in partibus Senensi, & Florentina, ad comparendum citavit: *Cum dilectus &c.* IV. Nonas Julii. Joanni quoque de Badis Inquisitori Massiliæ in Provincia litteras destinavit: *Pro parte dilecti &c.* II. Nonas Julii;

Litteræ Pontificiæ. Indic. ex Vatic.

Wadd. ad ann. 1328. n. 22.

Julii;

„ Julii; sicut & Patriarchæ Constantinopolitano pro Minoritis: *Cum vos &c.* *Ex Vatic.*
„ II. Idus Julii; ac etiam Guardiano Mirapicensi quamdam executorialem:
„ *Intelleximus quod &c.* III. Kal. Januarii.

„ III. Thomam autem S. P. Francisci Tertii Ordinis Alumnum, sanctitate famosum, crebris miraculis clarentem, etenim paraliticos sanavit, ac spiritu prophetico refulgentem floruisse hoc anno MCCCXXXVII. sub XVI. Januarii, scripsit Andræas Bonfanti in Sanctorum Tertiariorum tabula. *Thomas Tertii Ordinis floret.*

ARGUMENTUM.

Auditis Tartarorum Legatis, Benedictus Minoritas quatuor ad numerosissimæ gentis conversionem amandat. Inquisitorum recurrit memoria. Fridericus Rex Trinacriæ decedit. Varii instituuntur Regii Legati ex Minoritis. Construuntur Monasteria.

I. INEUNTE hoc anno pervenerunt Avenionem Legati Imperatoris maximi Tartarorum, qui se Imperatorum Imperatorem nuncupabat (erant enim in Tartaria plures Imperatores, quibus hic præcellebat) icturi foedus cum Pontifice, vel majorem conciliaturi amicitiam per frequentes & alternas, quas stabilire cupiebat legationes: eo præsertim titulo, quod Christianis omnem favorem impenderit, quibus veluti peculiaris eorumdem fautor & protector, Pontificiam deprecabatur benevolentiam. Ita etiam ipsi testati sunt, præcipue Principes Alanorum, scriptis per eosdem Legatos litteris, quibus Imperatoriam erga se depredicant beneficentiam, & gratias a Pontifice rependi deposcunt. Exhibeo ipsas eorumdem litteras, per quas constabit rei Christianæ status inter Tartaros, & Minoritarum, præsertim bonæ memoriæ Joannis a Monte Corvino, olim Archiepiscopi Cambalien. in fide propaganda inter efferas gentes sollicitudo. *Tartarorum Imperator Legatos mittit ad Pontificem.*

In fortitudine Omnipotentis Dei, Imperatoris Imperatorum præceptum.

II. *Nos mittimus Nuncium nostrum Andræam Francum cum quindecim sociis ad Papam, Dominum Christianorum in Franchiam ultra septem maria, ubi sol occidit, ad aperiendum viam nunciis sæpe mittendis per nos ad Papam, & per Papam ad nos, & ad rogandum ipsum Papam, ut mittat nobis suam benedictionem, & in orationibus suis sanctis semper memoriam faciat de nobis. Et quod Alanos servitores nostros, filios suos Christianos, habeat recommendatos. Item quod adducant nobis ab occasu solis equos, & alia mirabilia. Scripta in Cambalec in anno Ratimensi sexto, tertia die lunationis.* *Ex secret. an. 4. epist. 131.*

In fortitudine omnipotentis Dei, & in honore Imperatoris Domini nostri.

III. *Nos Futim Juens, Caticen Tungii, Gemboga Evenzi, Joannes Juckoy, sanctum Patrem Dominum Papam nostrum, capitibus ad terram positis, pedes osculantes, salutamus, petentes benedictionem suam & gratiam, & quod in orationibus suis sanctis faciat de nobis memoriam, & numquam obliviscatur nostri. Hoc autem sanctitati vestræ sit notum, quod longo tempore fuimus informati in fide Catholica, & salubriter gubernati, & con-* *Ibid. ep. 112. Epistola Alanorum ad Papam.*

Joannis de Monte Corvino commendatio.

& consolati plurimum per Legatum vestrum fratrem Joannem, valentem, sanctum, & sufficientem virum, qui tamen mortuus est ante octo annos, in quibus fuimus sine gubernatore, & sine spirituali consolatione, licet audierimus, quod providistis de alio legato, ille tamen nondum venit. Quare supplicamus Sanctitati Vestrae, quod mittatis nobis bonum, sufficientem, ac sapientem Legatum, qui curam habeat de animabus nostris, & quod cito veniat, quia male stamus sine capite, sine informatione, & sine consolatione, supplicamus etiam sapientiae vestrae, quod Domino nostro Imperatori respondeatis gratiose, ita quod aperiatur via, sicut & ipse petit, expedita & apta nunciis saepe mittendis a vobis ad ipsum, & ab ipso ad vos, & ad conserendam inter vos & ipsum amicitiam: quia si hoc feceritis magnum bonum subsequetur pro salute animarum, & pro exaltatione fidei Christianae, quia favor ejus in imperio suo facere potest innumera bona, & indignatio ejus innumera mala, & ideo recommendetis nos sibi, filios vestros, & fratres, & fideles alios, qui sunt in imperio ejus, quia si ita feceritis, bona maxima facietis, cum ita factum fuerit, quod ex parte vestra diversis temporibus tres vel quatuor nunc iverunt ad praefatum Imperatorem Dominum nostrum, a quo gratiose recepti fuerunt, & honorati & remunerati; & ex tunc dictus Imperator nullum a vobis, vel a Sede Apostolica responsum accepit, licet singuli promiserunt se a vobis responsa ad praefatum Dominum reportare. Quare provideat Sanctitas vestra, quod hac vice, & deinceps habeat certum a vobis responsum & nuncium, sicut decet Sanctitatem vestram, quia magna verecundia est Christianis in partibus istis, quando mendacia inveniuntur in ipsis. Scripta in Cambalec in anno Rati, mense sexto, tertia die lunationis.

Honorifice habitos Pontifex remisit.

IV. Legatos hos benignissime & humanissime audivit Benedictus, omnemque impertivit honorem, per quem potentissimi Imperatoris, & numerosissimae gentis conciliaret amicitiam, facilioremque aditum fidei praedicandae praestrueret. Deinde muneribus auctos & honorifice habitos, datis ad Imperatores Tartarorum, & Principes Alanorum litteris, misit ad eosdem fidei professionem, per omnia similem illi, quam Clementem IV. & alios Pontifices diximus misisse ad Graecos & gentes Asiaticas; addita tamen ad illum articulum de receptione animarum purgatarum in coelum: *Illos etiam qui post contractam peccati maculam, vel in suis manentes corporibus, vel eisdem exutae sunt purgatae, confitemur in coelum mox recipi*: hac majori explicatione, *& essentiae divinae beatifica perfrui visione*; juxta definitionem a se editam illius feriae & molestae controversiae, sub Joanne XXII. suo praedecessore excitatae, & ardenter agitatae, scripsitque ad Reges Siciliae & Hungariae, Ducem & Senatum Venetorum, ut eos per suas ditiones transeuntes honorifice haberent, & peculiaribus litteris commendatos voluit omnibus Ecclesiarum Praelatis, ac locorum Rectoribus. Do Pontificis responsa.

Magnifico Principi, Imperatori Imperatorum Omnium Tartarorum illustri gratiam in praesenti, quae perducat ad gloriam in futuro.

Ibid. ep. 198.

V. *CElsitudinis tuae Nuncios ad nostram nuper praesentiam venientes vultu sereno & laeta mente recepimus, eosque favorabiliter audivimus & benigne. Sane quia tam ex iis, quae proposuerunt ipsi Nuncii coram nobis per fidelem interpretem ad hoc adhibitum intellecta, quam ex tenore litterarum tuae magnificentiae nobis exhibitarum per ipsos percepimus, & col-*

& collegimus manifeste, quod tu ad sanctam Romanam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam, nostro commissam regimini, & ad nos, qui licet immeriti locum Dei tenemus in terris, devotionem magnam gerens, teque nostris humiliter orationibus recommendans, ob nostram & ejusdem Ecclesiæ reverentiam, dilectos filios nobiles viros Fodim Jovens, Chyansam Tongi, Chembogam Vensii, Joannem Tocboy, & Rubeum Pinzanum Principes Alanorum, & alios Alanos Christicolas, in tuo degentes Imperio, benevolis favoribus, & opportunis gratiis pertractasti hactenus, & pertractas. Nos tam ex his, quam de missione Nunciorum ipsorum admodum nobis grata, tibi referentes gratiarum uberes actiones, magnitudinem tuam rogamus attentius, & hortamur, quatenus benevolentiam, & favores hujusmodi erga præfatos Alanorum Principes, & alios Christicolas in eodem Imperio commorantes, continuare pro nostra & Ecclesiæ prædictæ reverentia velit tua sublimitas & augere; & ut Antistites, & religiosi Catholici, & Christiani alii Ecclesias, Basilicas, & Oratoria, in quibus juxta ritum & morem supradictæ Romanæ Ecclesiæ divinæ laudis peragantur officia, & offeratur pro delictis & peccatis populi hostia salutaris, per dictum Imperium habere, libere fundare, construere valeant & tenere, possitque ubique ibidem ab eisdem Antistitibus, Religiosis, & aliis Christicolis auctoritatem habentibus, super his verbum Dei, & veritas fidei Catholicæ, sine qaa nemo potest salvus fieri, prædicari, placeat tuæ Magnitudini licentiam elargiri. Nos autem pro te tuaque salute, & ut ille, qui omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat, sic illustrare dignetur suæ caritatis & gratiæ lumine mentem tuam, quod cum cognoscas veraciter & lumen recipias fidei, per quam in præsenti abundanter replearis gratia, & in futura vita æternæ beatitudinis assequaris præmium, oramus & orabimus humiliter & devote. Porro cum tua sublimitas affectu sincero, sicut credimus, nobis amicitias offerens, & illas a nobis postulans, petieris, quod tui ad nos & nostri ad te Nuncii super his destinentur, scire Magnitudinem tuam volumus, quod hæc nobis placabilia sunt, & accepta, & Nuncios tuos quandocumque ad nos transmissi venerint, recipiemus favorabiliter & lætanter. Nostros vero Nuncios seu Legatoc ad tuam præsentiam & partes illas mittere disponimus, qui te de nostra benevolentia, & aliis, quæ tuæ salutem animæ respicient, plenius informabunt. Quæsumus igitur, ut eosdem Nuncios nostros, cum ad te venerint, placide suscipias, sicque patienter audias & benigne, quod spargenda in agro cordis tui vitæ semina fructus producant uberes, quorum dulcedinem tandem connumeratus inter redemptos pretioso Christi sanguine, in cœlesti degustes patria, & eis æternaliter satieris. Datum Avenione Idibus Junii anno IV.

Dilecto filio nobili viro Fodim Jovens Principi Alanorum.

VI. *Venientes nuper ad præsentiam nostram tui, & dilectorum filiorum nobilium virorum Chyansam Tongi, Chemboga Vensii & Joannis Tocboy Comprincipum tuorum Nuncii, per nos favorabiliter & benigne recepti, nobis sinceritatem magnæ devotionis & fidei, quas ad nos, & sanctam Romanam Ecclesiam gerere dignosceris, explicare seriosius curaverunt. Nos igitur his & aliis, per eosdem Nuncios prudenter & eleganter propositis, exultanter auditis, & plenarie intellectis, te, fili, super eis Deo, ac nobis, & Apostolicæ Sedi gratias admodum & acceptis multipliciter in Domino commendantes, nobilitatem tuam rogamus, & hortamur attente, quatenus in fide ac devotione prædictis, ut tibi augeatur a Deo meritum, ac nostram &* Ibid. ep. 199.

dictæ Sedis gratiam & benedictionem acquiras uberius, solida continuatione persistens, Alanos, & alios Christicolas partium illarum opportunis favoribus prosequaris, & ut erga eos benevolentia magnifici Principis Imperatoris Imperatorum omnium Tartarorum crescat jugiter, & cultus divinus amplietur in eis partibus, fidesque Catholica dilatetur erga eumdem Imperatorem, cui nos etiam super hoc scribimus, una cum præfatis Comprincipibus tuis studeas, sicut erit commodius, interponere partes tuas insistendo, & laborando quantum poteris, quod præfati Christicolæ ubique per Imperium illud Ecclesias Basilicas, & Oratoria, in quibus juxta ritum & morem ejusdem Romanæ Ecclesiæ divina peragantur officia, & immoletur hostia salutaris pro peccatis populi, habere, libere fundare, ac construere valeant & tenere, possitque per dictum Imperium ab Antistitibus, & Religiosis, ac aliis Christianis auctoritatem, & potestatem super hoc habentibus, prædicari verbum Dei, & veritas fidei Christianæ. Porro de nobis & Ecclesia Romana prædicta certam potes habere fiduciam, & tenere, quod nos super tuis opportunitatibus propitios reperies quantum cum Deo poterimus, & benignos. Datum Aven. Idibus Junii anno IV.

His per omnia similes scripsit ad Chyansam Tongi, ad Chembogam Vensii, ad Joannem Yochy, ad Rubeum Pinzanum Principes Alanorum, singulis ad singulos epistolis exaratis.

Magnifico Principi Chansi Imperatori Tartarorum de medio Imperio gratiam in præsenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.

Idem ep. 204.

VII. *Læti rumores Deo & nobis, qui locum ejus, licet immeriti, tenemus in terris, multum placabiles, & accepti ad nostram notitiam perduxerunt, quod tu, qui magnus Princeps existere dignosceris, ex solita benignitate, quam tibi dedit Altissimus, a quo cuncta bona procedunt, erga Christianos in tuo degentes Imperio, & ad illud etiam venientes, favorabiliter & benigne pertractasti hactenus, & pertractas, eis favores, gratias, & privilegia, prout occurrit opportunitas, largiendo, & nihilominus sicut animo percepimus exultanti, venerabilem fratrem nostrum Nicolaum Archiepiscopum, & dilectos filios Fratres Ordinis Minorum dudum ad partes illas per felicis recordationis Joannem Papam XXII. prædecessorem nostrum transmissos* recepisti favorabiliter & benigne, ad ipsos manum liberalem & munificam extendendo, & etiam pro Dei reverentia concedendo licentiam reparandi destructas Ecclesias, & novas etiam construendi, & prædicandi libere audire volentibus verbum Dei, super quibus tuæ Celsitudini gratiarum referimus actiones, Imperialem magnificentiam attentius deprecantes, quatenus hujusmodi favores, & gratias continuare velit tua sublimitas, & etiam ampliare. Nos autem, qui tamquam Pastor universalis gregis Dominici, tuam & omnium salutem quærimus & zelamus, & cupimus eos, qui extra ovile Dominicum sunt, in illud introduci, ne faucibus diaboli, quærentis semper quos devoret, devorandi quomodolibet exponantur, libenter & amicabiliter recipiemus tuos Nuntios, si ad nostram præsentiam mittentur, ut in eis personam tuam dulciter possimus alloqui, & eis efficaciter ostendere, quæ tuæ saluti animæ necessaria existere dignoscuntur, & nihilominus nostros Legatos, vel Nuncios ad tuam præsentiam partesque illas ad propalandam viam salutis celerius proponimus, divina suffragante gratia, destinare, ipsos tuæ Celsitudinis benevolentiæ propensius commendantes. Datum ut supra.*

* Vide annum 1333. n. 1. & seqq.

Dile-

Dilectis filiis, nobilibus Viris Carasmon, & Johanan. Magni Principis Chansi Imperatoris Tartarorum de medio Imperio, familiaribus.

VIII. L*Ætanter de vobis audivimus, filii, quod vos, qui juxta magnificum Principem Chansi Imperatorem Tartarorum de medio Imperio familiaritatis, & potestatis auctoritate fulgetis, ut intelleximus, aliis Christianis in Imperio illo degentibus favores, auxilia, & consilia opportuna libenter impenditis, & apud Imperatorem eumdem pro gratiis, & privilegiis eis necessariis & opportunis interponitis sollicitudinis vestræ partes, quodque pleni zelo Dei, & fervore fidei Christianæ ferventes, volentesque temporalia pro spiritualibus, & terrena pro cælestibus felici commercio commutare, unum fundum vestrum optimum cuidam Episcopo de Ordine Fratrum Minorum in civitate Armalech deputato, pro consolatione vestra, & Christianorum ibidem degentium, donatione libera concessistis, in quo ad laudem divini nominis talis pulchra Ecclesia est constructa. Nos autem vos super tot & tantis operibus meritoriis multipliciter in Domino commendantes, & ei, qui sic suæ gratiæ lumine illustrare dignatus est mentes vestras, in humilitate spiritus gratias referentes, nobilitatem vestram rogamus attentius, & hortamur, quatenus hæc vestra sincera devotio & opera laudabilia, & meritoria non minuantur in nobis, sed crescant, ut per ea, quæ in præsenti vita feceritis, æternæ valeatis felicitatis beatitudinem adipisci. Ceterum pro consolatione vestra, & aliorum fidelium partium illarum, & ad ostendendam clarius Christianæ fidei veritatem ad partes easdem intendimus nostros Legatos, seu Nuncios, Divina suffragante gratia, destinare. Datum ut supra.*

Ibid. ep. 205.

Ecclesia Christianorum in Armalech.

Magnifico Principi Usbech, Imperatori Tartarorum, & magno filio Chyistiani gratiam in præsenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.

IX. E*Xultanti percepimus animo, quod tua Magnificentia operibus pietatis intenta, Christianos fideles in tuo degentes imperio favoribus & gratiis pro divina reverentia prosequeris opportunis, quodque Fratribus Minoribus in Imperio prædicto morantibus, certum locum aptum & idoneum in quadam Civitate, quæ de novo ædificatur favorabiliter concesseris; super quibus gratiarum actiones tuæ Celsitudini referentes, eamdem Celsitudinem deprecamur, quatenus favores & gratias hujusmodi erga Christianos eosdem continuare velit Imperialis magnificentia, & etiam ampliare; nihilominus Ecclesias reparandi, construendi libere, in quibus juxta ritum & morem Ecclesiæ Romanæ divina peragantur officia, & immoletur pro peccatis populi hostia salutaris, prædicarique etiam valeat verbum Dei, licentiam concedendo. Nos autem, qui tamquam Pastor universalis gregis Dominici &c. ut supra in epistola* 204.

Ibid. ep. 209.

X. Dimissis sub mensem Julii ad suos Principes his Legatis, favorabiliter, & honorifice exceptis, ut vicem redderet, alios misit sub mense Novembris, quatuor videlicet Minoritas, viros doctos & pios, quos plurimum & frequenter commendat. Mirum ergo est quomodo Abrahamus Bzovius citata epistola 198. regesti, ipsa illa, quam nos transcripsimus legationem hanc suis Consodalibus adscribat; *missis*, inquit, *Fratribus Prædicatoribus*, cum nullibi in hac missione mentio fiat Prædicatorum, & ubique repe-

Mittit Pontifex ad Tartaros quatuor Legatos Minoritas.

Bzovius hoc anno n. 16.

petatur nomen Minorum. Passim se nobis ingerunt hujusmodi metamorphoses, quos absque bile & stomacho placide lectori exponere, quam acriori calamo perstringere consultius judicamus. Errant etiam circa tempus & numerum horum Legatorum, Marianus & Marcus, missionem rejicientes in annum MCCCXLI. & missos dumtaxat Nicolaum Bonetum, & Joannem Florentinum referentes. Ex his errorem hunc alii hauserunt. Datis itaque amplissimis facultatibus, misit Benedictus hos Minoritas ad omnes Imperatores & Principes Tartarorum, datis ad singulos litteris gravissimis, quas subjicio, additis aliis ad Archiepiscopum Cambalien. ex Ordine Minorum, & ad fratrem Eliam Hungarum etiam Minoritam, Principi Tynibech, primogenito Usbech Imperatoris, familiarem, & demum aliis commendatitiis ad Reges & Prælatos Europeos, & Asiaticos, per quorum terras oporteret transire.

Maria. cit. c. 11. Marc. cit. lib. 8. c. 45. Rodul. fol. 240. Platus lib. 2. de bono stat. Relig. c. 30.

Dilectis filiis Nicolao Boneti sacræ Theologiæ Professori, Nicolao de Molano, Joanni de Florentia, & Gregorio de Hungaria Ordinis Fratrum Minorum.

Ibid. ep. 364.

XI. V*otis zelantes ferventibus in terris Tartarorum, & aliis circumpositis regionibus Orientis, in quibus multorum hominum corda sic Benedictus Dominus, a quo manant omnium charismata gratiarum, illustrare dignatus est, fugatis errorum tenebris, in eorum mentibus veræ fidei Catholicæ lumen licet corroborari, & dilatari fidem ipsam, sine qua non est alicui gratia, neque salus; & attendentes, quod divina clementia vobis thesaurum scientiæ contulit, vosque multis virtutibus edotavit, ita quod potestis proficere vobis per vitæ meritum, & aliis per doctrinam; vos ad terras & partes easdem propterea providimus destinandos, firma spe repromissa de vobis, fiduciaque concepta, quod cum zelum habere vos asseratis ad præmissa; fervidum per vestrum, & aliorum Catholicorum tam Religiosorum, quam ceterorum Ecclesiasticorum virorum ministerium terris & partibus supradictis, vomere sanctæ prædicationis excultis, & imbre divinæ gratiæ irrigatis, jactoque in eis, per manum cælestis agricolæ salutifero semine verbi Dei, fructiferum producent segetem, ex qua tamdem multiplicata messis in horrea Dominica inferretur. Quocirca discretionem vestram monemus, & hortamur in Domino, vobisque in remissionem peccaminum districtius injungimus, & mandamus, quatenus vos; cum divino auxilio, ad terras & partes conferentes prædictas, tamquam fideles ministri, tam per prædicationem verbi Dei, quam alia virtuosa & exemplaria opera, sicut vobis Dominus ministrabit, corroborare in fide orthodoxa credentes, & non credentes ad eam uttrahere, ac inducere, in luce sermonis, & rectitudine operis taliter studeatis, quod demum commissa vobis talenta cum multiplicato fructu possitis reddere Domino; & tamquam servi fideles, in retributione justorum mereamini super multa constitui, & intrare in gaudium, cum gloria talibus repromissum. Ut autem ministerium hujusmodi eo plenius, utilius, & fructuosius valeatis implere, quo majori fueritis auctoritate suffulti, proponendi ubi, quando, quoties, ac quibus, in eisdem partibus, pro ejusdem corroboratione & dilatatione fidei, expediens videritis, verbum Dei, & constitutis ibidem, non obstante si aliqui majori excommunicatione legati fuerint, in verbo, officio, & cibo, aliisque honestis & licitis communicandi secure in ipsis partibus, nec non illos, qui Sedis Apostolicæ magisterio non intendunt, quos converti ad unitatem ejusdem fidei cupimus ad eam recipiendi, baptizandi, & ovili fidelium aggregandi, ut per regene-*

verationis gratiam de longinquo ad suum revertentes auctorem, liberi efficiantur ex servis, de extraneis provebantur in filios, ex corruptibili carne nati Dei spiritu renascantur, & obtineant per gratiam, quod non obtinent per naturam. Rursus & in locis partium prædictarum, in quibus vos hospitari, vel residentiam facere continget, Missas & divina officia, servata tamen honestate debita, celebrandi, ac ibidem fidelium confessiones audiendi, & injungendi eisdem pœnitentias salutares. In Ecclesiarum quoque partium prædictarum dedicationibus, & Sanctorum, quorum altaria in Ecclesiis ipsis fuerint, festivitatibus, seu cum vos continget proponere, in supradictis partibus verbum Dei, absentibus tamen Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis, omnibus fidelibus tunc ibidem præsentibus, vere pœnitentibus, & confessis, quadraginta dies de injunctis eis pœnitentiis misericorditer relaxandi, vobis & aliis Ordinis vestri Fratribus, in sacerdotio constitutis, qui vobiscum proficiscentur ad partes prædictas, ac vestrum, & ipsorum singulis plenam concedimus tenore præsentium facultatem. Prætera volumus, & concedimus, quod Fratres ejusdem Ordinis proficiscentes una vobiscum ad partes easdem, vel morantes ibidem, qui fuerint ad omnes, vel ad aliquos Ordines promovendi, a quibusvis Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis Catholicis, gratiam & communionem Apostolicæ Sedis obtinentibus, possint, rite tamen, ad hujusmodi Ordines statutis a jure temporibus promoveri, & alia Ecclesiastica recipere Sacramenta. Et ut fructum uberem de vestris laboribus reportetis, & sentiatis ex eis æternæ salutis vobis commoda uberius proventura, de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum auctoritate confisi, vobis, & dictis Fratribus vobiscum ad dictas partes proficiscentibus, ut præfertur, & vestrum singulis, vere pœnitentibus, & confessis, illam indulgentiam præsentium auctoritate concedimus, quam proficiscentibus in Terræ sanctæ subsidium Sedes prædicta concedere consuevit. Ac nihilominus, ut Christi fideles quasi per præmia salubriter invitemus ad merita, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui Ecclesias & loca Ecclesiastica fidelium partium earumdem inibi constructa, vel imposterum construenda, causa devotionis visitaverint, vel fabricas Ecclesiarum, & locorum ipsorum, ut Ministris & servitoribus fidelibus eorum caritativa duxerint subsidia eroganda, singulis diebus, quibus id vere pœnitentes, & confessi fecerint, centum dies de injunctis eis pœnitentiis misericorditer relaxamus. Et quia vos, & Fratres alii ad partes prædictas pro ampliatione fidei Orthodoxæ proficiscentes vobiscum in eundo, morando, & redeundo fidelium caritativo noscimini subsidio, & securo conductu egere, omnibus vere pœnitentibus, & confessis, qui vobis prosecutioni tam pii operis instantibus subsidium & securum conductum gratis præstiterint, & circa hoc auxilium & consilium impenderint opportunum, juxta quantitatem subsidii & devotionis affectum illius indulgentiæ, quæ vobis, & eisdem Fratribus ad dictas partes accedentibus est concessa, participationem concedimus, ut eis proficiat ad salutem. Vobis insuper, & cuilibet vestrum, auctoritate Apostolica concedimus, ut in civitatibus, Castris, vel Villis, seu locis quibuscumque ad habitandum, domos, & loca quæcumque pro Fratribus Ordinis vestri de novo recipere, seu hactenus recepta mutare; vel ea permutationis, donationis, aut cujusvis alterius alienationis titulo in alios transferre; dummodo de his, quæ ex causa permutationis, aut cujusvis alterius alienationis prædictæ titulos vos contingeret forte recipere, in acquisitione, constructione, vel ampliatione locorum aliorum Deo dicatorum, utilius in eisdem partibus expendantur, & loca semel Deo dicata profanis usibus nullatenus applicentur, in permutatione & donatione

hu-

hujusmodi locorum Diœcesanorum, petita nihilominus licentia, & obtenta de nostra, & dictæ Sedis speciali licentia, constitutionibus felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri, & aliorum Pontificum Romanorum prædecessorum nostrorum, in contrarium editis, etiamsi de illis plenam & expressam, ac de verbo ad verbum, in præsentibus oporteat fieri mentionem, nequaquam obstantibus, valeatis; dummodo loca seu domus hujusmodi, quas recipietis de novo, in Civitatibus, Castris, vel Villis, partium earumdem, in quibus domus, seu loca aliorum Ordinum mendicantium extiterint a prædictis domibus, seu locis per spatium triginta cannarum mensurandarum per aerem, ubi alias mensurari loci dispositio non permitteret, distare noscantur. Præsentibus usque ad decennium tantummodo valituris. Datum Avenione II. *Kal. Novembris anno* IV.

Magnifico Principi, Imperatori Imperatorum omnium Tartarorum gratiam in præsenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.

XII. *Quamvis commissa nobis desuper universi cura gregis Dominici nos circa multa diversa distrahat incessanter, hoc tamen præcipue vobis ferventibus exquirimus, & assiduis orationibus a Domino postulamus, ut ipse, qui est lux vera, omnem hominem venientem in hunc mundum illuminans, eos qui extra sanctam, Catholicam & Apostolicam Ecclesiam regimini nostro commissam, ambulant in tenebris, sic lumine suæ claritatis irradiet, & largissime præveniat gratia pietatis, quod de cordibus ipsorum profugata errorum caligine, ac in eis veræ fidei rutilante fulgore, Deum cognoscant veraciter, & adorent, tamdemque per gratiam divinam in ovili Dominico, extra quod non est alicui gratia neque salus, inclusi, æternæ beatitudinis gloriam, quam humanus intellectus capere non sufficit, consequantur. Ideoque dudum jucunda mente, facieque serena missos ad præsentiam nostram tuæ celsitudinis Nuncios, & litteras ab eis nostro Apostolatui præsentatas recepimus exultanter: & quia per eosdem Nuncios, & litteras percepimus evidenter, te ad nos & ad eamdem Ecclesiam magnam habere devotionem, velleque nobiscum amicitiarum inire fœdera; & propter hæc tuos solemniores ad nos destinare Nuncios, & nostros ad te mittendos favorabiliter, & benigne recipere intendebas, nec non quod ob nostram, & Ecclesiæ memoratæ reverentiam, Christicolas in tuo degentes Imperio favoribus opportunis pertractaveras, & etiam pertractabas: Nos inspiratum tibi ab illo, a quo universorum charismatum dona manant, propositum multipliciter in Domino cum gratiarum actionibus commendantes, Magnitudini tuæ inter cetera recolimus rescripsisse, quod præmissa nobis placabilia sunt admodum & accepta, mittendosque ad nos tuos Nuncios reciperemus, & audiremus favorabiliter & benigne: quodque nostros Nuncios, vel Legatos ad tuam præsentiam, & partes illas proponebamus, auxiliante gratia divina, mittere, qui te de nostra benevolentia, & aliis animæ tuæ salutem concernentibus plenius informarent. Nunc igitur opportunitate captata, adimplere quod super missione Nunciorum seu legatorum nostrorum spopondimus, cupientes, dilectos filios Nicolaum Boneti sacræ Theologiæ Professorem, Nicolaum de Molano, Joannem de Florentia, & Gregorium de Hungaria, Ordinis Fratrum Minorum, viros utique magnæ conscientiæ, quique scient & volent, ut speramus in Domino, verbo proficere pariter & exemplo, ad tuæ Magnificentiæ præsentiam, tuique partes Imperii providimus destinandos; rogantes Imperialem celsitudinem, & attentius in Domino exhortantes, quatenus tam ipsos, quam* Fra-

Fratres alios, nec non socios, & familiares eorum pro divinæ & Apostolicæ Sedis reverentia benigne recipias, & caritative pertractes, eisdem Fratribus nihilominus, quod per se, ac alios religiosos, & seculares Christianos Catholicos & fideles prædicare valeant ubique in partibus ejusdem Imperii verbum Dei, ministrareque Christianis, & aliis volentibus recipere pabulum salutiferum animarum, & Sacramenta Ecclesiastica libere permittendo, ut in retributione justorum ab æterno retributore, qui nullum bonum irremuneratum relinquit, mercedem condignam percipere, tamdemque divina illuminatus gratia, inter redemptos Christi pretioso sanguine connumerari, & perfrui luce perenni, quæ nullo fine clauditur, in cœlesti patria feliciter merearis. Datum Avenione 11. *Kal. Novembris anno* IV.

Magnifico Principi Chansi Imperatori Tartarorum de medio Imperio, gratiam in præsenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.

XIII. *Dudum ad notitiam nostram placida relatione perducto, quod tu inspiratus a Domino, qui numquam cessat a benedictionibus gratiarum, Christianos in tuo degentes Imperio, & ad illud etiam accedentes, favore benignitatis & mansuetudinis pertractabas, multos eis impendendo favores nihilominus, & opportuna privilegia concedendo. Nos hæc & alia bona, per te eisdem Christianis gratiose impensa, regratiando tuæ celsitudini, & ad ea continuanda exhortando attentius, per litteras nostras magnificentiæ tuæ scripsisse meminimus, & in eisdem litteris adjecisse, quod cum tuæ zelemus salutem animæ teque promereri, ut tibi aperiretur æternæ vitæ janua, optaremus, gratum haberemus admodum & acceptum, te ad nostram præsentiam tuos Nuncios, quos reciperemus & audiremus favorabiliter, super his destinares. Verum cum in litteris nostris prædictis inseruissemus expresse, quod ad tuam præsentiam, & partes illas nostros legatos, vel nuncios proponebamus mittere, divina gratia præeunte, nuncque dilectos filios Nicolaum Boneti sacræ Theologiæ Professorem, Nicolaum de Molano, Joannem de Florentia, & Gregorium de Hungaria, Ordinis Fratrum Minorum exhibitores præsentium, ad partes destinemus easdem, ipsos tuæ sublimitatis benevolentiæ propensius commendantes; rogamus in Domino, & hortamur eamdem, quatenus ipsos benigne recipias, & favorabiliter & caritative pertractes. Et ut ipsi per se, ac Fratres alios, quos ad id duxerint deputandos, possint prædicare verbum Dei, & divinum officium exequi ubicumque per tuum Imperium, in Ecclesiis & locis Ecclesiasticis ad hoc ordinatis, vel ordinandis, libere pro reverentia Dei, ac nostræ, & Apostolicæ Sedis permittas; ut in retributione justorum ab æterno retributore, qui nullum bonum irremuneratum relinquit, mercedem condignam recipere, tamdemque divina illustratus gratia, inter redemptos pretioso Christi sanguine connumerari, & perfrui luce perenni, quæ nullo fine clauditur, in cœlesti patria feliciter merearis. Datum ut supra.* Ibid. epist. 360.

Magnifico Principi Usbech, Imperatori Tartarorum, & magno filio Chisclam, gratiam in præsenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.

Dudum ad notitiam nostram placida relatione perducto, quod tu &c. ut in antecedenti.

Spectabili viro Tynybech primogenito magnifici Principis Usbech Imperatoris Tartarorum & magni filii Chyscam, gratiam in præsenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.

Ibid. epist. 368. XIV. *Lætamur in Domino, & eidem laudes exolvimus puro corde, quia sicut intelleximus, inter multas virtutes, quibus te ipse largitor bonorum omnium adornavit, tibi benignitatis & clementiæ spiritum contulit, ut omnibus tam Christianis, quam aliis in Imperio genitoris tui degentibus, adeo te propitium exhibeas & benignum, quod non solum te ratione principatus terreni, quem super eos habere dignosceris, venerantur; quin imo magis caritatis & amoris fervore beneficiorum tuorum sentientes dulcedinem, student jugiter attollere nomen tuum. Nos igitur, qui favores, quos impendisti, & impendere non cessas, ut præmittitur, continue Christianis eisdem, gratos habemus admodum & acceptos, tuamque exinde benevolentiam multipliciter in Domino cum gratiarum actionibus commendamus, excellentiam tuam rogantes attentius, & hortantes, quatenus considerantur attendens, & spe firma certaque fiducia gerens in mente, quod nullum bonum irremuneratum remanet apud Deum, favores hujusmodi erga Christianos prædictos continuare & exuberare non cesses jugiter, ut majus meritum tibi exinde acquirere valeas apud Deum, de nobis & Apostolica Sede fiduciam habiturus, quod super his, quæ pro te tuaque salute secundum Deum & decentiam nostram, poterimus facere, propitios reperies & benignos. Datum Avenione II. Kalend. Octobris anno IV.*

Dilecto filio Eliæ Hungaro Ordinis Fratrum Minorum.

Ibid. epist. 369. XV. *Fide dignorum placito relatu percepimus, quod tu familiaribus spectabilis viri Tynybech, primogeniti magnifici Principis Usbech, Imperatoris Tartarorum, & magni filii Chyscam insistens obsequiis, eidem primogenito, quantum potes commode, viam salutis ostendis, & ipsum ad favores Christianis in partibus illis commorantibus impendendos, & alia pia opera exercendo, diligentibus studiis, & sollicitis curis inducis, super quibus Deo & nobis gratis, tibique meritoriis tuam prudentiam multipliciter in Domino commendantes, te attentius exhortamur, & sollicitamus attente, quatenus habens dilectos filios Nicolaum Boneti sacræ Theologiæ professorem, Nicolaum de Molano, Joannem de Florentia, & Gregorium de Hungaria tui Ordinis, Nuncios nostros, quos ad illas partes mittimus, favorabiliter commendatos, & eos dicto primogenito cordialiter recommendans, non tepescat super prædictis tua diligentia, sed sic potius ferveat & augeatur, ut præter cumulum meritorum, quæ inde poteris acquirere apud Deum, nostram & Apostolicæ Sedis gratiam uberius consequaris. Volumus autem, quod præfato primogenito, cui nos etiam scribimus, explicare pro parte nostra procures, quod nos & Sedem prædictam, circa illa quæ pro salute & honore ipsius secundum Deum & decentiam nostram facere poterimus, propitios reperiet & benignos, tuque nobis super his & aliis quæ de partibus illis occurrerint, scribere poteris confidenter. Datum ut supra.*

Dilecto filio nobili viro Fodim Jovens, Principi Alanorum fidelium, in Imperio Tartarorum consistentium.

XVI. *Inter ceteras sollicitudines, quæ nobis ex debito commissi desuper officii Pastoralis incumbunt, hoc divinæ majestatis oculis gratum fore credimus & acceptum, si redemptis pretioso Christi sanguine fidem Catholicam profitentibus, præsertim inter exteras nationes consolationis impendamus auxilium, & alienos a fide ipsa, sine qua non est alicui gratia, neque salus, ut eam suscipiant & teneant, invitari & induci rectitudine sermonis & operis faciamus. Ideoque tam tuorum, quam aliorum principum Alanorum fidelium in Imperio Tartarorum consistentium, dudum transmissorum ad nostram præsentiam Nunciorum relatibus intellectis, quod licet sint in illis partibus Antistites & Religiosi multi, olim illuc per Sedem Apostolicam destinati, circa præmissa fidelibus & diligentibus studiis intendentes; quia tamen respectu messis quæ multa esse ibidem noscitur, sunt operarii pauci, foret ut alii mitterentur multipliciter opportunum, tibi & eisdem Principibus per diversas nostras litteras meminimus rescripsisse, quod opportunitate captata, intendebamus viros alios doctos in lege Domini, per quos una cum aliis, alias illuc missis, ut præmittitur, exerceri valeret salubriter opus ministerii hujusmodi, ad partes illas, prævia divina gratia, destinare. Cum autem nos in effectum producere intentionem nostram hujusmodi cupientes, dilectos filios Nicolaum Boneti sacræ Theologiæ professorem, Nicolaum de Molano, Joannem de Florentia, & Gregorium de Hungaria Ordinis Fratrum Minorum ad partes prædictas pro exercendo hujusmodi ministerio providerimus destinandos. Nobilitatem tuam rogamus, & in Domino attentius exhortamur, quatenus tam ipsos quam Fratres alios, ac socios & familiares eorum, quos secum duxerint, seu habuerint, habere velit tua nobilitas pro nostra & ejusdem Sedis reverentia propensius commendatos. Et ut ipsi & alii religiosi deputandi per eos, vel alios, ad id a nobis vel superioribus suis, potestatem habentes, prædicare libere verbum Dei, & alia quæ ad divinum cultum pertinent, agere in partibus ipsis valeant, partes tuæ sollicitudinis interponas, & exinde apud retributorem bonorum omnium æternæ mercedis premium uberius assequeris. Datum ut supra.* Eodem modo scripsit ad reliquos, quos supra nominavimus Principes Alanorum. *Ibid. epist. 370.*

XVII. Recurrit hoc anno memoria fratris Accursii Bonfantini, olim Inquisitoris hæreticæ pravitatis in Tuscia, in partibus Senensi & Florentina, in quibusdam litteris scriptis ad Episcopum Florentinum: & fratris Joannis de Badis Inquisitoris in Provincia, in diplomate ad universos Ecclesiarum Prælatos, quo jubentur speciale ei conferre auxilium, ut comprehendat famosum quemdam hæreticum judaizantem; pro quo apprehendendo miserat Inquisitor Raymundum Raboci Monachum Monasterii sancti Euticii Ordinis sancti Benedicti Spoletanæ Diœcesis, & Laurentium Ramberti laicum civem Avenionensem: alterius item innominati in diplomate, quod Pontifex misit per Magistrum Joannem de Amelio, Archidiaconum Foro-Julien. Cameræ Apostolicæ Clericum, ad Custodem Conventus sacri Assisiatis, ut ex thesauro Ecclesiæ, qui in illo Cœnobio ab aliquot annis repositus erat, permitteret extrahi quædam privilegia, registra, libros, & scripturas, quibus Pontifex pro ejusdem Ecclesiæ incumbentibus negotiis tunc egebat „ Inve- „ nio etiam in quibusdam monumentis Conventus Molleani in Piceno me-

Fr. Accursius Inquisitor in Tuscia. Ibid. ep. 132. Fr. Joan. in Provincia. Ibid. ep. 475. Ibid. ep. 361.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

Fr. Jacob. Episc. Firmanus.

„ moriam fratris Jacobi Episcopi & Principis Firmani, qui hoc anno peculiari diplomate concessit xl. dies Indulgentiarum Ecclesiæ S. Columbæ „

Frideric. Siciliæ Rex moritur. Zurita in Annal. tom. 2. lib. 7. c. 39. Idem in Indic. lib. 3. Fazel. decade. 2. lib. 8. Ejus filia Catarina fit Clarissa. Zurita citat. in Annal. c. 41.

XVIII. Hoc anno die xxv. Junii obiisse Fridericum Siciliæ, sive Trinacriæ Regem, annum agentem lxv. scribit Zurita in Annalibus; in Indicibus vero latinis anno mcccxxxvii. At Fazelius obiisse asserit anno mcccxxxvi. xii. Kalend. Jul. dum Paternione Catanam proficisceretur. Jussit corpus suum Barcinonem deferri, atque in æde Minorum juxta genetricis Constantiæ, & fratris Alphonsi Regis sepulcra tumulari; licet Catanæ ad ædem maximam sit sepultus. Filias reliquit quatuor, e quibus Catarina institutum subiit D. Claræ in Monasterio Messanensi. Rex erat re bellica, & virtutibus Rege dignis excellens, omni laudis genere præclarissimus, erga Minoritas, uti universa Domus Aragonia, addictissimus.

Fr. Sancius legatus Regius ad Pontificem.

XIX. Hujus Friderici nepos Petrus Aragoniæ Rex hoc anno ad mensis Februarii finem Legatum misit Avenionem fratrem Sanctium Lopesium Ajerbium Minoritam, virum religione insignem (qui sacræ confessioni Regis assidebat, & Terraconensi Ecclesiæ postea præfectus est) uti sibi liceret uxorem ducere Mariam Navarræ Regis filiam, non obstante arctæ consanguinitatis impedimento, & Pontifex ratam haberet electionem Magistri Calatravensis Militiæ, Alcanicii a militibus ejusdem Instituti peractam. Sed hoc impetrare non potuit, quia partium factione concitati Alcanicienses contra ejus Ordinis instituta Magistrum sibi delegissent, viguitque diutina propter hoc inter Calatravenses seditio.

Indid. c. 44. Alii duo Minoritæ legati ad eumdem.

XX. Rex etiam Siciliæ Petrus, supradicti Friderici filius, & hæres hoc anno legatos misit ad Pontificem Viros Principes, & fratrem Guidonem de Santa, Guardianum Catanienśem, ac fratrem Matthæum de Carsala Guardianum Nothi, ut dignaretur sibi benedictionem Apostolicam, & Siculi Regni investituram concedere. Benigne habitos remisit Pontifex, statimque ad Petrum amandavit Gocium Patriarcham Constantinopolitanum, & Raccerium Episcopum Vasionen. qui quatuor Minoritarum opera, & Legatione usi sunt ad Messanenses. Atque eodem tempore Beatrix Regina Lusitaniæ Alphonsi conjux Legatum misit ad Petrum Aragonium Regem, fratrem Joannem de Aragonia, ut antiquam amicitiam inter Aragonios & Lusitanos renovaret. Frequentes hæ Legationes claro sunt argumento, quanti habebantur ea ætate apud Reges & Principes Minoritæ.

Alius ad Regem Aragoniæ. Vide de hoc Joan. an. 1340. num. 10.

Ex lib. ep. 242.

XXI. Singulis annis manifesta etiam apparent vestigia pietatis & devotionis, qua Sancia Siciliæ Regina in Deum & in sanctam Claram ferebatur. Obtinuit hoc anno a Pontifice, ut ultra duas, quas semper secum habebat, Clarissas, alias duas liceret assumere, causam attexens, quod dum illæ comédebant, aut ad alia necessaria declinabant, sola absque grata illa societate remanebat. Impetravit etiam ut ultra tot amplissima & insignia Monasteria, quæ jam fundaverat, uti suis locis narravimus, liceret aliud construere prope Regiam, seu Castrum novum, Regum domicilium ad littus maris, longe dissitum a Monasterio Corporis Christi, aliisque a se ædificatis. Volebat itaque aliud præ foribus, & primas ibi constituere disciplinæ atque virtutis magistras aliquot Sorores Monasterii sanctæ Claræ Assisiatis, ejusdem Divæ consanguineas: *Ferventis devotionis.* xiv. Kal. April. Ita factum inchoatumque opus sub invocatione sanctæ Mariæ de Cruce hoc anno, vivente & incolumi Rege Roberto: licet Gonzaga jam decessisse supponat. Præexistebat ibi oratorium sub prædicta nuncupatione, seu potius *sanctæ Mariæ ad crucem*, frequentia miraculorum insigne, quod Robertus Rex anno mcccxxviii. sacello regio aggregavit & privilegiis munivit. Alia addidit Joan-

Con. S. Crucis Neapoli.

Gōz. in prov. Terræ labor. Con. 2. Summont. lib. 3. Engen. de hoc Monast.

Joanna Regina, Roberti neptis, constructo jam Monasterio, & vivente adhuc Sancia vidua; atque illud præsertim concessit, ut nulli liceret in totius Monasterii circuitu infra spatium cannarum quadraginta ædificium ullum construere. Vigentibus in Regno Neapolitano bellis, quia Monasterium erat extra urbis mœnia, patebatque hostium furori, Regina Joanna II. Sorores non tertii, uti habet Cæsar Engenius, sed secundi, & stricti Ordinis a sancto Francisco Instituti transtulit ad magnificum Corporis Christi Parthenonem.

Regestum Robert. ann. 1328. lit. A fol. 13. Regestum Joan. ann. 1344. lit. A. fol. 41.

XXII. Vacavit domicilium aliquot annis absque habitatore, donec anno MCCCCXLIII. plurimis privilegiis ab Alphonso Aragonio, hujus nominis primo, utriusque Siciliæ Rege munitum, & Regii sacelli titulo decoratum, incolere cœperunt Minoritæ tamquam Regii Sacellani: atque sub hoc nomine ex Regio ærario alebantur; quod approbatum voluit Nicolaus V. & confirmatum Fridericus Rex Alphonsi successor. Nunc vero illic inhabitat numerosa multitudo Fratrum strictioris Observantiæ qui ex ostiaria mendicitate quotidie sibi victum acquirunt, quorum pietatem & disciplinæ regularis observantiam præsens probavi per aliquot menses, dum Neapoli aliqua absolverem negotia apud Ducem Alcalensem Ferdinandum de Ribera & Comitem Montis-Regii illius Regni Proreges. Hic ipsa Sancia Regina fundatrix, mortuo conjuge Roberto, habitum suscepit sanctæ Claræ, & pie vitam finivit, uti suo loco opportunius dicemus.

An. 1344.

XXIII. Adjunctum est postea alterum Fratrum domicilium, sub invocatione sanctæ Trinitatis pro Fratribus, qui Sororibus inservirent & Sacramenta ministrarent, sed amotis a contiguo Monasterio Crucis Sanctimonialibus, & constitutis ibidem Fratribus, unicuique Ecclesiæ & domui quantumvis cum altera contiguis, & solo Fratrum horto ita inter se distinctis, ut interius pateat utrimque aditus, propria destinata est familia, & peculiaris præfectus est Guardianus. In Cœnobio Trinitatis conspicitur, & in veneratione habetur cubiculum sancti Jacobi a Marchia, qui aliquanto tempore illic habitavit, & malum aureum quod adhuc viret, & singularem habet virtutem febribus propulsandis, suis manibus plantavit; ubi etiam copiosam erexit nobilium Neapolitanorum confraternitatem, quæ extremo supplicio mulctandorum curam agit, eorumque cineres & ossa in die Parasceves quotannis colligit, debitoque cum honore in sacello, huic muneri destinato, religiose reponit. Ædem auxit, refecitque Anellus Bozabrutus civis Neapolitanus anno MDXLVI. cujus situs amœnus, placidusque prospectus prope Regium Palatium supra mare Tyrrhenum. Jacent in Ecclesia Crucis præter ipsam Sanciam fundatricem, multi heroes & heroinæ, atque inter hos ultima Comitissa Tyroniæ Catarina Magnesia, quæ exilium cum conjuge Magno Onello invictæ virtutis Principe passa, post viri in Urbe decessum, Neapolim recessit. Aliorum Epitaphia dabit citatus Engenius.

Gonz. cit. an. 3. Con. Trinitatis.

Catarina Magnesia.

XXIV. Non minor apparuit Roberti Regis, Sanciæ Conjugis, erga sanctam Virginem affectus; præterquam enim quod ad hæc extruenda Monasteria liberalissime juverit Reginam, atque hujus Monasterii sanctæ Crucis originem ei aliqui tribuant: & simul cum Sancia consorte Assisio consanguineas evocaverit sanctissimæ Virginis, hoc ipso anno in familiarem suum assumpsit Sinum Lolum, vel eo præcipue titulo, quod ex genere sanctæ Claræ descenderit; cujus rei meminit Sumontius in sua historia, & nos ipsum instrumentum seu diploma regium ex regesto extractum, & a supradicto antiquario Chioccarello transmissum, hic ministramus.

Engen. cit.

Rex Robert. assumit in suum familiarem consanguineũ S. Claræ.

RO-

ROBERTUS, &c.

Ex Regest. Rober. ann. 1337. 1338. & 1339. Indic. 6. fol. 129.

XXV. *Universis præsentes litteras inspecturis tam præsentibus quam futuris. Illos in familiares nostros libenter admittimus, quos decorat nobilitas generis, & mores, & personales virtutes exornant. Hac igitur consideratione suasi Sinum Loli de Civite Assisii consanguineum, & de genere Virginis Beatæ sanctæ Claræ, tam ob ipsius Sanctæ reverentiam, ad quam singularem devotionem habemus, quam propter suæ personæ aptitudinem, in familiarem nostrum ad honorem recepimus, & aliorum familiarium nostrorum numero aggregavimus; volentes quod illis honoribus, favoribus, prærogativis, & gratiis idem Sinus potiatur, & gaudeat, quibus alii familiares nostri similes potiuntur. In cujus rei testimonium præsentes litteras fieri, & nostræ Majestatis sigillo jussimus communiri. Datum Neapoli anno Domini* MCCCXXXVIII. *die* XIII. *Novembris* VII. *indictionis Regnorum nostrorum anno* XXX.

Hist. Upsal. lib. 4. Arch. 14. Convent. Scokolinen.

Conv. Enecopiæ. Con. Upsalen.

XXVI. Variæ erant hoc tempore controversiæ inter Petrum Archiepiscopum Upsalens. ex Ordine Prædicatorum assumptum, & Minoritas Provinciæ Daciæ, quos Joannes Magnus Gothus, ejusdem Ecclesiæ Antistes in sua historia Metropolitana Upsalensi subindicat, & Pontifex in favorem Minorum recenset in diplomate ad Archiepiscopum Nidrosien. Ibi occurrit memoria Conventus Scokolinen. Upsalen. Diœcesis, in quo cupiebat Magnus Suetiæ Rex coronari, tum quia Fratribus valde addictus, tum quia ibi sepulti erant Rex avus, & Regina avia: sed ne ita fieret prædictus Archiepiscopus impedivit. Fit etiam mentio Conventus Enecopiæ ejusdem Diœcesis, & Custodiæ Lincopen: nec non alterius Domicilii Upsalen. quod Archiepiscopus destruxit. Totius rei examen committitur Nidrosiensi Antistiti: *Officii nostri debitum*. Kal. Septembris.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

Wad. ad hunc an. num. 1. & deinceps.

„ I. Hujus anni initio Imperatoris maximi Tartarorum Legatos summum Pontificem excepisse, & cum gaudio audivisse, scribit Wadingus, & omnem rem ad facti veritatem plene enarrat adeo, quod nil amplius desiderari posse videatur, nisi forte Mermerus Grajus sit aliquis Tartaream qui gentem nosse cupiat, cui nihilominus occurrentes ex Geographis mutuantes, quæ ejus curiositati satisfacere queant, in medium proferimus, nec enim id inutile, vel supervacaneum operi nostro putamus, cum Evangelicos Priscorum nostræ Religionis labores maxime commendaturum noverimus.

Tartarorum Imperium describitur. *Petr. Bertius in descript. Tartar. fol. 557.*

„ II. Tartarorum Imperium, sive Regnum, præter Europæ partem, etiam Sarmatiam omnem Asiaticam complectitur, cum Scythia, & Serica, quam nunc vocant *Cathajo*. Nomen habet a fluvio Tartaro, qui eam partem irrigat, quæ a nostris *Magog*, ab accolis *Mongul* vocatur. Circumscribitur orientali Oceano, sive Mangico, & regionibus Australibus, ut sunt, Sina, Indiæ pars extra Gangem, Sacæ, Jaxartes fluvius, qui hodie *Chesel* dicitur, Mare Caspium, & Palus Meotis. Dividitur in plures partes: minorem, quæ Europam spectat, & inter Boristenem & Tanaim concluditur, complectiturque Tauricam Chersonesum, quam inhabitant Præcopenses: Tartariam desertam, in qua multæ Hordæ: est autem Horda cœtus, conventusque plurium ad usum communem. Tagatar,

„ tar, quæ Scythia est inter Imaum; Cathajo cum Regno Tangut, quæ „ antiquorum est Scythia extra Imaum, & Serica regio, ac postremum antiquam Tartariam, quæ Ptolomæo fuit incognita. Natio omnis profana „ est & barbara, jus ipsis in armis, lex in robore, & viribus: domos non „ habent, sed pro his plaustra; urbes rarissimas: itaque catervatim degentes, depastis frugibus, alio commigrant. Latam faciem habent & obesam, oculos contortos & concavos, sola barba horridi, cætera rasi, corpus validum, animum audacem. Crudis, aut semicoctis carnibus vescuntur, a suilla abstinent. In vastis solitudinibus viarum incerti cursum „ Poli Arctici, quem ipsi *Solesnicol* vocant, adspectu dirigunt. Sitim levant „ sanguinis equini potu. Pecuniæ usum non habent; itaque res pro rebus „ commutant. Horda tamen Zavolhensis dicitur Turcarum Aspros admittere Preskovensis etiam ducatos Ismaelitas se esse dicunt, idque etiam „ præseferunt. Mahumeti legem admiserunt anno MCCLXVI. cetera Judæorum ritu peragunt, circumciduntur, lavantur, & quotidie solemni „ hora exclamant: *Iebi illo illoth*, idest, non est Deus, nisi unus Deus: „ summus ipsis Sacerdos *Seyd*, Imperator *Cham*. Præter hos sunt etiam „ Hordæ Judæorum, sunt & Paganorum, & Christianorum Nestorianorum. „ Præcopenses (uti diximus) Tauricam Chersonesum incolunt ad mare „ Euxinum: dicuntur Ulani ab Ulano, qui hæc loca primus insedit: etiam „ Crymsky a Civitate Crym. In hac peninsula præter alias urbes est „ Theodosia, quam nunc *Caffa* vocant, vetus Genuensium Colonia. Sunt „ autem Præcopenses Christianis admodum infensi. In extrema hujus regionis parte est Tanas, civitas ad ostia Tanais fluvii; Rutheni vocant „ *Azac*, eisque nobile emporium. Bosphorus Cimmerius fretum est, quod „ Europam ab Asia disterminat. Meotis Palus, quia plurima recipit flumina, piscibus valde abundat. Euxinus itidem, cujus superior aqua dulcis „ est, inferior salsa. Tartaria deserta Hordas multas complectitur, Zavolhensem, Casanensem, Thumensem, Nohaicensem, Schibschiensem, „ Cosachiensem, Astinchaunensem, Kirhessorum, Baschirdorum, Molgomozorum, aliasque. Primaria vetustissimæ nobilitatis commendatione „ Horda est Zavolha inter Volgam, & Jayth fluvios; hanc Basilius Magnus „ Dux Moschoviæ sibi subegit. In hoc agro ferunt semen esse, semini melonis simillimum, sed minus & oblongum; ex eo, si feratur, plantam exire, quam *Boranetz*, idest, agnum vocant; crescit enim agni figura ad pedum fere ternum altitudinem: quem pedibus, ungulis, auribus, toto „ corpore, præterquam cornibus, repræsentat: pro cornibus pilos gerit „ singulares, cornu specie: obducitur corio tenuissimo, cujus detracti usus „ ad capitum tegmina incolis: ferunt internam pulpam Gammari carnes „ referre. Ceterum e vulnere quoque sanguinem manare: dulcore esse „ admirabili: radicem humo exertam, surrigere ad umbelicum usque: „ quamdiu vicinis obsidetur herbulis, tamdiu vivere, quasi agnum in læto „ pabulo; absumptis illis tabescere, atque interire: idque non solum vel „ casu, vel tractu temporis, sed etiam experiundi gratia subtractis, atque „ ablatis evenire: illud etiam auget admirationem, appeti etiam a lupis, „ non item ab aliis bestiis, quæ carne vescantur. Casanensis Horda ad Volgam porrecta ditionis est Moschorum, quorum Dux se vocat *Czar Casanski*, Regem Casanensem. Nohaicensium Horda ultra Volgam, circa „ mare Caspium ad fluvium Jayth sita est, cujus Incolæ summa prudentia „ Rempublicam administrant, tributum Magno Moschoviæ Duci pendentes Casaczkienses, Thumenses, Scisbanskienses militares valde sunt.

Mol-

„ Molgolmozani, & Badaiquæ ad Septentrionem degunt, in subterraneis „ antris, solem adorant, aut pannum rubrum e stipite dependens. Zagathai Tartari Bactrianam, Sogdianam, & Margianam occupant. Habent a „ Septentione Jaxartum fluvium, qui nunc *Chesel* dicitur, ab occasu mare „ Caspium. Metropolis est Samarcanda, quæ ab antiqua gloria, & magnitudine multum remisit. Patria hæc Tamerlani fuit, quem sui dixere „ *Temir cultbu*. Est in eodem tractu Bichend urbs, & Turchestan Regnum „ juxta portas Caspias. Mons Imaus terminus est orientalis. Scythæ extra „ Imaum multa, & ampla Regna possident sub Imperatore Magno Chamo, „ quem Turcæ *Vlucam* vocant, quasi magnum Principem; Moschi Czar „ Cataiski, Cæsarem Catajæ: ejus nomen in tabula rubra descriptum in „ præcipuarum urbium Templis proponitur. Stipatorum numerus XII. „ millia: hos vocant *Quisitam*, fideles; moneta est ex cortice arboris, cui „ regium sigillum imprimitur. Dux mortuus in Monte Alcai sepelitur, cui „ interdum inferias mittunt quotquot funeri occurrunt. Observatum est, „ occisa semel CCC. hominum millia. Metropolis Regni est Cambalu ad „ ripam fluvii Polisangi, cujus spatium intra urbem est XXIV. mill. Italicorum. Portæ sunt duodecim, extra quas totidem suburbia. Emporium „ istud gemmarum, auri, argenti, serici est opulentissimum. Ferunt singulis „ diebus mille currus serico onustos ex China huc advehi, præter alias merces. Eidem Duci parent Regna Tangut, Camul, Tainfu, Tebet, & Tenduc, in quo Presbyter Joannes regnavit, cujus ante annos CCC. longe „ lateque patebat imperium, vulgo vocant Prestegiani, id autem est lingua „ Persica Preschteh-Gean, & lingua latina idem est, ac Angelus mundi; „ convenitque hoc nomen potius Pontifici alicui, quam Regi, ut notavit „ Scaliger lib. de emend. temp. E Tangut regione defertur ad Europæos „ rhabarbarum. Est & Caindo urbs mercatu celebris. In extrema Tartaria, „ quæ septentrionem & occidentem spectat, ad promontorium Plinii Tabin, & fretum Aniam, Hordæ sunt aliquot, Israelitarum reliquias (si „ vera est fama) servantes, Dan, & Nephtalim. Regio illuc est Bargu palustris; Regnum Tabor.

„ III. Regionum earum præhabita ex descriptione, ejusque tabulis „ geographicis, aliquali notitia, majori aviditate ut reor, Waddingi relationes leget quisque pius, sancteque curiosus, gratiasque juges reddet „ Altissimo, qui per servos suos Minores tot magnalia facit. Frater Joannes „ de Monte Corvino, solus & peregrinus, pauper sine sacculo, vel pera „ Civitatem Regalem Chambaliec ad ripam fluvii Polisangi, magnam, late „ patentem, divitem & opulentam, Magni Chami sedem ingressus anno „ circiter MCCXCIX. speciali gratia divina suffultus, verbum Dei opportune „ disseminans, in eadem tantum in animarum conversione profecit, ut Ecclesiam cum sacra turre pro tribus campanis erexerit; deinde aliam paulo „ post in eadem urbe a prima duobus milliaribus distantem: mox illi amandatis Episcopis septem pariter Minoritis, creatus Archiepiscopus Chambaliensis, eam Ecclesiam exinde rexit tanta sollicitudine pastorali & gratia, ut Principes Alanorum Tartarorum, qui primitus dicebantur *Messagetæ*, eorumque sedes erant intra Imaum montem, eum per suas epistolas „ Summo Pontifici digne commendaverint his verbis: *Hoc autem Sanctitati Vestræ sit notum, quod longo tempore fuimus informati in fide Catholica, & salubriter gubernati & consolati plurimum per Legatum vestrum „ fratrem Joannem, valentem, sanctum, & sufficientem virum, qui tamen „ mortuus est ante octo annos, in quibus fuimus sine Gubernatore, & sine spi-*

Fr. Joannes de Monte Corvino prædicat in Regno Magni Cham.

Wadd. ad hunc an. n. 3. Duas erigit Ecclesias.

Commendatur apud Pontificem ab ipsis Magnatibus Regni.

„ *spirituali consolatione, licet audiverimus, quod providistis de alio Legato,* „ *ille tamen nondum venit: quare supplicamus &c.* Hic ergo Joannes de „ Monte Corvino piæ curiositati legentis calcar addat, ut de tanto viro „ alibi dicta conquirat, & ad usuram menti commendet. *Wadd. ad ann. 1305. n. 9.*

„ IV. Contra fratrem Laurentium de Ancona litteras Pontificias dire- „ ctas fuisse Ministro Generali diximus superiori anno; nunc Summus Pon- „ tifex præcipit sententiam latam contra eumdem publicari: *Nihil pro-* „ *dest &c.* XII. Kal. Martii: quo etiam tempore de eadem re Episcopo „ Florentino scripsit: *Ad audientiam &c.* Ministro pariter Generali sub „ VIII. Kal. Februarii: circa numerum Magistrorum Ordinis litteras expe- „ dierat: *Devotionis vestræ &c.* nunc audiens Fratres Hungaros, & Scla- „ vonos commoditate studendi sacris litteris ad utilitatem fidelium carere, „ eidem mandat, ut ad studia sine acceptione personarum mittat & ipsos: „ *Si fructus &c.* III. Idus Junii. Interea frater Nicolaus Minister Provin- „ ciæ Boemiæ & Poloniæ Capitulum celebrabat Znoimæ in Moravia, in „ quo iterum reelectus est. *Litter. Apostol. provisionales circa Fratres. Indic. ex Vatic.*

ARGUMENTUM.

Recensentur aliquot viri illustres. Agnes filia Ludovici Imperatoris fit Clarissa. Moritur Castruccius Lucanus in habitu Franciscano. Multiplicantur Domicilia.

I. JOANNEM de Burgo, diximus superioribus annis, Inquisitorem egisse in Provincia Marchiæ contra hæreticam pravitatem, quam dum modis omnibus extirpare, & ab illa eliminare Provincia studet, male audit apud Ministrum Generalem Gerardum subdolis calumniis quorumdam Picenorum nobilium. Persequebatur ille rigide, & ad Pontificis præscriptum sectam Fratricellorum: nobiles malæ soboli impense favebant; hinc totius mali origo, quæ in tantam exarsit invidiam, ut insidiari & calumniari non destiterint, donec Minister Generalis eum a prædictæ Inquisitionis officio deturbarit, substituto suo socio Jacobo, mox Simone de Ancona. Pontifex tamen, accepta plena rei veritate a Bertrando tit. sancti Marci Cardinale, in partibus Italiæ Apostolicæ Sedis Legato, Joannem summopere commendavit, amotisque aliis, pristino muneri & honori restituit. *Fr. Joannes de Burgo Inquisitor Marchiæ confirmatur a Pontifice. Ex secr. ep. 245.*

II. Joannes alter Episcopus Tyburtinus, quem diximus, ex Minoribus assumptum, diligenter hoc tempore insistebat obsequiis Humberti Delphini Viennensis, cujus Confessarius erat, & cancellarius. Concessit itaque Pontifex ad amici Principis preces, ut ei assideret, nec cogeretur ad residendum in suo Episcopatu. Pastorem etiam de Serrescuderio paulo antea electum ad Ecclesiam Assisiatem, transtulit ad Archiepiscopalem Ebredunensi in Gallia, per assumptionem prædicti Bertrandi ad Cardinalatum; quorum tamen Ordinem invertit Claudius Roberti: *Romani Pontificis.* VI. Kal. Februarii. In ejus vero locum substituit Minoritam alterum, Nicolaum Zucii Assisiatem: *Regiminis universalis:* Idibus Martii. „ Univit hic an- „ no MCCCXLIV. Monasterium sancti Angeli Castri Lemisani, Ordinis Ci- „ stercensis, cum altero cujusdam instituti sanctæ Crucis Saffovini Fulgi- „ natensi. „ Deinde Pastoris opera usus est in multis rebus gravissimis; cujus etiam prudentiam, & dexteritatem expertus est Clemens VI. qui multis muneribus & legationibus functum creavit Cardinalem. In hujus *Anno 1320. n. 7. Ex lib. ep. commun. ep. 55. Frat. Pastor Archiepiscop. Ebredunen. Fr. Nicol. Episc. Assisias. ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.*

Ex lib. secr. anni sexti Clement. VI. ep. 171. & 228.

Pontificis regesto inveni instrumenta legationis sibi, & Guillelmo Carnoten. Episcopo ad Philippum Regem Galliarum commissæ, super relaxandis, seu liberandis Petro Cardinali Presbytero tituli sancti Clementis, aliisque Cardinalibus, & eorum familiaribus, quos Rex sub custodia detinebat; & super revocandis iis, quæ contra Ecclesiæ auctoritatem & immunitatem, constituerat. Ut obduratum Regis animum emollire possent, longo tempore Parisiis immorari oportuit, & tamdem cooperante, ac sollicite interveniente Joanna Regina, obtinuerunt.

Metrop. Salisburg. fol. 287.

Agnes filia Ludov. Imper. fit Clarissa.

An. 1284. n. 23. Marian. cit. Antonin. tit. 21. c. 6. §. 9.

Moritur Castruccius Lucæ regulus.

III. Hoc anno Ludovicus Bavarus filiam suam Agnetem quadriennem Domino consecravit Monachii, in Monasterio Anger, quod ipse complevit & in meliorem formam reduxit, de quo alias largius præfati. Consocias & comites habuit Virgines novem, quæ illud ipsum subierunt Institutum. Vixit in Ordine annis LII. obiitque anno MCCCXCII. in choro sepulta. Hoc etiam anno, uti habet Marianus, vel longe antea, uti Antoninus, & alii, decessit Castruccius Lucanus, vir bellicosus, & potens in armis, qui multas in Italia obtinuit victorias, & vario Marte cum Pontificiis, Florentinis, & aliis congressus est. Cum dominaretur Lucæ, & devicto Pistorio Florentiam obsedisset, ex nimio labore, & violenta corporis agitatione in gravem incidit infirmitatem. Lucam delatus, petiit sibi concedi habitum sancti Francisci, in quo per aliquot dies pœnitens, & malorum pertæsus, obiit eadem veste indutus, in qua etiam voluit sepeliri. Ingenti pompa funus curatum est ad ædem sancti Francisci anno XXIII. sui Dominii.

Rodul. fol. 291.

Conv. Calisien.

Conv. Tannen.

Ex lib. ep. commun. ep. 636.

IV. Hoc anno Casimirus II. cognomento Magnus, Rex Poloniæ Minoribus Conventum extruxit Calisiensem, muris cinxit coctilibus, & sancto Stanislao dedicavit. Hujus loci meminerunt Pisanus, & Rodulphus in provincia Boemiæ, & custodia Gnesnensi. Invenio etiam mentionem Conventus de Tanne provinciæ superioris Alemanniæ, & Custodiæ Basilien. nec non Ministri Provincialis Joannis de Ravensburg, & Custodis Basilien. fratris Rodulphi Vicedomini; in bulla Pontificia data ad Præpositum sancti Petri Argentinen. & Scholasticum Tullen. &c. in quibusdam controversiis beneficiorum.

Monaster. Montispessulani.

Monaster. Huerden.

V. Concessa hoc anno licentia Infanti Ferdinando de Majoricis, præcedente informatione Episcopi Magalonen. construendi in propriis domibus in territorio, & Baronia Montis-pessulani, cujus erat Dominus, Monasterium Clarissarum, præscripto eis perpetuo annuo censu librarum quingentarum: *Summa prudentia*. v. Idus Maii. Similiter data facultas nobili viro Conrado de Marcha, Domino de Huerde, & Elisabethæ de Cluio conjugi, ut alterum ædificarent in dicto Oppido Huerden. Colonien. diœcesis: *In iis quæ cultus divini*: IV. Kal. Martii. Ad petitionem Reginæ Sanciæ annuit Pontifex, ut multiplicarentur confessarii in Monasterio Corporis Christi, atque ut ipsa cum decem honestis mulieribus habitaret intra clausuram Monasterii sanctæ Crucis, quod fabricare cœperat, donec ab infirmitatibus, quibus affligebatur, convalesceret.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

Litt. Pont.

„ I. PAuca sunt, quæ nobis occurrunt in his Supplementis recensenda.
„ Ex Vaticano Regesto indicat Petrus de Alva & Astorga summum
„ Pontificem Provinciæ Ministro pro quadam Moniali nomine Bertranda
„ Apostolicas direxisse litteras: *Pia Religiosarum &c.* IX. Kal. Aprilis; &
„ Roberto Siciliæ Regi alias, in quibus de nonnullis dissensionibus inter

Fra-

„ Fratres Minores vigentibus loquitur : *Habebat feries &c.* VII. Idus Au-
„ gusti. Interea vero provinciam Boemiæ, qui ab anno MCCCXXXII. rege- *Ex Vatic.*
„ bat frater Nicolaus in crastino octavæ Apostolorum Petri & Pauli hoc
„ anno moritur; & congregatis Comitiis Glatii in Boemia, in festo exalta- *Ex Odor. n. 64.*
„ tionis sanctæ Crucis XIV. die Septembris, præsentibus & præsidentibus
„ fratre Jacobo Mama de provincia Provinciæ, ut Commissario, & fra-
„ tre Guillelmo Strigoniense sacræ Theologiæ Regente, uti Secretario,
„ electus fuit in Provincialem frater Mravicus.

ARGUMENTUM.

Imperator Tartarorum mittit Legatos Christianos ad Pontificem. Eliminantur hæretici ex Principatu Bosnensi opera Gerardi Ministri Generalis, aliorumque Minoritarum. Stabilitur Senis sanctæ Inquisitionis officium. Creantur Episcopi. Moritur beatus Guido de Spathis, & martyrio coronatur beatus Gentilis Picenus, quorum acta recensentur. Vitam absolvit Nicolaus Lyranus. Periculosam Philippi Majoricen. petitionem refellit Pontifex. Extruuntur Cœnobia.

I. ANte biennium admisisse Legatos Tartarorum, & alios remisisse Benedictum Pontificem superius enarravimus. Alios hoc anno destinavit ad Sedem Apostolicam Imperator Usbech viros duos nobiles Catholicæ fidei professores, & fratrem Eliam de Hungaria Minoritam Principi Tynibech, Imperatoris primogenito familiarem. Honorifice exceptis, & in Tartariam redituris, sequentes dedit Benedictus litteras, ex quibus quid erga Christianos hi Principes præstiterint, Lector percipiet.

An. 1338. n. 12 & seqq.

Tartari mittunt Legatos ad Pontificem.

Magnifico Principi Usbech Imperatori Tartarorum Illustri, gratiam in præsenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.

II. *LÆtanter & benigne recepimus dilectos filios nobiles viros Petranum de Lorto, olim Dominum de Capha, & Albertum ejus socium, fidei Catholicæ professores, Magnificentiæ tuæ Nuncios, una cum dilecto filio Elia de Hungaria Ordinis Fratrum Minorum, Nuncio viri egregii Ducis Tynybech, primogeniti tui, ad nostram præsentiam destinatos, & ea, quæ ipsi coram nobis pro parte tuæ Celsitudinis curaverunt proponere, clementer & patienter audivimus, & intelleximus diligenter. Cum autem præfati Nuncii tuam Magnificentiam, & potentiam, nec non devotionem, & reverentiam quas ad nos, & sanctam Sedem Apostolicam geris & gessisti hactenus, multæ laudis & commendationis præconiis attollentes, narratione subjuncta placabili explicarint, quod tu hujusmodi devotionem & reverentiam in laudabilium effectum operum producendo, Nuncios nostros, quos dudum ad partes Cathayen Imperii mittebamus, ad tuam præsentiam accedentes, ob divinam, & nostram, ac dictæ Sedis reverentiam, & honorem favore benigno susceperis, eis caritative fecisti de necessariis & expensis, ac usque ad partes prædictas de conductu non modico, quin potius sumptuoso, & magnifico provideri. Et ulterius exhortationibus, & precibus nostris, quibus Christianos Catholicos, & Romanæ obedientes Ecclesiæ in tuo degentes Imperio benevolentiæ tuæ commendavimus, favorabiliter annueris, erga Christianos eosdem tuæ Magnitudinis liberalitatem, & gratias ampliasti, eis reparandi n bi-*

Ex lib. secr. ep. 149.

lominus, & ædificandi Ecclesias, & loca Ecclesiastica, nec non Antistitibus, & Religiosis Catholicis, prædicandi verbum Dei, & sacramenta Ecclesiastica, juxta ritum & morem S. R. E. Matris omnium fidelium, & magistræ, ministrandi licentia liberali concessa. Præterea quod cum aliqui nequissimi homines, sceleris nefandissimi patratores, proditoriis, & temerariis ausibus intentata tibi morte, te in tuo Palatio, igne supposito, nocturno tempore obsedissent, & Christianis prædictis falso imponere patrationem hujusmodi sceleris niterentur, tu divino auxilio feliciter ab hujusmodi periculo liberatus, & recordatus precum, & exhortationum nostrarum prædictarum, ac impositionem prædictam esse falsam & calumniosam, Dei sapientia inspiratus, attendens præfatos Christianos, tamquam de hujusmodi scelere innocentes, tribus tantum exceptis, qui maligno seducti spiritu, se cum nequissimis patratoribus sceleris ejusdem immiscuisse dicebantur, tamdem facta de aliis ejusdem facinoris patratoribus justitia, sub tuæ serenitatis gratia in pacis & libertatis dimisisti quiete. Hæc autem Deo grata quamplurimum, ac nobis, & Sedi prædictæ, qui justitiam, & misericordiam diligimus & fovemus, placabilia & accepta famam tui nominis ampliant, & ad obtinendam divinæ propitiationis gratiam præparant & adaptant. Profecto quidem speramus & credimus, quod providentia divina, quæ in sui dispositione non fallitur, præmissa, & alia pia opera, circa quæ, ut gaudenter percepimus, te libenter exerces, inspiravit, & inspirare non desinit menti tuæ, ut tamdem agnita veritate, quæ Christus est, illuminatusque fidei Catholicæ claritate, & per susceptionem ejusdem fidei, sine qua non est salus alicui, ovile Dominicum, cujus est unus Pastor, ingressus æternæ satietatis pascuis, post vitæ præsentis exitum non frauderis. Nos igitur, qui licet insufficientibus meritis, locum Dei tenemus in terris, hæc pro tua salute animæ ferventibus desideriis peroptantes, rogamus magnitudinem tuam, & in Domino attentius exhortamur, quatenus intra tui pectoris claustra consideranter revolvens, quam brevis est vita hominis, & quam incertus mundi hujus exitus, quam frequenter etiam fit repentinus, quodcumque potest manus tua, ut eboris possis adiungi cælestibus, instanter studeas operari, super quibus, & aliis salutem tuam hujusmodi concernentibus devotis insistimus, & insistemus precibus apud Deum. Porro super favoribus & gratiis a tua clementia Christianis prædictis Catholicis, ut præfertur, exhibitis, nec non de Encæniis pro parte tua, & ejusdem inclyti primogeniti, ac Illustris Imperatricis consortis tuæ, nobis per memoratos Nuncios præsentatis, & a nobis gratanter mittentium consideratione receptis, excellentiæ tuæ gratiarum referimus uberes actiones, nostris prædictis precibus & exhortationibus subjungentes, ut gratiæ favor imperialis erga Christianos prædictos Catholicos, & præfatæ Romanæ Ecclesiæ obedientes, ut præmittitur, semper exuberet & accrescat. Et insuper cum, sicut intelleximus, inter tuos, & carissimorum in Christo filiorum nostrorum Hungariæ, & Poloniæ Regum illustrium officiales & subditos in confiniis Imperii tui, & Regnorum Regum prædictorum quandoque suscitari contingat dissensiones & guerras, ex quibus strages hominum, lapsus rerum, & animarum amarius deploranda pericula subsequuntur, velit tua sublimitas ab invasione Regnorum prædictorum desistere, quia si Reges prædicti inferrent tibi, vel tuis injurias indebitas, vel offensas, & id nobis duxeris intimandum, hæc per Reges ipsos præcabimur facere, quantum cum Deo poterimus, tibi, & tuis rationabiliter emendari. Datum Avenione XVI. *Kalend. Septembris anno* VI.

Egregio viro Duci Tynybeck, primogenito Magnifici Principis Usbech, Imperatoris Tartarorum illustris, gratiam in præsenti quæ perducat ad gloriam in futuro.

III. V*Enientem nuper ad præsentiam nostram dilectum filium Eliam de Hungaria Ordinis Fratrum Minorum, tuæ nobilitatis Nuncium, benigne tam tuæ considerationis obtentu, quam ipsius probitatis intuitu recepimus, & ea quæ pro parte tua coram nobis exponere voluit, favorabiliter audivimus, & intelleximus diligenter. Sane licet devotionem tuam inspiratam tibi a Domino, quam habes & habuisti hactenus ad sanctam Sedem Apostolicam, & Romanam Ecclesiam, Matrem omnium Christianorum fidelium & magistram, nec non benevolentiam, & favores, quos erga Christianos Catholicos, & Romanæ obedientes Ecclesiæ, degentes in Imperio patris tui, ob pietatem divinam, ac nostram, & dictæ Sedis reverentiam & honorem geris, & gerere continue non desistis, jamdudum relatibus placidis audissemus, dictus tamen Nuncius te super his, & aliis piis & devotis operibus, multæ commendationis & laudis præconiis apud nos magnificans, & attollens, de te nobis super multis donis virtutum, quibus te largitor bonorum omnium edotavit, extitit placabiliter collocutus. Cum autem de his tuis virtuosis actibus, in Domino exultantes, tuam salutem, teque illa operari & perficere quibus in hac vita præsenti gratiam, & in futura beatitudinis æternæ merearis gloriam, cupiamus; nobilitatem tuam rogamus attentius, & in Domino exhortamur, quatenus circa hæc & alia tuæ saluti animæ utilia vigilanter intendens, præfati Eliæ Nuncii tui, qui te sincere, ut intelleximus, diligit, salutaribus monitis, & persuasionibus salubribus acquiescas, devotionis hujusmodi spiritum, quem dedit tibi virtutum Dominus, non extinguens; Christianos vero prædictos opportunis favoribus, & benevolentiis habeas commendatos, ut ipse Deus, a quo bona cuncta procedunt, quique nullum bonum irremuneratum relinquit, te oculo pietatis irradiando, veræ fidei lumine mentem tuam respiciat, & ad ea, quæ sibi sunt placita, tuæque saluti utilia, dirigat actus tuos. Rursus de misso a te nobis encænio, & per dictum Nuncium præsentato, nec non favoribus memoratis Christianis per te, ut præfertur, exhibitis, gratiarum tibi referimus uberes actiones. Datum Avenione* XXVI. *Kalend. Septembris anno* VI. Ibid. epist. 150.

Egregiæ Principissæ Taydolæ, Imperatrici Tartariæ partium Aquilonarium, gratiam in præsenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.

IV. P*Ridem ad nostram venientes præsentiam dilecti filii Elias de Hungaria Ordinis Fratrum Minorum, & nobiles viri Petranus de Lorto, olim Dominus de Capha, & Albertus ejus socius, Nuncii magnifici Principis Usbech Imperatoris Tartarorum, Viri tui, exponere nobis inter cetera curaverunt, qualiter tu spiritu devotionis, & benignitatis imbuta, sinceram devotionem ad nos, & sanctam Sedem Apostolicam corde gerens, Christianos, Catholicos, sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ obedientes, in illis degentes partibus, piis tractas affectibus, ac favoribus & gratiis prosequeris opportunis, te libenter in his & aliis misericordiosis operibus exercendo. Nos igitur Nunciorum prædictorum famam, & nomen tuum, super his & aliis multis commendabilibus actibus attollentium, placabili relatione audita, gaudemus admodum, & referimus gratias Altissimo, qui hujusmodi spiritum tibi dedit; spe-* Ibid. epist. 151.

sperantes in Domino, a quo cuncta bona procedunt, quod hæc & alia bona quæ agis, ut præmittitur, tibi ad hoc inspirare dignatur, ut tamdem veritate, quæ Christus est, agnita & suscepta, æternæ vitæ gaudiis, post hujus vitæ miserabilis, & instabilis transitum non frauderis. Ideoque tuam rogamus magnificentiam, & in Domino attentius exhortamur, quatenus in hujusmodi, & aliis bonis operibus continuatione laudabili perseverans, & ad obtinendam benedictionem divinæ gratiæ, per susceptionem veræ fidei Catholicæ, sine qua nemo potest salvus fieri, te coaptans, Christianos prædictos Catholicos Ecclesiæ Romanæ obedientes prædictæ, habeas favorabiliter commendatos. Nos autem pro tua, tuorumque viri, & liberorum spirituali & corporali salute devotis insistimus & insistemus precibus apud Deum. Porro de favoribus, per te dictis Christianis, ut præfertur, exhibitis, ac misso nobis pro parte tua encænio, quod gratanter tui recepimus consideratione, gratiarum tibi referimus uberes actiones. Datum ut supra.

Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis & Episcopis, ac dilectis filiis electis Abbatibus, ceterisque personis Ecclesiasticis, Regularibus, Religiosis, & secularibus, ac universis Christi fidelibus, in Tartarorum Imperiis & partibus Orientalibus & Aquilonaribus constitutis.

Ibid. epist. 152. V. *Supra gregem Dominicum, tamquam Pastor universalis, disponente Domino, constituti, de subditorum salute profundis meditationibus cogitamus, inter quas illa sollicitudo quotidiana nos angit præcipue, ut per vestræ cooperationis ministerium, puritas Catholicæ fidei, sine qua nemo potest salvus fieri, colatur & observetur ubique, ad divini nominis laudem & gloriam, fideliumque animarum salutem, semper felicia suscipiens incrementa. Et si splendorem hujusmodi fidei Orthodoxæ, in illis mundi regionibus, in quibus plenarie ipsius cultus viget, resplendere cupimus, cujusvis obfuscationis erroneæ caligine præfugata, summis tamen desideriis peroptamus, ut in vobis, inter nationes exteras constitutis, non extinguatur ejusdem lucerna fidei, sed vehementius accedatur, ut quanto majoribus pressuris & tribulationibus vos contingit subjici propter eam, tanto si constantes & perseverantes in ea fideliter fueritis, ampliora & uberiora merita vobis exinde proveniant apud Deum. Ideoque universitatem vestram rogamus, monemus, & hortamur attente in Domino Jesu Christo, quatenus spem vestram figentes* 1. Cor. 10. 13. *in Domino, qui* non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, *pro fide ipsa, quæ vos cum operibus bonis ad æternæ quietis perducet beatitudinem, stetis viriliter, & eam firmiter & tenaciter observetis. Vosque Fratres Archiepiscopi & Episcopi, ac filii Electi Abbates, & alii Religiosi ac Clerici seculares, quibus ex officio, vel alias prædicare congruit verbum Dei, circa dilatationem ejusdem fidei verbis & exemplis salutaribus, fideliter & sedule, tamquam operarii veri & idonei laboretis, metentes messis manipulos in agro Domini, quos in ejus horrea re-* Matth. 25. 21. *portetis cum gaudio, vocem illam dulcissimam:* Euge serve bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui, *post hujus vitæ miserabilis transitum audituri. Ut autem fides eadem Catholica, quam nos & Ecclesia Romana, cum universo cœtu Christianorum fidelium profitemur, prædicamus & tenemus firmiter, vobis clarius & apertius innotescat, vosque illam sequi, profiteri, tenere, prædicare, ac evangelizare firmius valeatis, eam tenore præsentium providimus, ut sequitur explicandam:* Credimus sanctam Trinitatem, Patrem & Filium, & Spi-

Spiritum sanctum &c. *Datum Avenione* XVI. *Kalend. Septembris anno* VI.

VI. Sæpius retulimus, Pontifices plurimam posuisse operam in exterminandis e Principatu Bosnensi hæreticis Manichæis, qui eo confluentes impune grassabantur. Tamdem hoc anno Gerardus Generalis Minister in Hungariam profectus, atque a Carolo Rege persuasus, ut Bosnam se transferret, serpenti hæreticorum veneno antydotum adhibiturus, obviam habuit ipsum Principem Bosnæ, seu Stephanum Banum, qui eumdem exceptururus honorifice magno itinere ultro processerat. Permansit illic dies aliquot Gerardus, magno rei Catholicæ incremento; namque Stephanus libenter audivit verba Catholicæ veritatis & salutis, veram fidem ipse admisit, & reliquos suæ gentis ad eamdem amplectandam hortatus, hæreticos omnes suo jussit excedere Principatu. Accessit etiam & rei Minoriticæ magnum incrementum, evocatis enim multis religiosis viris ex Italia, nonnulla extruxit sui Ordinis habitacula per universam Prussiam, quæ sub regimine Venerahilis patris fratris Peregrini de Saxonia Bosnæ, mox Episcopi Bosnen. Vicariam auxerunt; & accedentibus aliis, in integram coaluere Provinciam. Prædicatio hæc & profectus Gerardi ex litteris Pontificis ad ipsum, ad Carolum Regem, & Stephanum Banum clarius constabit.

Gerardus Minister profligat Bosnæ hæreticos.

Fr. Peregrinus de Saxonia Vicarius Bosnæ.

Vide ann. 1349. *n.*

Carissimo in Christo filio Carolo Regi Hungariæ Illustri.

VII. *Nuper dilectus filius frater Gerardus Generalis Minister Ordinis Fratrum Minorum, nobis per litteras suas seriose descripsit collationem verborum, quam habuit cum dilecto filio nobili viro Stephano Bano, Bosnen. super extirpatione hæreticorum, qui terram ipsius impia contagione corrumpunt, ex quibus idem Minister evidenter collegit bonum, & Catholicum propositum dicti Bani ad exirpandam dictorum hæreticorum perfidiam de Terra præfata, si sibi Sedis Apostolicæ, atque tua opportuna præsidia suffragentur. Nos autem de præmissis plurimum gratulantes, eidem Bano post salutationis alloquium, scribimus in hæc verba:* Ex relatione dilecti filii &c. ut infra, in epistola eidem Bano directa. *Cum itaque, fili, ad magnam gloriam tuam & securitatem Regni tui cedere dignoscatur, si de præfata Terra Bosnensi dicti hæretici, tuo ad hoc suffragante præsidio, extirpentur, serenitatem Regiam rogamus, requirimus, & hortamur attente, tibi in remissionem peccaminum injungentes, quatenus divinæ retributionis intuitu, & requisitionis Apostolicæ interventu, eidem Bano omnibus modis, viis, & studiis, & consiliis, & auxiliis opportunis quibus melius cognoveris expedire, prudenter, & potenter assistas, ut idem Banus de terra præfata possit evellere præfatam jam antiquam in ea contagionem hæreticæ pravitatis, & in ipsam reducere divinum cultum, & Ecclesias exinde destructas in statum pristinum ad laudem divini nominis restaurare, ita quod exinde præmium consequaris retributionis æternæ, & Regno tuo ex reductione dictæ Terræ ad lucem Catholicæ veritatis, præpares & impendas pacis & securitatis augmentum. Datum Avenione* II. *Kalend. Martii, anno* VI.

Reg. Vat. lib. secret. epist. 31.

Dilecto filio Geraldo Ministro Generali Ordinis Fratrum Minorum.

VIII. *Recepimus litteras tuas continentes, quod tu ad inductionem carissimi in Christo filii nostri Caroli Regis Hungariæ illustris, ad præsentiam nobilis Viri Stephani Bani Bosnen. te personaliter contulisti, quod-*

Ibid. epist. 32.

quodque idem Banus tibi obviam occurrens in via te honoranter recepit, & a te verba Catholicæ veritatis & salutis libenter audivit, tibique aperuit propositi sui votum, per quod evidentius cognovisti, quod bonam voluntatem gerit ad extirpandum de principatu Bosnensi cunctos hæreticos degentes ibidem, dummodo nos & Sedes Apostolica, & idem Rex Hungariæ sibi super his favorabiliter assistamus, quorum favorem sibi opportunum æstimat, propter Schismaticos, quos habet suæ Terræ vicinos, quorum Schismaticorum auxilium dicti hæretici invocarent, si se de terra prædicta cognoscerent extirpandos. Ecce igitur eumdem Banum, per nostras litteras speciales rogamus, monemus, & hortamur attente, ut prudenter attendens, quam periculosum sibi & hæredibus suis possit existere, si in dicto Principatu sic palam & secure hæretici commorentur, laudabile propositum suum, quod, sicut per litteras tuas percepimus, de dictis hæreticis extirpandis de Principatu prædicto concepit, viriliter & invariabiliter prosequatur; informaturus nos per Nuncios suos, si forte dictos Nuncios ad Sedem Apostolicam mittere eum continget, quæcumque cognoverit per nos & Sedem prædictam in exterminium dictorum hæreticorum de Principatu prædicto, & in favorem fidei facienda, quia nos & Sedes prædicta eidem Bano super his, prout expediens fuerit, annuente Domino, assistemus, & tam præfatum Regem Hungariæ, quam alios Christi fideles, nec non Universitates, & singulares personas vicinorum locorum, ad assistendum eidem Bano super extirpatione dictorum hæreticorum per Apostolicas litteras, & Nuncios inducemus. Hujusmodi autem has nostras, tam præfato Regi Hungariæ, quam eidem Bano super his directas, dilecto filio Petro de Strata Procuratori Generali in Romana Curia Ordinis tui, fecimus assignari, tibi per ejus nuncium transmittendas, quas quidem litteras cum ipsas receperis, dictis Regi & Bano facias destinari. Datum ut supra.

Petrus de Stratâ Procurator Ordinis.

Dilecto filio nobili Viro Stephano Bano Bosnensi.

Ibid. epist. 33.

IX. E*X relatione dilecti filii fratris Geraldi Ministri Generalis Ordinis Fratrum Minorum, nuper recepimus, quod ipse ad inductionem carissimi in Christo filii nostri Caroli Regis Hungariæ illustris, ad præsentiam tuam accedens, te promptum & paratum invenit, ut in Principatu Bosnensi cultus restauretur divinus, qui propter multos hæreticos ibidem degentes totaliter exinde, ut dicitur, est sublatus, quodque gratum & laudabile desiderium geris, ut omnes Ecclesiæ, quæ nunc inibi jacent dirutæ & destructæ, auxiliante Deo, in pristinum statum resurgant & restaurentur, & in eis divinum officium, secundum ritum & morem Ecclesiasticum, ac fidelium celebretur, super quibus tuæ devotionis propositum plurimum in Domino commendamus. Ideoque nobilitatem tuam rogamus, monemus, & hortamur attente, quatenus prudenter attendens, quam periculosum tibi & hæredibus tuis possit existere, si in dicto Principatu Bosnensi sic palam & secure hæretici conversentur; hujusmodi propositum &c.* ut in epistola præcedenti, verbis competenter mutatis, usque ad, inducemus. *Datum ut supra.*

Marian. citat. Chron. antiqua. Frater Joan. de Aragonia egregie laborat in conversione Bosnensium. *Ann. 1338.*

X. Egregiam posuerunt Fratres operam in eliminandis ex hoc Principatu hæreticis, florueruntque semper in hac Vicaria plurimi viri Religiosi, pietate & doctrina conspicui. Inter primos vero a Gerardo missos enituit frater Joannes de Aragonia, ille quem supra diximus a Regina Lusitaniæ missum Legatum ad Regem Petrum Aragonium; fervens enim perfecto fidei zelo huic se devovit missioni, & assiduis congressibus partim hæreticos pro-

profligavit, partim ad Catholicam veritatem reduxit. In numeroso eorumdem Conventu & acri disputatione de rebus fidei ad Christianam veritatem comprobandam, magnum rogum ingressus, in eo per aliquotum temporis intervallum illæsus permansit: quo miraculo factum est, ut plurimi ad fidem converterentur: quod & alius Joannis discipulus post ejus mortem similiter fecit magna hilaritate in medio flammarum stans, eo temporis spatio quo recitari poterat psalmus quinquagesimus *Miserere mei Deus*. Joannis vero assidua prædicatione & continuis miraculis augebatur quotidie multitudo credentium, floruitque brevi multa pietate universus Principatus. Reversus deinde in Italiam Gerardus Generalis Minister plurimos probatæ vitæ, & doctrinæ Fratres misit Corsicam, atque ad alias partes Pauli Samosateni, & Manichæorum dementiis infectas, quas gloriose multa errorum colluvie expurgarunt.

XI. Conquestus est hoc anno frater Simon Philippi Inquisitor hæreticæ pravitatis in partibus Tusciæ, quod commune civitatis Senensis, vel qui ejusdem regimini temporali præsidebant, quædam ediderint statuta per quæ posset Inquisitionis officium impediri vel retardari. Rescripsit Pontifex ad urbis rectores ut omnino illa, quæ ipso jure nulla erant, revocarent; & ad Episcopum, ut ea curaret sibi absque moræ dispendio exhiberi, & annullari, vel taliter moderari ut sanctæ Inquisitionis officio nullo essent impedimento. Inter primas Italiæ urbes nobilis hæc Civitas Inquisitores admisit, & honorifice habuit. Ex urbis tabulariis originarum accepi instrumentum Bonfinii Episcopi a R. P. Ferdinando Ughello Ordinis Cisterciensis Abbate transmissum, quo XV. Kalend. Februarii anno MCCXLIV. vocat, & admittit in partem sollicitudinis inquirendi contra hæreticos Fratres Prædicatores & Minores, quibus integre vices suas, auctoritatem & potestatem committit. Assumptus hoc anno ad Archiepiscopatum Dyrrachiensem, vulgo *Durazzo*, in Macedonia e regione Brundisii, in Regno Neapolitano, frater Petrus de Gironsa: *Militanti Ecclesiæ*, x. Kalend. April. Alvarus Pelagius, quem superius diximus assumptum ad Episcopatum Coronensem, ante hunc annum translatus est ad Silvensem in Algarbiis Lusitanorum; ait enim hoc anno secundum se correxisse opus de planctu Ecclesiæ Compostellæ, præmissa altera correctione anno MCCCXXXV. in Villa Ramræ Regni Algarbiorum, *ubi*, inquit *sum Præsul*. Errat itaque Gonzaga, dum obiisse scribit prædicto anno MCCCXXXV. nisi fortassis incuria Typographi inversæ sint notæ numerorum, & pro MCCCLIII. apposuerit MCCCXXXV. Constat enim ex sua ipsius subscriptione ad operis calcem, correxisse denuo volumen anno MCCCXL. Sepultus tandem est ad Templum sanctæ Claræ Hispalensis.

Ibid. epist. 15. 16. & 17.
Stabilitur Senis officium S. Inquisitionis.

Fr. Petrus Archiepisc. Dyrrachien.

Ann. 1332. n. 7.
Frater Alvarus Episc. Silven.

XII. Habuisse hoc anno Assisii Gerardum Ministrum Comitia Generalia scribunt Marianus & Marcus Ulyssiponensis, iisque absolutis, perrexisse in Hungariam, atque inde dilapsum ad Principatum Bosnæ. De his tamen comitiis mihi magnus subest scrupulus, tum quod neque Rodulphus, neque alii eorumdem meminerint, neque in monumentis Vaticanis ullum occurrat vestigium, in quibus communiter exarantur epistolæ Pontificiæ ad singula Capitula directæ: tum quod me magis movet, comitia hæc juxta regulæ Franciscanæ præscriptum, celebrari soleant circa festum Pentecostes, Gerardum autem ad hujus anni initium, vel sub finem antecedentis Italia discessisse necesse est fateri. Etenim litteræ Pontificiæ ad ipsum, ad Carolum Hungariæ Regem, ad Stephanum Banum Bosnensem missæ, datæ sunt ultimo Februarii: atque hæ responsivæ erant illarum, quas Pontifex ab eisdem accepit. Expendatur deinde tempus quod itineri Hungarico, rebus ibi-

Marian. citat. c. 11.
Marc. lib. 8. c. 44.
Rodul. fol. 241.

Reg. c. 8.
An hoc anno celebrata comitia generalia?

Capitulum Generale 4?. Assisii.

ibidem componendis, cum Rege tractandis, profectioni Bosnensi, fidei persuadendæ, Pontifici admonendo, erat necessarium; & facile convincetur, vel nullum hoc anno Conventum Generalem coactum fuisse, vel id factum post Gerardi regressum, acta tamen deperiisse.

Moritur beatus Guido de Spathis, ferventissimus prædicator.

XIII. Hoc anno x. Kalend. Septembr. cursum feliciter consummavit beatus Guido de Spathis Provinciæ Bononiensis. Juventutis & adolescentiæ primordia nos latent. Factus in tenella ætate Minorita, ferventissimus evasit divini verbi prædicator, ejusque verba tantæ erant efficaciæ, ut quo vellet hominum corda flecteret, dissidentes reconciliaret, pacem ubique induceret; prostitutas mulieres ad continentiam, perditos quosque homines ad frugem excitaret, passionem Christi frequenter in memoriam auditorum revocabat, atque ad eamdem perpetuo in se conservandam, magnum semper manu clavum gestabat. Sentiebat sibi liquefieri cor præ divina dulcedine, ex sola recordatione Christi crucifixi; & quoties aspiciebat appensum clavum in Ecclesia præcipua Mediolanensi, quem sancto Ambrosio ferunt vel a Theodosio donatum, vel ab Angelo indicatum, toties prorumpebat in lacrymas. Admiranda fecit opera in vita, & post mortem miracula, cujus intercessione multa beneficia receperunt Bononienses.

Rodul. fol. 106. Sêper manu clavum gestabat. *Morig. de Sanctis Mediol. cap. 1.*

Sepultus est Bononiæ.

XIV. Sepultus est in Ecclesia Fratrum Minorum Conventualium Bononiæ, in sacello Confratrum chordæ sancti Francisci, sub pulchro altari, quod extruxit Laurentius Spada; quo transferri sacrum corpus ex sacello Lambertinorum, ubi prius jacebat, addita in marmore hac inscriptione: *Hic jacent ossa beati Guidonis de Spathis Ordinis sancti Francisci*: multis precibus obtinuit. In solemnibus festivitatibus, subtractis velis, conspicitur per cratem deauratam; arca etiam deaurata, quæ sacras reliquias conservat, cui appositum hoc Epitaphium: *Hic conduntur ossa beati Guidonis de Spathis de Bononia*. Appensas habet lampades, & Beatum omnes proclamant. Julius Magnanus Placentinus, olim Ordinis Minorum Conventualium Vicarius Generalis, in libro quo insigniores Ordinis Patres recenset; hoc eum elogio cohonestavit: *Obiit anno Domini* MCCCXL. *die* XXIII. *Augusti frater Guido de Spathis Bonon. vir & moribus clarus, & virtutibus insignis; magnus hic fuit prædicator Crucifixi, & passionis, plura item miracula fecit in vita & post mortem, & in capella Lambertinorum Deo, & beatæ Claræ dicata in Conventu Bonon. sepultus est.* Perperam itaque judicant qui hunc obiisse suspicantur anno MCCXXIV. die XXIII. Aprilis, & sepultum putant ad Monasterium Monialium sancti Bernardini ejusdem urbis, ducti ex illis elogiis Matthæi Faventini, & ejusdem Guidonis inventis simul cum epithaphiis & corporibus beatorum Nicolai, Bonisii, & Guillelmi, de quibus alias egimus.

At in quo Templo?

Tom. 1. an. 1220. n. 12.

Matthæus præco fervidus,
In horum constat numero,
Multas Orbis Provincias
Ad hujus duxit semitas.

Postremus Guido nomine
Christi dolores meditans,
Et populis annuncians
Clavum gestabat manibus.

Gonz. in prov. Bonon. Mon. 6.

XV. Præterquam quod ex his versiculis nulla desumi possit ratio temporis, quo Guido obierit: Franciscus Gonzaga, qui epitaphia, & reliquiarum refert inventionem, tria dumtaxat corpora reperta fuisse recenset, atque ex his duobus posterioribus elogiis quosdam existimasse horum duorum corpora tribus prioribus adjuncta fuisse: quorum opinioni ex adverso opponit firmam aliorum sententiam, qui ad sancti Francisci ædem hos sepultos asserunt, atque ipsa illorum sepulcra omnibus ostendunt. Quare non ita fumen-

menda judicaverim illa prioris strophæ verba: *In horum constant numero*, ut velint indicare, Matthæum ex illorum numero fuisse, qui in illa jacebant Ecclesia: sed omnes has strophas tum tres priores, quas alias excripsimus, cum has duas posteriores partem esse alicujus rythmi, quo aliquis describere voluit præclaros Minoritas Bononienses, vel qui inter Bononienses vita & doctrina claruerunt; & propterea ex horum constare numero Matthæum & Guidonem, diserte dixisse. Tom. 1. an. 1220. n. 13.

XVI. Clavus quem manu gestare solebat honorifice asservatur inter alias ejusdem Cœnobii reliquias, & in Ecclesia effigies ejus ad vivum depicta est, subjectis his carminibus rudis Minervæ.

Panditur hic fructus Francisci mundo productus.
Æthereum præconem novimus te fuisse Guidonem.
Præ cunctis humilem, celsum moribusque sublimem.
De lumine lumen prodiit hoc germen,
Splendor in populo clauditur hoc tumulo;
Auctor ubique pacis, linguæ sanctissimæ facis;
Tu montium colles, contristi novissima, valles
Discordes placans, guerrarumque odia sedans;
Et si odor Christi claruit ubicumque fuisti.
Civitas sensata plaudit, per te decorata,
Nam desolata nimis fuerat privata divinis:
Erat aversatrix, errans ab utero matris.
Per Guidonis gratiam suscipitur in filiam.
Ejus nempe meritis canit in officiis.
Ergo sis grata adimplens monita sancta,
Quæ Guido seruit, dum prædicando floruit.
Docuit te quidem pacis adstringere fidem,
Ut pietatis amor, necnon clementiæ decor.
In te sic vigeat, ut charitas appareat,
Cuncta Deus ponderat, omnia considerat,
Aperit & claudit, gemitus frequenter exaudit;
Angelicum virum recole per omnia mirum,
Publicas convertens, publicanosque & sævientes.
Hunc Deus elegit, qui corda saxea fregit:
Quod probant signa, vitaque præconio digna.
Diros tulit languores, Icariosque labores
Esuriens, sitiens, multis ad gaudia proficiens.
Zelus animarum pendens, fecit omne præclarum.
Quos dæmon obtexit, hos ad salubria vexit,
Profuit exemplis non minus quam documentis.
Est urbs in monte sita, profuit celeberrima vita,
*Nam accensa lampas fundit necessario * vampas.*
A puero cœpit, atque Christum corde recepit,
Cursum perfecit, ad finem usque profecit.
Pauperum tu pater, mæstorum tu pia mater,
Captivos redimens, morituros non derelinquens.
Sic tempus expendit, novit, qui Cruce pependit.
Ut nihil ocio daret, horarum nec quam fœdaret,
Ad contemplativam devenit, sicut & activam
Ut gustans arcana prædiceret multa prophana.
Amico fido tibi sit Bononia Guido.

* *Verbum Italicè Latin.* Flamma *Danti poeta familiare.*

Civitas Sensata vocatur in his carminibus Bononia, tum propter illustrem Academiam, tum propter peculiare illud elogium: *Bononia docet*. Dicitur vero *aversatrix errans ab utero matris*: quia anathemate percussa a Neapoleone Ursino Cardinale S.Adriani Legato Bononiensi, ad cor noluerat redire, nec Apostolicis obedire mandatis, aut ad matris gremium, seu Sedis Apostolicæ gratiam redire. Reliqua sanctissimi Viri virtutes, pietatem & caritatis opera recensent.

Mariā. & Marc. cit. Rodul. fol. 103. & 194. B.Gentilis Piceni virtutes.

XVII. Hoc etiam anno Martyrii lauream adeptus est beatus Gentilis Picenus apud Persas in Civitate Toringiæ. Matelicæ ortus, adolescens Franciscanis nomen dedit, absolutoque studiorum curriculo, annis multis vixit in Monte Alvernæ, & virtutibus plurimis animum exornavit. Vir fuit parci sermonis, longæ orationis, noctesque ducebat insomnes in Ecclesia ut plurimum absorptus & extra se factus, cœlestia contemplatus. Bis regendis Fratribus præfectus ita discrete fecit, ut absque ullius querela omnium animos ad disciplinæ regularis normam composuerit. Animabus Christo lucrandis ad ultimos Ægypti & Persiæ fines penetravit, magnoque, sed irrito studuit conatu, linguam Arabicam, illis nationibus vulgarem, addiscere. Desperans itaque ex idiomatis defectu fructum animarum, constanter voluit in Italiam reverti. Itineri præcincto, apparuit Dominus, & dixit: *Ecce posui verba mea in ore tuo: ad quæcumque mittam te, ibis, & quæcumque mandavero tibi, loqueris ad gentes istas apostatrices*, statimque infudit ei linguam Persarum. His porro ferventer prædicavit, Domino sermonem confirmante sequentibus signis. Testatus est Marcus Cornarius Venetorum Dux LXIX. qui tunc in illis partibus legatione pro sua Republica fungebatur, se vidisse varias avicularum species ad Gentilem advolantes, ejusque verbis veluti rationabiles creaturas intendisse. Stupefacti & convicti Persæ multis, quæ operabatur, prodigiis, turmatim ad eum confluebant, & doctrinam baptismumque suscipiebant. Ultra decem millia paganorum, recensita sunt ab eo ad fidem conversorum, qui cum quid crederent, interrogarentur, dicebant, se fidem Fratris Gentilis profiteri. In civitate Caphensi familiam nobilium Hebræorum baptizavit, & in fide instruxit, quæ per multos annos vocabatur domus Christianorum beati Gentilis.

Pergit in Ægyptum. Mirabiliter didicit linguam Arabicam. Aves ei circumvolant. Multa millia convertit paganorū.

XVIII. Ita large seminabat Persis spiritualia, sed parcissime metebat eorum temporalia, tenui victu & rudi contentus amictu. Offerebant illi facultates & prædia, sed nobili animo cuncta contemnens, dignum se probabat operarium Evangelicum. Cum affatim exhiberentur eleemosynæ, illius diei dumtaxat victum admittebat, reliqua jubebat aliis pauperibus distribui. Persarum Imperator Venetis quadam de causa infensus, omnes illius gentis mercatores deprædari, & in carcerem agi præcepit. Missi sunt a Republica ad placandum barbari Principis animum Oratores duo, Marcus prædictus Cornarius, & alius, qui obvium Gentilem secum duxerunt in comitatu. Cornarius autem periculoso contracto morbo, cum mortem præ foribus adesse timeret, advocato Gentili, pectoris arcana & conscientiæ scrupulos detexit: quem ille bono ut esset animo, jussit, prophetico more quatuor prænunciatis, primis felicibus, posterioribus adversis, pristinæ dixit restituendum valetudini, secundo ad suæ Reipublicæ Principatum evehendum, tertio ante reditum in patriam decessuros patrem, uxorem, & aliquot consanguineos; quarto carcerem & vincula passurum. Ita quidem omnia juxta vaticinium Gentilis evenere: ex infirmitate convaluit, Dux Venetus creatus est; obiere, parens, conjux, consanguinei; missus legatus in Germaniam ad Imperatorem cum Joanne Gradonico, & Laurentio Celso, dum regre-

Claret spiritu prophetico. *Vide Marcell. de Princip. Venetis Duce 69.*

de-

derentur, Cornarius & Gradonicus a quodam Regulo Germanico intercepti sunt, & in arcem quamdam ingnominiosissime abducti;Celsus averso itinere in Patriam reversus est.

XIX. Mirabilius sane alterius ejusdem prædictionis complementum. Dum in patria Persico se accingeret itineri, patri seni dolenti, & conquerenti, quod in mortis angustiis defuturum erat religiosi filii auxilium, & opportunum consilium, firma sponsione promisit se adfuturum. Eo vero tempore, quo Pater ad mortem infirmabatur Matelicæ in Piceno, conscendebat Gentilis cum præfato Cornario montem Sina in Arabia, sepulcrum visurus beatæ Catarinæ, evanuitque repente ex oculis sociorum. Quid de illo factum esset nescientes, hinc inde perquirebant, nunc suspicantes alio delapsum, nunc timentes a feris discerptum. Post dies octo denuo apparens, interrogatus, & sacramento a Cornario adstrictus ut veritatem enarraret, & ubi octiduo delituerit, ediceret palam, confessus est se patri mortaliter decumbenti adstitisse, morienti salutis monita suggessisse, defuncti funus curasse, res domesticas disposuisse. Reversus Italiam heros, dum Lauretanam ædem inviseret, Matelicam abiit, hæc dumtaxat exploraturus, excepitque omnia cohærere Gentilis narrationi, quem inter se per dies octo degentem conspexerunt omnes, eo ipso tempore, quo patrem suum obiisse, ille retulit in Arabia. *Divino ministerio repente transfertur in Italiã & denuo in Persiam.*

XX. In Trapezundia & Salmastra custodiæ Chaustensis, & Vicariæ Orientis, dum multa signa faceret; tamdem martyrii coronam adeptus est in civitate Toringiæ, dum innumeri a Mahometis perfidia ad veram Christi fidem convolarent. Corpus caputque pretio redemptum, vir nobilis Nicolaus Quirinus Venetias deportavit. Cornarius ab hoc obtinuit caput, quod magna reverentia domi asservavit, & demum Fratribus Minoribus obnixe postulantibus concessit. Construxerunt sacris reliquiis nobile sacellum heroes Quirini, & familia de Cambernardis in æde Minorum, sub invocatione sancti Hieronymi, ubi sub altari sacra pignora condiderunt. Dum vero longa hominum supplicatione & solemni ritu ferrentur a regione sancti Pauli per plateam sancti Thomæ, filius cujusdam Ludimagistri submurmurans dicebat: temere tantum exhiberi honorem Viro, cujus sanctitas non omnibus esset explorata. Sed statim sensit super se divinam ultionem, ore ex utroque latere magno hiatu ad aures retorto. Agnita culpa, humili confessione, emissoque voto ad Viri sancti sepulcrum de venerandis ejusdem reliquiis, perfecte convaluit. Paulo post Cornarius Dux, desperata jam prole, ejusdem intercessione duos filios obtinuit, & Paganus quidam ab eo conversus, in ignem conjectus, apparente sibi fratre Gentile, illæsus exivit, & capite plectendus eumdem habuit consolatorem. *Martyrio coronatur.* *Corpus Venetias defertur.* *Ejus honori obmurmurans divinitus plectitur.*

XXI. Hoc anno die XXIII. Octob. celeberrimus Doctor Nicolaus Lyranus, de quo alias largius egimus, obiit in magno Cœnobio Parisiensi, ubi sepultus est in aula Capitulari sub ingenti lapide, in cujus circuitu hæc insculpta sunt: *Hic jacet frater Nicolaus de Lyra, sacræ Theologiæ venerabilis Doctor, cujus vitæ & doctrinæ fama diffusa est per diversa mundi climata. Postillavit enim Biblia ad litteram a principio usque ad finem. Is provinciæ Franciæ alumnus, in Conventu Vernoliensi Custodiæ Normanniæ habitum Minorum accepit, quem honorifice exemplariterque annis* XLVIII. *portavit, mortemque obiit anno Domini* MCCCXL. *die* XXIII. *Octobr.* E regione in muro affixa est tabella marmorea, in qua litteris aureis sequentes versus incisi sunt, ex quibus annus, & dies mortis adeo clare depræhenditur, ut mirum sit quomodo Rodulphus, Willotus, & alii illam referant in ann. MCCCXLIX. & diem XIV. Octob. *Tom. 5. an. 1291. n. 10.* *Moritur Nicolaus Lyranus.*

Ne meme ignores, properans dum plurima lustras,
Qui sum ex his nosces, quæ pede busta teris.
Lyra brevis vicus, Normanna in gente celebris,
Prima mihi vitæ janua, forsque fuit.
Nulla diu mundi tenuit vesania natum
Protinus evasi religione Minor.
Verniolum admisit currentem ad sacra tyronem,
Et Christi docuit me domitare jugo.
Ut tamen ad mores legis doctrina beatæ
Adiit, planaret simplicitatis iter.
Artibus ipse piis & Christi dogmate fretus
Parisiis cepi sacra Magisterii.
Et mox quæque vetus, & quæque recentior affert
Pagina, Christicolis splendidiora dedi.
Littera nempe nimis, quæ quondam obscura jacebat,
Omnes per partes clara labore meo est.
Et quos sæpe locos occidens littera tradit
Hos typice humanis actibus exhibui.
Extat in Hebræos sanctissima condita turris,
Nostrum opus, haud ullis comminuenda petris.
Insuper & nostri releguntur sæpe libelli,
*Quos infensa Petri * quatuor arte tuli.*
Est quoque quodlibetis non irrita gloria nostris.
In quæ tu justus arbiter esse potes.
Non tulit hæc ultra vitam perferre merendo.
Omnipotens Dominus, quo sumus & morimur.
*A cruce * tu cujus numeres si mille trecentos,*
Adjungens una quatuor & decades.
Illo me rapuit mors omnibus æmula seclo,
Cum micat Octobris terna vigena dies.
Jam tu quo tendis, Nicolai illectus amore?
Quo Doctore tibi lex reserata patet.

* *Magistri sententiarum.*

* *Minus critice pro Ortu.*

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI. Frater Philippus Brusserius.

„ Hujus socius fuit aliquando, & familiaris amicus Parisiis, frater Philippus Brusserius, nobili prognatus gente Saonensi in Liguria, Clementi V. & Joanni XXII. summis Pontificibus carus: sub quibus varias obivit legationes. In Syriam missus, ut exploraret, qua vi & arte, recuperari posset urbs Hierosolymorum, amplissimam retulit Clementi V. rerum omnium expeditioni necessariarum relationem, & locorum per quæ gradiendum erat descriptionem. Scripsit quædam sui Ordinis Chronica, quæ adhuc non vidi, instruxitque Conventum Saonensem copiosa bibliotheca, & pretiosa supellectile Ecclesiastica.

Ann. 1328. n. 10. Denuo reprobatur Philippi Majoricen. petitio.

XXII. Superius diximus, reprobatam a Joanne XXII. petitionem Philippi de Majoricis, præmisso prius maturo consilio Cardinalium, in pleno Consistorio, qua volebat sibi, omnibusque sibi adhæsuris concedi facultatem observandi Regulam sancti Francisci, ad nudum ipsius litteræ sensum, rejectis omnibus Pontificum declarationibus, separata etiam hac nova Congregatione ab Ordinis unitate & obedientia. Id iterum impetrare a Benedicto aggressus, intercessorem adhibuit Robertum Siciliæ Regem, de Pontifice, & Ecclesia optime meritum: cui tamen minime assentiendum multis rationibus amice respondit Pontifex, ostenditque speciosam hanc petitionem, a turbulento potius & seditioso, quam a sedato, & pio animo proces-

cessisse, hominemque ipsum suspectæ fidei reum, non ad perfectionem, sed ad æmulationem & ambitionis gloriam hæc intentasse.

XXIII. Profecto magno suo malo exoticos & peregrinos hos spiritus experitur frequenter status monasticus, atque ultra omnes nostra Sodalitas. Quot novi singularesque Duces ex latibulis prodeunt quotidie qui secundum hæteroclitos suos conceptus nova sibi effingunt instituta, a sanctorum Patrum doctrina, & Ecclesiasticis sanctionibus aliena? Dum robusta sua corpora arctiori jejunio, longiori disciplina, aut majoribus affligunt injuriis, jam se ad perfectionis culmen pervenisse, sibi, aliisque falso persuadent: statimque de nova instituenda congregatione cogitant, institutis veteribus abjectis, novas præscribunt normas, & quasi non sufficeret ipsius regulæ asperitas, ulteriores rigores effingunt. Applaudit his novitatibus vulgus, apparenti pietatis incremento, favent Principes, importunisque precibus Pontifices circumveniunt, ut arctioris vitæ rationem, sua auctoritate confirment. Gaudet interim fundatoris nomine primus inventor, primos habet recubitus in mensa, salutatur ab hominibus in foro, auditque, *Venerabilis inceptor*. Sustinet hic violenter, quæ ambitiose inchoavit, sed illo decedente, atque aliorum tepescente fervore, rigor omnis elanguet, neque solidum quid permanet, præter externam quamdam larvam pietatis. Quot etiam, & quales fuerunt, qui spiritu libertatis ducti, ut aliorum jugum excutiant, & disciplinam Ordinis effugiant, hujusmodi speciosos recessus effinxerunt, quorum finis, turpis interitus, & fructus varia schismata in Ordine, & scandala in populis apparuerunt. Ante omnia temere proponunt, ut tollantur e medio summorum Pontificum declarationes; quasi vero securius sit heteroclitos uniuscujusque cerebri sensus, quam Pontificias sectari interpretationes. Illorum est interpretari leges quorum est condere, & approbare. Magnifecit sanctus Bonaventura explicationem Gregorii IX. in regulam, cui per omnia innixus suam etiam adhibuit, & reliqui sancti Viri, religionis ornamenta & fulcimenta, ceterorum Pontificum declarationes summo honore amplexi sunt. Qui docte sentiunt, satius judicant ad Romanorum Pontificum declarationes vitam vivere regularem, quam ad instabiles vagi cerebri intellectiones nova quotidie machinari disciplinæ rudimenta. Mirabile sane, & compassione sed & remedio dignum, ut adeo peregrino feratur quis impulsu, quod ad nullum ex tot monasticis; Institutum, vitam suam componere possit, nisi novam sibi normam effingat; & qui velint sanctum Franciscum sectari, nullibi possint in tanta congregationum varietate, nisi aliam adjungant. Hæc placuit hic admonere, ad cohibendum nimium quorumdam pruritum de introducendis quotidie in Ecclesiam novis regularium institutis, minimeque necessariis congregatiunculis; atque ad humilem & reverentem Pontificum admonitionem grave hoc Benedicti exemplum subjicio.

Improbatur temeritas quorumdam novas effingentium congregationes.

Suar. tom. 4. de relig. lib. 2. de variet. relig. c. 8. in fine.

Carissimo in Christo filio Roberto Regi Siciliæ Illustri.

XXIV. *Missus nuper ad præsentiam nostram pro parte Regia Venerabilis frater noster Paulus Episcopus Fulgin. Nobis regias præsentavit litteras, per quas quamdam petitionem Philippi de Majoricis infrascriptam exaudiri per nos, & eidem Episcopo super exponendis nobis ex parte Regia fidem petiit credulam regalis serenitas adhiberi; quos quidem Episcopum & litteras affectu solitæ benignitatis consideratione mittentis recepimus, & quæ ipsæ continebant litteræ, ac idem Episcopus explicare voluit,*

Ex lib secre. ep. 141.

luit, pleno collegimus intellectu. Habebat namque series petitionis ejusdem, quod beatus Franciscus brevem regulam edidit, quam, sicut in ea, & testamento suo, sibi, ut asseruit, a Domino revelato, scripsit, intentionem suam super hoc explicando, ad litteram observavit, & voluit a suis Fratribus observari. Et cum idem Philippus, & nonnulli, tam Ordinis Fratrum Minorum, quam alii cupiant, ut eadem describit petitio, eumdem Ordinem Fratrum Minorum, sub observatione litterali dictæ regulæ profiteri, hæcque propter innumera impedimenta complere non possint, supplicat nobis idem Philippus, ut tam sibi, quam aliis, qui sunt, vel infra annum erunt hujusmodi propositi professionem faciendi prædictam, & regulam eamdem, ut præmittitur, observandi, sic quod nullus de Ordine prædicto, vel extra, valeat super his impedire, concedere licentiam dignaremur. Profecto, fili carissime, multis causis rationabilibus, quarum aliquas tibi providimus tenore præsentium explicandas, nequaquam meretur eadem petitio ad effectum exauditionis admitti. Primo quidem, quia jam dudum eadem petitio, tempore felicis recordationis Joannis Papæ XXII. prædecessoris nostri, in suo Consistorio proposita, & deliberatione plenaria præhabita super ea, extitit penitus denegata. Quod autem sic provide in Consistorio factum est, nec consuevit nec debet faciliter retractari. Rursus certum est, quod super regula prædicta, ut professores ejusdem, secundum qualitates, & diversitates temporum, possent, sub ea virtutum Domino salubrius famulari, per prædecessores nostros Romanos Pontifices, cum multa maturitatis providentia, nonnullæ salubres & utiles ordinationes & declarationes, ad instantias, & supplicationes Fratrum ejusdem Ordinis factæ fuerunt, quibusdam ex eis per modum constitutionis perpetuæ, inter constitutiones eorumdem prædecessorum nihilominus collocatis, quæ quidem ordinationes & declarationes, si concederetur dicta petitio, sic proculdubio turbarentur, quod ab Ordine prædicto, in quo dissensiones, odia, & schismata nimis hactenus suscitare studuit hostis humani generis, & suscitare continue non desinet, pacis & caritatis unitas exularet. Nosque qui religiones in vinculo pacis & caritatis tenemur, & cupimus confovere, dici possemus, quod absit, actores dissipationis & discordiæ Minorum Ordinis supradicti. Et ulterius cum per Sedem prædictam, approbatæ solum quatuor religiones mendicantes existant, si concederetur quod petitio prædicta subjungit, esset quintam religionem concedere mendicantem, quod his temporibus fieri, sicut credimus, non expedit, neque decet. Et nihilominus nos religionem eorumdem Fratrum Minorum approbatam per Sedem præfatam reprobare per concessionem alterius videremur; quod esset inter Fratres seminare discordiam, absque magnis, & gravibus periculis, scandalis, & dispendiis non sedandam. Et cum memoratus Philippus subjungat in petitione prædicta, quod impedimenta sunt innumera, quibus ipse, & sui sequaces alii, nequeunt dictam regulam profiteri litteraliter, & etiam observare; si nos impedimenta tolleremus hujusmodi, notari possemus forsitan magis favere religioni constituendæ de novo, quam alii, sicut prætactum superius, ab antiquis temporibus approbatæ, quod nequaquam rationi convenit nec decentiæ congruit status nostri. Sequeretur insuper aliud scandalum, & periculum nimis durum, quia multi Fratres, tam illius quam aliorum Ordinum, dum a suis Prælatis & superioribus, per viam debitæ correctionis, vel alias secundum eorumdem instituta Ordinum tangerentur, ad effugiendum correctionem & disciplinam sui Ordinis regularem, possent, si concederetur petita licentia, in suarum animarum dispendium, & proprii Ordinis confusionem & opprobrium, ad illum novum Ordinem fictitie, vel alias se transfer-

Fuit iterum reprobata hæc petitio sub Joanne XXII.

Quatuor religiones mendicantes.

ferre. Sicque multis, qui nunc etiam vix instigante illo, qui saluti humanæ invidet, refrenari valent a suis inordinatis moribus seipsos decipiendi, & evagandi damnabiliter, materia per viam hujusmodi præstaretur. Denique quamquam præmissa & alia multa, quæ dici possent circa hæc, non obstarent, adhuc tamen in personam dicti Philippi non posset decenter quod petitur, a nobis & Sede præfata concedi. Notorium quidem est, & per mundum sic communiter, proh dolor! divulgatum, quod nulla potest tergiversatione celari, quod idem Philippus sectæ Beguinorum, per Sedem reprobatæ prædictam, in qua diversi Beguini sectæ Sectatores ejusdem, reperti sunt hæretici manifesti, promotor, defensor, rector, & conservator extitit, etiam post reprobationem prædictam, illam contra determinationem & declarationem Sedis prædictæ, auxiliis, consiliis, prædicationibus, & sermonibus quandoque publicis, quantum potuit, nihilominus fulciendo. Et his nequaquam contentus, tam contra præfatum Joannem Papam XXII. prædecessorem nostrum, quam Sedem prædictam, multa enormia & hæretica quamvis mendosa & falsa, laxata suis labiis licentia, publice asseruit, & etiam prædicavit interdum, ex quibus, uti de aliis taceatur ad præsens, se rebellem Sedi prædictæ, ac de labe pravitatis hæreticæ suspectum vehementer reddidit, vel respersum, nec audimus adhuc quod ipse signa prætendat pœnitentiæ super his & reconciliari aut reuniri petierit, relictis erroribus hujusmodi, unitati Ecclesiæ sanctæ Dei. Ex præmissis autem, & aliis multis quorum esset prolixa narratio, si recitarentur per singula, petitioni prædictæ sine læsione honoris Dei & Ecclesiæ sanctæ suæ, ac nostræ remorsu conscientiæ nec valemus annuere nec debemus. Attende igitur fili dilectissime, quod cum sis Princeps prudentissimus, Deo devotus & Ecclesiæ, non decet sinceritatem tuam regiam, nec tuo honori expedit & saluti, ut in terris tuis homines aliqui dictæ Sedi rebelles, aut notati vel suspecti de hæresi foveantur, vel quomodolibet tolerentur: super quo regalis circumspectio adhibere procuret quæsumus diligentiam operosam. Porro cum præfatus Episcopus, sub commissa sibi per litteras præfatas credentia nobis delectabiliter duxerit exponendum, quod tu, fili amantissime, super infirmitate, quam visitante nos Domino, pridem passi fuimus, periculosa &c. Datum Avenione VI. *Idus Augusti anno* VI.

Ipse Philippus suspectus in fide.

XXV. Circa hunc annum fundatus in Provincia Hungariæ sanctæ Mariæ Conventus Soproniensis illius amplitudinis, ut communiter in eo celebrarentur Comitia Provincialia. Scripsit etiam hoc anno Pontifex ad Archiepiscopum Strigoniensem, ut informaret an expediret conferre licentiam nobili viro Nicolao de Purin, Domino Villæ sanctæ Crucis Agriensis Diœcesis, ut in eadem Minoribus domum ædificaret, præsertim cum Villa esset populosa, religiosis destituta, & Ruthenis schismaticis vicina. An vero concesserit Pontifex licentiam, non constat: ex diplomate habetur, heroem jam construxisse Ecclesiam & dormitorium, & multa suppellectile Ecclesiastica adornasse Templum, & reliquas voluisse ædificare officinas. Hujus tamen Cœnobii non invenio mentionem apud Pisanum aut Rodulphum: *In iis, quæ divini cultus*, VIII. Idus Septembris.

Conven. Soproniēn. *Gonza. in Prov. Hung. S. Mariæ n. 10.* Conv. S. Crucis Agrien.

XXVI. In Provincia Desmoniæ, loco valde solitario in Hibernia, prope lacum Leinum, circa hunc annum ædificavit Fratribus commodum haud nimis amplum Cœnobium Irialacense magnus Carthæus. Usque ad ultimum bellum Hiberniæ integrum perseveravit, etsi Fratribus & præcepto & persecutione Elisabethæ Reginæ Anglorum destitutum. Frequentes ibi conspiciuntur sepulturæ, conveniebantque illuc populi vicini tum ob solitarii loci

Conv. Irialacen. *Monum. MSS. Hibern.*

loci devotionem, tum ob singularem cultum miraculosæ imaginis sacratissimæ Virginis, quæ illic asservabatur. Abunde incolæ piscibus vescebantur quos ministrabat fluvius Mangharsach ex prædicto Leino profluens; piscatione Fratribus appropriata. Hæretici primo tempore, quo locum sanctum prophanarunt, Christi crucifixi effigiem pedibus conculcarunt, sed non impune, sequenti etenim die sacrilegii auctores expirarunt. Prædictam Virginis imaginem, irruentibus alias hæreticis, Fratres extulerunt, atque ad radicem aridæ, & excoriatæ arboris absconderunt: statim ad simulacri contactum, reviruit aridum lignum, germinavit frondes, & tenera virgulta, ramorumque densitate latibulum imaginis ab irruente pluvia contexit, ita ut per integrum annum nullum sit passa detrimentum. Juravit aliquando perfida muliercula coram hac imagine, se falso furti accusari, sed statim e sinu ejus decidit in omnium conspectu, quod se abstulisse pejeravit. Locum & fundum dono dedit Rex cuidam Anglo, in cujus potestate totum ferme corruerat: quidam pii Viri ne omnino avitæ pietatis monumentum deperiret, magna ex parte restaurarunt.

Miraculosa imago Beat. Virginis Mariæ.

XXVII. Ex petitione cujusdam Monialis Moresæ Bertrandæ de Valleriaco, Monasterii Majoricarum sanctæ Claræ Benedicto Pontifici oblata, in qua ait, se jam senio confractam, per longum tempus in prædicto Monasterio commoratam, & velle redire ad provinciam Provinciæ, unde erat oriunda, constat antiquum hoc fuisse Monasterium, atque hinc probabiliter confirmari, quod scribit Gonzaga, statim videlicet a morte sancti Francisci, ex publicis civium facultatibus exordium sumpsisse. Nunc gravissimum & amplum est Monasterium sexaginta Sororum reclusorium, habetque quædam corporalia a beata virgine Clara propriis manibus elaborata. „ Hoc
„ anno nobilis familia Zanardia Landia, in urbe Placentina Italica constru-
„ xit Oratorium, & Xenodochium, sub invocatione sanctæ Elisabethæ in-
„ tra Parochiam sancti Donnini, curamque commisit piis fœminis, sub ter-
„ tia Regula sancti Francisci viventibus. Post multos annos omnia unita
„ sunt Monasterio Monialium Cistercensium.

Ex lib. epist. commun. epist. 228.

Gonza. in Prov. Major. Mon. 1.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

Xenodoch. Tertii Ord. S. Francisc. cap. in hist. Placent. MSS.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. Alphonso Regi Portugalliæ de Indulgentiis Terræ sanctæ datis
„ litteris: *Venerabilis frater &c.* XI. Kalend. Maii, summus Pon-
„ tifex Poloniæ Regi Monasteriorum ingressum indulsit: *Regalis devotio-*
„ *nis &c.* III: Kalend. Julii: & fratri Petro de Saxo Inquisitore Assisinensi
„ instituto: *De sinceritate &c.* Kalend. Decembris. Sub eodem tempore
„ Nicolao Episcopo, ut a præfato juramentum exigeret, suo Apostolico di-
„ plomate commisit: *De sinceritate &c.*

Litteræ Pontificiæ.

Indic. ex Odor. n. 20.

„ II. Interea frater Mravicus Minister, de quo supra diximus, capitu-
„ lum celebrabat Benessoviæ in Boemia, quando in Valachia & civitate Se-
„ ret frater Blasius, una cum fratre Marco martyrii coronam fortiter adipi-
„ scebantur, ibidem sepulti XIV. Junii. Auctor est Hieremias Buchin, &
„ Martinus Baronius, ex quibus refert Casimirus Biernascki: sed & eodem
„ anno obiit Cracoviæ Mravicus, suæ electionis anno nondum completo.

FF. Blas. & Marcus Martyr. in Valach.

„ III. Sanciam virgin. Tertii Ordinis Seraph. alumnam, patria Ulys-
„ siponensem, Antonius de Sillis commemorat, laudatque eam ab integri-
„ tate vitæ, orationis studio, humilitate, abstinentia, suique contemptu.
„ Obiit ibidem hoc anno, incerto die.

Sancia Virg. Tertii Ordinis floret.

„ IV. Ceterum Werslariense Cœnobium, in Archidiœcesi Trevirensi,

sub

„ sub invocatione sanctæ Annæ Genitricis Dei Mariæ, a Comitibus de Nassa-
„ vo circa hunc annum fundatum fuisse, monumenta recentiora Provinciæ
„ sanctæ Elisabethæ in Thuringia, indicio a stemmatibus eorumdem Co-
„ mitum, cum nulla documenta produci possint, utcumque desumpto, enar-
„ rant.

ARGUMENTUM.

Rex Armenorum Legatos mittit ad Pontificem, quos circa res fidei diligenter instructos honorifice remittit Benedictus. Creantur aliquot Episcopi. Florent viri docti. Propagatur Institutum.

I. LEo Rex Armenorum undique oppressus & obsessus a Sarracenis, duos misit hoc anno Legatos ad Benedictum Pontificem, fratrem Danielem Minoritam, & Thorosium Michaelis (Joannis cognominat Bzovius) virum nobilem, qui auxilium & subsidium expostularent. Benigne & honorifice receptis, responsum non potuit statim Pontifex adhibere, diuturna & gravi pressus infirmitate: dedit tamen ut primum convaluit, & tam corporibus protegendis, quam animabus medendis se ostendit intentum, adhibitis postea suppetiis, & misso integro libello errorum, quibus Armenos infectos esse ex testimonio bonorum virorum, & disquisitione librorum Armenorum aperte constabat. Graviores triginta tres referunt scriptores, eosque ut plurimum hausisse a Jacobo Zanzalo, & Euchanio Mantacune, auctor est Nicephorus. Earumdem hæresum catalogum misit ad Catholicon Armenorum, ad Archiepiscopos sancti Thadæi, Tarsen. Navarren. & Soldanensem, ut in dicto Prælatorum concilio examinarent quo potiori modo eradicari possent hæc errorum zizania, bonum triticum multo hoc lolio purgaretur. Ita illi fecerunt, & Clementi Pontifici, Benedicti successori, suæ fidei professionem miserunt; quam ille diminutam & obscuram judicavit, ampliusque voluit Catholicæ fidei statera multa ponderari, uti nos sub illo tempore opportunius referemus. Nunc Benedicti damus diplomata ad Regem Catholicum Armenorum missa; posteriori per omnia similia sunt, quæ dedit ad Archiepiscopos.

Rex Armenorũ Legatos mittit ad Pontificem. Bzov. hoc anno n.9.

Niceph. lib.18. cap.53.

Carissimo in Christo filio Leoni Regi Armeniæ Illustri.

II. QUamvis dilecti filii, Daniel Ordinis Fratrum Minorum, & nobilis vir Thorosius Michaelis miles, tuæ celsitudinis Nuncii dudum ad nostram venientes præsentiam, & nostro Apostolatui litteras tuas Regias præsentantes, per nos fuerint benigne recepti; quia tamen nondum convalueramus de infirmitate gravi, quæ, visitante nos misericorditer Domino, multum afflixerat, & debilitaverat corpus nostrum, tunc nunciis eisdem respondere commode nequivimus, nec etiam intendere super his quæ proponere, ac petere pro parte regia intendebant. Postmodum vero dum vacare commode incumbentibus nobis negotiis potuimus, convalescentia nobis, præstante Domino, restituta, præfatos Nuncios patienter, favorabiliter, & benigne audivimus; & quæ per ipsos, proposita & petita coram nobis fuerunt, pro parte Regia plene collegimus intellectu. Cumque ipsi oppressiones, molestationes, & afflictiones varias, tibi fili carissime, Regno & regnicolis tuis illatas ab infidelibus, & quæ inferuntur, jugiter exponentes, a nobis sub-

Ex lib. secr. epist. 137.

subsidium super hoc humiliter postularint, eis duximus respondendum. Nos displicibiliter admodum nonnullorum fide dignorum relatibus inculcatis auribus nostris, sæpius audivisse, multorumque depositionibus testium, de statu partium illarum notitiam, ut dicebant, habentium, a nobis pro informatione nostra pleniori receptorum super hoc, percepisse, quod tam in majori, quam in minori Armenia, nonnulli execrandi errores tenentur a multis & dogmatizantur ibidem contra fidem Catholicam, quam tenet, docet, & prædicat sacrosancta Romana Ecclesia mater omnium fidelium & magistra. Quamobrem si relatibus hujusmodi suffragaretur veritas, nos & Ecclesia ipsa, cum sinceritate & honestate non poteramus tenentibus & dogmatizantibus errores hujusmodi auxilium impertiri: subsequenter autem volentes, juxta salutarem Domini nostri doctrinam descendere, ac scire clarius, si præmissa, quæ audiveramus, ut præfertur, de hujusmodi erroribus, vera essent, per viam Inquisitionis judicialis & solemnis, urgente conscientia, super his procedentes, testes multos habentes similiter de statu partium ipsarum notitiam recipi fecimus & audiri, per quorum depositiones fideliter in scriptis redactas, etiam per libros, qui per Armenos tenentur, & habentur communiter, ut asseritur, coram nobis exhibitos, de ipsis erroribus pestiferis, quibus damnabiliter per nonnullos animæ decipiuntur, proh dolor! in illis partibus constitit evidenter. Ut autem de illis, quot te, fili carissime, detestari & execrari credimus, tua magnificentia valeat informari plenius, & ad eos extirpandos de illis partibus, prout ad te pertinuerit, operam dare commodius efficacem: ecce quod illos distincte scriptos in libello præsentibus interclusos regiæ prudentiæ destinamus. Porro, quia nos tamquam Pastor universalis gregis Dominici, oves Dominicas curæ nostræ commissas, a venenosis & mortiferis luporum invisibilium, qui eas circuire ad devorandum non desinunt, tueri morsibus, ipsasque ad æternæ satietatis deduci pascua, quod utique sine splendore fidei Catholicæ, in eis absque cujusvis erroris nubilo relucente nequit procul dubio fieri, desiderabiliter affectamus, gratum nobis existeret, & expediens crederemus, quod Prælati partium Armeniæ, in suo celeriter convocando concilio, intellectis & discussis dictis erroribus, provide ordinarent ab eis penitus resilire, eosque procurarent de dictis partibus radicitus extirpari, veritati & sinceritati fidei orthodoxæ, quam ut præfertur, tenet, docet, & prædicat, eadem Romana Ecclesia, apud quam ipsius fidei magisterium residet, una cum Clero & populo partium dictarum firmiter inhærendo, quod si fecerint, seque veraciter in ovili Dominico, cujus est unus Pastor, & extra quod non est alicui gratia, neque salus, incluserint, primatumque præfatæ Romanæ Ecclesiæ, cum effectu recognoverint ut tenentur, nos, & Sedes Apostolica Prælatos ipsos, ut Fratres, & Clerum, & populum, ut filios prædilectos inter amplexus paternæ caritatis & dilectionis adstrictos, prosequemur gratiis & favoribus opportunis, ad tua, & ipsorum commoda, quantum cum Deo fieri poterit, nihilominus intendendo. Rursus ad evellendas radices errorum ipsorum, amarissimas, pestiferas, & nocivas, ne plantas emitterent ulterius infectivas, opportunum imo valde necessarium crederetur, ut in prædicto Concilio Prælati providendo salubriter ordinarent, quod libri in illis partibus haberentur, decreta & decretales, aliaque sanctorum Patrum dicta continentes, prout ea præfata Romana habet Ecclesia, quibus Armena Ecclesia uteretur. Super quibus tua regalis Excellentia, studiosis sollicitudinibus intendere, ac nos exinde, quanto citius fieri poterit efficere quæsumus studeat certiores. Tenemus quidem indubie, quod si tui regnicolæ Clerici & laici fidem prædictam non impugnarent erroribus, sicut nonnulli

Armeni variis infecti errorib.

Gen. 18. 21.

nulli faciunt, ut præfertur, sed eis expulsis omnino, eam tenerent firmiter, ut præfata Romana mater Ecclesia tenet eamdem, nequaquam adversus eos prævalere possent ipsius hostes fidei, etiamsi aliunde, quam a divinæ potentiæ dextera, & seipsis auxilium non haberent. Demum satis videretur expediens, ac nobis & dictæ Sedi redderetur acceptum, si præfati Prælati super prædictis, habita deliberatione concilii provida & matura, viros aliquos litterarum scientia præditos, veritatis & fidei zelatores sufficienti potestate munitos, ad nos & Sedem destinarent præfatam. Cum eis quidem, quos clementer & benigne reciperemus, ratiocinari circa præmissa possemus plenius, & utilius, ipsique viam veritatis per nos ostensam eisdem manifestare valerent clarius & efficacius dictis Prælatis, & aliis partium earumdem. Nosque deinde si videremus expediens, viros prudentes aliquos in sacræ Theologiæ facultate peritos ad partes illas ad ostendendam & propalandam veritatem ejusdem fidei, sicut illam tenet, ut sæpe dictum est, Romana Ecclesia, mitteremus; dummodo, præfatæ, fili, opportunæ litteræ tuæ regiæ pro securo conductu mittendorum hujusmodi in regno & terris ipsis ad ostendendum per prædicationem verbi Dei, & alias, veritatem dictæ fidei firmiter, nobis per illos, qui ad nos ut præmittitur, venerint, transmittantur. Rogamus itaque serenitatem regiam in Domino attentius, & hortamur, quatenus circa præmissa, quæ tibi, fili amantissime, tuisque regnicolis, totique illi patriæ, non parum, ut ad effectum deducantur debitum, accommoda æstimamus, cures diligenter, ut votivum & felicem sortiantur effectum, quodque litteræ nostræ, quas super præmissis quibusdam Prælatis partium destinamus illarum, mittantur & præsententur eisdem e vestigio, studeas interponere efficaciter partes tuas. Datum Avenione Kalend. Augusti anno VII.

Dilecto in Christo Fratri, Catholico Armenorum Spiritum gratiæ salutaris.

III. *DUdum ad audientiam nostri Apostolatus extitit quorumdam fide dignorum relatione productum, quod tam in majori quam in minori Armenia nonnulli detestandi & execrandi tenentur errores, & dogmatizantur contra fidem Catholicam, quam tenet, docet, & prædicat sacrosancta Romana Ecclesia Mater omnium fidelium & magistra. Et licet nos hujusmodi relatibus fidem ab initio nollemus credulam adhibere; postmodum tamen ad credendum ea, mentem nostram dicta quorumdam testium, qui de statu partium illarum plenam se dicebant habere notitiam, compulerunt, sed adhuc antequam præmissis fidem vellemus plenariam adhibere, indagare volentes plenius veritatem, per viam Inquisitionis judicialis & solemnis multos testes, qui similiter statum, conditiones & observantias dictarum partium se nosse dicebant, recipi fecimus & audiri, per quorum depositiones fideliter in scriptis redactas, ac per libros quibus uti asseruntur Armeni, communiter coram nobis exhibitos de hujusmodi erroribus constitit evidenter. Desiderantes itaque errores eosdem, quibus decipiuntur, imo quod valde dolendum est, perimuntur animæ, de illis partibus penitus extirpari, teque Frater ac tuos subditos & Armenos quoslibet, qui se Christicolas profitentur, sic esse ac manere inclusos in ovili Dominico, cujus est unus Pastor, ut nosti, ac fortes & sinceros persistere in fide Catholica, quod lupus rapax invisibilis qui circuire non cessat, quos devoret, oves Dominicas extra illud reperire nequiret, quomodolibet oberrantes; supradictos errores in quodam libello distincte scriptos tibi mittimus præsentibus interclusos, ut ad eorum* Ibid. epist. 138.

extir-

extirpationem melius & utilius procedere valeas, ut optamus. Ideoque fraternitatem tuam rogamus, monemus, & hortamur in Domino Jesu Christo, quatenus quantum errores prædicti periculosi sint consideranter attendens, Prælatis partium Armeniæ, aliisque Viris Ecclesiasticis, de quibus fuerit expediens, ad celebrandum concilium celeriter convocatis, & in eodem concilio intellectis dictis erroribus & discussis, illos velut pestiferos, dictæque fidei Catholicæ inimicos condemnes, & per dictum concilium condemnari & præscindi ... statuendo & ordinando fidem ipsam absque mixtione illorum, vel aliorum errorum quorumlibet, teneri, prædicari, & coli per partes easdem, sicut eadem Romana Mater Ecclesia, apud quam ipsius fidei magisterium residere noscitur, prædicat, tenet, & docet. Sciturus quod si tu, ac Prælati, & subditi partium prædictarum hæc adimpleveritis, recognoscendo effectualiter ejusdem Ecclesiæ Romanæ primatum, Nos & Sedes Apostolica vobis paternæ caritatis & dilectionis amplexibus occurrentes, erga vos prompti reperiemur & propitii continue, in Nunciis, favoribus, & auxiliis opportunis. Nempe ad evellendas amaras, pestiferas, & nocivas errorum prædictorum radices, ne ulterius plantas emittere valeant infectivas, non parum opportunum, imò plurimum utile crederetur in eodem convocando concilio salubriter ordinari, quod libri Decretorum & Decretalium, aliaque dicta sanctorum Patrum, & Instituta canonum, prout illa habet & tenet præfata Romana Ecclesia, in illis partibus a Prælatis & Clericis, pro vera informatione fidei, ac morum & observantiarum salutarium ipsius Romanæ Ecclesiæ, haberentur; super quibus tua fraternitas, ut hæc ordinentur, & ad effectum deducantur, efficacem det operam, & super hoc nobis scribat. Tenemus quidem indubie, quod si splendor ejusdem fidei sub magisterio dictæ Sedis Apostolicæ luceret in illis partibus, errorum quorumlibet caligine profugata, hostes ipsius fidei adversus fideles, qui semper haberent fidem ipsam, eos cum potentia divinæ dexteræ protegente, minime prævalerent. Demum satis videretur expediens, ac nobis, & eidem Sedi redderetur acceptum, si habita super prædictis, ut præmisimus, deliberatione Concilii provida & unanimi, Viri aliqui litterarum scientia præditi, veritatis & fidei zelatores, pro parte tua, & aliorum qui fuerint in eodem concilio, sufficienti potestate muniti, ad nos & Sedem mitterentur prædictam, cum eis quidem ratiocinari circa præmissa poterimus melius & plenius; ipsique, viam veritatis per nos eisdem ostensam clarius & efficacius manifestare valebunt. Et si tunc nobis & dictæ Sedi expediens videatur, Viros alios doctos in lege Domini, probitatis & fidelitatis maturitate conspicuos, pro informatione pleniori fidei ac morum, & observantiarum Ecclesiæ Romanæ prædictæ, aliisque virtutibus inserendis, ad partes illas poterimus destinare. Porro litteras, quas quibusdam Prælatis Armeniæ super præmissis dirigimus tuæ prudentiæ, e vestigio mittere non postponat. Datum ut supra.

Fr. Nicol. Urbis Vicarius. *Ann.1339. n.2.*

Ex lib. commun. ep.440. Frater Antonius Episcop. Gaetan.

Frater Guillelm. Petragoricen.

IV. Constituti hoc anno Urbis Vicarius frater Nicolaus Zucii, quem diximus, ante biennium ad Episcopatum Assisiatem evectum: *Inter curas multiplices* XVII. Kalend. Maii, & in eadem Urbe Pœnitentiarius Pontificius frater Petrus de Saxo-ferrato. Episcopus Gaetanus in Regno Neapolitano ad mare Tyrrhenum, per obitum Francisci, frater Antonius de Aribandis de Valentia: *Ad universalis Ecclesiæ* VIII. Kalend. Junii. Episcopus Petragoricensis sub Archiepiscopo Burdegalen. per obitum Raymundi, Frater Guillelmus Astiæ prius Episcopus Aptensis: *Creditæ nobis dispensationis* Kalend. Octob. In neutra harum Ecclesiarum hujus Guillelmi meminit Claudius Roberti.

V. Flo-

V. Floruerunt hoc tempore in Anglia frater Guillelmus Lissejus vel Lissovius, aliis de Lisso, a suis consodalibus nominatus *Doctor eximius*, qui fœcundos, sed sermone incultos scripsit commentarios in omnes ferme Prophetas. Frater Gualterus Cattonus, vel Gathonus Conventus Norvicensis alumnus, qui ob multiplicem rerum scientiam, & eximias virtutes magnum sibi nomen acquisierat; erat enim in omni tum humana, tum etiam divina Philosophia versatissimus. Avenionem vocatus, institutus est Pœnitentiarius Pontificius. Frater Thomas Straveshanus in Occidentalibus Angliæ partibus natus, Bristolii initiatus, Oxonii studuit, & vir doctus evasit præsertim in explicanda sacra scriptura.

Fr. Guillelm. Lissejus. *Pitseus de script. Angl.* Frater Gualter. Catton. Fr. Thom. Straveshan.

VI. Extra Ferrariensis urbis mœnia humile erat Minorum domicilium, cujus obvia alias incidit mentio; aliud vero Armanus Thadæus, & Falconetus, vulgo dictus a Fontana, intra urbem construxerunt, jactis hoc anno mense Junii Ecclesiæ fundamentis a Dominis Atestinis. Anno autem MCCCXLIV. Nicolaus Marchio Ferrariæ sepultus est in dicta Ecclesia in sacello a se constructo. Auxerunt vel absolverunt Fratrum habitationem Rainaldus, ejusque conjux urbis Marchiones. Anno MDXLIV. Ludovicus Valengus fabricavit sacrarium, & pro ministerio altaris ac perpetuo sacerdotio reliquit nemus in agro Finalis non longe ab urbe Mutinensi. Præcipuum Templi sacellum construxit nobilius Magister Augustinus Righinus. Monumenta omnia Conventus perierunt sub Julio II. combustis scripturis a militibus Helvetiis, qui apud Fratres stationem militarem, advocati in urbis tutelam, observabant. Floruerunt hoc loco viri litteris & dignitate conspicui in sacra Theologia Magistri Hieronymus Verutus, Franciscus Maria Bojonus, Hieronymus Floratus, Franciscinus Vicedominus, concionator suo tempore celeberrimus, & alii.

Conv. Ferrarien. *Ann. 1261. n. 15. Rodulf. fol. 267.*

VII. Hoc anno inchoatum asserit Gonzaga, Monasterium Clarissarum Bambergense in Bavaria, per nobilem virginem Catarinam Zollerin: & Chronica peculiaria MSS. provinciæ Argentinensis, quæ apud me habeo, hoc ipso anno ajunt jactum primum lapidem in platea Zinckenwerd; idque etiam tempus fundationis præscribere voluisse Gasparem Bruschium, in catalogo Episcoporum Bambergensium judicaverim, licet numerorum notæ MCCCXLVIII. discordent. Ait enim, Monasterium hoc fundatum sub Episcopo Leopoldo ab Eglofftain, quem tamen obiisse refert anno MCCCXLI. die XX. Julii. Ut ergo sub illo fundari aut inchoari potuerit, oportet ut saltim hoc anno sumpserit initium. Completum & ferme perfectum, introductasque Moniales anno MCCCXLIII. in die sancti Thomæ Cantuariensis, monent prædicta Chronica MSS. Ipsa fundatrix, prima fuit Abbatissa, tantaque virtute enituit, ut pro sancta haberi, Bruschius affirmet. Regimen hujus Monasterii translatum est ad Patres Observantes anno MCCCCLX. ita curante per auctoritatem Apostolicam Georgio Scanderberchio. Hussitis invadentibus Bavariam anno MCCCCXXIX. loco cedentes Sorores transierunt ad Monasterium Nurinbergense, recedentibusque inimicis, ad propriam Sedem sunt regressæ.

Gonzag. in provi Argen. mon. 5. Mon. Bamb. *Brusch. de Episc. Bamb. n. 25.*

VIII. Virgo altera, Jacobina nomine, Mediolani prope portam Vercellen. Monasterium sub sancti Augustini regula, sibi aliisque virginibus hoc anno, annuente Roberto Vicecomite Ecclesiæ Mediolan. Archipresbytero, Archiepiscopo absente, construxit. Temporis decursu cum vetustate domus minaretur ruinam, & summa premerentur Sorores inopia, vidua nobilis Mediolanensis Catarina restaurare Monasterium promisit, dummodo Moniales regulam primam sanctæ Claræ vellent profiteri. Illis annuentibus & ar-

Mon. Mediol. *Gonz. in provin. Mediolan. Mon. 3.*

arctioris Instituti propositum approbante Innocentio VII. anno x. sui Pontificatus domus pristino restituitur nitori, & ipsa restauratrix illud ipsum quod ceteris persuasit, Institutum amplexa est. Ecclesia vero sancto Antonio Ulyssiponensi sacra, cum videretur angustior, quam quae copioso Sororum numero foret opportuna, constructa est a parte anteriori altera pulchrior & amplior a devota quadam foemina Agnete. Deinde aliam a parte posteriori aedificavit nobilis heroina Blanca, Francisci Sfortiae Mediolanensium Ducis legitima conjux, beatae Ursulae & Sociis dicatam, atque ita factum est, ut duabus Ecclesiis, iisque solemni ritu consecratis, hae sorores potiantur. Tepescente demum fervore, dimissa prima & arctiori sanctae Clarae regula, transierunt ad secundam & mitiorem ab Urbano IV. praescriptam.

Ann.1333. n.22. Ex lib. commun. epist.153.

IX. Jam sub hoc tempore obiisse Hedvigem Reginam Poloniae, quam superius diximus sanctae Clarae Institutum amplexam, mihi probat diploma Benedicti, quo Casimiro Regi Poloniae Hedvigis filio concedit licentiam ingrediendi cum sex honestis personis Monasterium Sandacen. *in quo*, inquit Pontifex, *materterae, quae sicut asseris, ipsum fundavit & dotavit, ac Reginae Poloniae genitricis tuarum, corpora requiescunt*.

ADDITIO PATRIS LUCAE WADDINGI. Mon. Panormit.

„ Hoc anno Monasterium insigne Clarissarum Panormi ante multos annos conditum, restauratumque atque in ampliorem formam redactum est per Matthaeum Sclafanum Adriani Comitem, uti haec inscripta carmina commemorant,
„ *Annus erat quartus Domini post mille trecentos.*
„ *Triginta septem, Ludovicus regna tenebat.*
„ *Haec sacra, Clara, Comes tibi templa Matthaeus*
„ *De Sclafano proprii largus quae sumptibus egit.*

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

Lit. Pont.

Wad. ad ann. 1339.

„ I. Nicolao Zucio Assisiati Minoritae ad infulas Episcopales ejusdem urbis, ob translationem fratris Pastoris de Serrescuderio ad Archiepiscopalem Ebredunensem in Delphinatu evecto, de quo etiam hic supra mentionem fecimus, executorialem quamdam: *Ad decorem &c.* IX. Kalend. Aprilis, & eodem tempore alteram: *Petitio dilectorum &c.* summus Pontifex commisit: ac interea defuncto Aycardo Mediolanensi Archiepiscopo, de quo pluries dictum est, & in ejus locum per translationem a Novariensi, Joanne Vicecomite suffecto, Pontifex, instante praefato Joanne & Luchino fratre, & causam urgentibus in favorem Vicecomitis Matthaei, qui adhuc vita functus, ut excommunicatus, insepultus erat, revocavit quod olim sub Joanne XXII. in Borgaliensi Conventu a praedicto Aycardo, ceterisque Delegatis in Matthaeum & filios suos sancitum fuerat, eaque omnia tamquam vitio & contra vetera instituta peracta, suo diplomate irritavit Avenione, nonis Maii, Pontificatus sui anno VII. ac ita post longum tempus Ecclesiasticae sepulturae Matthaeo honor concessus est.

Sup. ad an. 1337.

„ II. Czaslaviae in Boemia haec inter habitis Comitiis Provincialibus frater Petrus Polonus Cracoviae Regens, in vigesimum primum Ministrum electus, fratri Mravico in officio successit. Eodem hoc anno beati Pancratius, Petrus, Paulus, & Leonardus laicus Ordinis Minorum constanter fidem Christianam confitentes, multis primum suppliciis affecti, pro nomine Jesu a barbaro Principe Kioviensi, martyrii palmam assecuti, Vilnae in Lithuania apud suos, in Aede D. Mariae, sub majori altare sepulti sunt, die VI. Martii, ut refert Martinus Baronius.

BB. Pancratius, Petrus, Paulus, & Leonard. Mart. Vilnae in Lith.

Wad. ad ann. 1325. n.23.

„ III. Waddingum ad annum MCCCXXV. de rebus Ordinis in Provincia

„ cia Lithuaniæ ſcripſiſſe conſtat. At ſupra dictum eſt de quatuordecim *Sup. ad an. 1333.*
„ Martyribus Ordinis Vilnæ paſſis, & in cœmeterio ſanctæ Crucis tumula-
„ tis, in quorum martyrii memoriam erecta Cruce cum epitaphio acta do-
„ cente, ſatis clare apparet quo tempore illi paſſi fuerint: ſed triginta ſex
„ alii paſſi ſunt hoc anno MCCCXLI. *ut aſſerit Martinus Baronius Jaroſla-*
„ *vienſis*, die XXIV. Maii: quamobrem eo ſcribendi modo Waddingus
„ videtur, non diſtinxiſſe, ſed rem confundiſſe, & confuſam non integram
„ reddidiſſe. Etenim cum ipſis triginta ſex quatuordecim primos com- *FF. Martyres 36. in Lithuania.*
„ plectitur, non aucto numero. Verſus autem relati a Waddingo non po-
„ ſterioribus triginta ſex conveniunt, ſed illis quatuordecim prioribus,
„ quibus ab Antiſtite Kyovienſe conſecrati fuerunt; & ex iiſdem Gaſtol-
„ dum alloquentibus, id intelligere poterat: verſus autem ſunt hi.
„ *His igitur Proceres inter Gaſtolde refertur*
„ *Familiæ encomium, & gloria prima tuæ.*
„ *Millia, qui populi, miſeratus multa ruentis*
„ *Tartarici fraude, in pallida regna, ducis.*
„ *Huc, huc bis ſeptem curaſti ducere Fratres,*
„ *Qui populos regerent, Chriſte benigne, tuos.*
„ Bis ſeptem faciunt quatuordecim, & non triginta ſex; quod videns Wad- *Caſſ. Bier. n. cit. art. 21. an. 5. ad n. 9.*
„ dingus non diſtinxit, quatuordecim alios fuiſſe a triginta ſex; ſed confuſe
„ triginta ſex diverſis temporibus occiſos fuiſſe enuntiavit; ac ſi poſt qua-
„ tuordecim Martyres, reliqui viginti duo alio tempore martyrium ſubie-
„ rint. Quod autem triginta ſex Martyres una cum Gaſtoldo in numerum
„ computandi alio tempore paſſi fuerint, docet citatus Martinus in hæc
„ verba:
„ IV. B. Petrus Gaſtoldus illuſtri familia, eaque primaria Lithuanorum,
„ natus: verum eumdem illuſtriorem innocentia vitæ, morum probitas, ſa- *Mart. cit. fol. 92.*
„ crarumque litterarum ampliſſimum ſtudium, & maxima in Deum devotio
„ reddiderunt. Is in Epiſcopum Vilnenſem ordinatus, tempore bellicoſiſſimi,
„ Uladiſlai Vitoldi Ducis Magni Lithuaniæ, qui a principio Idololatra cum
„ eſſet, opera Fratrum Minorum ſacrum Baptiſma ſuſcepit, & multa Cœ-
„ nobia extruxit: Lithuanos Chriſtianæ fidei novitios corroborans in fide,
„ divinoque eloquio inſtruens, ab Idololatris, una cum triginta ſex Fratri-
„ bus Ordinis ſancti Franciſci (& ipſe antea exiſtens ejuſdem Ordinis pro-
„ feſſus) vario genere tormentorum affectus, & occiſus, pro fide Chriſti *Martyrium beati Petri Gaſtoldi.*
„ martyrio coronatur Vilnæ in Lithuania, ubi eſt inſigne Monaſterium Fra-
„ trum ſub titulo beatiſſimæ, ac glorioſiſſimæ Virginis Mariæ ad Arenas,
„ cum eiſdem triginta ſex Fratribus Martyribus quieſcit anno Domini *Vide ad annum 1386. n. 2. quo ipſe duxit Hedvigim.*
„ MCCCXLI. die XXIV. Maii, quorum quidam tumulati ſunt in cœmeterio
„ ſub columna lateritia, quidam eorum projecti fuerunt in Viliam, amnem
„ intra Montes prope urbem, quidam vero ante fores ſanctæ Crucis, ubi
„ affixa eſt tabella, in qua continentur quædam carmina reverendiſſimi D.
„ Joannis Anchuſeniz electi Kyovienſis Epiſcopi, febre acuta correpti, in
„ maximoque vitæ periculo poſiti, ad eoſdem beatos Fratres Franciſcanos
„ primos fidei plantatores voto facto, ſanati, cum verſibus ibidem anno
„ Domini MDXLIII. appoſitis.
„ V. Et licet referat Martinus citatus, Gaſtoldum una cum triginta ſex
„ Fratribus martyrium ſubiiſſe, & in inſigni Monaſterio de Arenas cum
„ eiſdem triginta ſex Fratribus quieſcere, eſt intelligendus cumulative, &
„ incluſive, ideſt, includendo ad cumulum ejuſdem numeri triginta ſex
„ Martyrum etiam ipſum Gaſtoldum, quod evidenter dat intelligere ex re-

„ censu nominum, seu cognominum eorumdem Martyrum, quæ nomina, „ seu cognomina triginta sex subjicit, incipiendo ab ipso Gastoldo, usque ad „ trigesimum sextum fratrem Gotardum officiosum cocum. Inter hos vero „ triginta sex Fratres Martyres nominat beatum Stanislaum Cracoviensem „ S. T. Doctorem, beatum Martinum Drohobicensem S. T. Magistrum, „ beatum Isidorum Kioviensem Doctorem, beatum Ireneum Jaroslaviensem S. T. Doctorem, beatum Hyacinthum nobilem Lithuanum Baccalaureum, beatum Dionysium Lithuanum Procuratorem; ex his omnibus „ recte infertur, istos triginta sex Martyres fuisse distinctos a primis quatuordecim, & non solum in aliis, & diversis personis, sed etiam alio, & „ diverso tempore martyrium subiisse.

„ VI. Hoc etiam evidenter datur intelligi ex annalibus Lithuanicis, „ referente in suo speculo provinciæ Russiæ, & M. D. L. Marco Corona, „ & asserente Conventum Vilnæ Minorum fuisse fundatum a Petro Gastoldo Palatino Podoliense anno MCCCXXXII. qui ex Pagano sacro fonte renatus, vocatis quatuordecim Fratribus Minoribus, eisque in sua absentia „ ob prædicationem fidei truculenter a gentili plebe trucidatis: *Ipse* (ut ait „ citatus Marcus) *Ticocino reversus, intellecta Sanctorum cæde, Vilnam* „ *properat, corpora eorum exquirit, reperta in cœmeterio Templi sanctæ* „ *Crucis, in loco, ubi nunc Crux fixa memoriæ eorum conservandæ manet,* „ *sepelit: & de quingentis hominibus ex plebe Vilnensi, decernente Olgerdo M. D. L. extremum supplicium ob cædem Sanctorum sumit.* Si ergo „ ipse Gastoldus sumpsit supplicium de occisoribus quatuordecim Martyrum, jam hi fuere alii, & distincti ab illis triginta sex, quibus ipsemet „ Gastoldus ex Palatino factus Frater Minor, pariter & simul fuerat occisus.

Vide sup. ad annum 1332. n. 1.

„ VII. Deinde hi triginta sex Martyres sunt sepulti Vilnæ in Ecclesia „ Ordinis Minorum ad Arenas, titulo beatæ Virginis insignita; illi autem „ quatuordecim priores sunt sepulti in Templo sanctæ Crucis. Sed hanc „ rem, quam Casimirus Biernacki in suo speculo perstringit, numerum „ Martyrum, & diversa tempora martyriorum, diversa quoque sepulturæ „ loca ex Martino Baronio, & Marco Corona assignans, videtur etiam attigisse Waddingus, ad annum MCCCXLIII. qua in narratione tamen dum „ concordat in die passionis, in anno discordat, & conditionem specificantem Gastoldum ex Minorita Episcopum, connumerandum cum triginta „ sex, ut supra relatum est, non apponit. Discrepantia temporis non ab historiæ veritate se alienat, adeo ut vitiosam reddat; sed notat historicorum incuriam rebus in consignandis suis propriis temporibus: exacte vero, & plene nihil prætermisso rem aliquam enarrare, difficillimum esse „ omnes fatentur. Vilna igitur tot Martyrum irrigata sanguine, Christo „ consecrata ab his temporibus, jam incipiebat doceri fidem Catholicam, „ quam firmius postea susceptura erat, ut suo loco dicemus.

Casim. Bier. art. 11. a n. 5. ad 9.

B. Martinus Laudensis martyr. Inf. ad an. 1187.

„ VIII. Occurrit memoria venerabilis, & beati viri Martini, patria „ Laudensis, & Prædicatoris eximii, qui pro fidei Catholicæ libera, & constanti confessione membratim discerptus, horrendo mortis genere triumphavit in India orientali, hoc anno MCCCXLI. ut refert Julius Magnanius: „ post quem devotionem in Ordinem Seraphicum, & pietatem illustrissimi „ Principis Joannis Britanniæ Ducis, qui fatis functus hoc anno, apud nostros Guingampenses sepulturam, juxta sua vota, nactus est.

MSS. Prov. Turon. major.

AR-

ARGUMENTUM.

Moritur Benedictus XII. Substituitur Clemens VI. Episcopi instituuntur multi, frater Elias de Nabinallis assumitur ad Cardinalatum, & frater Gerardus Minister Generalis ad Patriarchatum Antiochenum, cujus vices in regimine subit frater Fortanerius Vassallus. Illustri coronantur Martyrio sex Minoritæ inter Tartaros late propagata fide Christiana. Alii occiduntur in Livonia. Carolus Rex Hungariæ moritur. Elisabetha conjux, fœmina piissima tertium subit sancti Francisci Institutum. Loca sancta Hierosolymorum conceduntur Minoritis, quorum pia obsequia erga Christi vestigia largius referuntur. Alia item acquiruntur Domicilia.

I. BENEDICTUS Pontifex, postquam magna animi integritate, summo pacis & disciplinæ Ecclesiasticæ restaurandæ studio, Catholicam gubernarat Ecclesiam annis septem, mensibus quatuor, diebus quinque, hoc anno die xxv. Aprilis, ex tibiæ dolore sancto fine quievit. Vixit bono publico Ecclesiæ, non privato consanguineorum, quos procul faciebat, frequenter obiiciens eis, qui parentum instillabant affectum, illud Propheticum: *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero*. Neminem suorum creavit Cardinalem, electis ad hanc dignitatem viris dumtaxat, quibus præclara suffragabantur merita. Bonos & doctos impense diligebat, malos vicissim ac sceleratos odio habebat. Omnium religionum reformationem aggressus, haud ita feliciter absolvit, præscriptis quibusdam legibus, alias bonis, quæ facilius concipiuntur, quam observentur. Omnes Ecclesiæ status peculiaribus innituntur principiis, quæ si Princeps everterit, vel his adversam præscripserit methodum, non reformabit dissoluta, sed nutantia dissolvet. Benedictus inter hos pios cogitatus restituendæ disciplinæ, & quotidianas difficultates, quæ ex novis constitutionibus, primævis institutis haud omnino opportunis, oriebantur, laborans & fluctuans, re imperfecta decessit; sepultus in Ecclesia sanctæ Mariæ donorum Avenione, ingenti bonorum luctu, & magna pompa funerali.

Moritur Benedictus XII.

Ejus virtutes.

Psal. 18. 14.

Aggressus Religionũ reformationem non adeo feliciter absolvit

II. Vacavit Sedes diebus dumtaxat duodecim, cum Cardinales ipsis Nonis Maii Benedicto Monacho Cisterciensi substituerunt alium Ordinis sancti Benedicti fratrem Petrum Rogerii Presbyterum Cardinalem, tituli SS. Nerei & Achillei, ac Clementis VI. nomine salutarunt. Natus apud vicum roseum Lemovicen. diœcesis, Patre Guillelmo, Ordini sancti Benedicti nomen dedit apud Casam Dei, in præruptis Avernorum jugis. Lutetiæ optimis litteris imbutus per sui Ordinis dignitates pervenit ad Episcopatus Atrebatensis infulas, & Regii Scrinii ac sigilli præfecturam. Mox Senonensis, deinde Rothomagensis Archiepiscopus creatus, a Benedicto XII. ad Cardinalatum, postremo omnium votis ad Pontificatum evehitur. Ut vero injunctum onus rite peragere, & digne tanto muneri posset correspondere, ad Minorum (quibus valde addictus erat, uti ex multiplici beneficio, per totum Pontificatum constabit) & reliquarum religionum præfectos, paucis a sua creatione diebus litteras dedit, ut eum suis precibus juvarent. Eædem ferme sunt cum prima, quam scripsit, epistola ad fratrem Landulphum Caracciolum Archiepiscopum Amalphitanum, ex Minoribus assumptum, sibi in Minoribus familiarem, quam hic subscribo.

Creatur Clemens VI.

Admonet Prælatos suæ electionis.

Tom. 3. epist. 1.

CLEMENS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI,

Venerabilibus Fratribus Laudulpho Archiepiscopo Amalphitauensi, ejusque Suffraganeis, salutem & Apostolicam benedictionem.

Dei potentia.

III. I*N præcelso Throno divini culminis, sapientiæ altitudo, sublimitas potentiæ, ac prudentiæ plenitudo consistunt, & qualiter dispositione superna detur esse rebus, mutentur & varientur creaturarum conditiones & status, aliaque gratiarum munera ineffabili providentia dispensentur, humani non capiunt intellectus; supernus namque conditor in omnipotentia sua mirabilis, dixit & illico facta sunt, & quæ ipse voluit sunt creata, & perfectam babens, tamquam ille qui cuncta palmo concludit, ad singula potestatem, quandoque facit fortem ex debili, & nonnumquam ponit humiles in sublimi, ac sacrosanctam Ecclesiam Catholicam, quam sibi caritatis inseparabilis dulcedine copulavit, salubriter dirigit & gubernat. Nuper siquidem felicis recordationis Benedicto Papa XII. Prædecessore nostro, de præsenti valle miseriæ ad mansiones æthereas, ut firmiter creditur, sicut Altissimo placuit evocato, Venerabiles Fratres nostri Episcopi, Presbyteri, & Diaconi sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, de quorum numero tunc eramus, pro futura substitutione Romani Pontificis convenientes in unum, post aliqualis tractatus examen super boc habitum, sancti Spiritus, ut moris est, gratia invocata, quasi per inspirationem ipsius, in nos, sicut divinæ Clementiæ placuit, vota sua concorditer direxerunt, nos ad conscendendam speculam Apostolici culminis, & subeundum gravissimam totius orbis regiminis sarcinam eligentes. Verum cum ad tantæ dignitatis apicem obstuperemus assumi, eo quod impotentiæ nostræ humeri ad tantum onus non sufficerent supportandum, tamdem sperantes in illo, qui reddit suave jugum suum, & onus leve, illa portantibus patienter, ad ipsorum Fratrum instantiam votis acquievimus eorum, & colla nostra submisimus humiliter jugo Apostolicæ servitutis, & subsequenter benedictionis & coronationis nostræ solemnia, juxta morem in personis felicis memoriæ Romanorum Pontificum, prædecessorum nostrorum, hactenus observatum, suscepimus, ad gratiarum fontem, de cujus suscipi nut plenitudine universi; pastoris videlicet æterni clementiam, in humilitatis spiritu recurrentes, ut ipse non juxta meritorum nostrorum exigentiam, sed secundum suæ superabundantiam pietatis, debilitati nostræ sic tribuat roboris fulcimentum, quod susceptum onus ad laudem sui nominis, Ecclesiæ universalis honorem & statum, salutem & tranquillitatem fidelium, ipso cooperante, deferre, ac in populis sollicitudini nostræ creditis, quarumlibet dissensionum ex eis amputata materia, ministrare bonum pacis, ad quod nostra principaliter aspirat intentio, valeamus. Sollicitudine itaque publicæ administrationis assumpta, & plena de vobis concepta fiducia, quod ad supportandum tanti oneris molem, in caritate illius, qui vos vocavit in partem hujusmodi ministerii, fideles eritis adjutores, Universitatem vestram rogamus totis in Christo affectibus, & monemus, quatenus imbecillitatem nostram ad tantum onus supportandum, apud Deum specialibus & devotis orationibus, ac sacris precationibus effundendis, per vos & subditos vestros, ad largitorem bonorum & gratiarum omnium recurrentes, ipsius pro nobis misericordiam imploretis, ut ipse qui nos, licet immeritos, ad Ecclesiæ sanctæ suæ regimen, ut prædicitur, evocavit, per beneplacita voluntatis suæ, in viam pacis dirigat gressus no-*

nostros, & favorem nobis tribuat pietatis, suæque benignitatis dignetur animum dare placabilem, & hujusmodi desiderium cordis nostri ad reformandam pacem & concordiam inter fideles ipsos, quos pacis æmulus, incentor malorum omnium, guerrarum, turbinibus diutius, proh dolor! lacessit, implere de sua clementia velit consueta: ita quod ex laboribus nostris, eo incrementum desuper largiente, Regnis quies opulenta proveniat, pax animis, & concordia populis, & moribus disciplina. Vos autem gregi Dominico vobis commisso, in quo vos dispensatio divina constituit, debitum officii pastoralis sic diligenter exolvite; ut cum Princeps Pastorum commissa quæsiturus advenerit, dignam ei possitis reddere rationem. Ceterum de nobis indubitatam volumus vos tenere fiduciam, quod singulos vestrum tamquam principalia membra Ecclesiastici corporis, in quantum Dominus dederit, opportunis curabimus fulcire præsidiis, & fraternis honoribus prævenire. Ceterum cum portitores hujusmodi litterarum, importuni quandoque consueverint existere, ad munera postulanda, & diversis modis aliis onerosi; volumus quod latori præsentium, præter necessaria nihil penitus tribuatis, sed quod ipsi nostri perceptione præmii fiat contenti, quibus congrue intendimus, pro eorum laboribus responderi. Datum Avenione XII. *Kalend. Junii anno* I.

IV. In ipso Pontificatus limine multa exhibuit Clemens argumenta suæ in Minoritas propensionis, assumptis ex eisdem plurimis ad dignitates Ecclesiasticas, videlicet fratre Guadagno de Maiolo ad Episcopatum Ceruiensem, sub Archiepiscopo Ravennaten. per obitum Superantii: *Regimini universalis Ecclesiæ*, VI. Kalend. Jul. fratre Marco Leonis de Arcaldo ad Monopolitanum in regno Neapolitano exemptum, per mortem Dionysii: *Supremæ dignitatis*, II. Kalend. Jun. Fratre Nicolao Boneti, Viro docto, sacræ Theologiæ Magistro, (quem superius, diximus destinatum Legatum ad Tartaros, qui tamen ob graves causas ex ipso reversus est itinere) ad Milevitanum, sub Archiepiscopo Panormitano, per obitum Henrici etiam Minoritæ: *Regimini universalis*, V. Kalend. Decembr. Fratre Thomasio de Rosa ad Strongilensem in Calabria, sub Archiepiscopo Sanseverinate, per cessionem Petri: *Inter cætera*, Idibus Novembris. Fratre Galgano ad Cephaluden. in Sicilia, sub Archiepiscopo Messanen. per obitum Roberti, etiam Minoritæ; etsi Capitulares ignari reservationis Pontificiæ prius elegerint in suum Episcopum fratrem Petrum de Calatagirono etiam Minoritam: *Romani Pontificis* XXII. Kalend. Decembris. Fratre Manfredo de Calcinaria ad Adiacensem in Corsicæ Insula, sub Archiepiscopo Pisano, per mortem Vitalis: *In supremæ dignitatis*. Idibus Novembris. Fratre Matthæo de Castro Petri, a Balneo Regien. quem alias diximus, assumptum ad Acerrarum in Campania sub Archiepiscopo Neapolitano, per translationem Joannis ad Balneo Regiensem: *Creditæ nobis*, X. Kalend. Jan. Fratre Amadeo de Alba ad Langonen. in Hungaria sub Archiepiscopo Colocen. & Patriarcha Constantipolitano, per translationem Bernardi ad Colocensem: *In supremæ dignitatis*, XVI. Kalend. Aug. Fratre Gratia de Aquila a Dulcinen. ad quem alias retulimus evectum, ad Polensem, olim Romanis pietatem Juliam in Istria, sub Patriarcha Aquileiensi, per obitum Sergii: *Romana Ecclesia*, II. Jun. Fratre Alemanno de Donatis Florentino a Suanensi, ad Mutinensem, sub Archiepiscopo Ravennate per translationem Bonifacii ad Cumanum: *Romani Pontificis*, XV. Kalend. Augusti. Fratre Vincentio a Marianen. ad Pacten. in Sicilia, per obitum Joannis: *Romani Pontificis*, V. Kal. Decemb. Evectis etiam duobus aliis ad dignitatem Patriarcha-

Frat. Guadagnus Episc. Cervien.
Fr. Marcus Monopolita.
Fr. Nicol. Milevitan. *An.* 1338. *n.* 10.
Fr. Thomas Strogilen.
Fr. Galgan. Cephaluden.
Fr. Manfredus Adjacen.
Fr. Matth. Balneoreg. *An.* 1328 *n.* 25.
Fr. Amadeus Langonen.
Fr. Gratia Polen. *An.* 1333. *n.* 15.
Fr. Aleman. Mutinen. *Vide ann.* 1330. *n.* 12. *Vide Ibid.*
Fr. Vincent. Pacten.

Fr. Elias Patriarcha Hierosolymitan. & administrator Nicosien.

chalem, fratre Elia de Nabinallis Archiepiscopo Nicosiensi ad Patriarchatum Hierosolymitanum, per obitum Petri, relicta tamen administratione prioris Ecclesiæ, cui potestatem fecit dispensandi cum Petro Lusignano Hugonis Regis Cyprii filio, ut in matrimonium assumeret Ecchinam Rupini Monfortii filiam, sanguinis gradu conjunctam: & mox Cardinalitiam contulit dignitatem: *Romana Ecclesia*, & *Cum Ecclesiarum*, IV. Idus Jul. Fratre Gerardo Odonis, sive Ottonis, Ministro Generali, ad Anthiochenum diu Patriarcha Catholico destitutum, per privationem Isnardi: *Romana Ecclesia*, V. Kalend. Decemb. cui paulo post dedit administrationem Ecclesiæ Cataniensis in Sicilia. Alium invenio hoc anno Episcopum Joannem Tolonum genere Catalanum Andravillæ Peloponesiacæ Civitatis Pontificem, qui Ludovicum Regem Trinacriæ Regio diademate Panormi coronavit.

Fr. Gerardus Patriar. Antiochenus, & administrator Catanien. Fr. Joan. Episc. Andravillæ.

Fasel. decad. 2. lib. 9. in princ.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

Mon. MSS. Erforden.

„ Nescio an inter hos audeam alium illustrem connumerare Antistitem Magdeburgensem. Illud mihi subest fundamentum, ut Franciscanum asseram quod ex Ephemeride vetustæ scripturæ Archivii Cœnobii sancti Petri in Monte Erfordiensi, Ordinis sancti Benedicti, mihi hæc verba transmissa sint. Anno MCCCXLII. Minorita factus est Archiepiscopus Magdeburgensis: homo erat perdoctus, sed cum Romam proficisitur, anno & medio captivus tenetur; ac tamdem mortuus, per Fratres Franciscanos Isenacensis sepelitur, atque homicidæ incarcerantur. Huic brevi narrationi non prosus dissimilis est altera Alberti Krantii in sua Metropoli, nisi quod hunc electum e gremio Capituli asserat: Magdeburgensis inquit, infausta tum Ecclesia post Pontificem tam execrabiliter trucidatum, electione Capituli sustulit e gremio quemdam doctum Virum, Magistrum Heidenricum de Erpeden. hic cum exisset petere in persona confirmationis Sedis Apostolicæ, statim captus quod propter abominabile parricidium, execrabiles erant Magdeburgenses toti Mundo, Clerus cum populo, quod videbatur nimis dissimulanter tolerasse Clerus tam atrocem, diu injuriam, & missus in carcerem. Ubi dimittitur, non diu superfuit, mortuus Isenaco. Quid, si fortassis creatus sit hic Heidenricus ex Minorita Episcopus suffraganeus Magdeburgensis, & sacerdotio inter capitulares donatus; atque ita ex gremio Canonicorum assumptus ad Archiepiscopatum? Magistri vero appellatione, in hoc titulo subsit scrupulus; familiaris enim erat ea ætate Franciscanis.

Fr. Heidentitus Arch. Magdeburg.

Krantius in Metrop. lib. 9. cap. 14.

Fr. Elias de Nabinallis. Cardinalis.

V. Hoc etiam anno, in Feriis quatuor temporum mensis Septembris, fecit Clemens ordinationem Cardinalium, inter quos creavit ex Minoritis unum, fratrem Eliam de Nabinallis Provinciæ Aquitaniæ sacræ Theologiæ Magistrum, quem nunc diximus creatum Patriarcham Hierosolymitanum, & Administratorem Archiepiscopatus Nicosiensis. Hunc de Annibaldis a sancto Herodio cognominat Rodulphus, & ab Innocentio VI. creatum Cardinalem, perperam affirmat: quem etiam sequutus est Ciaconus, referens ejus electionem sub creatione secunda Cardinalium ab Innocentio anno MCCCLIII. facta, citatque pro his Chronica Minorum. Verum est ita habere Rodulphum; sed Mariani Florentini, & Marci Ulyssiponensis Chronica hoc anno ad hanc dignitatem evectum recensent, licet in cognomine errent. Et sane hoc ipso anno, atque in prima creatione factum Cardinalem Eliam, mihi evidenter probat ipsius Clementis regestum, in quo multa occurrunt, præsertim anno III. Pontificatus, diplomata ad eumdem Eliam sub hoc titulo directa: *Dilecto filio Eliæ tituli sancti Vitalis Presbitero Cardinali*, in quibus plura ei beneficia ecclesiastica, & annuos confert redditus, addita in quibusdam hac clausula: *Non obstantibus quod professor Ordinis Minorum* ex-

Rodul. fol. 221.

Ciacon. in Innoc. VI.

Marian cit. Marc. cit. c. 48.

Lib. de gratiis Card. epist. 24. 31. 35.

exiftis; *feu fi aliqui &c*: Epifcopum Uticenfem fuiffe, defignatumque ei titulum fancti Stephani in Cælio Monte, fcribunt Ciaconus & Rodulphus, fed in utroque erraffe probant, quæ infinuavimus monumenta; ab Urbano V. creatus eft Epifcopus Oftienfis & Veliternus, facri Collegii Decanus; obiitque Aven. IV. Nonas Octob. MCCCLXVII. fepultus ad Minores. Circa obitus diem variat Ciaconus; in fecunda enim creatione Innocentii ait obiiffe VI. Idus Maii, & ad finem Pontificatus Urbani V. deceffiffe IV. Nonas Octobris.

VI. Affumpto vero Gerardo Ottonis Generali Miniftro ad Patriarchatum Anthiochenum, & adminiftrationem Ecclefiæ Cataniensis, inftituit Pontifex Ordinis Vicarium Generalem fratrem Fortanerium Vaffalli Provinciæ Aquitaniæ, virum doctum, qui poftea electus eft in proximis comitiis Generalis Minifter, & ab Innocentio VI. ex Archiepifcopo Ravennate creatus eft S. R. E. Card. Multam ei impertiit Clemens circa abfolutum Ordinis regimen poteftatem.

Fr. Fortanerius Vaffalli inftituitur Ordinis Vicarius Generalis.

VII. Hoc anno circa feftum fancti Joannis Baptiftæ, gloriofum martyrium fubierunt in Civitate Armalech, Vicariæ Tartariæ, frater Richardus de Burgundia, Epifcopus ejufdem urbis; frater Francifcus de Alexandria, vir notæ pietatis & virtutis; frater Raymundus Ruffi de Alexandria; frater Pafchalis de Hifpania, & urbe victoria, facerdotes: frater Petrus Martelli de Provincia; & frater Laurentius de Alexandria, laici five converfi; ac demum Magifter Joannes de India niger corpore, five Æthiops colore, tertii Ordinis fancti Francifci, Fratrum opera ad fidem converfus, qui interpretem agebat Archiepifcopi Cambalienfis. Horum paffionem rejiciunt Pifanus & Rodulphus in annum MCCCXL. fed Chronica antiqua, Marianus & Marcus Ulyffiponenfis, hoc ipfo paffos recenfent in hunc modum. Liberaverat mirabiliter frater Francifcus de Alexandria illius religionis Imperatorem, a peftilenti cancro & fiftula, qua de caufa tanta prævaluit in aula auctoritate, ut magna quæque ejus confilio dirigerentur, eumque patrem fuum Imperator nuncuparet, & demum tradiderit ei filium fuum feptennem baptizandum & in fide inftruendum, quem ille Joannem appellavit. Profpere omnia circa Chriftianos fiebant, & augebatur quotidie numerus credentium. Paululum tamen duravit hæc felicitas, fublato e medio Imperatore, venenata potione, dum iret venatum, occifis etiam liberis quatuor, atque Imperium invadente Alifolda Imperialis profapiæ, fed profeffionis Sarracenicæ, & inftituti religiofi, viro impio atque crudeli.

Martyres Minoritæ in Armalech.

Pifan. confor. 8. Rodul. fol. 128. Marian. cap. 11. Marc. cit. c. 45.

Fr. Franc. de Alexandria mirabiliter curat Imperatorem Tartarorum.

Huic Imperatori benigno fuccedit alius impius.

VIII. Statim ut Imperium obtinuit, monitus Fratrum doctrina multos a Mahomethana ad Chriftianam fidem defeciffe, trino edicto præcepit ut Chriftiani omnes Mahometifmum profiterentur, fin aliter interimerentur. Comprehenfi ftatim Fratres dum veram fidem abnegare nollent, in publicum producti, uno omnes fune ligati traditi funt populari infolentiæ. Alapis affecti, fuftibus cæfi, fputis maculati, cultellis puncti, nafo & auribus abfciffis, tandem capite plexi, illuftre fidei teftimonium præbuerunt. His acceffit, gloriofo excitatus exemplo, Guillelmus Mutinenfis mercator Januenfis, conftanter pro Chrifto mortem perpeffus. Reliqui Chriftiani partim fuga dilapfi, partim tormentis cefferunt: alii carceres & inedias longo tempore pertulerunt. Neque his malis exfaturata feritas barbarica, irruit in Fratrum habitaculum; quidquid erat tenuis fupellectilis, rapuit, & domum incendit. Attamen Deus, ultionum Dominus, mortem fuorum fervorum non reliquit inultam, fed fecit vindictam injuriam patientibus, excitavitque alterius tyranni fpiritum, qui Alifoldam crudeli & barbaro more occi-

Minoritas fex occidit.

Gullel. Mutinen. mercatorem. Et multos Chriftianos. Ipfe tamdem male perit.

occidit, & quidquid habebat pretiosum combussit, ut secundum sceleris qualitatem, esset & modus plagarum.

Fr. Paschalis Victor. multa passus propter fidẽ Christianam. *Vide Rodul. fol. 241.*

IX. Ante ultimum hunc triumphum sæpe in certamen descenderat frater Paschalis Victoriensis prædictus, multas terras & regiones circuivit, plurima passus est a Sarracenis, & multoties mortem sibi præparatam Dei gratia evasit. Omnia clarius percipientur ex epistola, quam ipse ante annos quatuor ad Patres Conventus, & totius Custodiæ Victoriæ, simplici, humili & inculto scripserat stylo, absque fuco & figmento, quæ proinde majorem conciliabit auctoritatem.

Reverendis in Christo & dilectis, Guardiano, & Fratribus Conventus Victoriensis, cum totius Custodiæ Patribus, & dulcissimis Fratribus, frater Paschalis Ordinis Minorum salutem cum omni benedictione, non etiam immemor aliis nostris parentibus, ac notis, & amicis reverentiam filialem.

Ejus epistola ad consodales Hispanos.

* *Latine* navis oneraria.

* *Phaselus, vel lembus.*

X. N*overit vestra Sanctitas, Patres dilectissimi, quod cum a vobis recessissemus cum caro Patre fratre Gonsalvo Transtorna, profecti sumus, usque ad Avenionem. Inde Generalis reverendi benedictione, ivimus ad Indulgentiam Assisii; & post Venetiis ascendentes quamdam carracam,* * *transivimus per mare Adriaticum, & post, per mare Ponticum ad sinistram admittentes Sclavoniam, & ad dexteram Turquiam, applicuimus Græciam, scilicet Galatas, juxta Constantinopolim, & ibi invenimus Patrem Vicarium de Catay, in Vicaria Orientis: inde ascendentes unum lignum* * *per mare nigrum, cujus profunditas est abyssus, profecti sumus usque ad Gazariam, in Vicaria Aquilonari, in Imperio Tartarorum. Inde per aliud mare, cujus non est fundus, applicuimus Tana. Et quia ego citius accesii, quam socius meus, cum Græcis in curribus equorum, usque in Sarray sum directus: socius autem meus, cum quibusdam aliis Fratribus usque ad Urganthum delatus est. Ego vero volebam secum ire, sed consilio habito, prius volui linguam terræ illius addiscere, & per Dei gratiam addidici linguam Chamaaicam, & litteram Viguricam, qua quidem lingua & littera utuntur communiter, per omnia ista Regna, seu Imperia Tartarorum, Persarum, Chaldæorum, Medorum & Cathay, sed socius meus reversus de Urgantho, ivit ad vos: ego autem ad vomitum abhorrens redire, & gratiam summi Pontificis desiderans obtinere, redire nolui: quia omnes Fratres, qui ad istas partes venimus, habemus indulgentiam illam, quam habent euntes cum licentia Hierusalem, scilicet, plenissimam a pœna & culpa, & perseverantibus usque in finem, corona dabitur vitæ. Idcirco Patres mei, ex quo scivi linguam, per Dei gratiam, sæpius prædicavi sine interprete verbum Dei tam Sarracenis, quam etiam Christianis, schismaticis, & hæreticis: & habui mandatum a Vicario meo, quod procedebat, quod visa littera, in meritum obedientiæ salutaris, perficerem peregrinationem, quam cœperam. Cum jam ultra annum demoratus fuissem in prædicta Sarray, civitate Sarracenorum Imperii Tartarorum, in Vicaria Aquilonari, ubi ante annum tertium quidam frater noster Stephanus nomine fuit passus venerabile martyrium per Sarracenos. Inde ascendens in quoddam navigium, cum Armenis, per fluvium, qui vocatur Tygris, & per ripam maris Vatuk nomine, usque Sarachuk deveni per duodecim dietas. Inde ascendens currum camelorum, cujus equitatus terribilis est, quinquagesimo die, in Wrgant deveni, quæ est civitas, in fine Imperii Tartarorum, & Persarum; quæ civitas alio nomine vocatur Hus; ubi est corpus beati Job. In-*

Vide ann. 1334. n. 4. & seqq.

de

*de ascendens currus camelorum, cum Agarenis maledictis, Mahometi sequacibus, solus ego Christianus, inter ipsos, cum quodam servitore Zinguo nomine, usque ad Imperium Medorum veni, Deo dirigente: ubi, quæ, & qualia, & quanta sum passus, Deus ipse scit; & longum esset enarrare per litteras: qualiter nimirum Imperator Medorum, per fratrem suum carnalem est interfectus: & Caravana * Sarracenorum, cum qua ibam, detenta est per viam in civitatibus Sarracenorum timentibus guerram & suorum expoliationem. Quapropter magnam traxi moram inter Sarracenos, quibus per dies plurimos prædicavi manifeste & aperte nomen Jesu Christi, & ejus Evangelium; & falsi eorum prophetæ deceptiones, falsitates, & cæcitates explicando, detegendo, & publica & alta voce latratus eorum confundendo, confidensque in Domino nostro Jesu Christo modicum eos timebam, Spiritu sancto confortante & illuminante: ubi ipsi observantes eoram eorum Mesquita * me posuerunt in Pascbate eorum, ad quam Mesquitam, propter Pascha de diversis partibus quamplures sunt congregati Cadini, id est, Episcopi eorum, Talismani 1. Sacerdotes ipsorum congregati, cum quibus Spiritu sancto docente, de divinis & de falso suo Alchorano, & doctrina disputavi per dies* XXV. *in eodem loco, scilicet coram januis Mesquitæ: ita ut semel in die panem cum aqua vix comedere valebam. Sed Deo tribuente, sancta Trinitas revelata & prædicata fuit, & ad ultimum per ipsos etsi reluctantes concessa; & gratias omnipotenti Deo, victoriam in omnibus habui, ad laudem & honorem Jesu Christi, & sanctæ Matris Ecclesiæ: ubi filii diaboli me muneribus tentaverunt, promittentes fœminas, virgines, aurum & argentum, possessiones, equos & boves, & alia quæque delectabilia bujus mundi, ut me perverterent. Sed me omnes suas promissiones omnibus modis spernentem, per duos dies lapidaverunt, ignem faciei & pedibus meis apposuerunt, barbam meam extraxerunt, contumelias, vituperia, & opprobria quamplurima & diu intulerunt. Deus scit, qui est benedictus, per quem ego pauper sum, gaudens & exultans in Domino Jesu Christo, quia sua pietate admirabili dignus fui talia pati pro nomine ejus. Ecce gratiose ductus sum in Armalech civitatem, in medio ipsorum Medorum, in Vicaria Catay, & sic incipiens ab Urganth, quæ est civitas ultima Persarum & Tartarorum, usque ad Armalech, per viam quinque mensium moram gessi inter Sarracenos solus, verbo, & exemplo, & habitu publice nomen Jesu Christi portando: a quibus sæpe toxicum recepi, in aquis positus fui; percussiones & alia, quæ littera non continet, passus sum: sed Deo gratias in omnibus reddo, quia majora horum expecto pro nomine ejus pati, in remissionem meorum peccatorum, ut securus vadam ad Regnum cælorum pietate divina, Amen. Valete in Domino Jesu Christo, & orate pro me, & pro his, qui peregrinationem intendunt facere, vel faciunt: quia Deo mediante, hæc peregrinatio utilis est ad profectum & fructum animarum multarum, & non curetis me videre, nisi in istis partibus, vel in Paradiso, ubi est requies, consolatio, & visitatio, hæreditas nostra, Dominus noster Jesus Christus. Et quia ipse dixit,* ubicumque fuerit prædicatum Evangelium per universum mundum, *est consummatio seculi: ergo Fratres carissimi, meum est prædicare inter diversas nationes, & peccatoribus reatum suum ostendere, & viam salutis manifestare; sed Dei omnipotentis est gratiam suæ conversionis infundere. Data in Armalech, in festo sancti Laurentii, Anno Domini* MCCCXXXVIII. *in Imperio Medorum.*

* *Turma viatorum & mercatorum.*

* *Fanum Sarracenorum.*

Marc. 14. 9.

XI. Magnus erat sub hoc tempore in Tartaria Christianorum numerus, & frequentes Fratrum missiones, quorum & domicilia multa, & opinio magna.

Chron. antiq. Marian. cit.

Multa habebant Minores domicilia in Tartaria.

gna. Habebant domum prope magni Chami palatium, & convescebantur ei, a quibus etiam dum iret cubitum, volebat benedici. In magna Tartaria, prope regionem Millescorte plura habebant domicilia, in civitate Seitin aliud, in Armalech alterum quod Alisolda, uti diximus, destruxit; in Iberia duo immobilia, & quinque ad tentorii modum mobilia; in Taurisio duo; in Masserica alia duo, & alibi plura. Horum numerum auxerunt, & Fratribus majorem advexerunt opinionem frater Joannes de Florentia, & socii. Legati missi a Benedicto ad magnum Chamum Imperatorem, qui a Principibus Orientis honorifice habiti, pervenerunt hoc anno ad civitatem Cambaliensem. Ita prudenter & modeste egerunt, ut summam invenerint gratiam in Principis conspectu, & novo edicto licentiam fecerit fidem Christianam, in suo Imperio prædicandi. Reliquis præibat frater Joannes exemplo, magnam crucem manu portans, hinc inde, tamquam scintilla discurrens, multos ad Christi fidem convertens, intrepide Christi nomen omnibus inculcans. Erectæ tunc multæ Christianorum Ecclesiæ; & diffusa per multas partes fides Romana. Tamdem post aliquot annos eumdem fratrem Joannem remisit Imperator ad Innocentium VI. Pontificem honorifice functurum legatione, uti sub anno MCCCLIII. referemus.

Fr. Joannes Florentinus fervens prædicator inter Tartaros.

Mariam. citat. Pisan. conf. 8. Marc. cit. c.47.

Fr. Ulricus & fr. Martinus martyres in Livonia.

XII. Hoc eodem anno, teste Mariano, vel circa hoc tempus, uti magis placet Pisano & aliis, martyrium passi sunt, in Ducatu Livoniæ, in castro Vilnæ, frater Ulricus de Alechonivez, & frater Martinus de Alid, viri religiosi & multiplici virtute insigniti. Per varias terras peregrinantes, & fidem disseminantes ad hoc castrum pervenerunt, ubi postridie post suum adventum sacrum celebrante fratre Martino, frater Ulricus sumpto Crucis vexillo, processit ad forum, & congregatis multis paganis, magno prædicavit fervore, hortans ut relicto cultu inanium Deorum, Deum verum creatorem cœli & terræ digne adorarent. Gentiles furioso impetu comprehensum ad Ducem Livoniæ pertraxerunt; in cujus etiam conspectu constanter & fervide veram Christi fidem dignis extulit elogiis. Dux crudeli morte eum plecti præcepit; sed dum audivit socium superesse, ad se vocatum interrogavit qua de causa ad illam urbem venerit? Cui frater Martinus: *Ut tibi, tuoque populo aberranti viam monstremus salutis*. Ira incensus Dux hunc præcepit in carcerem detrudi, & socium occidi. Ductus itaque Ulricus extra urbem prædicare non destitit veram Christi fidem, & idololatras suæ cæcitatis arguere, donec minutim cæsis manibus, auribus & naso refectis, sub opaca arbore ad fluminis ripam alligarunt. Hic illudentes dicebant: *Vis frater manducare?* quibus ille, *cibi non feror desiderio; attamen si Domino meo placuisset, potuisset mihi exhibere ex hujus fluminis pisce cibum bene præparatum ad saturitatem*. Res mira! ut dixit statim apparuit super gramen ad pedes ejus magnus & delicatus piscis, coctus, & bene conditus. Hoc miraculo exciti multi ex paganis clamaverunt, Christianorum Deum solum verum esse, neque alium Deum esse præter ipsum. His commoti satellites, statim Fratrem occiderunt, & omnes qui in Christum crediderunt, eo feliciores, quo breviori tempore cursum consummarunt, eadem hora qua currere cœperunt, ad metam pertingentes. Corpora lacerata carnifices in flumen projecerunt, sed inhonorata non reliquit Dominus, cujus potentia factum est, ut super aquas natantia longo tractu pervenirent ad municipium quoddam Christianorum, indicante præ reliquis corpus Ulrici columna ignea, quasi ceterorum magistrum voluerit Deus amplius magnificare. Christiani superno lumine ducti, & mirabili corporum delatione commoti, honorifice sepelierunt omnes, & peculiari donarunt tumulo fratrem Ulricum.

Fr. Ulrici fides miraculo confirmatur.

XIII. Fra-

XIII. Fratrem Martinum fecit Dux crudelissimis cruciari tormentis, in quibus tamen constanter Christum confessus, paganismum execrabatur. Inter alios cruciatus ille fuit horribilis, quo subtile sericum velum deglutire fecerunt, deinde violenter retraxerunt, evulsis simul intestinis. Sed dum nullis artibus aut pœnis ejus constantiam labefactare posset, jussit suspendi, & corpus feris, canibusque projici discerpendum. Sed fefellit eum spes, non fuit enim canis aut fera ulla bestia, quæ sacrum corpus auderet attingere. Quare post aliquot dies quædam Ducis soror Christiana, sed & religiosa schismatica, in quodam suo Monasterio jussit tumulari.

Fr. Martinus occiditur.

XIV. Alii ab his existimandi sunt martyres quinque, quos in eadem civitate simili fere exitu passos refert Pisanus. Præcipuo, qui reliquorum erat Guardianus, ait, amputatas manus & pedes, abscissamque capitis partem superiorem, atque ita ferme mortuum cymbæ absque ullo remige impositum per ducenta milliaria Germanica pervenisse ad terras Cruciferorum, statimque in eorum conspectu expirasse. Alii quatuor fidem prædicantes gladio sunt perempti.

Pisan. conf. 8. in Vicar. Russiæ.
Alii martyres quinque Livonici.

XV. Obiit hoc anno XVII. Kalend. Augusti Vissegradi magnum Franciscani sodalitii columen, Carolus Hungariæ Rex, cui regnum decrevisse & stabiliisse fratrem Gentilem de Monteflorum Cardinalem Minoritam, alias enarravimus. Vices ille Minoritis affectu & frequenti beneficio rependit, nihil quod ad illorum incrementum aut honorem spectabat, prætermittens: cujus corpus insigni pompa Albam delatum, in D. Stephani Basilica reconditum est. Elisabetha uxor, Casimiri Regis Poloniæ soror, marito defuncto, se totam pietatis operibus, & tertio sancti Francisci Instituto addixit, cujus pietatem & sanctitatem multi deprædicant. Simon de Keza, ejus gentis historicus, nullo tempore a virtutibus insectandis destitisse; pauperibus & egenis suis manibus largas distribuisse eleemosynas, Ecclesias holosericis, ditissimisque paramentis, calicibus, argenteisque ministerialibus, corporalibus, aliisque linteaminibus a semetipsa contextis, decorasse affirmat. Præter alia Minoribus extructa, Budæ insigne Clarissarum Monasterium condidit, in quo magnifico conditur sepulcro. Bonfinius eam multis elogiis commendat, & pientissimam fœminam, matronarum decus unicum, prudentiæ ac sanctitatis exemplar appellat.

Moritur Carolus Rex Hungariæ.
Bonfin. dec. 2. lib. 9. in fin.
Ann. 1308. n. 1.
Elisabetha uxor, pia fœmina tertii Ordinis S. Francisci.
Marian. citat.
Marcus citat.

XVI. Defuncto Carolo marito, anno insequenti visendi filii Andreæ designati Regis Neapolitani, Joannæ Reginæ haud felicis mariti, & invisendæ Urbis Romæ desiderio æque impulsam, refert prædictus auctor, magnoque sacrorum hominum, heroum, & matronarum comitatu Neapolim venisse, & deinde egressam cum delecta optimatum manu Romam contendisse, admiratosque populos non tam ornatissimum comitatum, quam sapientissimæ Reginæ sanctitatem Religiosam (inquit) matronam intuentur, quæ numquam orando cessabat, & cunctis rogatoribus, miserabilibusque hominibus, inter eundum profusas eleemosynas erogabat. Augebat decorem conjuncta cum venustate sanctitas, quod ardentissimam a cunctis spectatoribus reverentiam exigebat. Jam omnium in se ora converterat, ac digne prævenerari cœpta, alteram Sabam Reginam hanc esse omnes prædicabant. Totum illud iter orando transegit. Quum ad tertium lapidem Urbem appropinquasset, universus populus, & senatorum, ac sacerdotum ordo in ejus occursum effunditur, optimates Urbis, & in primo Ursini, & Columnenses, certatim ad officium properarunt. Urbem ingressa, faustissimis passim acclamationibus a Romanis mulieribus consalutata, a plebe ubique, Reginæ Hungariæ *feliciter*, Andreæ Regis pientissimæ parenti *feliciter*, matro-

Neapolim, deinde Romam proficiscitur.

 tro-

tronæ sanctissimæ *feliciter* exclamatur: non sacra peregrinatio, sed ornatissimus sanctitatis ille triumphus visus est. Quum ad D. Petri Basilicam pervenisset, gravis quidam Pontifex confestim cum frequentissimo Collegio sacerdotum, eam excepit, ad magnam Salvatoris aram ab eo ducta, ingens numini donativum obtulit, sacras vestes margaritis excultas, item vasa candelabraque aurea, gemmataque ac cetera tale genus, quater insuper mille sestertium, ajunt, addidisse. Lustravit cetera Templa, sacraque collegia, quorum nullum sine regalibus donis prætermisit: sacra virginum Cœnobia incredibili beneficentia prosequuta est. Sudarium Salvatoris, ubi desudatam numinis imaginem intueri fas est, facta semper concedendi potestate, reverentissime visitavit, ad excolendum ejus tabernaculum, multum auri argentique obtulisse dicitur, ubi tam pie collacrimasse memorant, ut omni ibidem delictorum impunitate donatam, plerique scripserint, suusque confessor, sacerdos profecto gravissimus, post ejus obitum, id vulgo prædicasse & asseverasse perhibetur. Post ubi votis & religioni se satisfecisse reputavit, post festum Divi Francisci diem hinc proficiscitur Neapolim, atque illinc regreditur in Hungariam, ubi felicissime ac sanctissime suam vitam terminavit.

Quæ donat S. Petro ad Vaticanum.

XVII. Hoc etiam anno communiter scribunt auctores, alium insignem hujus sodalitii tutelarem, & benefactorem Robertum Regem Siciliæ obiisse. Sed id verius anno sequenti contigisse aperte monstrabimus: equidem omnes conveniunt, ad diem XVI. Januarii decessisse: sed hoc anno plurima habentur in regesto Vaticano diplomata ad ipsum missa, & præsertim, quod ad nostræ historiæ institutum opportune occurrit, ad perpetuam rei memoriam, grave monumentum sub finem hujus anni exaratum, quo prædictum Robertum, & Sanciam Reginam refert Pontifex, obtinuisse a Soldano Ægypti magnis sumptibus, & laboribus multis facultatem ut Fratres Minores commorari possent intra Ecclesiam sancti Sepulchri in Civitate sancta Hierosolymorum; & in sacro monte Sion eisdem extruxisse Monasterium pro convictu duodecim Fratrum, quibus obsequio trium ministrorum prædicti Reges omnia abunde suppeditabant. Deinde ipsi Regi, Reginæ, eorumque successoribus auctoritatem impertit, prædictos ministros deputandi, atque alia, pro conservandis sanctissimis locis disponendi. Eadem ferme repetit in alio diplomate ad Ministrum Generalem, & Provinciæ terræ laboris, quibus injungit ut pios & devotos Fratres ad horum locorum incolatum transmittant. Ipsa diplomata tamquam fundamenta prima & potiora, quibus innititur jus possessorium Minoritarum in prædicta loca; & quæ maximam lucem afferunt historiæ Hierosolymitanæ rerum Franciscanarum hic subnectimus.

Vide etiam ann. 1343.

Robertus & Sancia Siciliæ Reges obtinent pro Minoritis loca sancta Hierosolymorum.

Ad perpetuam rei memoriam.

Reg. Vat. tom. 5. ep. 1516.

XVIII. *Nuper carissimæ in Christo filiæ nostræ Sanciæ Reginæ Siciliæ Illustris petitio nobis exhibita continebat, quod carissimus in Christo filius noster Robertus Rex Siciliæ Illustris, consors suus, & ipsa olim zelo puræ fidei & devotionis accensi, non sine magnis sumptibus, & laboribus gravibus a Soldano Babyloniæ, qui sepulcrum Dominicum, & alia sacra loca ultramarina, proprio ipsius Redemptoris sanguine dedicata, non absque cunctorum Christianorum gravi opprobrio, detinet occupata, obtinuerunt, quod Fratres Ordinis Minorum infra Ecclesiam dicti sepulcri possint continue commorari, & ibidem Missarum solemnia, & alia divina officia*

eia solemniter celebrare, & jam certi Fratres dicti Ordinis actualiter sunt ibidem, & quod nihilominus idem Soldanus cœnaculum Domini, & cappellam, in qua Apostolis Spiritus sanctus apparuit, & aliam capellam, in qua Christus, beato Thoma præsente, post resurrectionem suam Apostolis se ostendit, Regi & Reginæ concessit eisdem, quodque ipsa Regina locum ædificavit ibidem pro dictis Fratribus, jam est diu, ubi duodecim Fratres dicti Ordinis continue tenere intendit, ad divinum obsequium in sepulcro, & aliis prædictis locis sacratissimis impendendum, ac tres personas seculares etiam, quæ ipsis Fratribus serviant & necessaria administrent. Quare præfata Regina nobis humiliter supplicavit, ut dicto Regi & sibi ac successoribus eorumdem in perpetuum, quod ipsi & dicti successores hujusmodi tres personas seculares eligere, ipsasque illuc nunc & in posterum, quoties opus fuerit, mittere, ac provisionem pro Fratribus, & personis secularibus prædictis necessaria annis singulis destinare valeant, auctoritate Apostolica concedere dignaremur. Nos igitur tam pium, tamque laudabile opus, apud Deum meritorium, & commendabile apud homines, confovere, illudque prosequi favoribus Apostolicis intendentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, præfatis Regi, & Reginæ, ac eorum successoribus in perpetuum, ut hujusmodi tres personas seculares ad ministrandum dictis duodecim Fratribus Minoribus ad serviendum in Ecclesia Sepulcri, cœnaculo, & capellis prædictis, ut præmittitur, deputandis, necessaria ibidem nunc & in posterum, quoties opus fuerit eligere, ipsosque illuc mittere, necnon præter ipsas tres, duas alias personas ad partes illas cum provisione & necessariis pro Fratribus & secularibus antedictis, annis singulis destinare. Ita tamen, quod ipsæ duæ personæ alia mercimonia, vel alia prohibita ad partes illas, sub hujusmodi provisionis prætextu non deferant, seu deferri faciant, prohibitionibus, & processibus Apostolicis, quascumque pœnas & sententias continentibus, in contrarium editis, nequaquam obstantibus, auctoritate Apostolica tenore præsentium indulgemus. Volentes & eisdem duodecim Fratribus auctoritate concedentes eadem, ut cum aliquem, vel aliquos de dictis tribus personis secularibus mori, vel alias deficere quoquo modo contigerit, possint loco decedentium seu deficientium alium vel alios subrogare, donec per Regem & Reginam, aut successores prædictos, alius, vel alii, ad partes illas loco eorumdem decedentium seu deficientium fuerint destinati. Nulli ergo, &c. nostræ concessionis & voluntatis, &c. Datum Aven. XI. Kalend. Decemb. anno primo.

Dilectis filiis Generali & ... Terræ laboris Ordinis Fratrum Minorum Ministris.

XIX. G*Ratias agimus gratiarum omnium largitori, eique dignas laudes exolvimus, quod ipse carissimorum in Christo filiorum nostrorum Roberti Regis & Sanciæ Reginæ Siciliæ Illustrium erga Redemptoris Domini nostri Jesu Christi obsequia, zelum devotionis & fidei sic ferventer accendit, quod ipsi, quod ad Dei laudem & gloriam, ac sacratissimi sepulcri Dominici & aliorum locorum ultramarinorum reverentiam & honorem redundat, non cessant indefessis studiis operari. Nuper siquidem eorumdem Regis & Reginæ grata insinuatio nostro Apostolatui patefecit, quod ipsi non sine magnis sumptibus & laboribus gravibus a .... Soldano Babyloniæ, qui sepulcrum Domini & alia sacra loca ultramarina, proprio ipsius Redemptoris sanguine dedicata, non sine cunctorum Christianorum gravi opprobrio de-* Ibid. epist. 1839.

ti-

tinct occapata, obtinuerunt, quod Fratres vestri Ordinis infra Ecclesiam dicti Sepulcri possint continue commorari, & ibidem Missarum solemnia, & alia divina officia solemniter celebrare, & jam certi Fratres dicti Ordinis sunt ibidem, & qaod nihilominus idem Soldanus cænaculum Domini & capellam, in qua Apostolis Spiritus sanctas apparvit, & aliam capellam in qua Christus, beato Thoma præsente, post resurrectionem suam Apostolis se ostendit, Regi & Reginæ concessit eisdem. Quodque ipsa Regina locum ædificavit in monte Sion, infra quem cænaculam, & dictæ capellæ sita fore noscuntur, pro dictis Fratribus jam est diu, ubi duodecim Fratres dicti Ordinis sumptibus propriis continue tenere intendit, ad divinum obsequium in sepulcro & aliis prædictis locis sacratissimis impendendum, ac tres personas seculares etiam, quæ ipsis Fratribus serviant, & necessaria administrent. Quare præfata Regina nobis humiliter supplicavit, ut ad hoc quod ejusdem Regis, & sua pia in hac parte devotio impleatur, eisdem locis sacratissimis de devotis Fratribus & servitoribus idoneis, usque ad dictum numerum provideri auctoritate Apostolica mandaremus. Nos itaque dictorum Regis & Reginæ pium & laudabile propositum, ac intentionem devotam dignis in Domino laudibus commendantes, ac volentes eorum votis & desideriis annuere favorabiliter in hac parte, vobis & cuilibet vestrum, vocandi nunc, & in posterum ad vestram præsentiam auctoritate Apostolica, ad requisitionem dictorum Regis & Reginæ, vel alicujus eorum, aut successorum suorum, de consilio seniorum dicti Ordinis, Fratres idoneos & devotos de toto Ordine usque ad præfatum numerum, de quibus considerata qualitate negotii, videritis expedire, & eos ad serviendum in divinis tam in Ecclesia dicti Sepulcri Dominici, quam in sacro cænaculo, & capellis prædictis, habita prius informatione de conditione Fratrum ipsorum, quos vocaveritis, a Ministris Provincialibus dicti Ordinis, unde Fratres ipsi pro tempore assumentur deputandi, eosque ad partes illas etiam destinandi, ac etiam alios ipsis, cum aliqui ex eis defuerint, totiens, quotiens, expedierit, subrogandi, ac eis dandi licentiam ibidem commorandi. Contradictores quoque per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendi. Non obstantibas quibuscumque prohibitionibus Apostolicis, seu Statutis ejusdem Ordinis contrariis, jaramento, confirmatione Apostolica, vel quacumque firmitate alia roboratis: sea si aliquibus communiter vel divisim a Sede Apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto hujusmodi mentionem, plenam & liberam tenore præsentium concedimus potestatem. Volentes, ut ipsi Fratres taliter deputandi, sint, postquam fuerint ultra mare, sub obedientia & regimine Guardiani, & Fratrum dictis Ordinis montis Sion, prout ad suum spectat officium, & Ministri Provinciæ Terræ Sanctæ. Datum Avenione XI, *Kalend. Decembris anno primo.*

Quando obtinuerunt Reges Siciliæ loca Hierosolymorum.

XX. Ex his monumentis aperte constat, valde decipi eos, qui confirmationem horum locorum urbis Hierosolymorum tribuunt Clementi V. & sub ejus Pontificatu, a Roberto & Sancia constructa fuisse recensent. Etenim præterquam quod contrarium manifeste probent hæc diplomata in regesto Vaticano exscripta, quorum ipsa originaria instrumenta sub plumbo penes me sunt, insculpto nomine Clementis VI. hi Reges sub Clemente V. adhuc regnare non cœperant. Difficilior est quæstio, quando hæc loca pii Reges obtinuerint? vel quo certo anno Fratres primum illuc perrexerint? Olim namque referunt Bullæ, obtenta hæc loca a Sultano, *& jamdiu* Cœnobium mon-

montis Sion a Regina ædificatum fuisse, *& jam certos fratres ibidem actualiter commorari*; quæ omnia probant, aliquamdiu ante hunc annum obtentam fuisse prædictam facultatem a Sultano, extructum etiam Conventum montis Sion, & amandatos Fratres, qui illic habitarent. Si conjecturis, iisque probabilibus, uti licet, ego judicaverim inchoatum cum Sultano hujus rei tractatum sub annum MCCCXXXIII. quo diximus, Rogerium Guarini Aquitanum in Armeniam proficiscentem ad Sultanum declinasse, & ab eo obtinuisse facultatem Minoritarum habitacula in Terra sancta extruendi: & paulo post executioni traditum. Et certe Genebrardus aperte ex Munster, scribit anno MCCCXXXVI. Custodiam sepulcri Christi Hierosolymis octo Franciscanis a Sultano Ægyptio fuisse commissam. Et quod ad Guarinum attinet, ita referunt Chronica antiqua Ordinis absque ulla intercessione Regum Siciliæ; quod Mariano & aliis eo majorem ingessit difficultatem, quo facilius sibi persuaserunt prædictos Reges loca montis Sion & sancti Sepulcri obtinuisse a Sultano ante annum MCCCV. & sub illo ipso anno eorum possessionem vel receptionem confirmatam fuisse a Clemente V. Quo supposito, constare non poterat, quod de Rogerio affirmant. Conantur autem hæc conciliare levi opinatione dicentes; quod fortassis obtinuerit locum Bethlehemiticum, non tamen Hierosolymitana jamdudum obtenta; sed posterior est receptio & extructio loci Bethlehemitici: neque enim in Bullis Clementis VI. hujus loci fit mentio; & nos alias monuimus crassum hunc esse errorem de obtentis locis Hierosolymitanis sub Clemente V. Bene ergo conveniunt narratio bullarum Apostolicarum, & historia Chronicorum antiquorum, ut tunc obtenta sint hæc loca a fratre Rogerio, sed interveniente postea auctoritate, & sumptibus Regum Siciliæ omnia in meliorem & firmiorem ordinem sint redacta.

Num. 19.

Genebr. ad ann. 1336. Munster. in Cosmogr.

Marian. lib. 4. c. 1. Mar. lib. 8. c. 25.

Ann. 1305. n. 9.

XXI. Hæc autem duo præcipua loca custodiæ Terræ sanctæ, a Regibus Siculis obtenta perpetuo conservarunt, & retinuerunt Minoritæ, donec circa annum MDL. uti habet Gonzaga, sive MDXLI uti scribit Christianus Adrichomius, sive verius, uti narrat bulla Pii IV. anno MDLIX. Cœnobium montis Sion, alio sub nomine sancti Salvatoris oportuit hac de causa commutare. Fuerunt, qui tunc Turcarum Imperatori concepto in Fratres odio, & invidia stimulati, suggererent in eorum Conventu, vel Ecclesia, sepulcrum esse Davidis Regis, in eo pretiosum latitare thesaurum, magisque decere, ut locus tanti Regis memoria celebris, potius Mahometano, quam Christiano cultui deserviret. Pulsis itaque ex illo loco Fratribus, designatum est aliud intra urbis mœnia vetustum domicilium, seu Monasterium sancti Salvatoris, in quo nunc Fratres commorantur. Vehementer doluit universum sodalitium ad primi loci jacturam; ibi enim in illo monte, ejusque ambitu, Christus Dominus discipulorum pedes lavit; illic peracta cœna legali, venerandum Eucharistiæ Sacramentum instituit; Thomæ, reliquisque discipulis post resurrectionem manifestus apparuit; Spiritus sanctus super Apostolos descendit; ab eisdem Matthias forte fuit in Collegium Apostolicum adoptatus; Jacobus Minor Hierosolymorum Episcopus creatus; beata Virgo ab Ascensione sui filii ad mortem usque, & in cœlos Assumptionem permansit. Illic prima Christianorum congregatio & Ecclesia instituta est; illic beatus Joannes Evangelista sacrosanctum Corporis Christi sacrificium coram beata Virgine frequenter obtulit: illuc beatus Stephanus protomartyr cum Gamaliele, Nicodemo, & Abibone translatus fuit, uti aliqui tradunt.* Illic Christus Dominus, præsente sacratissima Genitrice, sæpius Apostolis prædicavit. Ibidem ipse alapa percussus: ibi mulieribus post resurrectionem

Gonza. de Conv. Mon. Sion. Adrichom. in theatro Terræ sanctæ verbo Hierusalem n. 6.

Quando deperditus Conv. Montis Sion.

Quænam in illo mõte peracta mysteria?

* *Ita Vincentius Beluacen. lib. 19. cap. 7. Antonin. 1. part. tit. 6. cap. 2. §. 4.*

Petrus de Natal. lib. 7. c. 15. Adrichom. in theatro verbo Jerusalem n. 23. Solum autem Stephani corpus translatum fuisse in montem Sion scribit Baron. anno 415. n. 1. ex epistola Luciani presbyteri, qui corpora divinitus invenit.
Isaia 2. 3.

nem dixit: *avete*. Ibi erat locus, ubi Petrus Apostolus post trinam negationem flevit amare: & Jacobus Zebedæi fuerat decollatus. Ac demum ex illo loco misit Christus Apostolos in universum mundum prædicare Evangelium omni creaturæ, juxta Prophetæ vaticinium: *De Sion exhibit lex, & verbum Domini de Hierusalem*. Non immerito ergo ad sacratissimi loci jacturam vehementer incolæ doluerunt, modisque omnibus studuerunt eumdem recuperare, & singulis annis suas, aliorumque adhibuerunt preces, ut restitueretur. Scripsit etiam Franciscus Rex Gallorum ad Sulimanum Sach tunc Imperatorem, ut Fratribus prædicta restitueretur Ecclesia; sed obtinere non potuit; ita superbe & arroganter barbarico & blasphemo tumore respondente Sulimano.

Dives in divitiis.

Epistola Suliman. ad Regem Galliæ de non restituenda Ecclesia montis Sion.

XXII. E*Xcelsæ Majestatis gratia, cujus potentia terribilis, verbumque efficax, meritisque multorum Mahumetis miraculorum benedictio, Deoque salus sit super illum, qui est splendor Prophetiæ solaris, Stellareque signum fortitudinis, nec non agilitatis: ductor cunei prophanorum, ducesque aciei innocentum: & per suorum quatuor amicorum favorem, utpote Ebubecher, Homar, Botman, & Heli: quod Deus sibi de omnibus his complaceat, sanctisque animabus Dei. Suliman Sach, filius Selim Imperator semper victoriosus. Ego qui potentum potens sum, interque mortales admirandus, legitimumque diadema potentum, qui sunt supra faciem terræ, viva Dei imago, maris albi & nigri, atque continentis, videlicet, Trachiæ, Nataliæ, Caruminiæ, & Græciæ, partiumque Ducadriæ, Diar, Becher, Chur, Dictan, Dirianzar, Mediæque, Damasci, Aleppi, Memphitis, Sabæ, Medinorum, & Hierusalem, totius Arabiæ, & Giemen, multarumque aliarum terrarum, ac regionum, quas Patres mei splendidi, avique excelsi, quos Deus illustret, admirandaque illorum gesta pro suo marte, viribusque potentissimis subjugarunt, multæque aliæ regiones, & oræ, quas excelsa mea Majestas armis, gladioque victorioso subjugavit, dominavit, & imperavit, Sultan Sulman, Imperator, filius Selim, filius Sultan Selman Imperator, qui fuit filius Sultan Bair Imperatoris. Tu Francisce, qui es Dominus regionis Franciæ, scripsisti litteras, notum faciens ad portam meam Imperialem, felicem, potentissimamque aulam, atque palatium, ubi resplendet immensa justitia, inæstimabilisque benignitas, casum scilicet Ecclesiæ existentis in circuitu nobilis Hierusalem, quæ una est Imperii mei civitatum, quæ ab antiquo possessa fuit a natione honorati Jesu: postmodum autem facta mesquita, quod ipsum optime narrasti, & intellectum est, quapropter ob amicitiam & benevolentiam, quæ est inter meam excelsam majestatem & te, omnis tua petitio est acceptabilis apud meam felicem magnificentiam. Nihilominus ex qua hoc non sit simile possessioni, & æquum omnipotentiæ nostræ: sed casus pertinens ad fidem nostram, juxta sacrosanctum mundi creatoris mandatum, hominumque altoris: cujus gloria justa est, lex honorati patris nostri, quæ sola in hoc, & alio mundo est, sit benedictus & honoratus. Ecclesia illa aut alius locus, qui tempore aliquo facta est mesquita, aut mesquitæ nomen tenet, & Musulani * in ea adoraverunt, legi nostræ repugnat, & fidei, quod denuo destruatur, aut innovetur: si fide nostra permitteretur petitio vestra, apud meam felicem liberalitatem non esset alterata. Transitus autem & locus restans, ubi est mesquita, erit sub Christianorum dominio, nullus impediet, aut molestabit habitatores ejusdem loci, aut habitantes postmodum tempore*

* Flamines Mahometis.

pore dierum meorum, & requiescent per respectum meæ Majestatis, ex quo præceperim, quod portæ & fenestræ eorum murentur. Et proculdubio præsentialiter habitantibus Monasteria dicta, & qui habitabunt postmodum, nullo ullo modo eis aut molestia, aut injuria fiet. Scripta in principio lunæ de Mucheren XCXXXV. *loco Imperialis extremi Palatii Constantinopolitani, civitate maritima.*

XXIII. Facta est itaque irreparabilis illa immensa jactura loci, tot nostræ redemptionis vestigiis sacri, tot sacris memoriis celeberrimi, plurimorum Romanorum Pontificum indultis & magnis indulgentiis commendatissimi; ista tamen ad novum sancti Salvatoris Monasterium simul cum ipsis Fratribus, ex Apostolicæ Sedis auctoritate, & Pii IV. speciali diplomate dato anno MDLXI. XVI. Kalend. Augusti, translata sunt.

XXIV. Locus sancti sepulcri adhuc perseverat, eoque pacifice fruuntur Fratres, intra ambitum magnæ Ecclesiæ a sancta Helena constructæ, eisque cohabitant in eodem templo, distinctis tamen reclusoriis, & diversis districtibus, aliæ novem nationes Christianorum, Maronitarum Ecclesiæ Romanæ obsequentum, Græcorum, Iberorum, seu Georgianorum, Armenorum, Surianorum seu de cingulo, Abyssinorum, Nestorianorum, Jacobitarum, & Cophtorum, quæ ut plurimum omnes miserabili schismate, multisque erroribus ab Ecclesiæ Romanæ unione abscissæ sunt. Binæ totius Templi portæ clausæ, serisque munitissimis obfirmatæ sunt, neque ulli patet aditus absque tributo. Illic semper reclusi habitant sex vel septem Fratres, quibus potior Templi pars, & præcipua designata sunt monumenta; videlicet sacellum, sive locus, in quo Christus Dominus Cruci affixus est; secundum, ubi aromatibus e cruce depositus, fuit conditus; tertium, ubi carissimæ suæ Genitrici post mortem apparuit, & servatur magna pars columnæ, ad quam alligatus est dum flagellaretur; ibique Christi crucem præ reliquis duabus sancta Helena mirabiliter agnovit. Hoc ob sacelli pulchritudinem & capacitatem, Fratres divinum celebrant officium, atque ex hoc loco ad interiora Fratrum domicilia patet accessus; quartum, ipsum Christi sepulcrum, quod per cancellos aut fenestras dumtaxat cernere licet, olimque patebat aditus per scalas subterraneas marmoreas: hoc in loco nulli rem sacram agere licet, nisi solis Minoritis, vel quibus illi dederint facultatem, neque dant nisi Latino ritu & idiomate celebraturis. Sunt etiam Fratribus curæ quoddam altare extra tertii sacelli ambitum eo in loco erectum, in quo Christus Dominus beatæ Mariæ Magdalenæ, post resurrectionem in hortulani specie apparuit, & locus ubi sanctissima Christi crux, clavi, lancea, spinea corona multis annis delituere, qui ad foveæ modum adeo demissus est, ut illuc per gradus quadraginta oporteat descendi, ibique aræ binæ conspiciuntur. Ad scalæ medium occurrit sacellum beatæ Helenæ, quod visitantibus Pontifices Romani plenariam largiti sunt peccatorum indulgentiam.

Descriptio Templi S. Sepulcri.

XXV. Præter ista loca, Fratrum Minorum curæ commissa sunt & alia intra capacissimi Templi ambitum, omni veneratione digna, mons Calvariæ, in quo mundi salus in cruce pependit, ad cujus verticem ascenditur per viginti gradus marmoreos, & ejus forma quadrata, ab omni angulo protenditur ulnis, alias brachiis octodenis. Totus coopertus est pulcherrimo opere Mosaico exprimente variis figuris & caracteribus Græcis ac Latinis universam Christi passionem. Variis fraudibus & dolis obtinuerunt a Turcis Georgiani anno MDX. Guardiano montis Sion fratre Bernardino Senensi; sibi

solis applicari prædictum montem, omnemque nobis aditum aut ascensum præcludi. Bernardini successor frater Franciscus Surianus Venetus, nullum non movit lapidem, donec eumdem recuperavit, & Georgianis abstulit Ecclesiam ad montis radices, quam antea possidebant, in qua conspiciuntur sepulcra Godefridi de Buillon, Balduini, & aliorum Regum. Locus etiam, in quo Christum a cruce depositum mœstissima Genitrix sacris ulnis excepit. Alius, in quo milites miserunt sortes super Christi vestimenta. Alius, in quo sub custodia detentus est, dum crux ad supplicium pararetur. Alius, in quo primi parentis Adæ cranium fertur inventum. In eadem Ecclesia duæ effossæ sunt cisternæ, una amplissima a beata Helena extructa, & plumbo per totum intus contecta, quæ decem nationibus, & Templi excubitoribus, optimam & salubrem, imo miraculosam, morbis curandis efficacem, aquam ministrat; altera minor intra cœnaculum Fratrum, quorum usui dumtaxat inservit.

Additio & correctio allorũ ex Originalib. MSS. P. Lucæ Waddingi.

„ XXVI. Ne sacra Christi incunabula absque veneratione vilescerent, obtinuit licentiam a Gregorio XI. anno MCCCLXXV. Pontificatus v. frater Martinus Aragonius construendi domicilium Minoritis, „ prope sacellum sancti Nicolai, & Templum, intra cujus ambitum „ Christus Dominus nasci dignatus est, in civitate Bethlehem ad quintum a Hierosolymis lapidem. „ Huic Fratrum habitationi contiguum est spatiosum & speciosum Templum ab Helena magni Constantini matre, ea magnificentia, splendore, & elegantia constructum, ut quod huic compares, toto orbe terrarum non invenias. Ædificata est in crucis modum, longa ulnis seu brachiis centum & quinquaginta, lata quinquaginta quinque, distincta in testitudinem magnam, quam navem vocant, & porticus quatuor collaterales, quas alas, sive minores naves appellant. Excelsæ & amplissimæ ædis tota superior concameratio innititur quatuor ex marmore columnarum ordinibus, quarum non modo multitudo miraculum, sed etiam magnitudo admirationem excitat. Habet enim ordo quilibet quinquaginta columnas, singulari artificio & sumptu, cum vel ipsa materia sui pretio cujusvis æstimationem vincat. Super ipsas columnas navis Ecclesiæ ostenditur opere vermiculato, quæ omnes veteris testamenti exhibet historias ab exordio mundi usque ad Christi ortum, mirando artificio & colorum varietate distinctas. Parietes tabulis ex alabastro pretiosissimis sunt incrustati, quarum ea opulentia est & pulchritudo, ut ipse aliquando Sultanus e parietibus leviter submovere, & ad palatii sui ornamentum Babyloniam transportari tentaverit, donec ex solido pariete miræ magnitudinis serpens prodierat, qui latomos ab opere deterruit, & Sultanum e Templo fugavit, cujus rei adhuc apparent vestigia, & fixuræ tabularum, quæ morsu serpentis crepuerunt. Pavimentum totum stratum est ex marmore. Marmorea etiam concameratio; testudines & colore, & pulchritudine admirandæ, contignatio tota ex cupresso & cedro e monte Libano deductis, cooperta plumbeis laminis. Temporum injuria collabentem restituerunt magno sumptu Fratres regularis Observantiæ, anno MCCCCLXXX. atque iterum ruinam minitantem restauravit Serenissimus Dominus Philippus Dux Burgundiæ.

Conv. Bethlem.

XXVII. In superiori hujus Templi parte versus Orientem altare erectum est eo loco, ubi Magi, relictis dromedariis, cum muneribus Jesum Infantulum Dei Filium adoraverunt. Ad locum dulcissimæ Nativitatis Christi descenditur ab Ecclesia scalis binis gradibus decenis; ex utroque latere odei sive chori Fratrum, penes quos asservantur claves æ nearum valuarum mi-

mirabili arte fusarum, quibus uterque clauditur descensus. Inter utriusque scalæ metam occurrit crypta longa vlnis duodecim, lata quatuor, alta octo, locus ipso cœlo augustior, æterna memoria omnibus fidelibus honorandus, in quo, medio noctis silentio, Virgo sacro-sancto partu, castis visceribus, & illibato pudore, edidit Salvatorem, tenellum infantulum, exposuitque in medio duorum animalium. In capite hujus cryptæ conspicitur hemiciclus porphireticus, ipse sacratissimæ Nativitatis locus, supra quem erectum est altare tabulæ marmoreæ, in quo continuo Fratres ipsum panem, ibi natum, Deo Patri offerunt in Sacrificium. Ab hoc loco distat ulnis quinque in eodem specu præsepe gradu uno reliqua crypta inferius, & angustius, ut vix locus sit Sacerdoti & Ministro apte sacrificandi. Meatu subterraneo, sive cuniculo e suo sanctæ Catarinæ Monasterio, per antra & sepulcra Sanctorum Innocentum, quando Sarracenorum (quos etiam magna subit hujus loci reverentia) fugiunt conspectum, ad hanc speluncam sacratissimam Fratres perveniunt, ibique psallunt perpetuo Matutinum & Completorium, reliquas vero horas in Templo suo interiori sanctæ Catarinæ. Lapis, in quem reclinavit Virgo sacratissima infantulum, & cui flexis genibus insedit, stellæ habet similitudinem. Cæterum lapidis illa pars, super qua Christus dicitur natus, & præsepis pars, in quam fuit reclinatus, non vestiuntur marmore, sed nudæ patent, uti erant tempore nativitatis. Signatur etiam illic locus, in quo Magi Christum adoraverunt, & alter in quo stella ab eorum oculis evanuit. Est autem tota hæc Capella sumptuoso opere ex marmore & auro, testudo vero & pavimentum musivo exornata. Ardent ibidem perpetuo lampades octo, quibus, non alia luce, locus illuminatur. De hoc nobilissimo loco, & sacratissimo præsepio longiorem gestio contexere sermonem, rudi meo calamo minus tribuo, quam ut mysteriosi loci dignitatem assequi possit; & tacendum potius, quam humili eloquio laudandum existimo. *Silentio potius, quam infimo sermone honorandum est sacrum hoc diversorium.* Hieron. ep. 17. ad Marcellam. Id dumtaxat dixerim, frequenter me audire a nostris consodalibus, Hierosolymis regredientibus, ad sacratissimi Infantis & vagientis Pueri incunabula, corda quantumvis ferrea emolliri, sanctasque immitti etiam sceleratæ vitæ hominibus cogitationes, meliorisque semper redire propositi. Tot hujus divini specus referunt arcana, latentemque explicant virtutem, ut ardentissimum ingerant desiderium illum invisendi, si aliquando licuerit, eumque indiderint conceptum, ut si in reliquo orbe terrarum fides Christiana deficeret, hoc in loco posset restaurari.

XXVIII. Non longe ab hoc Templo locus est Circumcisionis: neque procul inde crypta adhæret, locus olim studiorum sancti Hieronymi: atque alia invisitur ad Austrum, in qua multa SS. Innocentum corpora fuerant congesta; quibus etiam Helena Templum construxit. In exitu Templi ad Aquilonem ambitus est claustri Minorum. Ad Orientem quantum jactus est lapidis monumenta conspiciuntur sanctarum Hieronymi discipularum, Paulæ & Eustochii; neque longe ab his indicantur sepulcra ipsius Hieronymi & Eusebii discipuli. Prope Templum magnum habent Fratres aliud sanctæ Catharinæ sacrum, in quod primum introducuntur peregrini. Est etiam alia Ecclesia sancti Nicolai & crypta, in qua Beata Virgo cum puero Jesu Herodis tyrannidem fugiens, fertur latuisse, & ex ejus lacte in terram guttulas aliquot decidisse; qua de causa ex ea particulas sumunt fideles, & infideles ad varios morbos depellendos, atque ad lac nutricibus procreandum, terramque vocant, lactis Dei genitricis.

XXIX. In Valle Josaphat, in qua Christus Dominus judicaturus est orbem Ecclesia Vallis Josaphat.

orbem terrarum, & quæ montem Oliveti ſeparat ab urbe Hieroſolymorum, poſſident Fratres Eccleſiam pulcherrimam beatæ Mariæ Virginis, aliorumque Sanctorum ſepulcris commeodatiſſimam, pulchra teſtudine mirificam, a ſancta Helena conſtructam, juxta quam, ut Monaſterium poſſent conſtruere, obtinuit a Sultano Babyloniæ Joanna Regina Neapolis, Roberti & Sanciæ Regum neptis, Caroli Calabriæ Ducis filia, anno Chriſti MCCCLXXIII. regni ſui XXI. ſcriptis eo anno hac de re litteris, quas tunc exhibebimus lectori. Huic conceſſioni acceſſit facultas ſummorum Pontificum Innocentii VI. II. Kal. Junii anno X. ſui Pontificatus: & Urbani V. ſexto Idus Novembris anno Pontificatus I. Perfectis omnibus, & ſuperatis quibuſdam difficultatibus, cœperunt Fratres legitimam hujus loci poſſeſſionem anno Domini MCCCLXXXXII. præſentibus teſtibus in publico inſtrumento ſuper hoc exarato die XXX. Martii in area & præ foribus ejuſdem Eccleſiæ per Joannem de Caſtaynehis, Diœceſis Aqueoſis Notarium publicum Apoſtolica & Imperiali auctoritate deſignatum, nominatis. Deſcenditur ad ſepulcrum Beatæ Virginis per gradus quadraginta octo, latos cubitis quindecim. In ſcalæ medio conſpiciuntur ſepulcra parentum Beatæ Virginis, Annæ & Joachimi, & ſancti Joſephi caſtiſſimi ſponſi. Ad ſcalæ finem occurrit ſacellum monumenti ſacratiſſimæ Virginis, in petra ad modum ſepulcri Chriſti exciſi, extrinſecus formæ quadratæ, loogum & latum palmis duodecim, altum ferme tredecim: intrinſecus vero ex una parte non ſervat formam quadrangularem, longum palmos octo, latum ſex. Super ipſum ſepulcri locum, albo marmore veſtitum, erectum eſt altare, in quo Fratres peragunt divina myſteria. Locus certe omni veneratione dignus, in quo intemeratum score glorioſiſſimæ Virginis corpus ab Apoſtolis ſepultum, ante tertium diem puriſſimæ animæ reunitum, Angelorum miniſterio in cœlos aſſumptum, & ſuper choros Angelorum eſt exaltatum. Multas ibi accedunt etiam aliæ nationes lampades, ſed ſolum Minoritæ, vel quibus facultatem conceſſerint, poſſunt celebrare.

Sepulcrum Beatæ Virginis. Et SS. Parentū ejus ac ſponſi.

XXX. Prope hanc Eccleſiam conſiſtit villa Gethſemani, ad radices Montis Oliveti, conſpiciturque locus, in quo Chriſtus Patrem oravit, ut a ſe tranſiret calix paſſionis; & ad jactum lapidis locus alter, in quo Chriſto orante dormitabant tres Apoſtoli. Aliarum etiam Eccleſiarum vicinarum curam gerunt Fratres; Unius in Montis-Oliveti jugulo, in qua ſiniſtri pedis Chriſti Salvatoris veſtigium vivo lapidi, dum Apoſtolis & Virgine glorioſa concernentibus, eſt elevatus in Cœlum, & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum, adhuc impreſſum perſeverat; Alterius, in Bethania per milliare unum ab illa Olivetana diſtante, in qua videtur ſepulcrum beati Lazari ex quo quatriduanus ad vitam revocatus eſt.

Hortus in quo Chriſtus oravit. — Eccleſia montis Oliveti. — Sepulcrum Lazari.

XXXI. In Syria Damaſci, & urbe Barutho, nobili olim emporio, alium extruxerunt Fratres locum, vel antiquum quoddam Monaſterium reſarcieruot, ſub titulo ſancti Salvatoris, ex conceſſione Martini V. cujus litteræ extant, datæ XVI. Kal. Martii Pontific. anno IV. In hac Civitate ſtupendum illud accidit miraculum, quod circa Chriſti imaginem contigiſſe, graviſſimi ſcriptores, referunt. Cum enim perfidi Judæi ligneum Domini noſtri Jeſu Chriſti caſu ibi repertum ſimulacrum, quod Nicodemus olim propriis ſuis dolaverat manibus, illuderent; & poſt ſputa, colaphos, flagra omneque denique injuriarium, & ignominiæ genus, quod ipſi Chriſto Salvatori noſtro ipſorum Patres intulerant, ferreis clavis imaginis manus, pedeſque, ac latus lancea foderent, continuo copioſi ſanguinis & aquæ ex ea rivuli emanaverunt. His illiti cum varii paralitici, cæci, claudi, ſurdi, muti, le

Con. Barithi.

Athan. peculari de hac re libello qui refertur in 2. Nicana ſynodo act. 4. Tho. 3. p. q. 54. ar. 2. & quodlib. 5. Suar. ibid. diſp. 46. ſect. 3.

Prodigioſa imago Crucifixi Barithi.

leprosi, aliique infirmi, mox sanitati restituerentur, signis tam admirandis visis, omnes qui in civitate erant Judæi, fidem Christi amplectentes ab ejusdem urbis Episcopo baptismi gratiam susceperunt. Idem autem sanguis, tum propter rei tam admirandæ celebrandam æternitatem, tum propter divinam ejus virtutem, in omni humana infirmitate curanda sæpius expertam, multis seculis diversis in ejus Provinciæ Ecclesiis & alibi terrarum venerationi habitus & conservatus fuit. Extat adhuc de hoc miraculo sermo sub nomine sancti Athanasii Episcopi Alexandrini, * qui in septimo Generali Concilio, Nicæno secundo, actione quarta ad confirmandam, & stabiliendam sacrarum imaginum venerationem, coram trecentis quinquaginta Episcopis totus lectus est. Hujus prodigiosi miraculi festivam commemorationem faciebant Barithini quotannis, die octavo Novembris, largissimis commendatam indulgentiis, & Ecclesiam construxerunt sancti Salvatoris, quam Minores ex prædicta concessione Martini obtinuerunt; & ipsi Sarraceni, ac alii infideles magna prosequuntur veneratione. Aliud prodigiosum & stupendum miraculum a Fratribus in fidei confirmationem & infidelium conversionem anno MCDLV. ibidem perpetratum, sub illo tempore referemus. Magno fidei Catholicæ fructu, & fidelium incremento illic Fratres per multa tempora habitarunt. Sed postquam emporium inde sublatum est, & mercimonium, atque Alappiam, vulgo *Aleppo* translatum, mercatoribus Christianis inde recedentibus, recesserunt & Fratres, deficientibus qui vitæ necessaria ministrarent, licet ab ipsis Sarracenis, & infidelibus alias valde diligerentur.

Vide de hoc Athanasiū & Bellarminiū de Scriptor. Eccles. in observat. ad tomum 4.

XXXII. Locum alterum, exorante resque suaviter disponente fratre Thoma Novariense, Guardiano Hierosolymitano, totius Orientis Commissario Apostolico, pridem Legato Pontificio ad Patriarcham & Antistites Chaldæorum, Fratribus concessit die XII. mensis Decemb. anno MDCXX. Tyri & Sidonis Princeps Misicardinus (qui sub Paulo V. Romam venit, de quo frater Michael Juvet orationem habuit ad eumdem Pontificem) in civitate Nazareth, Galilææ urbe, duabus leucis a monte Tabor, trium autem dierum itinere a Hierusalem distante, in qua beata Virgo Maria candens flos Virginum nata est, & Christus Dominus Salvator noster, gloria & corona nostra: *Ut flos campi* (inquit Hieronymus) *nasceretur in flore virtutum*, conceptus & educatus est, ac viginti quatuor annis inhabitavit, unde & civitas sua, & patria sua dicebatur, ipse vero Nazarenus, seu Nazaræus, & Galilæus vocabatur. In ipso itaque divini conceptus loco, quo beata Virgo ab Angelo salutata, verbum Angelicum excepit, suæ humilitatis emisit, & divinum concepit; illo, inquam, loco, quo mysteriorum omnium mysterium maximum operata est divina potentia, super ipsa sacri ædificii Lauretani fundamenta, quæ ingenti miraculo translatæ ædis in Illiricum, & postea in Italiam, adhuc ibi perseverant, extruxit Ecclesiam, & contiguum Fratrum domicilium prædictus Pater Novariensis.

Conv. Nazareth.

Hieron. epist. 17. ad Marcell. & in cap. 21. Matth.

XXXIII. Alium obtinuit idem Pater anno sequenti MDCXXI. die XXIX. Aprilis, a Gubernatore & Senatu supremo Hierosolymitano, milliario uno ab Emaus, juxta montana in tribu Juda, ipso illo loco, quo olim consedebat domus Zachariæ Prophetæ, in qua beata Virgo Deo fœta per menses tres commorata est cum Elisabetha cognata; & Joannes Baptista Domini præcursor, quo non surrexit inter natos mulierum major, natus, circumcisus, & in spelunca absconditus est, ne cum pueris Bethlehemiticis ab Herode trucidaretur; in cujus superiori parte quondam fuit Ecclesia, eo in loco, quo Zacharias repletus Spiritu sancto prophetavit & intonuit canticum: *Benedictus Dominus Deus Israel*. Juxta hanc domum & Fratrum habitaculum fons est

Conv. in Montanis Judæ.

est beatæ Virginis, ex quo ipsa aquam haurire consueverat, cum maneret apud Elisabetham, qui inde fluit ad mare magnum.

XXXIV. Hæc sunt præcipua loca Fratrum curæ, & custodiæ commissa; tria priora, sancti Sepulcri, montis Sion, & Bethlehemiticum sub hoc tempore concessa: de aliorum concessione aliisque incidentibus, suis locis opportunius agemus, productis quoquo anno instrumentis Pontificiis. Non defuerunt enim qui post diuturnam pacificam horum locorum possessionem, Fratrum quietem perturbare, eosque ab his locis deturbare sub Martino V. intentarent. Qua de causa pius Pontifex datis litteris Florentiæ VII. Idus Julii, Pontificatus anno III. incipientibus: *Ad assiduum Christi servitium*, commisit Joanni Patriarchæ Gradensi Venetiarum, Dalmatiæque Primati, & Nicesiensi, ac Colocensi Archiepiscopis, ut duo, aut unus ex ipsis examinaret jus possessorium, vel titulum, quo Fratres loca sancti Sepulcri, montis Sion, Bethlehem & vallis Josaphat inhabitabant, & si comperirent ab eis pacifice per quinquaginta annorum spatium fuisse possessa, auctoritate Apostolica, ea illis adjudicarent pro suo usu & inhabitatione in perpetuum. Porrectis his litteris per fratres Andream de Hungaria, & Joannem de Biscaja Patriarchæ in urbe Mantuana, juridice per multorum oculatorum testium examen, longoque habito processu, cujus apud me duo extant authentica exemplaria; tamdem prolata sententia in Ecclesia Cathedrali ejusdem urbis, anno MCCCCXXI. indict. XIV. die martis VII. Januarii hora XXII. præsentibus magnifico Domino Joanne Francisco de Gonzaga Mantuæ Imperiali Vicario, & Joanne de Ubertis ejusdem civitatis Episcopo, aliisque multis & Notariis Apostolicis ac Imperialibus, dixit loca prædicta ad Fratrum Minorum usum & habitationem pleno jure spectare & pertinere, eaque ipsis in perpetuum possidenda judicavit; necnon oblationes & eleemosynas quascumque & proventus, eis a Christi fidelibus oblata, in eorum usus ubilibet convertenda per procuratores aut commissarios recipiendi facultatem impertivit. Simili etiam auctoritate prædicti Martini Pontificis, & litteris incipientibus: *Salutare studium*. Datis Romæ XVI. Kalend. Martii, Pontific. anno IV. Petrus Archiepiscopus Cretensis in urbe, & domo solitæ residentiæ prædictis binis patribus instantibus, adjudicavit legitimam possessionem domus Baruthanæ.

Publico judicio adjudicata hæc loca Minoritis.

XXXV. Omnes autem domus istæ Custodiæ Terræ sanctæ, & reliquæ, quas Constantinopoli, Aleppo, Alexandria, Damiata, Tripoli, Alexandreta, Osianderona, Saida, Cypro, vel alibi, in Oriente, Fratres incolunt, subsunt regimini & obedientiæ Guardiani Hierosolymitani, Commissarii Apostolici in partibus Orientalibus, cujus magna & varia est potestas ex indultis summorum Pontificum. Illum debent convenire omnes Occidentis, & qui communionem habent Sedis Apostolicæ, peregrini, atque ex ejus, vel vices gerentis licentia dumtaxat, possunt loca sancta, & pietatis monumenta in illa regione perlustrare. Ubi pro conservatione sacrorum locorum, & fidei integritate expedire judicaverit, Innocentius VIII. concessit ut possit revocare bullas Apostolicas, quas deferunt peregrini. Ei sæpius visitatio gentis Maronitæ, cui omnem impendit opem & amicum obsequium, committitur; & nunc officio fungitur Vicarii Patriarchæ. Potest creare Milites sancti Sepulcri, de quibus fuse agit Innocentius III. *Inter dilectos, de donat. ex* & quorum originem, symbola & leges, a Carolo Magno, Ludovico pio, Philippo sapiente, sancto Ludovico Galliarum Regibus, & Godefrido Bullonio præcipuo Ordinis instauratore, præscriptis, ex autographo recitat Jacobus Villamontius; privilegia vero & cæremonias Bartholomæus a Sa-

Omnia domicilia Orientis subsunt Guardiano Hierosolymitano.

Magna ejusdem privilegia.

a Saligniaco, Joannes Zuallardus, Nicolaus Hautius, Fromontii Regulus, ejusdem instituti equites; necnon Nicolaus Christophorus Radzivillius Dux Olikensis, Aubertus Myræus, Blasius Buiza Minorita; & alii ritus & orationes quibus Guardianus in his creandis Militibus utitur, exscripserunt. Potest cruces sanctissimæ Trinitatis pro redimendis captivis benedicere, & iis, qui ad hoc pietatis munus in illis partibus pergunt ad Sarracenos cum participatione indulgentiarum elargiri: prout consuescit per Prælatos ejusdem sanctissimæ Trinitatis Instituti dari & concedi. Potest etiam suæ religionis indumentum, seu habitum aliis religiosis conferre, ut sub illo Turcis haud ingrato, sed familiari, & minime suspecto per illorum dominia ad Persas vel Indos valeant transire, quod fraternitatis officium frequenter Patribus Carmelitanis excalceatis, ad Persarum Regna commigrantibus, impendit. Potest auctoritate Imperiali & Pontificia Notarios instituere, & ipse dignitate fulget Protonotarii. In festis solemnioribus utitur mitra & baculo, ceterisque Pontificalibus. Potest Ordines Minores conferre, altaria, calices, corporalia, & sacerdotalia quæque ornamenta benedicere. Potest secum ducere, & evocare quos sibi placuerit religiosos, ex universis Provinciis sui Instituti. Potest coercere religiosos cujuscumque Ordinis, gradus, conditionisve, sive Clerici, sive militares, sive claustrales, sive mendicantes existant, qui in partibus Syriæ aut Ægypti absque ejus licentia commorantur, aut scandala committunt. Ex familia quam secum ex Italia conducit, distribuit religiosos per Monasteria Fratrum, & civitates maritimas, aliasve, ad quas Christiani frequentius conveniunt. Triginta secum retinet, in Monasterio sanctissimi Salvatoris, sex vel septem alternis vicibus per aliquot menses in sancti Sepulcri Ecclesia recludit, octo mittit Bethlehem, aliosque pro rerum & temporum necessitate reliquorum locorum custodiæ, & fidelium amandat ministerio. Quosdam Aleppum, alios Tripolim, alios Alexandriam, quosdam Constantinopolim solerter submittit.

XXXVI. Instituitur autem Guardianus, vel in Capitulo Generali, vel immediate ab ipso Generali Ministro, statimque accedit ad summi Pontificis præsentiam, a quo omnium privilegiorum, gratiarum & indulgentiarum a Sede Apostolica suis prædecessoribus concessarum confirmationem, sacramque benedictionem, & si quæ alia sunt necessaria, humiliter expetit. *Qualiter Hierosolymam pergat.* Quibus obtentis, convocat ex omnibus provinciis quos putat idoneos, ad numerum sexagenarium, cum quibus Venetias, frequentius, aliquando Siciliam abit, illinc transfretaturus. Dum navigium operitur, simul cum Hierosolymitanis procuratoribus, in his locis commorantibus, quæ sibi tum pro viatico, tum quoque pro captanda Turcarum benevolentia, atque transigenda Hierosolymis vita, necessaria sunt, puta vinum, caseum, salsas carnes, panem nauticum, pisces, pannum pro Fratribus induendis, cereos, tædas, atque cereas candelas albas pro Missarum celebratione, sacrum oleum pro baptizandis, atque chrismate signandis, nec non & pro extrema Unctione, tum Aleppi, tum Alexandriæ, tum Tripolis, tum Peræ, tum quoque Hierosolymis inungendis, sericum, purpuram, pretiosumque pannum, atque plurima alia Turcis, pro munusculis distribuenda, maximo pretio ex eleemosynis, tum in Italia, tum in Francia, tum quoque in Hispania, maximo labore acquisitis coacervat.

XXXVII. His debite dispositis, navique conscensa, Joppen, vel Tripolin contendit. Ut appellit, nuncium in Rhama ad Turcicum exactorem, vulgo *Elemi*, atque ad Subassam: qui *Sazanchi*, sive Gubernatoris vicem ge- *Qualiter res disponat Hierosolymis.*

gerit, salvum conductum, quo libere eam patriam ingredi possit, ab iis petiturus destinat, aliumque, sive eumdem, Hierosolymam ad Guardianum officio functum transmittit, ut is adjunctis sibi Turcicæ linguæ interpretibus, quos vulgo *Turcimanos* vocant, de animalibus conductitiis, quæ sarcinas Hierosolymam devehant, opportune provideat, Joppemque perducat. Obtento salvo conductu, impedimentisque expositis, omnium tum bonorum, tum quoque Fratrum, exactio regiis Ministris, non quidem ea, quæ a magno Turca imposita est, sed quæ illis pro libito fuerit, e vestigio penditur: ita ut præter pretiosa, sex tum serica, tum quoque purpurea vestimenta, illis ultro, pro antiqua consuetudine oblata, ad quadringentos fere aureos coronatos exponi debeant.

XXXVIII. Dum ad Hierosolymorum portam accedit, non absque periculo & maximo labore, Turcicos ministros ad se vocat, qui tum ejus, tum quoque Fratrum secum venientium, atque aliorum secularium, si qui sint, nomina libro adscribant, seque ad Conventum usque sancti Salvatoris deducant, ibique cunctam supellectilem rimentur. Quorum tanta est libertas & inverecunda rei alienæ libido, ut impune, quidquid sibi placuerit, nemine contradicente, soleant accipere. Sequenti die uterque Guardianus, & qui precessit, & sequitur, simul cum interpretibus Hierosolymitanos satrapas accedens, illis & sericas vestes, atque purpureas, nec non pecunias multas ad captandam eorum benevolentiam pro more offert, porrigitque. Quibus rite dispositis, Guardianus officio functus, simul cum antiqua familia Tripolim Syriacam navim, qua in Italiam trajiciat, præstolaturus petit. Potest nihilominus novus Guardianus, vel aliquem ex antiquioribus Fratribus, sibi necessarium penes se retinere, vel aliquem ex recentioribus, si minus sibi arriserit, & minori adjumento futurus sit, remittere. Deinde tum œconomiæ bene disponendæ, tum quoque sui muneris exequutioni diligentius intendit. Et primo quidem Vicarium, qui ejus vices gerat, nisi forte illum Venetiis crearit, instituit. Postmodum Guardianum nuncupat Bethlehemiticum, cui necessarios substituit consodales, & omnia ad victum & vestitum necessaria ex Hierosolymitano remittit domicilio. Similiter designat custodes sancti sepulcri, hisque per integrum trimestre clausis, carceratorum more, singulis diebus mane & vespere, cibos ex Conventu sancti Salvatoris per rotam sive fenestellam subministrat. Deinde reliquos alio destinat, secundum locorum necessitatem, vel mercatorum, aut fidelium indigentiam, quibus Fratres sacramenta ministrant, & vicissim ab eis eleemosynas recipiunt, per quas Fratribus, qui sunt Hierosolymis succurrunt.

XXXIX. Suberat etiam ejus curæ & regimini Xenodochium, seu Hospitale, quod Sophia Philippi de Archangelis, mulier Florentina construxit, emptis quibusdam domibus in monte Sion, & coaptatis in usum peregrinorum. Extant Innocentii VI. litteræ ad perpetuam rei memoriam incipientes: *Piis fidelium studiis*: Datæ Avenion. Nonis Septembris Pontificatus anno III. quibus ratum voluit quod Sophia petebat, ut Guardiano & Fratribus domus subesset. Aliud erat domicilium pro fœminis, quæ ad invisenda loca sancta perveniunt honeste recipiendis, in quo ex Guardiani auctoritate cohabitabant sex vel plures Sorores Tertii Ordinis probatæ vitæ, & famæ immaculatæ. Hæ panem Fratribus pinsebant, aves infirmis enutriebant, sacram altarium supellectilem lavabant, consuebant, & si quæ sunt alia, pietatis præstabant obsequia. Omnes nunc peregrini recta accedunt ad Conventum sancti Salvatoris, quibus obviam pergit Pater Guardianus cum ministris, sa-

sacris vestibus indutis, atque in atrio præ foribus Ecclesiæ, aulæis & odoriferis herbis ornato, cum omnibus religiosis, candelas accensas habentibus, eosdem peramanter recipit, omnibus ipse pedes lavat, tergit, super genu tenet, donec ordine omnes religiosi osculantur, deinde ipse omnium postremus, utrique pedi osculum infigit, & unicuique albam candelam distribuit, quam in suæ peregrinationis memoriam omnes asservant, & sub mortem magni facientes sibi curant accendi. Interim reliqui Fratres cantant varias antiphonas, & preces huic ministerio præscriptas in Missali Romano ad feriam quintam majoris hebdomadæ. Peracta lotione, omnes psallentes hymnum *Te Deum laudamus*, ordinata processione eos deducunt ad ambitum, & interiora Monasterii, præmissoque themate: *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis*, brevi sermone eis explicat Guardianus magnum, quod assequuti sunt, beneficium, ut per tot pericula, & maris terræque discrimina incolumes pervenerint ad colenda Christi Domini sacratissima vestigia. Mox eos reficiunt Fratres, & necessaria quæque subministrant; demum per loca sacra urbis deducunt; postremo dimittunt ad invisenda reliqua totius Palestinæ & Syriæ monumenta, ad quorum singula magnas lucrantur indulgentias, quas longa serie omnium quos viderim, clarius recenset Franciscus Surianus Venetus, peculiari de hoc opere ante annos CD. scripto, cujus ipsum penes me habeo autographum. Qualiter recipiat peregrinos.

XL. Singula autem monumenta, præsertim quæ celebriora, & viciniora sunt, Fratres præcipuo cultu prosequuntur, & pro temporum ac festivitatum ratione sacris ritibus cohonestant. Distributas habent per solemniora loca lampades quadraginta duas, quas perpetuo fovent oleo; & festivitatibus nonaginta novem omnia mysteria nostræ redemptionis, & Sanctos, qui peculiari cultu in illa celebrantur regione, ad sua quæque colunt monumenta. Pretiosissimis vestibus & ad miraculum affabre elaboratis paramentis, quæ Catholicorum & Gallorum, præsertim Philippi II. & III. Hispaniæ Regum, Ducum Florentiæ, aliorum Principum, & Ecclesiæ Toletanæ, elargita est pietas, pro dierum varietate & majestate, modo ad has, modo ad illas sacrificant aras, celebrante semper Guardiano, in festis majoribus. In tribus Monasteriis sancti Sepulcri, & sancti Salvatoris, & Bethlehemitico quotidie post Completorium, recitatis septem psalmis cum litaniis, habentes singuli candelas accensas devota supplicatione, & ordinata processione invisunt, & salutant omnia Christi vestigia, pietatisque monumenta intra suos fines contenta, hymnos, & apposite distributas per singula loca antiphonas, orationesque concinentes, demonstrativa vocula *Hic*, & indice ipsum locum, quo mysterium illud, cujus in precibus meminerint, contigit, annunciantes. Exempli gratia, hic subnecto aliquas antiphonas, quas Bethlehemitæ Fratres in cripta nativitatis Christi singulis concinunt diebus. Ad locum nativitatis: *Hic de Virgine Maria Christus natus est. Hic mundi Salvator apparuit. Hic vilibus pannis involutus. Hic a pastoribus visitatus. Hic a stella demonstratus, & a Magis adoratus fuit. Hic cecinerunt Angeli, lætati sunt Archangeli. Hic exultaverunt justi dicentes, Gloria in excelsis Deo, Alleluja, Alleluja, Alleluja.* Ad præsepe; *Maria postquam peperisset filium suum unigenitum, pannis eum involvit, & reclinavit eum in hoc præsepio, quia non erat ei locus in diversorio.* Vers. *Consideravi opera tua & expavi.* Resp. *Hic in medio duorum animalium.* Ad locum in quo eum Magi adoraverunt: *Intrantes Magi hanc domum, invenerunt hic puerum, cum Maria matre ejus, & procidentes adoraverunt eum, & apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham, Alleluja.* Vers. *Re-* Quali cultu sacra recolunt Fratres mysteria?

ges Tharsis, & Insulæ hic munera obtulerunt. Resp. *Reges Arabum & Sabba huc dona adduxerunt*. Dum autem verbo & indice loca demonstrant, in genua procumbentes singula osculantur.

Ubi singulas celebrant festivitates.

XLI. Ita vero distribuunt celebritates festorum, ut sub vesperam Nativitatis Dominicæ Guardianus sancti Salvatoris, cum omnibus Fratribus transeat in Bethlehem, & ibidem Pontificali solemnitate sacra peragat mysteria in ipso Nativitatis loco. Dum autem Diaconus accedit ad illa verba Evangelii: *Et reclinavit eum in præsepio* &c: Guardianus infantuli Christi speciosum simulacrum pannis involutum, ex loco, quo vere Christus natus est, omnibus præ devotionis teneritudine collacrymantibus, magno pietatis affectu excipit ulnis, & deducit ad præsepis locum, ubi dulcia infigens oscula molliter reclinat. Spectaculum sane quod adamantina emolliret corda, & duros licet homines ad pias Divinæ Nativitatis meditationes excitaret. Hinc peractis officiis, pergunt ad Ecclesiam paulo distantem Angelorum nuncupatam, quo in loco Angeli apparuerunt Pastoribus, Christumque natum nunciaverunt, & solemni apparatu concinunt hymnum, *Gloria in excelsis Deo*. A prandio redeunt Hierosolymam, ut sequenti die protomartyris Stephani celebrent natalitia. Quia vero lapidatus est in descensu urbis ad Vallem Josaphat, sacrum faciunt in vicina Ecclesia sepulcri beatæ Virginis. Die sancti Joannis lucrantur indulgentias in domo Zebedæi ejusdem genitoris. In die SS. Innocentium redeunt Bethlehem, ubi in altari super eorumdem corpora sacrificant: Ibidem etiam in die Circumcisionis ipso in loco, quo Christus circumcisus est; & similiter in die Epiphaniæ, in loco quo eum Magi adoraverunt.

XLII. In festivitatibus beatæ Virginis, in Valle Josaphat, in Templo quo sepulturam accepit, præsertim illo die, quo ex eodem loco in cœlos assumpta est: atque in diebus SS. Joachim, Annæ, & Josephi, quorum ibidem diximus extare monumenta. In die tamen Conceptionis & Nativitatis beatissimæ Virginis, hæc solemni ritu recolunt mysteria in domo sanctæ Annæ, in qua absque macula peccati originalis nata est & concepta, quod eo solemnius celebrant ibidem Minores, quo firmiori & diuturniori pietate ita crediderunt, nec absque mysterio putant sibi creditum ortus & Conceptionis Virgineæ locum, qui tot seculis pro ejus puritate decertarunt. In die Purificationis fit officium & distribuuntur candelæ Christianis & Turcis qui miris devotionis eas petunt indiciis, & parturientibus accendunt uxoribus, in Ecclesia sanctissimi sepulcri; in die vero Visitationis in domo Zachariæ in montanis Judeæ, & similiter in Nativitate Joannis Baptistæ. In diebus Exaltationis & Inventionis vivificæ Crucis Pontificalia exercet Guardianus in Ecclesia sancti Sepulcri, ipso illo loco, quo crux inventa est. In diebus SS. Lazari, Mariæ Magdalenæ, & Marthæ, fit res divina Bethaniæ ad proprias ædes, super sepulcrum Lazari, ex quo ad vitam revocatus est. In festo sancti Jacobi Zebedæi, in propria Ecclesia eo in loco, quo decollatus est. In diebus SS. Hieronymi, Eusebii, Catarinæ, Eusthochii, & Paulæ, ad ipsorum sepulcra in Bethlehem, & in Ecclesia sanctæ Catarinæ.

Quam solemniter repræsentent triumphū Christi in Dominica Palmarum.

XLIII. In decursu totius quadragesimæ illis diebus, quibus in Evangelio recolitur aliquid memorabile a Christo, vel Apostolis factum in Hierusalem, vel locis vicinis, eo abeunt Fratres, indulgentias lucraturi. Sed illud inter omnia memorabile & solemnissimum, quod in Dominica Palmarum devotissimo repræsentatur spectaculo. Peracto illius diei mysterio in Ecclesia sancti Sepulcri, a prandio tendit Guardianus, cum Fratribus, & uni-

universis, qui Hierosolymis commorantur Christianis, etiam Schismaticis, imo & ipsis Sarracenis ad proprium Bethphage locum, olim Sacerdotum viculum, ad pedem Orientalem montis Oliveti situm, unde Christus in oppositum Castellum duos pro adducendis asinis misit discipulos: ubi sacris indutus Diaconus canit eam Evangelii Matthæi partem, qua hæc referuntur. At dum ad illa perventum est verba, quibus Christus discipulos misit, Guardianus Christi personam agens, advocatis duobus religiosis, ad illud idem amandat Castellum, gravi voce dicens: *Ite in castellum, quod contra vos est, & statim invenietis asinam alligatam, & pullum cum ea: solvite & adducite mihi &c.* Illi confestim abeunt, dum lente reliqua pars cantatur Evangelii, & reversi quando illa proferuntur verba. *Et imposuerunt super eos vestimenta sua*: chlamides atque tapetem asinæ insternunt, recitatisque illis, *eum desuper sedere fecerunt*; adjuvant, ut conscendat. Finito Evangelio magno triumphi jubilo promiscue procedunt, & juxta illa verba: *Plurima autem turba straverunt vestimenta sua in via*: viri & pueri suas vestes, imo & mulieres capitis velamenta & ornamenta prosternunt, felices se reputantes, si asina quidquam ex his conculcet. Et Sarraceni, qui non minori studio ad hunc accurrunt triumphum, cædentes ex arboribus ramos, & herbas spargentes odoriferas, in comitatu festive celebrando, cum Christianis contendunt, concinentibus omnibus proprio idiomate *Osanna filio David: benedictus, qui venit in nomine Domini*: & addentibus religiosis, puerisque Christianis, reliquas Missalis Antiphonas ac versiculos: *Pueri Hebreorum* &c. Totque concurrunt populi, atque ita abunde, & confertim sternunt vestimenta, ut toto itinere jumenti pedes terram non attingant. Ad descensum vero montis Oliveti, in illo loco, quo Christus videns civitatem, flevit super illam, & funditus prædixit evertendam, eo quod non cognovisset tempus visitationis suæ, sistunt omnes & canitur a Diacono ex Lucæ Evangelio totius rei series, non sine lacrymis circumstantium. Deinde ordine procedunt, usque ad Conventum Salvatoris, ubi reliqua illius diei absolvuntur mysteria.

XLIV. Feria tertia majoris hebdomadæ canitur Passio, & fit officium in Conventu sanctissimi Salvatoris. Feria quarta sub noctem abeunt in montem Oliveti ad villam Gethsemani, & in cripta, in qua Christus Dominus sanguineum emisit sudorem, longa oratione præmissa, ad sanguinis effusionem se flagellant, dum septies psalmos: *Miserere mei Deus*, & *De profundis*, aliasque intonant orationes. Feria quinta omnes se recludunt in sancto Sepulcro, & officia celebrant in sacello montis Calvarii. A prandio canitur Evangelium Joannis: *Ante diem festum Paschæ, sciens Jesus quia venit hora ejus, &c.* Lavatque Guardianus, vestitus Pontificalibus & mitra, pedes omnium Fratrum Minoritarum, & peregrinorum, non sine magno omnium fletu & devotione. Die veneris in eodem sacello canitur Passio Domini nostri Jesu Christi, secundum Joannem; referente autem Diacono illa verba: *Susceperunt autem Jesum, & eduxerunt, & bajulans sibi crucem, exivit in eum, qui dicitur Calvariæ locum, Hebraice Golgota, ubi crucifixerunt eum*, in ipso crucifixionis loco paratæ cruci clavis affigunt Christi effigiem, ad singulos mallei ictus præ dolore & repræsentatione passionis Dominicæ collacrymantibus, & gementibus universis, & considerantibus vere in eodem loco mundi Salvatorem diris clavis transfixum. Hinc magnam hanc efferunt Crucem, & Crucifixi effigiem, & ipso in foramine, quo fixa est vera Christi crux, istam erigunt in typum. Prosequitur deinde Diaconus historiam passionis: dum vero proferenda sunt verba, quæ Christus dixit in Cruce, tacet, & Guar-

& Guardianus totus lacrymabundus cruci adhærens ea Christi nomine profert, singultibus & gemitibus sæpe obstruentibus loquelam, dicens: *Mulier ecce filius tuus*, deinde: *Ecce mater tua*, tertio, *Sitio*, demum lenta & lugubri voce: *Consummatum est*, ad hæc pietatis spectacula, & viva Passionis Christi simulacra gementibus & flentibus cunctis, qui ad pia ista mysteria celebranda concurrunt. Ad illa vero textus Evangelici verba: *Post hæc autem rogavit Pilatum Joseph ab Arimathea, &c.* Christi effigiem ex cruce deponunt, & pretioso linteo auro gemmisque intertexto imponunt, quod per quatuor angulos, præcedentibus omnibus Christianis cum candelis accensis, & ex monte Calvario descendentibus, ferunt quatuor sacerdotes sacris induti usque ad lapidem unctionis. Accedit Guardianus, cum aliis, pullis vestibus maximi pretii, quas Philippus III. Hispanus ad hoc ministerium donavit, amicti, & ad similitudinem Joseph & Nicodemi corpus odoriferis aquis lavant, & sumpta ex calice magno aureo mixtura myrrhæ & aloes, totum inungunt ipso ritu, quo pii illi viri super eumdem lapidem verum Christi corpus unxerunt. Mox syndone munda involutum ad sepulcrum portant, ipsum illud monumentum excisum in petra, in quo nullus ante nec post ipsum positus erat, & novis teneræ compassionis indiciis sacrum pignus reverenter deponunt.

XLV. Eadem die veneris, vespertino crepusculo regrediuntur omnes ad sacellum montis Calvarii, ubi præmisso gravi & devoto sermone de passione Domini, flagris se cœdunt, canentes lugubri voce septies psalmos, quos diximus superius. Sabbato dolor & luctus convertuntur in gaudium & jubilum, & sacra fiunt ad Christi sepulcrum. Deinde instituitur processio religiosorum, peregrinorum, & Christianorum circa monumentum. Ad singulos vero angulos canitur unum ex quatuor Evangeliis, quæ de Christi tractant resurrectione. Ad primum angulum illud, quod recitatur in die ipso Paschatis: *Maria Magdalenæ, & Maria Jacobi, &c.* Ad secundum, quod die Martis: *Stetit Jesus in medio discipulorum suorum, &c.* Ad tertium, quod die Jovis: *Maria stabat ad monumentum foris, &c.* Ad quartum, quod legitur in Sabbato: *Una Sabbati Maria Magdalenæ*. Sacrum facit hoc die & sequenti Guardianus indutus Pontificalibus, & dum canit Diaconus Evangelium, atque ad illa Angeli verba accedit: *Surrexit, non est hic*: digito indicat ipsum sepulcrum, & similiter quando profert illa: *Ecce locus ubi posuerunt eum*: quod etiam observat dum similia recitantur in quatuor prædictis Evangeliis. Absolutis Paschalibus ritibus,post prandium egrediuntur ex Templo sancti Sepulcri; & die sequenti pergunt in Emaus, & reliquis diebus ad loca, in quibus Evangelium refert mysterium aliquod accidisse.

XLVI. In vigilia Ascensionis abeunt in montem Oliveti, & Pontificia solemnitate canunt vesperas, mox completorium, in Ecclesia ibidem constructa, in qua conspicitur in duro saxo, Christi pedis sinistri vestigium, quod in suo ad cœlos ascensu impressum reliquerat. Deinde solemni & devota supplicatione, seu processione, candelis accensis, per omnes peregrinos & Christianos distributis, totum Ecclesiæ lustrant circuitum. Demum noctem totam cum peregrinis & Christianis, in sacris transigunt excubiis, ad mediam vero solemniter matutinum, & laudes decantant. Exoriente die, sacerdotes missas celebrant, & ultimam Guardianus Pontificia majestate, qui dum Evangelium canit Diaconus, accedit ad ipsum Christi vestigii locum, & magno incenso cereo Paschali, quod artificiose sursum elevatur, Christum figurans, gravi sono ter canit illa verba: *Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum*: repetentibus omnibus eo-

eodem tono (quem ille ad singulas repetitiones mutat) ipsam illam Christi loquelam; qua devota cæremonia absolvitur cursus vitæ Christi inter homines, repræsentante Guardiano Christi personam, religiosis Apostolos, peregrinis discipulos, ad quos videtur Diaconus, Christi sermonem eo in loco habitum convertisse.

XLVII. Die vero Pentecostes, quia non possunt accedere Fratres ad Ecclesiam montis Sion, in qua Spiritus sanctus linguis igneis super Apostolos descendit, in Sarracenorum usum & cultum conversam, ad aliam vicinam constructam in domo Cayphæ abeunt, & qua licet solemnitate mysterium colunt, tum ipso festivitatis die, tum per omnem octavam, effundentes etiam & dirigentes suas orationes ad locum, quem ex opposito conspiciunt sanctissimi cœnaculi. Die corporis Christi intra Templum sancti Sepulcri fit processio, & sacrum Pontificium plurima solemnitate, appensis aulæis & stratis per totum supplicationis iter pretiosis tapetibus.

XLVIII. Hic est mos & pia consuetudo Fratrum festivitates Romani Kalendarii illis in locis, fidei nostræ originariis, celebrandi; atque ultra has alias habet peculiares Sanctorum & Sanctarum illa Ecclesia Hierosolymitana, quarum indicem hic adjungo. Officia propria Typis edidit Venetiis anno MDCXXIII. Melchior Antuerpiensis Minorita.

KALENDARIUM FESTORUM PROPRIORUM ECCLESIÆ HIEROSOLYMITANÆ.

Festa peculiaria Ecclesiæ Hierosolymitanæ.

Decembris.

3 *S. Sophoniæ Prophetæ & Confessoris, semiduplex.*
17 *S. Lazari Episcopi, & Confessoris, duplex.*
29 *S. David Regis, & Prophet. Psalmog. duplex.*
31 *S. Melianæ nec Virg. nec Martyr. semidupl.*

Januarii.

14 *S. Malachiæ Prophetæ, semiduplex.*
15 *SS. Abacuch & Micheæ Prophet. & Confess. semid.*
26 *S. Paulæ Viduæ, duplex.*
30 *S. Matthiæ Episcopi & Confessor. duplex.*

Februarii.

18 *S. Simeonis Episcopi & Martyris, duplex.*
19 *S. Zambdæ Episcopi & Confessoris, duplex.*

Martii.

10 *S. Macharii Episcopi & Confessoris, duplex.*
11 *S. Sophronii Episcopi & Confessoris, duplex.*
15 *S. Longini Martyris, semiduplex.*
17 *S. Joseph ab Arimathea Confess. semiduplex.*
18 *S. Cyrilli Episcop. & Confess. dupl. & S. Alexandri Episc. & Martyris, dupl.*
20 *S. Joachim Patris B.M.V. Confessor. duplex.*
25 *S. Dismæ boni latronis Confessor. duplex.*
31 *S. Amos Prophet. Martyr. semiduplex.*

Aprilis.

2 *S. Mariæ Ægyptiacæ nec Virg. nec Mart. semidupl.*
9 *S. Mariæ Cleophæ nec Virg. nec Martyr. semidupl.*
19 *S. Paphnutii Martyris, semid.*

Maii.

1 *S. Hieremiæ Prophet. & Martyris, dup.*
4 *S. Cyriaci Episcop. & Martyr. duplex.*
5 *S. Maximi Episcopi & Mart. duplex.*
10 *S. Job Prophetæ, semiduplex.*

Junii.

8 *S. Maximi discipuli Domini & Episc. Aquens. semid.*

Ju-

JULII.

4 *S. Heliæ Episcopi & Confess. duplex, & SS. Oseæ & Aggæi Prophet. & Confess. semid.*

5 *S. Athanasii Diaconi Mar. semiduplex.*

6 *S. Isaiæ Proph. & Martyris, duplex.*

13 *SS. Joelis & Esdræ Proph. & Confess. sem.*

20 *S. Joseph Justi Confess. semid.*

AUGUSTI.

1 *SS. Machabæorum Martyrum, semid.*

14 *S. Eusebii Abbatis, semiduplex.*

16 *S. Rochi Confessoris, duplex.*

18 *S. Helenæ Reginæ nec Virg. nec Mar. dup.*

20 *S. Samuelis Prophet. & Confess. duplex.*

23 *S. Zachæi Episcop. & Confessor. duplex.*

SEPTEMBRIS.

1 *S. Annæ Prophetissæ Viduæ, semiduplex.*

4 *S. Moysis Prophet. & Confess. duplex.*

6 *S. Zachariæ Prophet. & Confess. semid.*

25 *S. Cleophæ discipuli & Martyr. semidup.*

28 *S. Eustochii Virginis, semiduplex.*

OCTOBRIS.

8 *S. Simeonis senis Confess. semid. Et S. Pelagiæ pœnitentis, nec Virg. nec Mar. sem.*

9 *S. Abrahæ Patriarchæ Confessor. duplex. Et SS. Andronici Confess. & Athanasiæ ejus conjugis, semid.*

22 *S. Marci Episcopi & Martyris duplex. Et S. Mariæ Salome, nec Virg. nec Mar. sem.*

29 *S. Narcissi Episc. & Confess. duplex.*

NOVEMBRIS.

5 *S. Zachariæ Proph. & Conf. Patris S. Joannis Baptistæ, duplex.*

Jugis ibidem celebratur memoria benefactorū.

XLIX. Præter hæc multa exercent opera pietatis Religiosi, quotidianas effundunt orationes, carnem macerant, & mortificationes afflictionesque continuas offerunt pro benefactoribus, quorum beneficiis sacra loca in Christianorum pietate conservantur. Pontificis Romani & sacri Collegii experiuntur munificentiam, maxime in continua Fratrum protectione, & privilegiorum concessione, aut confirmatione; Regum & Principum Christianorum in elargiendis subsidiis. Ultra omnes mittit Hispanus vestes, sacram supellectilem argenteam, & pecunias, tum ob innatam erga fidei mysteria devotionem, tum ob Fratrum sollicitudinem in colligendis undique Regio privilegio eleemosynis. Assistit enim semper in curia Regis Catholici aliquis vir gravis deputatus huic muneri, Commissarius generalis Terræ Sanctæ nuncupatus, quo officio per multos annos fungitur R. P. Martinus Arratius Cantaber, ad hoc ipsum natus, & a Deo, ut pie credi potest, electus. Incredibile est, qua sollicitudine, qua pietate, & animi anxietate subveniendis his sanctis locis invigilat, & qua fidelitate has eleemosynas reponit, ut Hierosolymas transferantur; opportune, importune, Regi, Regiis, in aula, ac piis quibuscumque viris suggerens, & inculcans ut sanctissimis his locis eorumque incolis frequenter subveniant. Hic alios distribui curat Commissarios per reliqua Hispanorum regna, qui etiam eleemosynas colligant, qui vel huic, vel Ministro Generali, collectæ rationem reddant, & ad eorum præscriptum fideliter rependant. Peculiari etiam ratione incumbit Regibus Hispanis major circa hæc loca conservanda sollicitudo, tum quia Hierosolymitani nuncupantur Reges, tum quia in Regni Neapolitani dominio successerunt Roberto Regi & San ciæ Reginæ Hispanæ, quorum pietas hæc loca Christianis obtinuit, & decreto annuo subsidio stabilivit. Qua de

Fr. Martinus Arratius Commissarius locorū Terræ sanctæ.

Peculiaris incūbit ratio Regibus Hispanis his locis subveniendi.

de causa refert Franciscus Surianus, Elisabetham Reginam cognomento Catholicam, propter unionem Regni Aragoniæ, & consequenter Neapolitani, & Hierosolymitani, ad Castellanum, voluisse ad imitationem Sanciæ Reginæ Neapolitanæ pendere Fratribus Hierosolymitanis singulis annis, mille coronatos auri Veneti, solvendos exactissime in Civitate Cæsaraugustana. Voluntarium hoc tributum solvit etiam, Regina defuncta, ejus consors Rex Ferdinandus, & Regio stabilivit privilegio in civitate Neapolitana, quod Carolus nepos, mox Imperator hujus nominis quintus, voluit confirmatum. Non defecit sane in posteris hæc pietas, imo aucta est vehementer; magno enim caritatis & subsidii incremento Reges Catholici his locis subveniunt: imo potissimum illorum fulcimentum & conservatio, ex Hispanorum Regum pendet munificentia.

L. Christianissimi Reges Galliarum, ex quorum stirpe erat Robertus, munificos se ostenderunt semper erga hæc loca benefactores. Conspiciuntur Hierosolymis in sacris vestibus, & reliqua supellectile multa hujus munificentiæ argumenta, quam annuis eleemosynis confirmant. Peculiari autem beneficio suæ protectionis Fratres afficiunt: habent enim suos Consules & ministros tum apud Turcarum Imperatorem Constantinopoli, tum in aliis civitatibus Turcæ subjectis, quorum ope & auctoritate frequenter Fratres a gravissimis redimuntur vexationibus. Eamdem exhibent operam consules Veneti, quorum pietati plurimum debet nostrum Sodalitium in Oriente; & serenissima Respublica suas addit eleemosynas, atque ex ipsa urbe Veneta communiter transfretant Fratres, transmittunturque secure pecuniæ, quibus conservandis, distribuendis, & remittendis Hierosolymam peculiaris residet ibidem ex civibus procurator. Alius deputatur eidem muneri in insula Siciliæ, frequenter enim illinc soluunt Fratres in Palestinam. Cæsar, Rex Polonus, Principes Belgæ, Serenissimi Sabaudiæ, & Hetruriæ Duces, suis aliquando occurrunt auxiliis, turpe putantes si non omnes concurrant ad conservanda illa loca, ex quibus in omnes transfusum est beneficium redemptionis.

Regum Galliæ munificentia.

Item Reipub. Venetæ.

Et reliquorum Principum fidelium.

LI. Olim ultra hos Principes, alios habebant Fratres sibi addictissimos, Angliæ Reges, donec in Henrico VIII. defecit pietas, & benevolentia eo tempore, quo desiit fides Catholica Romana, & erga sanctam Sedem reverentia. Sed & ipse suos prædecessores æmulatus aliquot annis ante suam defectionem constituit, ut quot-annis solveretur Fratribus summa scutorum aureorum mille, ut ex ipso originario diplomate, sua manu subscripto & sigillo munito, in pergameno, quod penes me habeo, lectori constabit. Exemplar subministro, ut appareat quanta in uno homine varietas, & qualiter cum vera Christi fide extincta sit erga Christi vestigia reverentia. Nec tamen in se transfusum negabat redemptionis beneficium, qui ipsis redemptionis sedibus cultus & caritatis subtraxit subsidium.

Anglorum etiam Regum usque ad Henricum VIII.

Henricus, Dei gratia, Rex Angliæ, & Franciæ, ac Dominus Hiberniæ; Venerabilibus ac Religiosis viris, Patri Guardiano & Fratribus Sacri Ordinis Minorum de Observantia Hierosolymis apud sepulcrum Domini degentibus, nobis dilectissimis salutem

LII. *INnatum studium, quo erga sacram vestram familiam ab inuente ætate sumus affecti, ob Evangelicæ vitæ imitationem, perpetuosque in vinea Domini labores, facit, ut vos, qui aliquanto plus cæteris isthic non solum in peregrinis suscipiendis, reficiendisque, & confovendis, multis-*

Henrici VIII. Regis Angliæ pium diploma.

tisque aliis caritatis officiis assidue laboratis, istaque sancta loca salutifero Redemptoris nostri cruore conspersa, sanctissimumque istud imprimis Dominicum sepulcrum, manifestum futuræ nostræ resurrectionis argumentum, perpetuis hymnis, canticis, assiduæque laudis sacrificiis concelebratis, & exornatis, quique injurias, & contumelias, vexationesque quotidianas, nec non verbera, plagas, cruciatusque toleratis, nostris eleemosynis recreemus, atque adjuvemus, istaque sancta ædificia sustineamus. Proinde ut æquiore animo vestras ærumnas feratis, sanctisque precibus, & aliis bonis operibus alacrius incumbatis, nostrique memores sitis, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis, annuam mille scutorum aureorum, aut ejus valoris eleemosynam pro nostro arbitrio, ac beneplacito duraturam, per has nostras litteras constituimus, & deputamus, quam post proximum Pentecostes festum Rhodi, ex nostra ordinatione a Magno Magistro Rhodi percipere incipietis, sic deinceps quotannis, post idem festum Pentecostes, usque ad nostrum (ut diximus) arbitrium, & beneplacitum continuabitis. Quare ad eumdem magnum Rhodi Magistrum (cujus opera & humanitate in hac solutione utemur) vos conferetis, & pro nobis preces ad Altissimum effundetis. In hujus autem nostræ eleemosynæ fidem & testimonium has nostras litteras patentes propria manu subscripsimus, privatique nostri sigilli jussimus appensione corroborari. Datum in Palatio nostro Grenwici die XXIII. *Novembris anno Domini* MDXVI. *Regni vero nostri* VIII.

Henricus Rex.

Andreas Ammonius.

Quot & quales exactiones solvunt Fratres Turcarum tyrannis.

LIII. Licet vero pro tenui victu & vestitu pauperes Fratres paucis sint contenti, magno indigent auxilio, ad sublevandas peregrinorum necessitates, & solvendas iniquas, ac tyrannicas Turcarum exactiones. Omnes etenim Christiani, præsertim Occidentis, qui sancta loca invisunt, a Fratribus recipiuntur hospitio, & rebus omnibus donantur necessariis, adhibita etiam pecunia, iis, qui pauperes sunt, quam solvunt inhumanis Turcarum exactoribus, ad singula ferme devotionis loca, & Provinciæ limites constitutis. Tot præterea modos emungendi, seu verius palam extorquendi pecunias a Fratribus adinvenerunt, & lege, sive consuetudine stabilierunt, ut mirum sit, quomodo tot seculis Fratres potuerint resistere. In accessu novæ familiæ, in recessu veteris, quotiescumque ingrediendum sit in sanctum Domini sepulcrum; si quid fabricandum, vel restaurandum sit in Ecclesiis, aut domibus Fratrum; ut obtineatur facultas uvas emendi, & exprimendi; in principio cujuscumque novilunii; in peculiaribus Turcarum festivitatibus; quando Gubernatoris uxorum, quas habet multas, aliqua decesserit, vel aliam superinduxerit; quotiescumque ipse, vel filiorum aliquis ad bellum procedit, vel itineri se accingit; quoties heros, aut Princeps aliquis venit in urbem; ad omnem Rectorum, aut Gubernatorum mutationem, pendanda est illa summa monetæ Hispanicæ (quam solam admittunt illius formæ, quæ solidos quatuor Anglicanos, vel regales Hispanicos, aut Julios Italicos octo justo continet pondere) non quam possunt Fratres, sed quam Turcæ pro arbitrio præscribunt. Ultra hæc mille effingunt causas exactionum, & si quid triremes Melitenses, aut naves Catholicorum eripiunt, vel deprædantur in illis finibus, præsertim quod ad mercatores Hierosolymitanos spectet, totum cum fœnore oportet Fratres rependere; quod si statim non solvant, flagellis, & fustibus crudeliter cæsi, multis opprobriis affe-

affecti, barbis promissis, quas in illis nutriunt regionibus, trahuntur in carceres, donec ultimum numerent quadrantem. Ante paucos annos ducti sunt omnes Fratres vincti Damascum, ubi carceris pœdore, squallore, & inedia contabuerunt annis tribus, mensibus quatuor; aliqui objerunt, superstites tamdem multa prece obtinuit Rex Galliarum dimitti. Neque ulla habetur ratio, an suppetat, vel desit Fratribus pecunia; cogunt enim magno Fratrum damno, & gravi pecuniæ usura accipere a campsoribus omnem, quam petunt, quibus per singulos annos solvenda sunt iniqua fœnora aureorum viginti quinque pro quolibet centenario. His oppressionibus & tyrannicis exactionibus intolerabiles fiunt sanctorum locorum sumptus, ita ut aliquot annis excesserint quindecim millia aureorum.

LIV. Quod si adeo graves sacrorum locorum Custodes subeant labores, si tam immensos ferant sumptus, & iniqua solvant Barbaræ tyrannidi tributa, æquo sane & lubenti animo annuos census sibi voluntarie imponere, & moderata vectigalia solvere debent Principes Christiani Christi incunabulis, redemptionis nostræ monumentis, & stationariis militibus, qui integris seculis contra feritatem barbaricam digno decore, in labore multo, in ærumnis, in periculis, inter quotidiana mortis discrimina, ea servant impolluta. Debitum profecto hujusmodi caritatis subsidium Hierosolymas mittendum vocavit Apostolus, dum loqueretur de Christianis, seu Gentilibus conversis Macedoniæ & Achajæ, *qui collationem aliquam facere voluerunt in pauperes Sanctorum, qui erant in Hierusalem*, subdit enim: *debitores sunt eorum: nam si spiritualium eorum participes facti sunt gentiles, debent & in carnalibus ministrare illis*. Ubi recte adnotavit Chrysostomus. *Non dixit communicare, sed ministrare, in locum ministrorum illos ponens, eorumque qui regibus tributa persolvunt*. Et Anselmus ait, hoc loco Apostolum constituisse reliquas gentes Fratribus, qui erant in Hierusalem, *tamquam stipendiarios Provinciales, ut ex rebus suis victum eis ministrarent*. In his locis divinus ille puer natus est nobis, & filius datus est nobis; ex his locis prodierunt Apostoli, ex illis Prophetæ, ex illis fidei nostræ magistri, de Sion exivit lex, & verbum Domini de Hierusalem. Illic operatus est Dominus salutem in medio terræ: illinc emanarunt omnia bona, de quibus orbis participavit universus. Si tot tantorumque bonorum ex his locis prodeuntium participes facti sunt Christiani Principes, eorumque populi, nonne plane debent se gratos exhibere, & suis collationibus eadem conservare? Si horum locorum custodes, & perpetui cultores continua sollicitudine, jugi labore, ærumnis plurimis, incerta requie, & certo vitæ periculo pias ad sacra monumenta exercent excubias, si quotidianis orationibus, divinis sacrificiis, flagris, jejuniis, & varia corporum maceratione intrepidi, infracti animi, in fida statione persistunt, orantes pro Regibus, pro Principibus, pro universo populo Christiano; si totius orbis peregrinos in caritatis visceribus excipiunt, si pedes Sanctorum lavant, si victum exhibent & pecuniam, idque in medio nationis pravæ & perversæ, ubi nec census habent annuos, nec possessiones, quot Christianæ pietatis, & piæ justitiæ titulis eis debetur remuneratio, vel emeriti stipendii, vel favorabilis subsidii?

Æquum est, ut a Christianis Principib. juventur.

Rom. 15. 26.

Chrysost. hom. 30. Ansel. vel qui auctor est, in hunc locum.

LV. Ab exoriente Ecclesia sancta hæc viguit consuetudo, sanctorum locorum incolis, & sanctis Fratribus, qui habitant in Hierusalem, redemptionis humanæ officina, & fidei nostræ matrice, collectas mittere, & caritatis officiis subvenire: *Discipuli*, inquit Lucas, *prout quis habebat, proposuerunt singuli in ministerium mittere habitantibus in Judæa Fratribus*, quod

Moris erat in Ecclesia subsidium mittere Fratribus Hierosolymitanis.

Act. 11. 29.

quod & fecerunt mittentes ad seniores per manus Barnabæ, & Sauli. Et de Macedoniæ Christianis, licet tribulationibus multis pressi, & bonorum jacturis fuerint ad summam paupertatem redacti, refert Paulus: *quod in multo experimento tribulationis abundantia gaudii ipsorum fuit, & altissima paupertas eorum abundavit in divitias simplicitatis eorum, qui secundum virtutem, & supra virtutem voluntarii fuerunt cum multa exhortatione obsecrantes* (Paulum) *gratiam & communicationem ministerii, quod fit in Sanctos* Hierosolymitanos. Ita ut pro gratia, seu gratuito dono, & magno beneficio reputarent se admitti in communicationem obsequii exhibendi Fratribus, qui habitabant in Hierusalem: *Tam simpliciter* (inquit interpres apud Anselmum) *& devote obtulerunt, quod ultra vires eorum erat, ut cum lacrymis deprecantes offerrent, ut vel sic cogerent accipi a se, quod accipiendum non videbatur, quia plus erat, quam poterat eorum substantia, ne forte eis postea egestas pœnitentiam boni operis suaderet*. In omnibus ferme epistolis suis Paulus loquitur, & præcipit in Ecclesiis gentium omnes conferre debere, quæ Hierosolymam in Sanctorum solatia dirigantur: Et ad Fœlicem Præsidem loquens refert, se ipsum hæc dona, & oblationes Fratribus asportasse: *Post annos*, ait, *plures eleemosynam facturus in gentem meam, veni & oblationes, & vota &c.* Perdurasse vero usque ad Theodosii tempora laudabilem hanc consuetudinem apud Christianos, ut ad pauperes Hierosolymorum fovendos, fideles ex toto orbe eleemosynas mitterent, testatur Hieronymus, Vigilantium carpens, qui pium hunc morem iniquo improbabat livore: Hac in *Judæa*, inquit, *usque hodie perseverante consuetudine non solum apud nos, sed & apud Hebræos, ut qui in lege Domini meditantur die ac nocte, & partem non habent in terra, nisi solum Deum, Sinagogarum, & totius orbis foveantur ministeriis*.

2. Cor. 8. 2.

Ansel. in c. 8. epist. 2. ad Corint.

Act. 24. 17.

Hieron. adv. Vigilant. c. 5.

LVI. Quod si tunc dum in potestate Christianorum erant hæc sacra monumenta, & eo tempore, quo ex fastigio Romanæ Celsitudinis Hierosolymas transtulerunt Christiani Principes, & Matronæ Romanæ facultates suas, ut pro piæ devotionis affectu, perpetuo ad sancta residerent Christi incunabula; si tunc quando licuit Christianis, propriis facultatibus abundare, amplis ditari latifundiis, & commoda extruere ubique habitacula, totius orbis fovebantur ministeriis: quanto rationabilius nunc sumptuum solatia dirigentur iis, qui voluntariam sibi indixere paupertatem, qui nihil in Barbarorum dominiis habere permittuntur, quibus solis speciali prærogativa, & cœlica dispensatione concessum est divina observare, & conservare vestigia? *Sanctorum locorum pauperibus dari cupiebat Apostolus, qui suas pro Christo facultates relinquentes, ad Domini servitium tota mente conversi sunt*.

Hieron. cit.

Quibus titulis merentur Minoritæ Hierosolymitani.

LVII. Hi Evangelici Christi sectatores, spretis omnibus, derelictis commodis in Occidente habitaculis, dimissa pacifica & tranquilla inter suos conversatione, exeuntes de terra sua, de cognatione sua, & de domo Patris sui, obliviscentes populum suum, & omnia desiderabilia ejus, alacriter pergunt per terræ marisque discrimina, in regionem longinquam, quæ in ea eventura sibi sunt ignorantes, nisi quod ii, qui inde regrediuntur, protestantur, quoniam vincula & tribulationes Hierosolymis eos manent. Hi tamquam columbæ ad fenestras suas volant, ad fenestras, inquam, illas, in quibus nidificavit Christus, & filios enutrivit; & licet injuriam patiantur, ac barbarica feritas pullos eripiat, ad fenestras suas nihilominus revertuntur, & persistunt in foraminibus petræ, in caverna maceriæ, in foramina Crucis ad montem Calvarii, in spelunca sepulcri, in specu orationis & su-

& sudoris sanguinei, in caverna maceriæ humanitatis, seu Nativitatis Christi, de quo Paulus dixit: *Petra autem erat Christus, quem Pater misit in fundamentis Sion*. O quam studiose mente & oculis invisunt foramina, per quæ sibi sacro-sancti sanguinis pretium effluxit! Quam libenter cavernas perambulant, & diversoria, ac mansiones, in quibus Christus, sacra Virgo Maria, Apostoli, & discipuli salutis nostræ mysteria arcanis dispofuerunt consiliis! Hi sunt stationarii milites, qui per Christi dispositi præsidia perpetuas exercent vigilias in stationibus suis, præliantes prælia Domini, non militia carnali, sed disciplina cœlesti. Hi sunt illi fortes Israel, ad bella doctissimi, qui lectulum Salomonis, *Sepulcrum Christi* continuo ambiunt propter timores nocturnos, dum propter rem omnium pretiosissimam, sibique carissimam, ea etiam, quæ non vident, metuunt, atque ad intentionem certaminis jugi oratione semper parati assistunt.

1. Cor. 10. 4.

Philo Carpath. hic.

LVIII. Hi demum sunt illi Sacerdotes electi, voluntatem habentes in lege Domini, qui mundaverunt sancta, & tulerunt lapides contaminationis in locum immundum, & ædificaverunt altaria nova, secundum quod fuerunt prius, ædificaverunt sancta, & quæ intra domos intrinsecus, & ædem & atria sanctificaverunt, & fecerunt vasa sancta nova, & intulerunt cendelabra, & incensum posuerunt super altaria, & accenderunt lucernas, & offerunt quotidie sacrificium medullatum, & pinguium super altare holocausti. Incredibile enim est quanto contemptu & squallore viluerint hæc sanctissima Christi monumenta, capta sancta Civitate a Coradino filio Saphadini Sultani Ægypti, anno Domini MCCXIX. & horrendum auditu, ad quam indignum statum redacta sint omnia sanctuaria, donec in Minorum sub hoc tempore devenerint potestatem. Non dissimiliter hæc retulerim, quam ea descripserit in Concilio Claromontano Urbanus II. de alia eorumdem loquens contaminatione. *Salutis nostræ incunabula, Domini Patriam, Religionis Matrem, populus absque Deo, ancillæ filius Ægyptiæ possidebat violenter, & captivitatis liberæ filiis extremas imponebat conditiones: Sarracenorum gens impia, loca sancta, in quibus steterunt pedes Domini, jam a multis retro temporibus violenta premebat tyrannide, subactis fidelibus, & in servitutem damnatis. Ingressi sunt canes in sancta, profanatum est sanctuarium, humiliatus est cultor Dei populus, angarias patiebatur indignas genus electum, serviebat in luto & latere regale Sacerdotium, Princeps Provinciarum facta est sub tributo, civitas Dei, Templum Domini, de quo zelans Dominus, vendentes ejecit, ne domus Patris ejus fieret spelunca latronum, facta est Sedes dæmoniorum. Templum Domini, ut ait Mattathias, quasi vir ignobilis, vasa gloriæ ejus abducta sunt captiva: civitas Regis Regum, quæ aliis regulas intemeratæ tradidit fidei, Gentium superstitionibus cogebatur invita deservire. Sancta resurrectionis Ecclesia, requies dormientis Domini, eorum fœdebatur spurcitiis, loca venerabilia, quæ Dominum in carne susceperunt hospitem, signa viderunt, senserunt beneficia*, quorum omnium in se plena fide prætendunt argumenta, *facta sunt gregum præsepia, stabula jumentorum*. Ita certe immunditiis cuncta replebantur, & turpibus deputabantur ministeriis, ut non sanctuaria, sed sterquilinia, non Ecclesiæ, sed stabula, non templa Sanctorum, sed antra viderentur dæmoniorum. Mundarunt & lustrarunt omnia Minoritæ, atque in pristinum restituerunt splendorem, inter Christiani nominis hostes sacra & munda conservantes Christi vestigia.

Quid præstiterint in restauratione sanctorum locorum.

Guillel. Tyrius lib. 1. belli sacri c. 15.

Matth. 21. 12.

1. Machab. 2. 8.

LIX. Non est profecto exigua gloria hujus sodalitii, ut illud solum præ omnibus, & inter omnes Ecclesiæ Ordines, tribus integris seculis in sua ha-

Quantus ex his locis Minoritarum honor.

beat potestate fidei nostræ præcipua monumenta, & Minoritæ dumtaxat custodes adhibiti sint locorum, in quibus nostræ salutis mysteria operatus est Christus, & sanctum Domini Evangelium de patibulo coruscaverat. Hæc illa loca, quæ ab ascensu Domini, usque ad præsentem diem, per singulas ætates Episcopi, Martyres, eloquentes in doctrina Ecclesiastica viri invisebant, putantes minus se religionis, minus habere scientiæ, nec summam, ut dicitur, manum accepisse virtutum, nisi in illa urbe, in illa Provincia Christum adorassent, quarum totum mysterium nostrum vernaculum est. Illic Athenæ Christi constitutæ sunt, ad quas vel maxime ii, qui toto orbe censebantur primi, pariter congregabantur, ut primos in eis omnium gentium liceret aspicere, & in humilitatis seminario ad virtutum fastigia possent pervenire. Ipsum namque hujus scholæ magistrum, Academiæ conditorem continuo sub oculis habebant, ipsum jugiter docentem licebat auscultare: *Bethlehem ingressa Paula Romana in specu Salvatoris cernebat oculis fidei infantem pannis involutum, vagientem in præsepi Dominum, Magos adorantes, stellam fulgentem desuper, Matrem Virginem, nutricium sedulum, pastores nocte venientes, ut viderent Verbum, quod factum erat*. Quoties ipsa & Eustochium, *ingrediebantur sepulcrum Domini, toties jacere in syndone cernebant Salvatorem, & paululum ibidem commorantes, rursum videbant Angelum sedere ad pedes ejus, & ad caput sudarium convolutum. Ibi flebant cum Matre, & lignum lambebant; in Oliveti monte cum ascendente Domino voto & animo sublevabantur*. Hujus ergo Academiæ Rectores nunc Minoritæ; harum classium præfecti sunt Franciscani, illius discipuli, qui Christo per omnia conformis signum habebat Dei vivi, in membris vulnera, & in fronte crucem Christi manifestam. Decebat sane ut pauperis Christi diversoria illis crederentur, qui præ reliquis ejus æmulantur paupertatem. His ergo solis Romanæ fidei sectatoribus factus est in pace locus intra Hierusalem, & habitatio eorum in Sion: quærentes locum Domini, & tabernaculum Dei Jacob, audiunt eum in Ephrata, inveniunt eum in campis sylvæ: introeunt in tabernaculum ejus, adorant in loco, ubi steterunt pedes ejus. Hi soli habitant in illa sacratissima Ecclesiæ Metropoli, ad quam quidquid in membris laudis, omne referendum est tamquam ad caput originarium, & primi spiritus originem. Hæc illa *Urbs perfecti decoris, gaudium universæ terræ*, quam *Dominus elegit in domum sacrificii*: Hierusalem *Civitas Dei, luce splendida, quam omnes fines terræ adorant, quam nationes ex longinquo veniunt, & munera deferunt, adorant in ea Dominum, & terram suam in sanctificationem habent. Nomen enim magnum invocant in ea: maledicti erunt qui contempserint eam, & condemnati omnes, qui blasphemaverint eam; benedictique erunt, qui ædificaverint eam. Illa autem lætabitur in filiis suis, quoniam omnes benedicentur & congregabuntur ad Dominum, Beati omnes, qui diligunt eam, & qui gaudent super pace ejus, & qui videbunt claritatem Hierusalem*.

Hieron. ep. 17. ad Eustochium.

Idem epist. 27. ad Marcellam.

Encomia urbis Hierosolymitanæ.

Thren. 2. 15. 2. Paral. 7. 12. Tobiæ 13. 13.

LX. Postremo loca hæc suo sanguine purpurarunt, & constanti fidei confessione illustrarunt, quos subjungo, Martyres, aliquando incolæ Hierosolymitani, licet in variis Orientis regionibus occisi; frater Livinus Provinciæ Franciæ alumnus in Cayro decollatus, frater Jacobus Syriæ Custos, & frater Hieremias socius extra Hierosolymam passi; frater Conradus de Alis capite plexus, super cujus corpus in mare projectum visa sunt, cunctis admirantibus, luminaria duo per triduum fulgentia; frater Bartholomæus Martinozzi de Monte Politiano Provinciæ Etruriæ, apud Cayrum a capite deorsum in duas partes dissectus; Joannes de Etheo Provinciæ Castellæ, Confessarius

Martyres Minoritæ Hierosolymitani.

farius Infantis Aragonii Ferdinandi, sex clavis ad Cayrum crucifixus; occiso etiam fratre Gonsalvo ejus socio; frater Joannes Neapolitanus Diaconus a Rege Cazæ in frusta concisus; fratres septem Anonymi a Sultano Ægypti Melchasa decapitati; fratres duo in Syriæ quodam oppido vivi excoriati; fratres sexdecim Hierosolymis eo tempore, quo Cyprius Rex Petrus Alexandriam cœpit, ignominiose abducti Damascum, ubi per quinquennium in tetro carcere & duris vinculis, squallore, pædore, inedia perierunt; frater Cosmus a sancto Francisco Provinciæ Bethichæ alumnus, ad portam Ecclesiæ sancti Sepulcri interfectus a Turcis, dum fidem Christianam prædicaret; duo Fratres ante annos sexaginta Damasci ob eamdem causam multis vulneribus interempti, quorum sepulcra habentur in veneratione. Hos placuit breviter indicare, ut videatur, quo labore, & sub quantis periculis & ærumnis hæc sancta loca conservent Franciscani, & quanto sanguine constet Sodalitio Minorum habitatio ejus in Sion.

LXI. Prolixius æquo fortassis videbitur alicui, nos de sanctis his locis egisse; sed privilegium singulare Sodalitii, cujus laudes prosequimur, & gloriam ampliamus, peculiari erat methodo explicandum, atque huc in locum unum colligenda, quæ alias per varios annos erant dispertienda. De omnibus Monasteriis, quæ nunc a nostris in Palestina possidentur, simul egimus, Ecclesias & sanctuaria quorum curam agunt, enarravimus, quas percurrunt stationes recensuimus, quomodo vivant, quid domi agant, quid foris patiantur, breviter delibavimus; & demum quidquid ad illorum incolatum, in locis sanctis attinet, aliqualiter insinuavimus. Ut singula suo ordine & pondere describeremus, magno opus esset volumine; attigimus leviter, quæ alii diffusius explicarunt. Ad calcem sui operis de theatro Terræ Sanctæ Christianus Adricomius præcipuos recenset auctores, qui ad suum usque tempus de his locis scripserunt. Posthæc ex nostris alii sua opera addiderunt; Bonifacius Stephanus Ragusinus, Stagni Episcopus, jussu sanctissimi Pontificis Pii V. scripsit de perenni cultu Terræ Sanctæ, & de fructuosa ejus peregrinatione; Franciscus Gonzaga loca omnia, quæ peregrini invisunt, præsertim quæ Minorum curæ aut potestati subsunt, accurate enumerat; Blasius de Buiza Hispanus, qui bis in Hierusalem piorum oblationes & vota conduxit, ad compendium redegit, quæ ad suos spectant Consodales. Thomas Novariensis, olim Hierosolymitanus Guardianus, Commissarius Apostolicus Orientis, & Pontificius Legatus ad gentem Chaldæam, qui preces, supplicationes & processiones in sanctis locis consuetas, distinctis libellis, addito metro, & acquisitionem domus sacræ Nazarenæ, ac Joannis Baptistæ in Montanis Judeæ, a se transactam evulgavit. Topographicam & exactissimam iconographicam descriptionem omnium locorum sacrorum optimo & claro ordine exhibuit primum Romæ; deinde Florentiæ frater Bernardinus Amicus Gallipolitanus, & alii suas adjunxerunt lucubrationes, quarum aliquas habeo manuscriptas.

Quinam de rebus Hierosolymitanis egerunt.

LXII. Ut vero ad consuetum nostræ historiæ Ordinem tandem regrediamur, & ab Oriente ad Occidentem revertamur, hoc anno scripsit Clemens Pontifex ad Archiepiscopum Remensem, ut si expediret, licentiam faceret Ludovico Nivernensi Comiti Flandriæ, ædificandi Minoritis cœnobium in Villa sua Maceriarum ejusdem Diœcesis: *Piis desideriis*, XI. Kalen. Decembris; desiderium tamen suum opere non complevisse ex eo suspicor, quod nullam hujus loci mentionem agant Pisanus, aut Rodulphus, & Monasteria duo, quæ nunc prope hanc villam extare asserit Gonzaga, postremi seculi sint structura. Eadem de causa simile fero judicium de alio Minorum

Conv. Maceriarum. Gonz. in Prov. Franc. Parisien. Conv. 17. & 21.

Cœ-

Cœnobio, quod extruere proposuerunt in oppido Gandiæ, Valentinæ Diœcesis in Hispania, Petrus Infans, Jacobi Regis Aragonum filius, Ripacurtiæ & Montanearum Comes, qui post aliquot annos suum etiam nomen dedit Minoribus, ejusque consors Joanna, atque ipsius oppidi universitas, de quo litteras dedit Pontifex ad Episcopum Valentinum: *Sacræ Religionis*, VIII. Idus Augusti. Nullum etenim Gandiani Minoritarum invenio vestigium.

LXIII. Clausis nobile extruxit hoc tempore Monasterium in Anglia egregia Heroina Maria de Sancto Paulo, Comitissa Pembrochiæ in suo, quod

Monast. Denney. vocat manerio de Denneyo, Elien. Diœcesi. de Misericordia beatæ Mariæ nuncupatum; cui varia privilegia Pontifex concessit, & Ecclesiam Parochialem de Grantesdene, Lincolnien. Diœcesi. anno sequenti univit: *Splendor paternæ gloriæ*; VIII. Kal. Novembris. Hujus Monasterii, & alterius de Waterbeck, de quo alias sæpius egimus, patronam nuncupat Pontifex in alio diplomate hanc nobilem Comitissam. Paulo ante hoc tempus extructum

Monast. Pinarolii. aliud ejusdem Instituti, sub nomine sancti Jacobi in oppido Pinarolio, Taurinen. Diœcesis, per progenitores nobilis viri Jacobi de Sabaudia Principis Achajæ, constat ex diplomate, quo Pontifex largitur licentiam nobili mulieri Sebeliæ ejusdem Principis uxori, illud ingrediendi: *Devotionis sinceritas*; XVI. Kal. Decembris. Bertrando de Porto Episcopo Ostiensi conce-

Monast. S. Marcelli de Pogeto. dit Pontifex ex decimis a laicis possessis in Diœcesi Caturcensi, subsidium ad sustentationem Monasterii sancti Marcelli Papæ & Martyris, a se ædificati, in loco suo patrimoniali de Pogeto, prope castrum novum, de vallibus ejusdem Caturcensis Diœcesis, ex licentia Joannis XXII. post ejusdem promotionem, dum adhuc titulo potiretur sancti Marcelli: *Sub regulari habitu*, X. Kal. Octobris.

LXIV. Monasterium sanctæ Mariæ Magdalenæ, CCCXL. Monialium Nea-

An. 1324. n. 31. poli, a Sancia Regina, ut alias diximus, constructum, hoc anno Minorum subjecit regimini: *Animarum salutem*, XI. Kal. Decembris. Constituit, ut Moniales alterius ab eadem ibidem extructi, sub titulo sanctæ Mariæ de Cruce primam sanctæ Claræ regulam observarent: *Puritas devotionis*, XI. Kal. Decembris. Revocavit concessiones, si quæ erant, quibus annuæ assignationes, vel redditus videbantur tribui Fratribus, qui inserviebant Sororibus Clarissis Corporis Christi in eadem urbe, ab hac etiam Regina ædificati: *Sacrosancta mater Ecclesia*, XI. Kal. Decembris. Monasterio de Waterbeck Elien. Diœcesis in Anglia univit Ecclesiam de Bridechim, Lincolnien. Diœcesis, quæ prius erat de jure patronatus ipsius Monasterii: *Prudentes Virgines*, VIII. Kal. Novembris. Concessit etiam licentiam Margaritæ uxori Ludovici Nivernensis Comitissæ Flandriæ, filiæ Philippi Regis Franciæ & Navarræ, visitandi quoties vellet, sororem suam Blancham, ejusdem Regis filiam, Monialem in Monasterio Longicampi.

Ea quæ de Benedicti obitu, & Clementis electione sunt expuncta, in initio hujus Anni ad apicem habentur.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. IN ipso Pontificatus limine multa exhibuit Clemens argumenta suæ „ in Minoritas propensionis, ut apud Annalistam videri potest, præ- „ ter quæ etiam nonnulla nobis recensenda occurrunt: & quidem pro Mo-

Lit. Pont. „ nasterio Caturcensi indulgentiarum thesauros concessit: *Ecclesiarum &*

Indic. ex Vatic. „ *Monasteriorum &c.* VIII. Idus Julii. Comitissæ Veronensi Monasterio- „ rum ingressum: *Devotionis tuæ &c.* II. Idus Augusti, & similem gratiam „ Alberto Duci Austriæ X. Kal. Septembris: & Joannæ III. Nonas Octo- „ bris; necnon Mariæ de sancto Paulo VIII. Kal. Novembris; sub quo tempore

„ pore Monasterio de Waterbeck quamdam Ecclesiam univit dato brevi: „ *Prudentes Virgines &c.* decreta vero observantiæ regulæ sanctæ Claræ, „ pro Monasterio sanctæ Crucis Neapolis: *Puritas devotionis &c.* XI. Kal. „ Decembris; sub eadem data ingressum etiam Monasteriorum indulsit, „ datis brevibus ejusdem tenoris: *Devotionis tuæ &c.* Joannæ Reginæ Ca- „ labriæ, Carolo Duci, necnon Ludovico & Margaritæ: sed Comiti de „ sancto Severino Monasterium construendi facultatem fecit: *Pia vota &c.* „ VIII. Kal. Decembris: & XV. Kal. Januarii.

„ II. Summi Pontificis exuberante gratia, præsertim in Minoritas, „ Bitomii in Silesia, in festo sancti Patris Francisci frater Petrus Minister „ Provinciæ Boemiæ, & Poloniæ suæ eparchiæ cætu convocato, una cum „ primoribus circa bonum commune, & particulare, ut mos est in consimi- „ libus, providit. Interea vero beatus Vislaus pauper Minorita, vir magnæ „ devotionis & eruditionis, postquam plurimos vitæ suæ sanctimonia, ac „ austeritate, præpotentibus exemplis, ab insano mundi amore avocasset, „ in Prussia strenue Christi fidem plantatam, Evangelicis doctrinis irrigans, „ vitam martyrio gloriose finit: & Magdeburgi sanctitate illustris, & mira- „ culis clarus quiescit, die XX. Decembris. Magdeburgum autem, quod „ & Parthenopolis, quasi Virginum Civitas, Germanis *Meydenburg* & „ *Maygdeburg*, Civitas Archiepiscopalis Germaniæ magnæ in Saxonia, ad „ Albis fluminis ulteriorem ripam majus urbis latus alluentis; urbs libera, „ ampla, figura oblonga, in tres partes divisa, mœnibus ac propugnaculis „ valde munita, ædes habet magnificentissimas, præsertim sacras, plateas „ amplas & elegantes, turres excelsas: cujus Archiepiscopus Primas est to- „ tius Germaniæ, Imperiique Princeps. Media quasi inter Vitebergam, & „ Drunopolim, X. M.P. Germanicis distita, atque inter Hallam Saxonicam, „ & Taugermundam Marchiæ urbem: a Praga vero in circum ad XLII.M.P. „ removetur.

B. Vislaus Mart. in Prussia quiescit Magdeburgi. *Casim. cit. n. 11.*

Baron. in Catal. SS. fol. 10.

Ex Topogr. Ferrer.

„ III. Yolanta, quæ etiam Violanta, Theodori Paleologi, Marchionis „ Montisferrati, & Argentinæ Spinulæ nobilissima proles, Græcorum Im- „ peratoris soror, Aymoni Sabaudiæ Comiti matrimonio copulata fuerat an- „ no MCCCXXX. Principissa non tam a corporis eximia pulchritudine, quam „ a præclarissimis animi dotibus, præsertim a summa pietate & religione in „ Deum, prudentia, consilio, castimonia, & in pauperes singulari miseri- „ cordia omnibus laudata & celebris, ac proinde sui seculi præclarum or- „ namentum, aulæ Magnatum norma, & virtutum exemplar habita, „ Chamberiaci tandem ultima infirmitate decumbens, supremæ suæ vo- „ luntatis monumentis avitam pietatem in sanctam Claram, quam palam „ & in corde gerebat, ostendit. In honorem sanctæ Catarinæ virginis & „ martyris in Ecclesia nostrarum Sororum, tunc Minoritarum nuncupata- „ rum, Sacellum permagnificum extruxerat: at ut perpetuo ac jugiter ab „ uno Sacerdote divina misteria celebrante coleretur, per suum hæredem „ & filium primogenitum Amedeum competenter dotatam voluit hoc an- „ no MCCCXLII. Indictione X. & die XV. Decembris: ipsa vero cunctis, „ & præcipue dilectissimo conjugi & filiis summum suum desiderium relin- „ quens, luce XXIV. ejusdem mensis & anni præfati spiritum Deo Creatori „ omnium reddidit.

„ IV. Aymo vero Yolantæ conjux, vir non tam bellica fortitudine, „ quam justitia & misericordia famosus, haud ejus piissima vota posteris „ adimplenda reliquit: sed ipse idem nil cunctatus pridie, quam illa obi- „ ret, executioni mandavit, ut publicum, quod mox subjicimus, Instru- „ mentum ostendit.

1. *In*

" 1. *In nomine Domini &c. Nos Aymo Comes Sabaudiæ notum facimus universis præsentes litteras inspecturis, quod cum Consors nostra carissima Domina Violanta de Monferrato, Comitissa Sabaudiæ, quondam unam Capellam in honorem beatæ Catarinæ in domo Minoritarum Chamberiaci construi, fieri, & fundari, & eidem de idoneo, per quem divina celebrentur, ordinavit providere servitore. Nos ejus ordinationem attendere cupientes, & complere, & eidem Capellæ de idoneo servitore providere, qui Deo grata servitia, ibidem celebrando valeat suppliciter impertiri, ut nos, nostrosque liberos, & alios viventes de nostro genere longævis temporibus custodiat, protegat, & defendat; & post vitæ hujus exitum animas nostras, nostrorumque parentum, & prædecessorum, consortisque nostræ prædictæ ad Sanctorum suorum consortium faciat pervenire; ad honorem Dei, & beatæ Mariæ Virginis gloriosæ, ac beatæ Catarinæ, & totius Curiæ supernorum, pro nobis & nostris successoribus, statuimus & ordinamus, quod ab inde perpetuo unus ex Fratribus Minoribus Conventus Chamberiaci Capellanus dictæ deserviat Capellæ, & perpetuo, & singulis diebus Missarum solemnia celebret in eadem.*

" 2. *Singulis autem diebus Lunæ celebret pro defunctis; Jovis de sancto Spiritu; & Sabati de beata Maria Virgine gloriosa; aliis vero diebus Deo famulando celebret, sicut suæ devotioni videbitur expedire. Statuentes, & ordinantes etiam, quod in singulis Missis, quas idem Capellanus (concedente Domino) celebrabit, orationem faciat pro defunctis, & in secreta, seu collecta, pro Serenissima Domina Joanna Imperatrice Græcorum, Domina Margarita Marchionissa Montisferrati, sororibus nostris carissimis, pro Nobis, nostrisque Liberis, & genere (annuente Domino) conservandis, & statu pacifico Comitatus, & post nostrarum Sororum, nostrum, Liberorumque nostrorum, & aliorum de nostro genere viventium, & nostrum cujuslibet decessum, pro nostris animabus, & ex nunc in perpetuum pro animabus nostrorum parentum, & propinquorum, specialiter bonæ memoriæ Dominorum Amedei genitoris, & Eduardi fratris, & Dominorum nostrorum carissimorum Comitum, Dominarum Sebiliæ matris, & prædictæ Consortis, nostrarum carissimarum Comitissarum Sabaudiæ quondam Catarinæ Austriacæ, Beatricis Carinthiæ Ducissarum, Agnetis Gebenensis, Helionoræ Altissiodorensis Comitissarum, & Mariæ Donæ Fucigniaci, quondam Sororum nostrarum carissimarum, preces fundat Domino speciales.*

" 3. *Pro cujus Capellæ dotatione, fundatione, & sustentatione dicti Fratris Capellani eidem Capellæ servienti, Nos dictus Comes pro nobis, & nostris successoribus, pure, & ex certa nostra scientia, ut prædicta per dictos Fratres Minores Conventus Chamberiaci efficaciter impleantur, damus, & concedimus eisdem donatione perpetua, decem solidos grossorum Turonensium argenti, percipiendos, habendos, & sibi dandos, & solvendos annuatim deinceps perpetuo de, & super exitibus, & proventibus gabellæ nostræ de Cony, medietatem videlicet in festo Nativitatis Domini, & aliam medietatem in festo Nativitatis sancti Joannis Baptistæ, antequam Nos, vel aliquis alius, cui sit facta assignatio super dicta gabella, vel fiat in futurum, aliquid habeamus, vel percipiamus de exitibus gabellæ supradictæ.*

" 4. *Hanc autem nostram ordinationem, et concessionem, et omnia, et singula supradicta, pro Nobis, et nostris Successoribus bona fide promittimus rata, grata, et firma habere perpetuo, tenere, attendere firmiter, et complere; et numquam per Nos, vel alium contrafacere, vel venire.*

5. Man-

„ 5. *Mandantes tenore præsentium receptori gabellæ nostræ prædictæ, „ qui nunc est, et pro tempore fuerit, quatenus hanc nostram ordinationem, „ et concessionem attendant firmiter, et observent, et in nullo contrafaciant, „ vel opponant: de dictisque decem solidis grossorum Turonensium, dictis „ Fratribus Minoribus, vel eorum certo mandato, pro prædictis fideliter exe- „ quendis, et complendis integre satisfaciant, atque solvant annis singulis „ deincept perpetuo, terminis superius ordinatis, recipiendo in prima solu- „ tione copiam præsentium cum littera de recepta: et Nos ipsos decem solidos „ in singulis computis dictorum receptorum præcipimus allocari. Præsentes „ autem litteras in primo computo, quo de ipsis computabitur, seriatim vo- „ lumus registrari. Dat. apud Altam Combam die* XXIII. *mensis Decembris „ anno Domini* MCCCXLII.

ARGUMENTUM.

Mittit Pontifex Constantinopolim Legatos reconciliandæ Ecclesiæ Græcorum. Excipit benigne a Rege Armenorum missos. Christianos Tartari Imperatoris protectioni commendat. Florentinos audit Oratores. Celebrantur Comitia generalia, in quibus Fortanerius Vassalus assumitur ad supremum Ministerium. Ordinis Protector nuncupatur Cardinalis Talayrandus. Multi Minoritæ assumuntur ad infulas Pontificias. Moriuntur Michael Cæsenas, Leonora Regina Trinacriæ, & Robertus Rex Siciliæ, cui plurimum debent Minoritæ. Ejus uxor Sancia totam se dicat pietatis operibus. Trucidantur a Tartaris Minoritæ. Decedit beatus Gerardus. Insigne operatur miraculum sanctus Franciscus. Extruuntur Cœnobia.

I. Clemens Pontifex statim a sua creatione perpendens non solum Occidentis, sed & Orientis Ecclesiæ curam sibi commissam, & tam Græcos quam Latinos suæ fidei commendatos, misit hoc anno Constantinopolim Henricum ejusdem urbis Patriarcham Sedis Apostolicæ Legatum, ut a damnabili Schismate Græcos revocaret ad unionem Ecclesiæ Latinæ. Destinaverat enim Joanna Imperatrix e domo Sabaudica fratrem Manentem Vicarium Orientis Minoritam, ut de unione cum Pontifice serio tractaret. Ille vero decreverat eo destinare fratrem Fortanerium Vicarium Generalem Ordinis Minorum, cum aliquot magistris & viris doctis ejusdem Instituti. Sed dum instarent Comitia generalia Ordinis, & opportunum videretur ipsum Constantinopoleos Patriarcham amandare, mutato consilio, Pontifex Henricum ablegavit. Scripsit vero ad Guardianum & Fratres Conventus de Peyra e regione urbis Constantinopolitanæ positos, ut Legato & personis ab eo illuc destinandis, in hoc peragendo gravissimo negotio diligenter assisterent. Recepit etiam humaniter & honorifice Guidonis Regis Armeniæ Oratores, fratrem Antonium de Valentia Minoritam, & nobilem virum Gregorium de Segio, a Rege missos, ut contra diras immanissimasque afflictiones & vexationes, quas Saracenica rabies ad extinguendum in illis partibus Christianorum nomen & gloriam, eorumque sanguinem effundendum, inferebat, subsidium implorarent. Explicatis deinde Philippo Gallorum Regi Armenorum angustiis, ut suppetias mitteret, exoravit. Janibech Tartarorum Imperatorem, habitis gratiis ob favores Christianis præstitos, quos frater Elias Hungarus Imperatori familiaris, in illis partibus diutius conversatus, enarravit, amplius rogavit, ut ab iisdem protegendis & fovendis non desisteret. Epistolam ad eumdem datam hic subjicio.

Henricus Patriarcha mittitur Legatus Constantinopolim.
Vide supra an. 1313. n. 19.

Ex lib. secr. an. 2. ep. 423.

Ibid. epist. 114. Excipiuntur humaniter Legati Armenorum.

Ibid. epist. 182.

Magnifico Principi Janibech Imperatori Tartarorum Illustri, Deum verum, qui omnia creavit de nihilo, devote cognoscere, diligere, & timere.

Ibid. epist. 182. Imperatores Tartarorum benigne excipiebãt Christianos.

II. *Ad Sedem Apostolicam sæpius extitit multorum relatibus fide dignis perductum, quod progenitores tui Tartarorum Imperatores ex innata, & a Deo sibi inspirata clementia, Christianos in tuo degentes Imperio tractare præteritis temporibus favorabiliter, & humaniter curaverunt, eos tam divinæ pietatis intuitu, quam reverentia dictæ Sedis pie manutenendo & confovendo in suis libertatibus, ac ab oppressionibus indebitis, violentiis, & injuriis defendendo, permittendo quoque Sacerdotes Catholicos divina ibidem celebrare officia, ministrare Sacramenta Ecclesiastica, & tam Christianis populis, quam aliis audire volentibus, prædicare libere verbum Dei. Propter quod Sedes ipsa & prædecessores nostri Romani Pontifices, ex his gaudii & exultationis rore perfusi, Nuncios Imperatorum ipsorum quandoque venientes ad Sedem eamdem, receperunt placabiliter, eosque gratiis & favoribus prævenerunt, regratiatorias, directivas, & amicabiles litteras plerumque præfatis Imperatoribus dirigendo. Et licet præmissa sæpe læta mente audiverimus, dum status inferior nos haberet: Nunc tamen ad apicem summi Apostolatus assumpti, divina gratia favente, eis tam per dilectum filium Eliam de Hungaria * Ordinis Minorum illis in partibus diutius conversatum, quam alios fide dignos in nostra præsentia commendabiliter & laudabiliter recensitis, exinde tanto amplius exultavimus, quanto curam Christianorum omnium ex injuncto nobis desuper Apostolicæ servitutis officio, magis conspicimus imminere, sperantes in eo, qui numquam cessat a benedictionibus gratiarum, quod tu laudabilia progenitorum tuorum prædictorum vestigia imitando, super his erga Christianos eosdem exuberare favores & gratias hujusmodi non cessabis. Tuam siquidem credimus magnificentiam non latere, quod in terris & ditionibus nonnullorum carissimorum in Christo filiorum nostrorum Regum Christianorum, innumera Sarracenorum, & aliorum qui fidem Christianam non colunt, millia commorantur, qui ab eisdem Regibus tolerantur & confoventur, ac ab injuriis & oppressionibus quorumlibet defenduntur, nec aliquis Sarracenorum ipsorum & fidem eamdem non colentium, vi, metu, vel violentia ritum suum abnegare, aut fidem Christianam suscipere cogitur, sed si ad eam venire sponte & libere voluerit, favorabiliter recipitur & benigne. Rogamus itaque Celsitudinem tuam, & hortamur, quatenus præfatos Christianos in tuo prædicto commorantes Imperio, ad instar eorumdem progenitorum tuorum, habeas commendatos, ipsos defendendo ab injuriis & oppressionibus indebitis quibuscumque; sacerdotesque permittendo prædictos divina officia peragere, proponereque libere quibusvis audire volentibus verbum Dei. Nos autem Nuncios tuos & litteras, si ad nos miseris, recipiemus favorabiliter & libenter, ac ea quæ pro parte tua coram nobis exponere curaverint, audiemus, tibique viam caritativis & benignis monitis, si audire volueris, ostendemus, per quam tibi gratia in præsenti vita dabitur abundanter a Domino, & tandem post decursum vitæ, ipsius æternæ felicitatis gaudia mereberis adipisci. Datum apud Villam novam Avenionen. Diœcef. IX. Kal. Augusti anno I.*

Fr. Elias diu in Tartaria conversatus

* *Vide annũ 1340. n. 1. & seqq.*

Commendantur hujus Imperatoris protectioni Christiani.

An. 1342. n. 4. Fr. Alemann. Orator Florent. *Ibid. epist. 653.*

III. Alemannum Episcopum Mutinensem ex Ordine Minorum, uti diximus assumptum, & Joannem Moris Jurisperitum, civem Florentinum, Gualteri Ducis Athenarum, tunc urbis Florentinæ Dominum, atque totius communitatis Legatos, Clemens benigne recepit, quos diligenter & fideliter

liter in negotiis sibi commissis, secum egisse testatur. Suum in Urbe Pœnitentiarium constituit fratrem Nicolaum de Interamne, quem se substituisse ait, loco Fratris Andreæ de Aurelia, etiam Minoritæ, pridem in eadem Urbe defuncti. Ministro Generali, rogante Bertrando Uticensi de Deucio, tit. sancti Marci Cardinale, scripsit ut in Universitate Neapolitana gradum Magisterii conferret Petro de Gaieta, olim Apuliæ & Terræ laboris Provinciali Ministro, Baccalaureo Oxoniensi, electo in capitulo Generali Assisiate, suffragantibus etiam plurimis Patribus in comitiis Massiliensibus, ut sententias legeret Parisiis, postquam easdem diu legerat in Academia Neapolitana.

Tomo 9. anni 1. epist. 431.

Fr. Nicolaus Pœnitentiarius Apostol.

Tomo 3. an. 2. epist. 1356.

IV. Celebrata sunt hoc anno in civitate Massiliensi comitia Generalia, pro eligendo supremo Ministro, propter assumptionem Gerardi Ottonis ad Patriarchatum Antiochenum, & administrationem Episcopatus Cataniensis, uti narravimus anno præcedenti. Substitutum etiam diximus Vicarium, qui usque ad Capitulum Generale religionem gubernaret fratrem Fortanerium Vassallum, quem valde Pontifex his duabus, quas subnectimus, bullis commendat, & electoribus insinuat sibi rem gratam facturos, si in Generalem Ministrum velint eligere.

Capitulum Generale 48. Massiliæ.

An. 1342. n. 4. Ibid. n. 6.

Dilecto filio Fortanerio Vassalli, Fratrum Ordinis Minorum sacræ Theologiæ Professori, curam & administrationem Ministeriatus Generalis ejusdem Ordinis Apostolica auctoritate, gerenti.

V. *Dudum Ordine Fratrum Minorum pro eo Generalis Ministri gubernatione carente, quod nos Venerabilem fratrem nostrum Geraldum Patriarcham Antiochenum, tunc ipsius Ordinis Generalem Ministrum, in Patriarcham, de Fratrum nostrorum consilio præfecimus Antiochenæ Ecclesiæ tunc vacanti; Nos Ordinem ipsum intra nostra, & Sedis Apostolicæ præcordia recumbentem, remanere nolentes utilis gubernatoris solatio destitutum, & ad te, quem margaritis scientiæ, morum venustate, discretionis & probitatis maturitate, aliisque donis virtutum insignivit Dominus, quique zelum, ferventem ad Ordinem ipsum habere dignosceris, dirigentes intuitum mentis nostræ, curam & administrationem Ministeriatus Generalis ejusdem Ordinis, quousque foret ei de Ministro Generali provisum, tibi per nostras litteras duximus committendas, sicut in eisdem litteris plenius continetur. Sane cum instet Capitulum Generale prælibati Ordinis Massiliæ celebrandum, in quo dicti Ministri electio imminet, de nostro beneplacito facienda, nostræque intentionis fuerit & existat, quod tu in eodem Capitulo, ac Electoribus & Fratribus ibidem congregandis, velut gerens curam & administrationem hujusmodi præsideas, donec per electionem concordem & utilem fuerit de Ministro Generali provisum, quibusvis privilegiis Apostolicis, ac consuetudinibus, statutis, & observantiis ipsius Ordinis contrariis nequaquam obstantibus; quibus tamen propter hoc super aliis, vel alias non intendimus, in aliquo derogare, discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad prædictum Capitulum accedens, tuumque hujusmodi officium ibidem fideliter, & sollicite exercens, ut tam circa electionem prædictam, quam alia in Capitulo ipso agenda, pacis & caritatis vigeat unitas, & omnia secundum Deum, & ipsius utilitatem Ordinis salubriter dirigantur, partes tuæ sollicitudinis interponas; ita quod ex tua directione uberes fructus, assistente divina gratia, proveniant, tuque perennis mercedem præmii consequaris. Datum Avenione XI. Kalend. Junii anno II.*

Ex lib. secreto.

Instituitur comitiorum Præfectus.

Dilectis filiis Ministris & Custodibus Fratrum Ordinis Minorum in Capitulo Generali ejusdem Ordinis celebrando Massiliæ congregandis.

Ibid. epist. 28.

Commendat electoribus personam Fortanerii Vassalli.

VI. *Cum inter cetera, quæ in Generali Ordinis vestri Capitulo celebrando Massiliæ, gerenda, vobis, ut æstimamus, incumbunt, electio Generalis Ministri de nostro beneplacito ibidem immineat facienda: Nos cupientes talem personam ipsius Ordinis, quem gerimus in visceribus caritatis, in Ministrum eligi, per cujus virtutes & merita, dirigatur ad salutaria ipse Ordo, sinceritatem vestram attentius in Domino exhortamur, quatenus habentes super his præ oculis solum Deum, illam eligatis ad Ministeriatum prædictum personam, quam secundum Deum & vestras conscientias, utiliorem credideritis Ordini supradicto: si vero hæc in persona dilecti filii Fortanerii Vassalli ejusdem Ordinis sacræ Theologiæ professoris, auctoritate Apostolica, curam & administrationem Ministeriatus prædicti gerentis, cujus eminentiam scientiæ, & virtutes multas nos perspectas habemus, videritis concurrere, sicque ipsum esse prædicto ministeriatui sufficientem & idoneum credideritis, gratum esset nobis & placabile si ad onus eligeretur illius, super quibus omnibus cum omni sinceritate, & puritate conscientiæ procedatis. Datum Avenione* IX. *Kalend. Junii anno* II.

Eum valde diligit.

VII. Adsuit his comitiis frater Elias, tituli sancti Vitalis Cardinalis ex Minoribus anno præterito assumptus. Dilexisse vero Pontificem hunc Fortanerium indicant multa ad eumdem data diplomata honorifica & ampla; in omnibus concessa auctoritas circa regimen Fratrum & Monialium: ut tranquillius & securius omnia pro voto transigerentur in Capitulo, potestatem ei fecit substituendi, quos volebat, Ministros, & Custodes omnibus, qui vel per mortem, vel alia quacumque de causa non poterant comitiis interesse. Nominatim in specialibus bullis hanc ei facultatem concessit circa Provinciam Hiberniæ, cujus Minister paulo ante decesserat; non obstante quod Clemens V. in sua decretali statuerit, hujusmodi institutionem fieri in Capitulo Generali. Similiter circa Custodias de Rupella, & Guardiani Villæ sancti Joannis Angelicen. Xantonen. diœcesis substitutionem. Creatis itaque qui creandi erant, & indictis comitiis, electus est Fortanerius unanimi omnium consensu, in Ministrum Generalem, suffragantibus meritis plurimis Pontificis desiderio. Peracta electione, decretum est, ut deinceps in Ordine observarentur statuta Narbonensia a sancto Bonaventura edita, addendis tamen quibusdam, quæ posteriorum temporum ratio judicabat necessaria, revocarentur vero omnes posteriores legum compilationes. Jussum ut in festo sanctissimæ Trinitatis recitaretur officium a Joanne Pecchamo ex Minorita Archiepiscopo Cantuariensi compositum, quod Franciscus Titelmanus docto illustravit commentario. Ita incepisse, ait Marianus: *In majestatis solio*: sed hymni ad primas vesperas, non ipsius officii hoc initium est. Ita incipiebat officium: *Sedenti super solium*. Decretum, ut die sancti Ludovici Episcopi caneretur officium ab ejus germano fratre Rege, Roberto compactum, cujus penes me exemplar est, incipit: *Tecum fuit principium beate Ludovice*. Post editionem Breviarii Romani, sub Pio V. aboletum hoc & alia peculiaria officia SS. Bonaventuræ, Elisabethæ Hungariæ, & aliorum, quæ apud me extant: erant enim durioris contexturæ, quam placidus & suavis Ecclesiasticarum precum patitur concentus. Majorem prorsus

Clemen. exivi de parad. §. Ceterum si Capitulum.

Eligitur in Ministrum Generalem 19.

Capituli decreta.

sus videbantur priscorum officiorum, præsertim monasticorum, compositores rationem observasse metri insulsi, & similis verborum terminationis, quam genuini sensus, & Ecclesiasticæ gravitatis.

VIII. Dissolutis comitiis, accedens Fortanerius Generalis Minister ad Pontificem, impetravit, ut statuta Benedicti XII. præsertim circa electionem Custodum ac Guardianorum primo suspenderentur, deinde penitus renovarentur, renovata circa hæc prisca Ordinis consuetudine. Deinde mortuo hoc ipso anno Jacobo Cajetano Anagnino Cardinale Ordinis protectore, ex consilio patrum, in comitiis congregatorum, petiit a Pontifice substitui Talayrandum Comitem Petragoricensem, tituli sancti Petri ad vincula Cardinalem, postea Episcopum Albanensem, & obtinuit. Ita testatur isthoc institutionis diploma. Eligitur in Protectorem Cardinalis Talayrandus.

Dilecto filio Talayrando tituli sancti Petri ad Vincula Presbytero Cardinali.

IX. *Petitionis dilectorum filiorum Generalis & Provincialium Ministrorum Ordinis Fratrum Minorum, nobis nuper exhibitæ series continebat, quod ipsi dudum in suo Generali Capitulo Massiliæ celebrato, diligentius attendentes, quod bon. mem. Jacobo sancti Georgii ad Velum aureum Diacono Cardinali Protectore, gubernatore & correctore ipsius Ordinis deputato, auctoritate Apostolica, sicut Domino placuit, ab hac luce subtracto, dictus Ordo protectoris, gubernatoris, & correctoris erat præsidio destitutus, & cupientes super hoc salubriter provideri, te quem ad eumdem Ordinem affectu sinceræ devotionis, & benevolentiæ specialis indubie confidunt affici, unanimiter & concorditer, ad hujusmodi protectoriæ, gubernationis, & correctionis officium elegerunt. Quare nobis humiliter supplicarunt, ut juxta sui Ordinis præceptum regulæ, te in protectorem, gubernatorem, & correctorem prælibati Ordinis concedere dignaremur. Nos igitur qui Ordinem ipsum, intra nostra, & Sedis Apostolicæ præcordia recumbentem, prosequimur favoribus dilectionis paternæ, supplicationi hujusmodi benignius inclinati, te, de cujus probitate ac circumspectione provida plene confidimus, in protectorem, gubernatorem, & correctorem Ordini memorato, & ipsius Fratribus, auctoritate Apostolica duximus, tenore præsentium, concedendum, sinceritatem tuam attentius exhortantes, tibique in tuorum remissionem peccaminum injungentes, quatenus circa hæc pie, utiliter, fideliter, prout tibi ministraverit Dominus, te impendas. Nulli ergo &c. Datum apud Villam novam, Avenion. diœcef. IV. Kalend. Octobris anno II.* Ibid. epist. 535.

X. Post hæc sub anni finem profecturum in Italiam Ministrum Generalem privilegiis & favoribus multis Pontifex munivit, commendavitque Principibus, & Pontificii status Rectoribus. Non defuerunt tamen, qui de eo conquerebantur, quod foverit & privilegiis, exemptionibusque audentiores reddiderit Fratres, qui ad arctiorem regulæ observantiam aspirabant, præsertim illos, qui in Umbria, in Conventu sancti Bartholomæi de Brulliano, aliisque locis solitariis, sub disciplina beati Joannis de Vallibus versabantur, & parva tunc jaciebant semina regularis observantiæ, quæ postea in magnam segetem creverunt. Inhibuit ergo Pontifex, ne immunitates, aut gratias ullas eis exhiberet, timens ne sopita jam schismata, & molestæ discordiæ iterum resuscitarentur. Ecce ejus verba. Jubet Pontif. ne strictioris Observantiæ professoribus immunitates tribuantur.

Di-

Dilecto filio Fortanerio Generali Ministro Fratrum Ordinis Minorum.

XI. *AD Sedis Apostolicæ notitiam frequentibus relatibus est perductum, quod nonnulli, qui se Fratrum Ordinis Minorum professores & regulæ beati Francisci ad litteram asserunt sectatores, Universitati communitatis Fratrum ipsorum, tam in habitu, modo vivendi, & doctrina, quam aliis approbatis ipsius Ordinis Observantiis discrepare multipliciter, ex quibus in Ordine ipso suscitantur turbationes, & scandala, moliuntur. Nos igitur intendentes quod ad Dei laudem & gloriam, ejusdemque quietem Ordinis per providentiam circumspectam Sedis Apostolicæ salubris super his ordinatio subsequatur, & quod interim non expedit aliqua facere, per quæ approbari secta talium in ejusdem Ordinis scandalum videatur, tibi districtius tenore præsentium inhibemus, ne illis immunitates, gratias, vel favores concedere, vel exhibere præsumas, quousque per Sedem eamdem circa statum ipsorum, sicut eidem Sedi expedire videbitur, aliud extiterit ordinatum. Datum Avenione* III. *Kalend. Decembris anno* II.

XII. Porro Pontifex suam erga Sodalitium propensionem multis ostendit argumentis, præsertim in evehendis plærisque ex Fratribus ad regimen Ecclesiarum. Ad Pectenen. sive Petinen. sub Patriarcha Aquilejensi, assumpsit fratrem Amancium per mortem Guillelmi: *Inter cetera*, XIII. Kal. Martii. Ad Sipontinam Archiepiscopalem, sub radices montis Gargani, fratrem Petrum per obitum Sassi: *In suprema dignitatis* V. Idus Februar. Ad Lauden. sub Archiepiscopo Mediolanensi fratrem Lucam de Castello, cui olim credidit Joannes XXII. administrationem Ecclesiæ Cumanæ, per obitum fratris Leonis etiam Minoritæ, viri piissimi, ut mox dicemus: *Pastoralis officii* II. Kalend. April. Elegerant tamen Capitulares in suum Episcopum Guillelmum Præpositum domus de Vicobaldono, Ordinis Humiliatorum Mediolanen. Diœcesis; electionemque confirmavit Guillelmus tit. sanctorum Quatuor Coronatorum presbyter Cardinalis, Sedis Apostolicæ in illis partibus Legatus; quibus non obstantibus, voluit Pontifex ratam Lucæ institutionem, quod binis litteris significavit Cardinali, & Archiepiscopo Mediolanensi. Ad Gravinen. tum sub Archiepiscopo Acheruntino, in Regno Neapolitano fratrem Andream de Perusio, per mortem Richardi: *Apostolatus officium* IV. Nonas Septemb. Ad Pensaurien. sive Pisaurien. tunc immediate Romanæ Ecclesiæ subjectam, nunc sub Archiepiscopo Urbinate, fratrem Franciscum Vinoli, per mortem Petri etiam Minoritæ, quem alii etiam Petro Minoritæ successisse alias diximus: *Apostolatus officium* VIII. Kalendas Decembris. Ad Tirasonen. sub Archiepiscopo Cæsaraugustano, per obitum Bertrandi, fratrem Sancium Lopesium Ayerbium, alias *de Aijerbem*, Regio Aragonum sanguine progenitum, de quo alias locuti sumus, & quem Pontifex repetitis litteris, ita deprecante Jacobo Infante, Alphonsi Regis Aragonii filio, comite Urgellensi, ad se vocavit Avenionem: *Pastoralis officii*, Nonis Decemb. Paulo post assumptionem ejus Garcias Lorisius, Regius administer & Consiliarius ei bellum intulit, & deprædatus est Vicum opulentum Samanesium, jurisdictionis Episcopalis, quod Petro Regi valde displicuit. Interfuit Regiis comitiis Barcinone anno MCCCXLIV. coactis ut ageretur de causa Jacobi Regis Balearium, paulo antea per Petrum Regem Aragonium regno aliisque dominiis spoliati. Eidem Petro fuit a consiliis, & a sacris confessionibus. Demum translatus est ad Archiepiscopatum Tarraco-

Frat. Amancius Episcop. Pectenen.
Fratr. Petrus Archiepisc. Sipontinus.
Fr. Lucas Episc. Lauden.
Ann. 1327. *n.* 16.

Frat. Andreas Gravinen.
Fr. Franc. Pensaurien.
Tom. 6. *an.* 1317. *n.* 56.

Frat. Sancius Tirasonen.

Ann. 1335. *n.* 19.
Ibid. epist. 507. 508.
Zurita tom. 2. *lib.* 7. *cap.* 75. & 80.

Carrillo de Episc. Tirasonen.

conen. ubi decessit anno MCCCLVII. die XX. Septemb. Ad Potentinam sub Archiepiscopo Acheruntino, in Regno Neapolitano, in Provincia Lucaniæ, fratrem Guillelmum de Turre de Adria, per obitum etiam Guillelmi: *Regimini universalis* XVI. Kalend. Julii. Ad Sagonen. sub Archiepiscopo Pisano in insula Corsicæ, fratrem Bernardum de Monteto per obitum Pagani: *Militanti Ecclesiæ* V. Idus Junii. Ad Marianen. in eadem insula, sub Archiepiscopo Januensi, fratrem Bonaventuram Benevenuti de Fabriano, per translationem Vincentii etiam Minoritæ, ad Pactensem: *Pastoralis officii* V. Idus Junii. Cessit hoc anno propter rationabiles causas Episcopatui Calven. frater Joannes Minorita, quem alias diximus ad eumdem assumptum. Cessionem admisit ex Pontificis mandato Stephanus tit. sanctorum Joannis & Pauli presbyter Cardinalis, per fratrem Andream de Galliano ejusdem Instituti Procuratorem, ad hoc specialiter constitutum.

Frat. Guillelm. Potentin.
Fr. Bernard. Sagonen.
Frat. Bonav. Marianen.
Ann. 1332. n. 7.

XIII. Substitutum diximus fratrem Lucam de Castello in Episcopatu Lauden. fratri Leoni Minoritæ, quem hoc anno obiisse scribit Gonzaga, Palentinum cognominat, & Beatum deprædicat. Sanctitate præclarum vocat Pisanus, & Rodulphus, referuntque dum errantem clerum corrigeret, veneno potatum nihil mali sensisse. Rexit hanc Ecclesiam annis viginti quatuor, sepultusque est pulchro mausolæo in Ecclesia Minorum Laudensi. Obiit etiam hoc anno in vigilia sancti Andreæ Apostoli, frater Michael Cæsenas, post tot annorum pervicaciam, tamdem pœnitens & pertæsus, quod summorum Pontificum non se submiserit clementiæ, & usque ad mortem nomen sibi Ministri Generalis arrogaverit, quantumvis fuerit a Joanne Pontifice, & in plenis comitiis generalibus Ordinis, uti diximus, ab officio depositus. Decessit hoc eodem anno V. Idus Augusti, in Cœnobio sancti Nicolai de Arena, Leonora Regina Siciliæ, Friderici Regis conjux, soror Roberti Regis Neapolitani, & sancti Ludovici Episcopi, quam Clarissarum assumpsisse vestem, & eisdem convixisse post mortem mariti, alias diximus, epithaphium ibidem exscripsimus, corrupte tamen ex Petro Rodulpho: integrum & correctum nunc damus ex Maurolico Abbate, qui eamdem Reginam Religioni Franciscanæ deditam quadriennio, & in sancti Francisci æde sepultam testatur.

Obit virtutibus clarus F. Leo &c.
Gonzag. in prov. Mediolan. Con. 6.
Pisan. conf. 11.
Rodulf. fol. 272.
Moritur frater Michael Cæsenas pœnitens.
Chron. Saxon. MSS.
Ann. 1328. n. 18. & ann. 1329. n. 7.
Zurita citat. c. 59.
Et Regina Leonora.
Tom. 4. an. 1258. n. 23.
Maurol. lib. 1. rerum Sicanic. in fine.
Et Siciliæ.

Siciliæ Regina jacens hic est Leonora
Regum nata, parens, conjux, insignis, honora,
Hæc Caroli, Petri, Federici sancte sororem.
Accipis en cœlo dignam Ludovice priorem.
Quamvis Harenæ Nicolai migraverit æde
Hac voluit Catanæ Francisci sistere Sede.
Ordinis & devota sui sydus bene mite.
Hoc jacet hospitio completo tempore vitæ.

XIV. Mortuus denique ejusdem Leonoræ frater optimus, Robertus Rex Neapolis die XXI. Januarii, uti scribit Zurita, sive verius XVI. hor. XVI. in Dominica, uti ex aliis probat Antonius Summontius, aperteque refellit eos, qui asserunt non hoc anno, sed præterito Regem obiisse, quod & nos superius sufficienter ostendimus. Multis titulis gloriosissimus hic Princeps nostræ venit inferendus historiæ. Annis octo ante mortem cogitaverat de sceptro abdicando, & Minorum Instituto suscipiendo: qua de causa rogavit Carolum Hungariæ Regem, ut filium suum Andream Neapolim duceret, in quem decreverat ex concessione Joannis XXII. Regnum transferre. Venerat ille cum filio, & Chanadino Archiepiscopo Strigoniensi, Andrea Episcopo Varadiensi, & Jacobo Lombardo Cihanadien. uti scribit Simon de Keza.

Rex Robertus.
Zurita cit. c. 64.
Summont. lib. 3. ad hunc annum.
Ann. 1342. n. 17.
Simon de Keza in chron. Hungar.
Quanto affectu Minorum diligebat sodalitium.

Sed

Sed cum multæ se offerrent hujus propositi difficultates, relicto filio sub Roberti tutela, Carolus reversus est. Ut vero aliquo modo suo potiretur desiderio, intra palatium sacellum amplum in interiori recessu constituit, in quo duodecim Minoritæ divinum persolvebant pensum, cum quibus ille sæpissime conveniebat, & nocte media ad Matutinum surgebat, Minoritico habitu indutus. Aliquoties cum consorte Sancia accessit ad magnificum sanctæ Claræ Monasterium ab ipsis constructum, & ille Fratribus in suo refectorio habitu Minorum indutus, illa Monialibus in earumdem triclinio & veste inservierit. Monasteria aliquot, quæ suis recensuimus locis, Sororibus & Fratribus construxit. Ecclesiam amplissimam cum magnæ molis campanis B. Ludovico Episcopo Franciscano, suo germano fratri, Cajetæ dicavit, quam alias diximus opinatos quosdam auctores opus esse Caroli II. Ludovici & Roberti genitoris, non vero Fratris, ut illi perperam existimarunt. Loca sancta Hierosolymorum Fratribus impetravit; domicilia ibidem constituit: victum & vestitum ministravit. Octiduo ante mortem, quod ante octennium voluit, sed non potuit, habitum Minorum suscepit ex manibus Ministri Terræ laboris, & coram eo in infirmitate decumbens solemnem emisit professionem. Quare receptis Ecclesiæ sacramentis, pie in Domino obdormivit, & publice in omnium conspectu, absque regiis insignibus, aut vestibus, in sola paupere veste Franciscana, celebratis solemniter exequiis, in eodem habitu tamquam Minorita sepultus est in Monasterio Clarissarum Corporis Christi a se, suaque consorte Sancia ad miraculum magnifice constructo. Mausolæum ex deaurato marmore pulchre dolatum conspicitur supra altare maximum, appositis duabus ejusdem effigiebus affabre elaboratis; una in Regia majestate sedentis, altera in habitu Franciscano religiose jacentis, insculpto hoc uno carmine aureis characteribus.

Tom. 2. an. 1222. n. 8.

Cernite Robertum Regem virtute refertum.

XV. Principem hunc merito omnes laudant historici, tum a pietate, tum a prudentia, tum a rebus præclare gestis, & regno triginta tribus annis, mensibus octo, prudenter administrato. Inter prudentissimos, sapientissimosque Principes eum connumerat Collenutius, eruditum nuncupat, religiosum, liberalem, doctorum virorum, virtutisque amantissimum. Jacobus Rainus, omnium Principum, qui posterioribus quinque seculis floruerunt sapientissimum appellat, quippe Mathematicis, Philosophicis, & Theologicis doctrinis illustrem, mitem, placidum, omnibus amabilem. Passarus, justum, sapientem, benignum, vocat, frequenti tamen carorum amissione infelicem, ex dolore ut plurimum pulla veste incedentem. Omnes nobilibus donavit Mausolæis; Ludovicum filium & Catarinam nurum apud Minoritas sancti Laurentii; Mariam suam genitricem ad Templum beatæ Virginis Dominæ Reginæ, Carolum filium, & Mariam ex prædicto Carolo neptem ad Monasterium sanctæ Claræ, Hungariæ Reginam Caroli Martelli germani fratris uxorem in Ecclesia Cathedrali. In tot adversis casibus, & belli variis eventibus, infracti fuit semper animi, maximis periculis circumventus, nec minis, nec insultibus, nec blanditiis fortunæ, nec inertia temporum a studiis abstrahi potuit unquam, seu belli negotium tractaret, seu curam corporis ageret, per diem & per noctem, ambulans, sedensque libros prope se semper volebat: uxores duxit duas, Violantem Jacobi Aragonii Regis sororem, ex qua Carolum Calabriæ Ducem, Joannæ primæ Reginæ genitorem sustulit, & Ludovicum; ac Sanciam Jacobi I. Regis Majoricarum filiam, ex qua nullos liberos suscepit. Hanc perperam Collenutius, & ex eo Bzovius, unicam ei tribuunt conjugem, reginamque dicunt Majori-

A multis commendatur.

Collenut. lib. 5. histor. Neap.

Rain. in notis.

Passar. in histor. Neap.

Quas duxerit uxores.

Covenut. cit. Bzov. an. 1342. n. 10.

cen-

censem, Aragonici Regis filium, & Caroli Ducis genitricem; confundunt enim utramque conjugem, & ex duabus unam efficiunt. Sanciam sanctissimam deprædicant hi auctores, & merito, ut ex dictis, & dicendis in toto hoc nostro Annalium tomo & alibi dignoscitur; & Robertum magni fecisse religiosæ mulieris virtutem, cujus sacrum noverat arcanum, fugam e seculo, illo adhuc superstite, meditantis. Porro optimi Regis virtutes ampliori prosequuntur elogio auctores Siculi, maxime qui de rebus scripserunt Neapolitanis, atque inter hos Antonius Summontius. Franciscus Petrarcha Principi familiaris multis suarum lucubrationum in locis eum digne commendat, cui istud epitaphium adscripsit. *2.3.memor.* *Petr.lib.1.*

Hic sacra magnanimi requiescunt ossa Roberti
Mens cœlum generosa petit; nunc gloria Regum
Interiit, nostrique ruit decor unicus ævi.
Militiæ flos summus erat, speciemque vetustæ
Indolis, egregius bello; sed pacis amicus.
Hoc duce barbaricum poteras Hierosolyma tollo
Excussisse jugum; poteras hoc arma movente,
Pellere pestiferos Trinacria serva tyrannos.
Rex erat ambabus, mors impia clausit utrique
Libertatis iter, merito gemis utraque tellus
Servitio damnata fero: nec gratia linguæ,
Nec minor ingenii laus huic, quem gloria dextræ
Extulerat, fluit, sacræ tuba maxima legis,
Quis superest alius naturæ conscius usquam,
Herbarumque potens, nitidi spectator Olympi?
Morte sua viduæ septem concorditer artes,
Et Musæ flevere novem, dulcedine morum
Angelicus factisque fuit, patientia templum
Pectoris hujus habens, illo pereunte peribat.
Omnis in hoc virtus, secum jacet orba sepulchro.
Acceptus fuit ille Deo, venerabilis orbi
Transcenditque hominem, gemitu prohibente maligno
Digna nequit calamus tanto præconia Regi
Reddere; sed terras canit hunc sua fama per omnes
Æternumque canet nullum taciturа per ævum.

XVI. Porro piissima conjux Sancia, mariti jugo exonerata, statim cogitavit de subeunda religiosæ vitæ ratione. Dum vero animam mariti multis curabat suffragiis, & secundum aulæ consuetudinem in honesto recessu, in silentio & mœrore, viduitatis annum transigebat, omnem posuit operam in perficiendis religiosis domibus, & consummandis piis operibus, quæ inchoaverat. Inter alia voluit ampliare Monasterium sanctæ Mariæ Magdalenæ, a se uti diximus, constructum, sed impediebat vicina ædicula sanctæ Mariæ Annunciatæ cum contiguo hospitali. Egit illa, cum curatoribus & confratribus, ut permitterent alio Xenodochium transferri, cederentque structuræ Monasterii, offerens amplissimam aream & sumptus novi extruendi ædificii. Ita pactum hoc anno die XXIX. Maii indiction. XI. anno primo, Reginæ Joannæ, consentiente Joanne Archiepiscopo Neapolitano, statimque manum utrique operi Regina admovit, dilatavitque terminos Monasterii, & nobilissimum construxit Xenodochium, quo fortassis non est aliud frequentius, aut nobilius in Europa, Templumque adjunxit pulcherrimum. Ut vero hæc caritatis & pietatis opera posset explere, rogavit Pontificem, ut

Quid egerit Sancia post Regis obitum.

Ann.1324.n.31. Summont.cit.an. 1343.

ut quamtumvis illa decreverit ſanctæ Claræ Inſtitutum amplecti, & teſtamentum condiderit, liceret tamen exactoribus exigere & diſponere redditus, quibus illa gaudebat, juxta ejuſdem conſilium & ſecundum peculiarem conceſſionem Reginæ Joannæ. Conceſſit omnia piæ fœminæ Pontifex, Regiumque diploma ſuo inſeruit, & facultatem religioſi Inſtituti ſubeundi, necnon exeundi poſt profeſſionem cum duabus Monialibus ut inviſere poſſet Monaſteria, & pia loca a ſe conſtructa, ac miſericordiæ opera a ſe inchoata complere. Alia item indulſit, quæ in ipſis bullis ad calcem hujus tomi poterunt videri.

Zurita cir. 64.

Mittit frat. Antonium oratoré ad Regem Aragonium.

XVII. Hoſtiliter hoc tempore agebat Petrus Rex Aragoniæ, hujus nominis quartus, contra Jacobum Regem Majoricarum, hujus Sanciæ Reginæ nepotem propter denegatum ſibi feudale tributum; lataque ſententia decrevit Jacobum veluti contumacem, & Regiæ majeſtatis læſæ reum, bonis omnibus ſpoliare. Doluit maxime pientiſſima fœmina ad graves conſanguineorum diſcordias, miſitque ad Aragonium oratorem, qui pacificaret, vel hoſtiles incurſus ſuſpendere curaret, fratrem Antonium de Aribandis Minoritam Epiſcopum Caetanum, virum doctum & prudentem, quem ante biennium his inſulis diximus, donatum, & poſt hæc Pontifex miſit Legatum in Armeniam. Miſſi hoc tempore alii duo Franciſcani ab Hugone Rege Cypri ad eumdem Petrum Aragonium, ut pretioſiſſimum munus deferrent, caput ſcilicet Divi Barnabæ Apoſtoli, a reliquo corpore ſejunctum, argenteo viri cingulo tenus ſimulacro, multis gemmis & lapidibus pretioſis ornato incluſum. Sed nave naufragium paſſa Fratres ſchaphæ impoſiti per multos immenſoſque fluctus, primo ad montis Roſei littus, una cum ſacro pignore cjecti, mox Genuam delati, vel inviti ſacram Calvariam crediderunt Boccanegrio Duci ac S. P. Q. Genuenſi qui nobile depoſitum ad Divi Laurentii honorificentiſſimo loco collocarunt.

Ann. 1341. n. 4. Duo Minoritæ caput S. Barnabæ Genuam ferunt. *Juſtinian. lib. 4. hiſtor. Genuen.*

Cromer. rerũ Polon. lib. 12. Biron. in vitis patron. Polon. Tartari Ruſſiam & Poloniam invadunt.

XVIII. In Ruſſia, a Polonis ſubacta, Principes hoc anno res novas moliti, nacti tempus quo Poloniæ Rex Caſimirus longiſſime aberat Cruciferorum colloquiis, Sileſico bello, & Eliſabethæ filiæ, quam Buguslao, Duci ulterioris Pomeraniæ, collocabat, nuptiis occupatus, miſſis clam Legatis admonuere Tartarorum Imperatorem, ne tributariam ſibi Ruſſiam a Polonis occupari pateretur, non defuturam ipſi fidem ſuam, operamque polliciti. Habebant autem ii inviſum Polonorum Imperium, cum quod non libenter fere externis parent homines, tum quod ſectæ ritusque ſui, ne callide ſenſim abolerentur, metuebant. Videbant enim multos de ſuis ad noſtros ritus, & ad Romanam Eccleſiam ſe, præſertim opera Fratrum Minorum & Prædicatorum transferre, pluresque in dies honoribus, & aliis præmiis a Rege oſtentatis invitari. Ab his igitur exciti Tartari & adjuti, obiter tranſcurſa Ruſſia, in Poloniam magna vi contendunt. Promiſcue tunc ſævitum eſt in ſacra, & viros ſacratos. Ex his Vilnæ Gaſtoldum Epiſcopum, & Stanislaum Cracovienſ. una cum triginta ſex Fratribus Minoritanis, necnon complures Prædicatores die xxiv. Maii, & Stanislaum Lithuanum Ordinis ſancti Baſilii, cum aliis ejuſdem Inſtituti Monachis, ibidem: Leopoli autem Stanislaum Minoritani Cœnobii præfectum, & alios complures religioſos pro fide Chriſti interemerunt.

Multos Minoritas occidunt.

Piſan. in ejus vita MSS. Marian. lib. 4. c. 12. Rodulph. fol. 104. Marc. lib. c. 1. & ſeqq.

B. Gerardi ortus & virtutes.

XIX. Deceſſit hoc anno in Sicilia beatus Gerardus Laicus, ſive converſus, multis virtutibus clarus, & innumeris prodigiis admirandus. Natus in oppido Valentiæ ad Padum fluvium in Regione Pedemontana, ex nobili Gagnolorum familia, decimo ætatis anno patre orbatus, ſub piæ genitricis diſciplina feliciter educatus eſt. Bonæ educationis fructus ipſa potiſſimum decer-

cerpsit, nam perpetuo languore annis tredecim laboranti juvenculus humili & diligenti adstitit obsequio. Illa defuncta, consanguinei suadebant uxorem ducere, ne in unico relicto hærede posteritas deficeret. Terrenum exosus adolescentulus amorem, & Christi caritate succensus, parentum rejecto consilio, bona sua pauperibus distribuit, & peregrini habitu suscepto, ignotus & despectus pœnitentiæ operibus se totum addixit, primum Romæ, mox Neapoli, postremum in Sicilia ad montem sancti Juliani. Hinc transiit ad montem Gibellum, demum hæsit in quodam eremitorio usque ad ætatis annum quadragesimum. Magno miraculorum fulgore in ea regione splendebat tunc sanctus Ludovicus Episcopus, cujus devotione ita captus est Gerardus, ut nihil crebrius in ore nomine Ludovici, nec quidquam majori cogitaret studio, quam ejusdem imitari & sequi vestigia. Decrevit igitur illud ipsum, sub quo Ludovicus militavit, subire Minorum Institutum, & arctiori perfectionis vinculo ad altiora aspirare virtutis exercitia. Assumpto habitu, statim cœpit in religiosa eminere disciplina, & divinis clarere prodigiis. Nullus ad obediendum promptior, nullus humilior, nullus in paupertate sectanda, & illibata castitate servanda vigilantior. Ita in ipso profecit tirocinio, ut consodalium posset esse præceptor.

XX. Emissa solemni votorum professione, ad Cœnobium missus, Randacii custodiæ Messanensis, clariora exhibuit argumenta cœlestis inditæ virtutis. Deerat in festo Resurrectionis Dominicæ cocus, jussit Guardianus frater Alpherius Messanen. fratrem Gerardum in quodam sacello divina contemplantem illud munus obire. Inclinato ad superioris jussa capite, hæsit longo tempore in Ecclesia usque ad horam tertiæ dum sacrum solemne cantaretur. Cœnobii procurator frater Conradus præfectum admonuit, in tanta festivitate nullos Fratribus parari cibos, neque ipsum accensum esse ignem in culina. Commotus Guardianus reversusque ad sacellum pacato & tranquillo animo orantem invenit Gerardum: a quo cum exquireret, cur non obedierit? respondit, se omnino præcepto obsequutum, neque defuturum Fratribus quod abunde manducarent. Abiit ergo, & clauso culinæ ostio, adjutus a specioso juvene, quem aliqui ex Fratribus per rimulas conspicati sunt, brevissimo tempore tot dapibus officina abundavit, ut numquam lautius Fratres sint refecti. *Miraculose Frat. cibos parat.*

XXI. Ex hoc loco translatus Panormum factus est ostiarius, adeoque placuit Fratribus ejus conversatio, ut rogaverint MinistrumGeneralem ne alio posset a superioribus destinari. Illic in valetudinario invisens infirmos audivit fratrem Joannem a Catania præ vehementi calculi dolore ingemiscentem, pro quo dum paulisper oraret, perfecte statim convaluit, qui per triduum urinam non potuit emittere. Lavabat alias vitrum juxta puteum, ceciditque fragile vas in lateritium pavimentum: prospexit ex alto Guardianus sparsa fragmenta, ridensque dixit: *egregie factum, frater Gerarde, tuum erit vas aliud acquirere*. At ille collectis fragmentis, magna fiducia oculos ad cœlum extollens vitrum pristinæ redidit integritati. Similiter fecit puero deferenti ad ostium vini phialam pro infirmis: cadente enim latore, ruptum est vitrum, flebatque puerulus timens matris indignationem. Blande consolatus Gerardus plorantem, congregatas phialæ particulas suis locis restituit, phialamque mirabiliter refecit, admirantibus qui aderant spectatoribus, & laudantibus in Viro sancto Domini virtutem. *Varia patrat miracula.*

XXII. Mira austeritate & pœnitentiæ rigore corpus suum affligebat & in spiritus servitutem redigebat. Una simplici contectus tunica, aspero cilicio, vel ferrea præcinctus catena, nudis pedibus absque sandaliis incedebat. *Mira ejus pœnitentia.*

Pane & aqua tantum contentus, creberis se affligebat flagellis in sacello sancti Ludovici, cui erat addictissimus, prope ostium constructo, ibidem brevissimo reficiebatur somno, genuflexus super tabulam uno dumtaxat cubito longam, brachiis & capite innixis super scamnum. In hoc sacello multos curaverat a variis languoribus, nullo alio præter oleum lampadis adhibito medicamento. Intingebat ramusculum cupressi juxta sacellum plantati, intinctum oleo ulceribus admovebat, & prolatis his verbis: *In nomine Dei vivi, & beatæ Mariæ Virginis, & beati Francisci, & beati Ludovici, libereris ab hac infirmitate*; statim infirmos sanabat. Hac ratione in eadem civitate Panormi curavit infantulum, diebus tribus nihil manducantem, & in extremis laborantem, atque furiosum dæmoniacum funibus ligatum ad se, e monte sancti Juliani attractum, cujus ori ramusculum prædictum oleo intinctum immisit, præcipiens dæmonibus, ut ab eo torquendo deinceps cessarent.

Oleo Lampadis multos curat infirmos.

XXIII. Caritatis igne succensus totus mente ferebatur in Deum, vel proximorum se dicabat obsequiis, nullum tempus labi permittens absque Dei gloria, vel aliorum utilitate. Etenim Dei amor qui numquam otiatur, eum a bene operando nullo tempore feriari permittebat, omniumque pauperum & egenorum dedicavit obsequiis: *Vere extra sinum amoris nullum valet relinquere caritas, omnia complectitur, & continet universa, atque se erogat cunctis communem*. Quosdam precibus, alios opere juvabat, quibusdam ex aliorum caritate subsidia, aliis ex suæ simplicis prudentiæ penu salutaria exhibebat consilia. Prophetico etiam spiritu multis clarebat indiciis, plurima certo prædicens, eo modo & tempore, quo erant futura. Panormi eum invisit Regina Elisabetha, Petri Regis conjux, valde mœsta, quod septem enixa filias prolem masculam, regni hæredem, a Deo obtinere non potuerit. Illam religioso consolatus eloquio Gerardus, præmissa oratione, alacrem dimisit, promittens ante paucos dies, ejusque recessum e Panormo, quem tunc meditabatur, quod conciperet filium, monuitque ut Ludovicum appellaret, asserens se sancti Ludovici intercessione beneficium hoc a Deo impetrasse. Secundo jam discessuræ, & cordis mœstitiam declaranti, dixit Vir sanctus, certo jam marem concepisse, quod partus probavit, nam ante menses novem Cataniæ in vigilia beatæ Agathæ peperit filium, quem juxta Gerardi monita, Ludovicum appellavit, & nos diximus Petro genitori quinquennem successisse.

Nullum ei tempus infructuosū.

Bern. serm. 5. in cæna Dom.

Claret spiritu Prophetiæ.

XXIV. Infirmabatur ad mortem Panormi Dominus Henricus de Abbatibus, Regis Petri Justitiarius, & derelictus a medicis, rogavit ut vocaretur Gerardus. Accedenti desperatam jam ab hominibus vitam ejus precibus commendavit. Domum regressus Dei servus, protracta per integram horam oratione coram Sanctissimo altaris Sacramento, meruit exaudiri. Abiit itaque ad Guardianum, oravitque ut mitterentur duo Fratres congratulari repentinæ & perfectæ Henrici sanitati cælitus concessæ. Euntes illi invenerunt ita evenisse, sicut Dei servus præmonuit. Similiter factum circa Dom. Petrum de Antiochia Regis Cancellarium, lethaliter ægrotantem, cui salutem, & aliquot longioris vitæ annos prædixit, quibus expletis, dum iterum infirmaretur, & mitteret, qui interrogarent Gerardum an infirmitas illa esset ad mortem? respondit morbum omnino esse lethalem, neque ulla medicina curabilem, consuluitque ut disponeret domui suæ & animæ consuleret. Decessit intra paucos dies, probaveruntque nuncii spiritum veritatis suggessisse Gerardo quæ dixerat. Alias obsidente Rege Roberto Neapolitano Remos in Sicilia, populo conturbato dixit Gerardus, nihil esse timendum, fore

enim,

enim, ut re infecta Robertus intra paucos dies reverteretur. Ita factum, deficiente namque aqua, aliisque emergentibus calamitatibus, obsidione soluta, hostis recessit. Cuidam Comiti Augustano e suis terris ejecto prædixit, non nisi post menses septem restituendum, dum ille Regum favoribus putaret suum negotium citius absolvendum. Circa universalem statum & regimen Ecclesiæ multa prophetavit, hæc tamen non nisi coram cordatis viris & Ecclesiasticis, quorum intererat, publicabat.

XXV. Adeo ferventer orabat, ut carbo videretur ignitus, & tamquam si terrena fastidiret, & illuc, quo præmittebat orationem, vellet pertingere, elevabatur in altum, ut multoties visus sit per aliquot cubitos evectus in aera. Cum beato Ludovico sæpissime confabulabatur, in cujus sacello raptus a terra hærebat facie ad faciem imaginis Divi, licet in alto posito altari, audiebaturque a Fratribus interrogans & respondens ad ea quæ sibi a sancto Ludovico dicebantur. Reginæ Cœlorum aliquando etiam recreatus eloquio, meruit eamdem videre paulo ante obitum, & ab ejus ore bonum nuncium audire salutis æternæ. Loquens cum Bindo de Longis Pisano, elevante Sacerdote hostiam salutarem, flexit genua ut eamdem adoraret, elevatusque est a terra ultra unius brachii mensuram. *Raptus ejus & colloquia divina.*

XXVI. Obedientia ei inerat perfectissima exterius discreta, intus sincera, sciebatque ita temperare Prælatorum præcepta, & aliquando indiscreta, cum integritate virtutis, ut illis prudenter obsequeretur, & virtutum limites nullatenus transiliret. Licet vitam perpetuo transigeret in pane & aqua, si superiores, vel hospites aliquando e suis ferculis cibos mittebant, ille curialiter admittebat, & sumpta una vel altera buccella, reliqua reponebat pauperibus distribuenda. Ita obedientiam implebat ut subditus, & abstinentiæ rigorem servabat ut pœnitens minime superstitiosus. Sunt enim quidam apicum observatores, qui ita sibi præscribunt aliquas virtutes sectandas, ut rigorosis quibusdam limitibus perfectionem putent occludi, & potius velint Superiorum eludere præcepta, quam metam a se indiscrete præfixam præterire: *Perfecta obedientia legem nescit, terminis non arctatur, neque contenta angustiis professionis, largiori voluntate fertur in altitudinem caritatis, & ad omne quod injungitur spontanee, vigore liberali, alacrisque animi modum non considerans, in infinitam libertatem extenditur.* *Obedientia discreta.* *Bern. tract. de præcep. & dispens.*

XXVII. Perfectissima etiam eminebat castitate, nihil admittens in opere aut cogitatione, quod puritatem offenderet, magna sollicitudine immundas abigens species, & sensuum parvulos allidens ad petram, Virginitatem ab ipsa infantia Deo consecraverat, & magno studio servavit semper illibatam. Mitis & dulcis erat conversationis, & ab omnibus judicabatur vir simplex, & rectus, ac timens Deum, homo sine felle, aut fuco, nulli molestus, omnibus gratus. Tot insignis virtutibus & miraculis clarus, postquam sine querela vixisset in religione annis triginta quinque, morbo correptus Panormi, hoc anno sub finem Decembris, cœpit ab hoste maligno variis spectris & immundis tentari speciebus. Vicit tamen Dei adjutorio fraudes omnes inimici, apparuitque ei beata Virgo in die beati Joannis Evangelistæ, qui tunc incidit in feriam sextam, & post dulce ac familiare colloquium, dixit ei, sub triduum ex hoc mundi ergastulo assumendum in gloriam. Ita ipse revelavit Confessario, iisque, qui rogabant, ut pro ipsis oraret, promittens se deprecaturum in gloria ad quam piissima Dei genitrix ipsum invitarat. Penultima die sabbati, accessit ad eum Dominus Raynucius Friderici Regis defuncti Magister, petiitque ut sibi relinqueret rosarium, vel aliquid suæ pauperis suppellectilis in sui memoriam. Cui perfectus Evangelicæ paupertatis *Illibata castitas.* *Ægrotat.* *Obitum prædicit B. Virgo.* *Magnus paupertatis affectus.*

tatis amator respondit, sibi nihil esse commune cum mundo, nudum ex utero matris egressum, nudumque in terræ uterum velle redire, neque in suum rosarium, neque in pauperem, quam gerebat lacernam, sibi quidpiam juris inesse: agendum proinde cum Patre Guardiano, penes quem dumtaxat erat potestas, etiam de his minutis disponendi. Exemplum sumpsit a suo Institutore, qui nudus in ultimo vitæ habitu luctabatur cum nudo, * gaudens & exultans, quod usque in finem fidem datam suæ Dominæ servaverit paupertati, & Christo conformis nudus ex hoc mundo transiret ad patrem. Die dominica, in quem incidit festum sancti Thomæ Cantuariensis, ipsa eadem hora prope tertiam qua die Veneris ei apparuit beata Virgo, acceptis devote Sacramentis, elevatis in cœlum oculis, vultu placido, absque mortis angustiis abiit in cœlum, anno ætatis septuagesimo quinto.

* *Vide an.* 1226. *n.* 34.

Sancte moritur.

Miraculis post mortem commendatur.

XXVIII. Miracula mortem subsecuta palam ejus sanctitatem demonstrant. Ad ejus transitum dum pulsaretur campana, funis prope manubrium contritus est, nec tamen pulsus cessavit, etenim nullo trahente, per longum temporis spatium omnibus admirantibus duravit. Statim ad admirabilem hunc sonitum accurrit in magna multitudine populus, expectans donec deferretur corpus in Ecclesiam, viditque membra ejus adeo mollia & tractabilia, ac si forent hominis viventis. Deinde omnes avide decerpebant ex vestibus & capillis reliquias, felices se reputantes, qui vel minimam particulam obtinebant. Inter confusam multitudinem accessit mulier nomine Gratia membris contracta, & manu osculata sancti Viri, statim perfecte convaluit. Alia vocata Beatrix febricitans, dum expectaret accessum ad feretrum, comprimente populo, correpta est magno febris incremento, domumque evecta rogavit filiam, ut sibi applicaret tunicæ Gerardi fragmentum, quod paulo antea a consanguineo impetrarat. Eo admoto, statim recessit febris, & iliaca passio, qua vehementer cruciabatur. Altera appellata Contissa utrumque dolens oculum, nihil distincte visu perspiciens, ducta per oculos manu Gerardi, repente vidit integris luminibus. Alia similia operatus est Dominus miracula ad contactum corporis, dum in feretro jaceret, ad quorum famam frequentior quotidie populus die noctuque concurrit, ita ut non potuerint Fratres per biduum illud tradere sepulturæ. Tertia autem die per vim sublatum duxerunt ad interiora domus, emissoque populo, loco secreto, & sub silentio sepelierunt: sed quod illi fecerunt in abscondito, Deus manifestavit, emittente corpore ex ipso latibulo suavissimum odorem.

XXIX. Sublato ita e medio carissimo pignore, precibus se illius commendabant virtuti, qui suis malis desiderabant adhiberi medelam. Sub vespere illius diei, quo sepulturæ traditus est, oravit Orlandus medicus pro filiolo molestam patiente tussim, & exauditus est. Frater Bartholomæus de Castro Joannis volvulum sive dolores iliacos perpessus, Dei servum Gerardum cum devotione invocans, ab omni passione liberatus est. Adolescentula Bella, Paulo civi Panormitano ante paucos dies nupta, gravi casu rupto brachio, & toto corpore colliso, die octava post mortem servi Dei, admota habitus parte, ad universas partes quibus dolebat, repente sanata est. Nicolaus Copula a dolore stomachi adhibito sub diploide segmento tunicæ sancti Viri: Puerulus Petrus Martini filius a lethali morbo, & mortis faucibus voto emisso invisendi Gerardi sepulcrum: Elegrancia, filia Petri Florentini, herniosa, octavo die quo sancti corpus depositum venerata est, mirabiliter curati sunt. Trapani Matthæus Massiliensis in inguine cancere infectus medicorum ope tamquam incurabilis destitutus, ad amici cujusdam consilium devote invocavit Gerardum, applicuitque parti male affectæ particulam vestis

stis ejusdem, atque immediate tumor compressus est, livescens color abscessit, & integræ restitutus est sanitati.

XXX. Noluit autem Deus, servi sui Gerardi gloriam intra fines insulæ Trinacriæ concludi, sed amplius extendi, statuitque ad majorem ejus venerationem, corporis partem ad alios transmitti. Gerardo erat unicus & individuus comes frater Laurentius, qui die noctuque ad ejus excubabat sepulcrum, a quo non poterat avelli. Post annos tres insitum ei vehemens desiderium videndi sancti Viri corpus, revelavitque Fratribus Marchisio Sacerdoti, & Constantino laico, quod cupiebat. Convenerunt omnes in voto, & unanimi consensu decreverunt secreto aperire sepulcrum. Nocte intempesta dum reliqui Fratres altum domirent, exhumarunt sanctum cadaver, inveneruntque carnem resolutam, & dissolutam ossium compagem. Frater Laurentius amantissimi socii volens penes se partem habere, assumpsit cum reverentia pechim, sive ulnam, os majusculum lacerti, cujus attactu Panormi multos sanabat infirmos. Sub sequentis anni vero Assisium profectus, ut indulgentiam lucraretur ad sanctam Mariam Portiunculæ, cum dicto Sacerdote Marchisio, audivit innumera intercessione Geradi Pisis patrari miracula; statuit ergo, re collata cum socio, illic sacrum pignus reponere, ubi Dominus servi sui gloriam exaltavit. Pisas pervenit uterque anno MCCCXLVII. die V. Mensis Julii, & Fratribus retulit quatenus urbem Gerardo addictissimam honestare proposuerit ejus reliquiis, ut sacro hoc deposito conservaretur & augeretur erga eumdem devotio; visis reliquiis, exultaverunt Fratres, decreveruntque solemni cultu & urbis applausu excipiendas. Admonuerunt cives & optimates, constitutoque pio pignore in Monasterio Omnium Sanctorum Ordinis sanctæ Claræ extra urbem, post dignam venerationem a Sororibus exhibitam, in pulchro conditorio ex Alabastrite deaurato, eleganter fabricato, reverenter repositum deduxerunt ad Ecclesiam sancti Joannis de Gaytana prope civitatem. Statim a prandio instituta est solemnis supplicatio Fratrum, Optimatum, & ingentis multitudinis popularis, præcedentibus vexillis, tubis ductilibus, præcentoriis tybiis, tympanis, & psalterio. Induti sacerdotalibus aliquot Religiosi reverenter ex Siculorum Fratrum manibus reliquias exceperunt, & cum magno populi applausu ad sancti Francisci ædem deduxerunt, sonantibus omnium Ecclesiarum, per quas transibant campanis, Domino confirmante populi pietatem variis prodigiis, quæ tunc dignatus est operari.

Post annos tres exhumatur corpus.

Magna brachii pars defertur Pisas.

XXXI. Antequam supplicatio in ordinem redigeretur, Joannes tubicinum moderator & Magister, ægerrime laborabat stomacho, & intestinis, invocavit Gerardum cui suum, sociorumque præstiturus erat obsequium, & repente utroque liberatus est dolore. Transeunte processione per ædes Joannis Morelli Pisani Notarii, de sacello sancti Pauli ad ripam Arni, ita cives distinguunt Pisani, qui per triduum gravabatur passione iliaca & stranguria, nec poterat requiescere aut manducare, fecit se efferri ad fenestram, & conspectis sancti Viri reliquiis, deprecatus est humiliter a malis istis liberari, exauditus est subito, emisso copioso pute, infectaque materia. Dum transirent juxta fluvium & Cœnobium Eremitarum sancti Augustini sanctæ Mariæ de Ponte novo, simile accidit fratri Matthæo Mutinensi sacræ Theologiæ studioso, qui per octo dies vehementi cruciabatur febri. Ductus enim ad fenestram oravit, nocte illa suavi correptus sopore placide requievit, & die sequenti ita perfecte convaluit, ut ad Minoritarum ædem pedes ierit gratias pro restituta sanitate rediturus; ubi etiam vovit, se in vigilia ejus anniversarii jejunaturum. In Chinsicha ad pontem veterem, Domina Florina con-

Ibi multa patrat miracula.

conjux Joachini Speciani de Cappella sancti Laurentii in Chinsicha, ad conspectum brachii, seu lacerti sancti Viri genuflexa devoto rogavit corde, ut feliciter sibi parere liceret prolem integram & sanam, nec statim ab utero descenderet in sepulcrum, sicuti tribus, quos enixa erat, filiis evenit. Ut vero facilius quæ petebat, impetraret, promisit nasciturum a Gerardi nomine nuncupandum. Natus est infantulus die 11. Decembris, & mater præ gaudio oblita promissi egit cum consanguineis, ut Idibus illius Mensis quibus baptizandus erat, vocaretur Nicolaus, mox mutato consilio, appellaretur Augustinus. Res mira! qui sanus eousque apparebat infantulus, secreto malo, quo fraterculi deperiere, vehementer torquebatur, ita ut putaretur statim animam acturus. Filii malo edocta genitrix resipuit, veniam obsecravit, obtinuit. Decreto namque nomine, quod ante partum promisit imponere, infans perfecte restitutus est sanitati, & multis donariis ad sacri pignoris reverentiam exhibitis, Gerardi tutelæ commisit, cujus precibus malum originarium effugit, & amissam salutem recuperavit. Vixit annos multos novus Gerardus defunctus in bona senectute.

XXXII. Prætereunte multitudine pontem veterem, Andreucia uxor Michaelis Notarii de Cappella sancti Barnabæ prope pontem de Spina sita, cum videret sacrum hunc transire thesaurum, oravit, ut per merita hujus optimi viri, filium obtineret (erat enim nupta viro annis viginti quinque, absque ulla spe generationis) pollicita, ut si fieret voti compos, libras viginti quinque argenti in obsequium & cultum pii intercessoris expenderet. Nocte sequenti concepit, salva peperit, votum adimplevit. Relicto ponte, in Burgi introitu, Bartholomæus generosi viri Joannis de Turchio filius, diebus quindecim continua decumbens febre, ad fenestram orans repente sanatus est. Ad interiorem Burgi partem dum supplicatio declinaret versus Ecclesiam sancti Francisci, Petra, uxor Francisci Volaterrani pictoris, per sex dies febre ad mortem depressa, audiens psallentes & laudem offerentes beati Gerardi, vovit, quod si liberaretur a malo, munusculum offerret in ejus venerationem. Emisso voto malum abscessit, & mulier confestim convaluit. Terminata processione, in Ecclesia sancti Francisci repositum est honorificentissime brachium super altare majus, confluente ingenti multitudine illo die ad ejus adorationem. Inter reliqua Guillelmus Faber ferrarius humore in oculos defluente, & visu ita captus ut nihil conspiceret, rogavit Fratrem, qui ad sacri pignoris custodiam sistebat, ut lychnum, quem manu gerebat, ossi admoveret. Fecit ille, restituit, hic oculis applicuit, visum recepit; & qui altero manuducente ad Ecclesiam venit, absque ductore solus in proprias ædes descendit.

XXXIII. Alia multa propter ejus merita, operatus est Dominus miracula, quæ diffuse narrantur in vita apud me MSS. quorum summam hic exhibeo: Energumenos a malis spiritibus liberavit ultra ducentos viginti, inter quos una fuit fœmina, Diana nomine, annis triginta oppressa, quæ ferarum more in campis & locis degebat desertis: quinque aquis submersos ad vitam revocavit, octo surdis auditum, tribus cæcis visum, mutis quatuor loquelam restituit; oculis male affectos decem, brachiis, tibiis, ulceribus vel apostemate dolentes, octodecim curavit, claudos quinque consolidavit, duodecim a variis morbis, octo a catenis & carcere liberavit, undecim herniosos sanavit, amentes tres sensui restituit, a febre continua, & tertiana septuaginta sex, lethaliter vulneratos quinque curavit, naufragio decem, a variis mortis periculis quadraginta, a morbo regio septem, a podagra duodecim, a sanguinis fluxu sex, a paralysi quatuor, a calculo duos, a periculosis

Miraculorum a Gerardo factorũ Compendium.

losis partubus fœminas septem liberavit, aliis decem & octo ut fœcundæ essent, impetravit. Dissidentes populos vivens ipse sæpius pacificavit, & multa egregia patravit opera, quæ populorum præsertim Siculi, & Pisani, ei summam conciliarunt venerationem. Ejus vitam diffuse & confuse scripsit frater Bartholomæus de Pisis, Domini Albisi filius, anno MCCCXLVII. absolvitque die XI. mensis Aprilis, annis quatuor, mensibus tribus, post mortem Gerardi, quam penes me habeo MSS. Ipse idem est, qui opus conformitatum in senectute anno MCCCXCIX. misit ad comitia generalia Assisii, & in solemni translatione brachii Pisis prædicavit. In prædicto libro Conformitatum ad compendium prolixam illius vitam redegit, & multa adjunxit miracula, *quæ ipse*, inquit, *vidi, & audivi*. Ex illo decerpserunt Marianus Rodulphus, Marcus Ulyssiponensis. De eo agunt Raphael Volaterranus libro vigesimo primo Antropologiæ; & Philippus Ferrarius in novo Catalogo Sanctorum ad diem trigesimum Decembris. Error est in notis apud Marcum, & in libro Conformitatum; dum anno MCCCL. dicitur obiisse.

Quinam de eo scripserunt.

Marc. cit.

XXXIV. Hoc anno, non MCCCCXXXIII. uti inversis notis 1433. & repositis pro 1343. refert Gonzaga, & nos alias exscripsimus, insigne patravit miraculum sanctus Franciscus apud Civitatenses in Hispania. Erat illius urbis Episcopus Petrus Diaz electus anno MCCCXL. carnis illecebris addictus, addictissimus tamen sancto Francisco, ejusque Instituto, qui dum tertio hoc sui Pontificatus anno in lethalem morbum incideret, nihil de morte, neque de expianda conscientia cogitabat. Vidit semel & iterum per somnium ejus cubicularius horrendis spectris dæmones animæ insidiantes, & quemdam Minoritica veste eosdem abigentem, ipsique cubiculario suadentem, ut Episcopum moneret mortis imminentis, & præmittendæ sacramentalis peccatorum confessionis. Fecit servus, visionesque narravit, sed Episcopus irrisit, & secundo monentem cum indignatione rejecit. Religiosus ille, qui Episcopi animæ curam agebat, ad tertium spectrum prioribus terribilius, suasit adolescentulo, ut rediret, & persuaderet reatuum confessionem. Cui famulus, semel atque iterum hæc ei suggessisse, sed frustra respondit, nec se audere reverti absque manifesto signo, cui credat: *Admove*, inquit frater, *digitum ad picem illam in magno cacabo tuo hero præparatam, & delinitam ostendito illi, ut credat*. Adde etiam, *Francisci Assisiatis, quem ille magno prosequitur affectu opera huc usque liberatum ab inimicis, per quem item factum est, ne absque Sacramentorum munimine ab hac vita discesserit*. Suo malo adolescens signum petiit; nam ardenti pice ita desiccatus est digitus, ut manifeste veram tormenti speciem exhiberet. Hoc indicio & vehementi famuli persuasione commotus tandem Episcopus, monitis acquievit, peccata Sacerdoti confessus est, & paulo post die V. mensis Maii e vivis excessit. Mortuum consanguinei, ut bona commodius inter se dividerent, per triduum occuluerunt. Die quarta in Ecclesiam delatus, coram tota funebri circumsedente corona e feretro caput erexit, & indicto silentio ita affatus est: *Viri pii qui ad meas celebrandas exequias huc convenistis, ne commoveamini, neque ad mortui vocem effugiatis; subsistite parumper, & meis verbis aurem accommodate. Ego vere mortuus fui, & nunc vere vitam revivo mortalem. Carnis ergastulo ante triduum soluta anima, ad æquissimi judicis tribunal de omnibus, quæ in corpore gessit, rationem reddituram comparuit, diramque excepit sententiam, ut in æternum cruciaretur, quam scandali, & vitæ male transactæ in conspectu gregis mihi commissi minime pœnituit, neque in propera confessione, sub mortem per vim extorta, vere fuerit contrita. Accessit tamen optimus Tutelaris*

Gonz. in Prov. S. Michael. Conv. 2. Tom. 1. an. 1214. n. 20.
Marian. cit.
Marc. lib. 8. c. 50.
Avila de Episc. Civitaten.

S. Francisc. Episcopū triduo defunctum resuscitat.

 san-

sanctus Franciscus, quem ego singulari quadam devotione prosequutus sum, & tanta fide colui, ut ejus meritis firmiter speraverim, me liberandum a pœnis gehennæ, & misericordia motus super paventem & trementem in conspectu Dei, propter plurima suo Instituto præstita beneficia, & exhibitas suis discipulis eleemosynas, impetravit, ut anima in corpus regredi posset, & per viginti dies pœniteret de commissis, quibus expletis, ego denuo mundo valedicam. His dictis, in pedes surrexit, bonisque recuperatis & in pauperes distributis, talem intra dies sibi præfixos egit pœnitentiam, ut pie credi possit veniam impetrasse delictorum, & in locum transisse salutis. Incidit infra hunc terminum dies translationis sancti Francisci, in qua concionem habuit ad populum, totam rei seriem narravit, sancti Patris virtutes extulit, ejusque sectatores civibus impense commendavit. Sepultus est in Ecclesia Cathedrali ejusdem urbis, in qua ego ipse illius conspexi sepulcrum, inscripto hoc Epitaphio: *Hic jacet Petrus Diaz Episcopus, quem a mortuis sanctus Franciscus suscitavit*.

XXXV. Richardus Episcopus Ossoriensis ex Minoritis assumptus constanter suam causam, de qua non semel egimus alias, contra Alexandrum Metropolitam Dublinensem prosequutus, hoc anno obtinuit, ut examen controversiæ committeretur Bernardo tit. sancti Cyriaci Presbytero Cardinali, atque ex hujus judicio ut peremptorie Romam evocaretur Alexander. Florebat hoc tempore in Anglia in decrepita senectute frater Robertus de Lamborrone Confessarius Angliæ Reginæ Isabellæ, cui annis sexdecim a consiliis & sacris astitit arcanis. Quinquaginta annis & ultra laudabiliter professus in Ordine, diversis functus officiis tam in Franciæ, quam in Angliæ dominiis. Horum intuitu meritorum Pontifex, ad Reginæ preces honorifico diplomate quædam indulsit, quæ gravis ætas videbatur expostulare. Plurimum usi sunt etiam Minorum opera tum in consiliis, tum in conscientiis dirigendis Reges Neapolitani. Invenio enim circa hæc tempora plerosque ex eis in aulam adscitos. Fratrem Franciscum Episcopum Caetanum, prius Caroli Ducis Calabriæ Confessarium, mox Roberti Regis magnum Eleemosynarium, & Confessarium. Fratrem Hugonem Suessanum Episcopum eidem Regi a confessionibus. Fratrem Guillelmum Scalensem Episcopum Reginæ Sanciæ a sacris arcanis conscientiæ. Fratrem Guillelmum Puteolanum Episcopum Reginæ Joannæ hujus nominis primæ Confessarium, vivente adhuc avo Roberto. Fratrem Matthæum Thelesinum Episcopum Confessarium & Consiliarium ejusdem Reginæ, & ante assumptionem ad Episcopatum, Regii Sacelli Magistrum. Fratrem Andream de Valle Regia, & fratrem Petrum de Aquila ejusdem Reginæ Capellanos, familiares & fideles. Monumenta ex quibus hæc constabunt, ex Regio archivo extracta ad hujus tomi calcem lectori exhibemus. Mortuus est hoc anno mense Septembri, ad suos Consodales dum e curia rediret, frater Dominicus de Bartha vir venerabilis & doctus Provinciæ Aquitaniæ Minister, qui triginta annis publice Theologiam professus est, & quædam dedit commentaria in Joannis Apocalypsim.

Tomo 6. an. 2. ep. 28.

Frater Robertus confessarius Reginæ Angliæ.

Vide an. 1329. n. 16.
Tom. 9. anni 1. ep. 555.

Moritur Fr. Dominicus de Bartha.

XXXVI. Hoc anno initium accepit Conventus Grandisvillanus, non tamen in ipsa urbe. Distabat per milliaria decem insula parva Chansonen. Diœcesis Constantien. ditionis Regum Galliæ, quam hoc anno concessit Philippus Rex Fratribus, adjecta etiam pingui eleemosyna, ut domum sibi ædificarent. Fecerunt illi, annuentibus Pontifice Romano & Constantiensi. Sed cum secundo & tertio injurias probarent militis Angli, ne quotidianis paterent excursionibus & rapinis, locum anno MDXLIII. dereliqueruut. Dedit

Conven. Grandisvillanus.

Gonz. in Prov. Franc. Parisien. Conv. 7.

dit tamen hoſpitium Jacobus Pigeonius Grandiſvillanus in ſuburbiis civitatis, ubi per tres annos commorati, fundum accepere a nobili fœmina Jacquelina a Fontevilla, & Adriana ejus filia, ubi Cœnobium ex piorum civium eleemoſynis conſtruxere, accedente conſenſu Pauli III. & Philippi de Coſſie Conſtantienſis Epiſcopi. Eccleſiam beatæ Mariæ & ſancto Franciſco ſacram conſecravit anno MDXLVII. R. Porphyrien. Epiſcopus, Conſtantienſis Suffraganeus. Loci ſancti Miniati in Provincia Tuſciæ, & Cuſtodia Florentina occurrit hoc anno memoria apud Rodulphum dum ait, hoc ipſo tempore Fratribus conceſſum ea lege, ut Eccleſiam ampliarent, & dilatarent. Conv. S. Miniati. Rodul. fol. 265.

XXXVII. In ipſo hujus anni limine, paucis diebus antequam moreretur Robertus Rex Siciliæ, ad preces ejus conceſſit Pontifex Miniſtro & Fratribus Provinciæ Romanæ, ut admittere poſſent locum in Villa civitatis Ducalis, ab eodem Roberto, dum Calabriæ dumtaxat Ducis titulo potiretur, conſtructa in finibus Regni Neapolitani: *Devotæ veſtræ Religionis*. II. Nonas Januarii. Ædificarunt Cœnobium intra muros Villæ pii viri collectis ex communi liberalitate eleemoſynis. Floruit ibidem Magiſter Silveſter olim Provinciæ Romanæ Miniſter; & recenſetur Domus iſta a Piſano & Rodulpho in Provincia Ocomana, ſub Cuſtodia Reatina. Conceſſa etiam hoc anno licentia Guardiano & Fratribus Conventus ſancti Emiliani, Burdegallen. Diœceſis, ut illum propter bellorum diſcrimina, quæ inter Angliæ & Franciæ Reges verſabantur, ferme penitus deſtructum, intra muros ipſius Villæ poſſent transferre: *Devotionis veſtræ*. VI. Idus Junii. Conv. Civitat. Ducalis. Rodul. fol. 259. Conv. S. Emiliani transfertur.

XXXVIII. Facta etiam facultas nobili viro Humberto Delphino Viennenſi, ut apud Iſeronum caſtrum ſuum Gratianopolitan. Diœceſis ædificaret Monaſterium Clariſſarum: *Eximia tuorum*, III. Idus Februarii. Non tamen in hoc caſtro, ſed in ipſa urbe Gratianopolis illud ædificavit: uti dicemus anno MCCCXLVII. Similiter nobili viro Mariano de Arborea, Comiti Gociani, conſtruendi aliud in loco, qui dicitur Maura, Uſſellen. Diœceſis, in Inſula Sardiniæ, & Provincia Arboreæ, in qua dicebat, nullum aliud præextitiſſe Monaſterium: *Illas petitiones*, VI. Kal. Aprilis. Necnon alteri nobili viro Petro Judici Arboreæ in eadem inſula, ut in civitate Areſtani aliud conſtrueret: *In iis quæ animarum*, X. Kal. Decembris. Monaſt. Mauræ. Mon. Areſtani.

XXXIX. Occurrit hoc anno memoria Monaſterii Colonien. Clariſſarum, in monumento Pontificio, quod magnam lucem afferet iis, quæ alias de hoc Cœnobio locuti ſumus. Refertur enim, Iſabellam Abbatiſſam & Philippam de Geldria Raynaldi Comitis filias ante annos ſeptem de redditibus eis per Raynaldum alterum, Comitem Geldriæ, earumdem fratrem germanum, ad vitam conceſſis, incœpiſſe conſtruere, & continue conſtrui curaſſe præfatum Monaſterium & Eccleſiam; hoc tamen anno propter ſubitam inundationem aquarum, magnam incurriſſe jacturam: *Eccleſiarum & Monaſteriorum*, XIII. Kal. Octobris. Hæc ita concordanda ſunt cum ſuperioribus, ut longe antea præextiterit Monaſterium, & variis temporibus, a diverſis perſonis varia receperit incrementa: has vero Sorores ampliorem, non primam, excogitaſſe ſtructuram. Præextitiſſe etiam hoc tempore aliud ejuſdem Inſtituti Cœnobium de Penitheghien. Tornacen. Diœceſis ſub diſtrictu & dominio Guillelmi Comitis Namurcen. ab ipſius progenitoribus fundatum & conſtructum, probat diploma, quo Pontifex, præmiſſa hac narratione, concedit licentiam Mariæ Comitiſſæ Namurcen. prædicti Guillelmi genitrici, ut cum octo mulieribus honeſtis illud ingredi poſſit quoties velit, filiam ſuam Margaritam, illic Chriſto deſponſatam, viſura: *Devotionis tuæ*, XV. Kal. Decembris. Alio ſimili indulto, quo conceditur Margaritæ Comitiſſæ Mon. Colonien. Monaſt. Penitheghiæ.

tissæ Terræ-novæ, ut cum duabus honestis mulieribus posset intrare in Monasterium Setabiense, cujus fundatricem diximus Saurinam de Entensa, hujus Margaritæ genitricem; constat etiam, filiam hanc, ejusque conjugem Nicolaum de Jamvilla ob suas adhibitas operas, tum in fundatione, tum in dotatione Monasterii Fundatorum nomine audivisse: *Devotionis tuæ*, XIV. Kal. Maii. *Mon. Setabien.*

XL. Plurimas indulsit Pontifex tum indulgentias, tum gratias, tum privilegia variis Sanctimonialium Monasteriis, de Mannasca Sistarien. Misericordiæ beatæ Virginis Mariæ de Deneyo Elien. Guadalfajaræ Toletanæ Diœcesis; sanctæ Claræ Gerunden. sanctæ Claræ Caturcen. Corporis Christi, sanctæ Mariæ Magdalenæ, & sanctæ Crucis in urbe Neapolitana, de quibus aliis locis per varios annos locuti sumus. Diplomata ipsa dabimus in regesto. *Alia Monasteria.*

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. Indictis Comitiis generalibus Massiliæ, frater Fortanerius Vassallus, „ qui Gerardo Odonis, seu Ottonis ad Patriarchatum Antiochenum, & administrationem Episcopatus Cataniensis assumpto, auctoritate „ Apostolica curam, & administrationem Ministeriatus Generalis regebat, „ unanimi omnium electorum consensu, suffragantibus meritis plurimis, „ Pontificis desiderio, in Ministrum Generalem totius Ordinis electus est: „ qui eidem Summo Pontifici percarus ab eodem pluribus gratiis, & favoribus donatus est, ut apud Waddingum est videre. Concessit etiam hoc „ anno II. Nonas Januarii Clemens Monasterio Clarissarum Gerundæ urbis „ in Comitatu Cataloniæ, apud ostia Sambrocæ fluvii, indulgentias: *Splendor paternæ &c.* & subinde XV. Kal. Februarii exempto Monasterio itidem „ Clarissarum Bruxellæ, Brabantiæ Metropolis ad Senam amnem: *Fructus præcipue &c.* Civitellæ etiam præfatarum Monasterio indulgentias concessit: *Splendor paternæ &c.* IV. Kal. Februarii: & IV. Kal. Martii. Fratre „ Dionysio remisso, & commendato Regi Hungariæ, a quo Nuncium receperat: *Celsitudinem tuam &c.* Eodem tempore pro Sanctis nostri Ordinis indulgentias concessit: *Ante thronum &c.* & Clementis IV. *Tenorem quarumdam* &c. confirmavit: constructionem vero Monasterii Arborensis: *Illas petitiones &c.* & indulgentias pro eodem: *Splendor paternæ &c.* „ VI. Kal. Aprilis benigniter indulsit. *Fr. Fortanerius fit Minist. Gen.* *Lit. Pont.*

„ II. Interea cum nosset Ludovicum Bavarum meditari, & præparare „ suum regressum in Italiam, Vicecomites in dominio Mediolani sua auctoritate constabilivit, ut ingressum illi contenderent, valenterque impedirent: quod ut audivit Bavarus instituit sui Vicarios in Italia, illisque „ Civitates, & loca, quibus dominabantur, confirmavit; Joanni de Vico „ Viterbium in Etruria ad Montis Cimini radices, inter Urbes patrimonii „ sancti Petri præcipuam; Galeoto, & fratribus de Malatesta Ariminum „ urbem maritimam in Gallia Togata ad Arimini fluminis ostium, Fanum „ fortunæ ad mare, & Metaurum flumen in Umbria, & Pisaurum ibidem „ ad Isaurum fluvium, ubi is Adriatico Mari illabitur; Antonio Montefeltrio Urbium in Marchia Anconitana apud Metaurum amnem præterfluentem; Allegreto Chiavello Fabrianum oppidum in Piceni confinio ad „ Æsim fluvium, intra Montis Apennini colles; Nicolao Boscaretto Æsium in „ Marchia Anconitana; Guido Polentano Ravennam in Æmilia, inter Vitim, & Bedesem fluvios; Gentili de Varrano Camerinum in Umbria, & Apen- *Dugl. p. 4. fol. 197.*

" Apenninis Montibus, apud Picæni fines, & Utentis amnis ortum; Francisco, & Sinibaldo Ordealphis fratribus Forum-Livii in Æmilia inter Cæsenam, & Faventiam, ac inter Vitim, & Bedesem fluvios; Cæsena etiam iisdem fratribus concessa, sed Faventia Joanni Manfredo; ac ita alias Civitates aliis, qui vel pacifice, vel vi eas occupaverant, auctoritate Imperiali approbavit. His ergo motibus Ludovicus patientiam Pontificis adeo extimulavit, ut II. Idus Aprilis contra illum scripserit: *Prolixa retro &c.* & postea x. Kal. Junii ad omnes Religiosos iterum contra eumdem Apostolica diplomata expediverit: *Pridem videlicet &c.* Indic. ex Oder. n.41.

" III. Burdegalæ in Aquitania apud ostia Garumnæ fluvii urbis, Fratres nostri VI. Idus Junii pro sui Conventus Ecclesia indulgentiam obtinuerunt: *Ecclesiarum, & Monasteriorum &c.* concessa eodem tempore Monialibus Clarissis ibidem sui Monasterii reædificatione: *Devotionis vestræ &c.* Sed Ministro Generali fratri Fortanerio, ut pro suis Fratribus sex loca recipere posset Pontifex clementer indulsit: *Præclara Religionis &c.* XVIII. Kal. Octobris. Monasterio Sororum nostrarum Coloniensi deinde concessa indulgentia: *Splendor paternæ &c.* indultis etiam eisdem Monialibus privilegiis: *Sacræ Religionis &c.* XIII. Kal. Octobris, & v. Kal. ejusdem mensis Joannæ Reginæ Siciliæ ingressu Monasteriorum: *Tuæ devotionis &c.* II. Kalendas itidem ejusdem mensis Archiepiscopo Mediolanensi, & ejus Suffraganeis prædicationem Cruciatæ contra Ecclesiæ hostes indixit: *Jam dudum &c.* VIII. Kal. Novembris. Joannæ Reginæ Navarræ facultatem fecit ingrediendi Monasteria: *Devotionis tuæ &c.* Controversias vero quasdam Fratrum nostrorum Coloniensium diremit: *Bonum pacis &c.* III. Kal. præfati mensis; & Guardianum eorumdem Fratrum xv. Kalend. Decembris absolvit: *Dudum inter &c.* & fratrem Sancium ad Curiam vocavit: *Super certis ad præsens &c.* datis ad id etiam litteris pro Archiepiscopo Aquensi, & Jacobo: *Super vocatione &c.* XII. Kal. Novembris, & v. Kal. Decembris indulgentia pro Monasterio ejusdem urbis: *Licet is &c.* Lit. Pont. Ex Vatic.

" IV. Florebat in Conventu Andegavensi Rev. Pater Simon Barhon, doctrina siquidem & virtute præclarus, Ministri Provinciæ Turonensis decoratus non tantum fuit, sed etiam serenissimæ Joannæ conjugis Philippi Valesii Galliarum Regis a sacris arcanis extitit: hoc anno vero viam universæ carnis ingressus, aulæ & Religioni sui desiderium reliquit. Fr. Simon Barhon floret. Monum. MSS. Prov. Turon. maj. Ad an. 1287.

" V. Aymo vero Sabaudiæ Comes (ut anno superiori indicabamus) Yolantæ uxoris pia vota fundationis ac dotationis Capellæ sanctæ Catarinæ in Ecclesia nostrarum Minoritarum Chamberiaci incunctanter adimpleverat, eique defunctæ apud Altam Combam piissime æque ac magnificentissime parentaverat. At ipse hoc anno suprema infirmitate correptus, apud Crestum oppidum in Sabaudia, cum properaret ad Deum, bonorum operum retributorem, quam impense nostram Religionem coluisset, quamque moriens ejusdem Religiosorum precibus fideret, ultimæ suæ voluntatis tabulis ostendit; ex quibus, ne rem plus æquo exagerare videamur, sequentia fideliter excerpsimus. Ad an. 1379. Aymo de Saband. obiit.

In nomine Domini. Amen.

" VI. ANno a Nativitate ejusdem MCCCXLII. *Indict.* XII. *die Mercurii,* XI. *mensis Junii. Quia nihil &c. post pia & egregia nonnulla legata, Illustris & Magnificus Princeps Dominus Aymo Comes Sabaudiæ,*

„ *diæ, Dux Chablasii & Augustæ, in Italia Marchio, & Baroniarum Baugiaci, & Coloniaci Dominus, ac filius claræ memoriæ Domini Amedei Comitis Sabaudiæ &c. Item jussit, mandavit, voluit, & ordinavit quot annis perpetuo in festo Assumptionis B. M. Virginis in Ecclesia & Conventu Minorum Chamberiaci, unam Missam conventualem pro defunctis celebrari ad notam, & per Sacerdotem ipsam Missam celebrantem, & singulos ipsa die celebrantes, seu celebratas ibidem pro ipsius, & ejus conjugis, & aliorum de suo genere animabus, commemorationem fieri specialem: qua die voce Præconis, vel aliter prout videbitur faciendum, usque ad* IV. *millia pauperum, ad ipsam ibidem convocentur Missam: post quam Missam, factaque processione congrua pro defunctis, fiat per aliquem ex Fratribus dicti Conventus sermo congruus pauperibus, & aliis convenientibus ibidem; & specialis commemoratio, precesque Deo, & beatæ Mariæ Virgini effundantur, specialiter pro animabus ipsius testatoris, ejus conjugis, & ipsius defuncti genere conjunctorum, ac morientium in futurum, & hortentur singuli adstantes pro ipsius testatoris anima:* Ave Maria *dicere orationem: quo quidem sermone finito, singulis pauperibus usque ad complementum numeri* IV. *millium prædictorum, si tot conveniant, ipsa die donentur quatuor denariis Viennensibus, vel in alia moneta ipsos quatuor denarios valente: & prædicta distributio fiat per Guardianum, qui pro tempore fuerit: assetturque eleemosyna prædicta super pedagio Chamberiaci: & ipsa die dentur Fratribus Minoribus decem libræ prædictorum Viennensium pro una pindacia, quæ assetentur ut supra; & si defectus esset aliquo tempore, quo pedagium prædicta non valeret, hæres defectum supplere teneatur: interpositis aliis piis legatis hujus naturæ. Item legavit fratri Petro de Coysia viginti libras Viennenses per heredem suum sibi annis singulis, dum vixerit, persolvendis. Item fratri Joanni de Duyssia ejus socio Ordinis Minorum prædicti, libras decem Viennenses prædictorum, ad vitam annualiter, ut supra &c.* Tamdem dispositis, quæ mundi sunt, monumenta clausit. Ceterum tantus fuit hic Princeps, ut Ecclesiæ Dominæ nostræ Burgi Bressæ Primores, in suo Archivo specialem & perhonorificam memoriam perpetuis futuris temporibus gratis & amore habere voluerint.

ARGUMENTUM.

Audit Clemens Danielem Minoritam Regis Armenorum Legatum circa fidei puritatem in illis partibus restituendam. Ludovicus Pannoniæ Rex alium ejusdem Instituti mittit Avenionem pro impetrando Andreæ fratri Regni Neapolitani dominio. Recensentur Inquisitores & personæ illustres. Creantur Episcopi. Resipiscit Franciscus Asculanus. Numerantur Doctores. Sancia Regina Institutum sanctæ Claræ amplectitur, cujus virtutes delibantur. Extruuntur domicilia.

An.1341. n.1. I. Diximus superius, actum cum Armenis circa deponendos, & e libris suis expungendos plerosque errores, quos partim ex ignorantia, partim ex Prælatorum socordia, partim ex vicinarum nationum infectione, in gentem, alias Romanæ Ecclesiæ subjectam, & addictam, irrepsisse constabat. Hoc anno misit Guido Rex Nuncios, & Oratores, atque inter hos fratrem Danielem Armenum Minoritam sac. Theol. professorem, suorumque Consodalium Vicarium, alias ad Benedictum Pontificem missum, qui de

Vide 1341. n.1.

Fr. Daniel Legatus Regis Armeniæ ad Pontific.

de his agerent cum Clemente, significarentque, non totius gentis, sed aliquarum dumtaxat partium Armeniæ hoc malum esse. Rescripsit Pontifex etiam ab illis locis, in quos irrepserant, eliminandam esse malæ doctrinæ pestem, si vellet suis Regnis, & fidei integritati consultum. Alias prolixior de his erroribus redibit sermo; præmitto nunc hujus anni rescriptum. *An.1346. n.1.*

Carissimo in Christo filio Guidoni Regi Armeniæ illustri.

II. P*Ridem ad nostram venientes præsentiam, & tuæ Celsitudinis litteras præsentantes venerabiles fratres nostros Joannem Mascaren. & Antonium Trebesonen. Episcopos, ac dilectos filios Danielem Armenum Ordinis Fratrum Minorum, & nobilem virum Gregorium de Sargiis militem Ambaxiatores, & Nuncios Regios benigne recepimus, & quæ ipsi super ambaxiata sua curaverunt coram nobis proponere, prædictæque continebant litteræ, favorabiliter & patienter audivimus, & pleno collegimus intellectu. Et quamvis, fili carissime, tam ex propositis per ipsos Ambaxiatores & Nuncios, quam aliorum fide dignorum relatibus comperimus nimium displicenter, quod per nonnullos Armenos contra veritatem fidei Catholicæ, quam ad salutem docet, tenet & prædicat sacrosancta Romana Ecclesia Mater omnium fidelium & magistra, foventur, tenentur, & docentur, in aliquibus articulis execrandi & detestandi errores in aliquibus partibus dicti Regni; speramus tamen quod tu, fili dilectissime, qui sicut lætanter admodum intelleximus, velut Princeps Christianissimus, & ejusdem fidei splendore præfulgidus ad eam colendam & dilatandam studiis devotis & ferventibus te impendis, ad tollendos & radicitus extirpandos hujusmodi, & quosvis errores alios obnubilantes claritatem ejusdem fidei de medio fidelium dicti Regni operosis, tibique apud Deum non parum meritoriis sollicitudinibus effectualiter laborabis, ex quo quidem si hoc, ut desideranter optamus, & efficaciter petimus, feceris, proculdubio tuus & Regni tui prædicti status continuis prosperabitur successibus, & Ecclesia, quæ sic cum fide ipsa communionem habet indivisibilem, quod una in honore non habita nequit altera honorari, nec derogatur quomodolibet fidei, quominus Ecclesiæ detrahatur, tibi, tamquam prædilectissimo filio intra ipsius Ecclesiæ brachia dulciter recumbenti, aderit quantum poterit consiliis, auxiliis, & favoribus opportunis: & nihilominus ex his & aliis tuis meritoriis operibus, quibus assistente tibi gratia illius, qui dat regnare principibus, ut in Domino confidimus, insudabis, post coronam regni temporalis quod obtines, coronam perennem & immarcescibilem Regni consequeris sempiterni. Datum apud Villam-novam Avenion. Diœcef. III. Idus Septembris anno III.* *Ex lib. secr. an. 3. ep. 273.*

III. E vivis excessit anno superiori, uti narravimus, Robertus Rex Siciliæ, relicta Joanna nepte, nata Caroli filii Ducis Calabriæ, ante adeptum Regnum defuncti, quæ sceptra susciperet. Nupserat illa, Avo ita disponente, suo consanguineo Andreæ, Caroli Hungariæ Regis pridem defuncti, filio, Ludovici regnantis fratri; non licuit tamen Regni Ecclesiæ juri subjecto regimen subire absque Pontificis Romani licentia. Hanc postulaturi missi statim a Roberti Regis morte Oratores Avenionem; sed dum prorogaretur in dies ob varias, quas scriptores referunt causas, submisit alios Ludovicus præfatus Hungariæ Rex, fratris Andreæ causam, quam Summontius ceteris clarius explicat, adjuturos. Ex his unum, fratrem Dionysium Minoritam Regi familiarem, prudenter & fideliter in hac re laborasse testatur *An.1343. n.14.* *Rex Hungariæ mittit fr. Dionysium ad eumdem.* *Summont. lib. 3. ad hunc ann.*

tur Pontifex, quem negotii foeliciter peracti Nuncium remisit ad eumdem Regem, tradita epistola sequenti.

Carissimo in Christo filio Regi Hungariæ illustri.

Ex secret. an. 2. ep. 765.

IV. *Celsitudinem tuam Regiam volumus non latere, quod dilectus filius Dionysius de Ordine Fratrum Minorum, Cappellanus tuus, una cum aliis tuis, & carissimæ in Christo filiæ nostræ Elisabethæ Reginæ Hungariæ illustris genitricis tuæ Ambassiatoribus & Nunciis, super negotio carissimi in Christo filii nostri Andreæ Regis Siciliæ illustris germani tui, ad Sedem Apostolicam & nostram præsentiam destinatus, prudenter & fideliter laboravit. Cum autem eodem fœliciter, prout per nos fieri potuit, expedito negotio, sicut per alias litteras nostras eisdem Ambassiatoribus assignatas, sublimitati tuæ plenius scribimus, idem Dionysius ad tuam præsentiam de beneplacito nostro redeat; Nos ipsum qui quæcumque circa dictum negotium acta sunt, tibi referre viva voce plenius poterit, tuæ Regiæ benevolentiæ propensius commendamus. Datum apud Villam-novam Avenion. Diœcesf.* v. *Kal. Martii anno* II.

Inquisitores Fr. Jacobus, & Fr. Petrus.
Fr. Arnald. Pœnitentiarius.
Clarissæ illustres.

V. Fuerunt hoc tempore Inquisitores in Marchiæ Anconitanæ Provincia frater Petrus de Penna sancti Joannis, & frater Jacobus de Urbeveteri Pœnitentiarius Pontificius; frater Arnaldus de Lucegio, Sacellanus etiam Pontificis, frater Franciscus de Marziis, & Confessarius Joannæ Reginæ Siciliæ Minorita alter, cui simul cum Fortanerio Generali Ministro commisit plura tractanda, circa modum suscipiendi regnum jure fiduciario. Omnia hæc constant ex variis monumentis hujus anni, necnon plures nobilissimas fœminas hoc tempore sub sanctæ Claræ Instituto militasse. Sanciam Siciliæ Reginam, de qua mox largius sermonem instituemus, in Monasterio sanctæ Crucis Neapolitano. Filiam Regis Philippi & Joannæ Regum Navarræ in Longicampi, Parisien. Diœcesis. Blancham filiam Philippi Regis Franciæ in eodem Monasterio. Margaritam filiam Mariæ de Flandria Dominæ de Embodia, & de Nigella Noviomen. Diœcesis, in Monasterio de Moncello Baluacen. Diœcesis. Et Margaritam alteram filiam Mariæ Comitissæ Namurcen. in Cœnobio de Penitighien. Tornacen. Diœcesis. Harum mentio occurrit in regesto hujus anni; alias plurimas Imperatorum & Regum filias, hujus temporis Clarissas, distinctis annis opportunius recensemus.

Fr. Jordan. Episcop. Triventin.
Fr. Guillel. Archiep. Beneventan.
Ann. 1333. n. 15.
Fr. Andreas Episcop. Larinen.
Fr. Joannes Calven.

VI. Creati hoc anno Episcopi frater Jordanus Curti in Ecclesia Triventina Comitatus Molisii, sub Archiepiscopatu Beneventano, per obitum Attimboni: *Quam sit onusta*. III. Kalend. Martii: frater Jordanus hic sub anno MCCCXLVIII. translatus est ad Archiepiscopatum Messanensem. Frater Guillelmus, in Archiepiscopali Beneventana, translatus ex Brundusina, ad quam alias diximus evectum; vacabat Sedes, per obitum Arnaldi: *Romana Ecclesia*, v. Nonas Martii. Præclare se gessisse Guillelmum hunc in regimine Ecclesiæ Brundusinæ, ejusque redditus duplo & amplius auxisse testatur Pontifex in alio diplomate. Frater Andreas de Valle-Regia in Larinen. sub eodem Archiepiscopatu Beneventano, per mortem Dalphini: *Militanti Ecclesiæ*, v. Kalend. Junii. Frater Joannes de Aprino in Calven. sub Archiepiscopatu Capuano, per obitum Stephani: *Dum ad universas*. II. Kalend. Decembris,

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.
Reg. ann. 1345. litt. A. fol. 125.
Reginæ Joannæ Legatus.

„ Habetur in Registro Joannæ primæ Reginæ Neapolitanæ, Joannem hunc Episcopum anno sequenti missum in Hungariam ad seria Regni negotia peragenda, ibique hæsisse ferme per biennium.

Nea-

„ Neapolim reversus obiit anno MCCCXLVII. sepultus ad sancti Laurentii „ ubi in lapide marmoreo hoc ejus legitur Epitaphium: *Hic jacet V. P. D.* „ *frater Joannes de Arpino Episcopus Calvensis, qui obiit anno Domini* „ MCCCXLVII. *die* VII. *mensis Junii* XV. *Indictione*. „ Frater Iterius de Nabinallis consanguineus fratris Eliæ Cardinalis, in Ecclesia Minocien. in insula Cypri, sub Archiepisc. Nicosien. qui tunc erat, sive potius administrator, prædictus Elias, per translationem Lambertini ad Brixien. *Inter sollicitudines*. III. Nonas Novembris. Frater Nicolaus ad Milopotamen. sub Archiepiscop. Creten. per translationem Michaelis ad Clugiensem: *In supremæ dignitatis*. Hic misit ad Pontificem anno MCCCXLVI. quasdam querelas de bonis suis Ecclesiæ injuste occupatis a Laicis, quas Pontifex misit ad Andream Dandulum Ducem Venetum, cui tunc insula Cretensis parebat. Frater Bernardus Rubeus in Civitaten. tunc immediate subjectam Ecclesiæ Romanæ in insula Sardiniæ, sub Dominio Regis Aragonum, per obitum Laurentii: *Inter sollicitudines*, XVIII. Kalend. Julii.

Eugen. in Neap. sacr. fol. 122.

Fr. Iterius Minocien.

Fr. Nicol. Milopotamen.

Fr. Bernard. Civitaten.

VII. Mortuo Michaele Cæsenate, uti diximus anno superiori, explicatoque, sub mortem dolore, quod Pontificiis restiterit decretis, ad ejus exemplum resipuit frater Franciscus Asculanus, cujus doctrina & auctoritate fuerat seductus. Virum hunc doctissimum sacræ Theologiæ Professorem, alias diximus, Cæsenati adhæsisse, sed tamdem ad cor reversum Monachio discessisse. Venit hoc ipso anno Avenionem, & Clementis clementiæ, se suaque commisit, humiliter sui errati veniam exposcens. Facile indulsit Pontifex videns, non hæreticæ pravitatis malitia actum, sed indiscreto zelo sui defendendi Instituti seductum, restitisse, & errasse in iis dumtaxat, quæ controversiam concernebant paupertatis, temereque ac stulte ex ea deducebantur circa personam Pontificis Joannis. In his ergo, in quibus erravit, præmissa coram Clemente retractatione, quam subjicimus, benigne & humaniter restitutus est in pristinum gradum & auctoritatem, quibus antea fungebatur in religione. Exemplar misit Pontifex ad Ministrum Generalem, ut si qui alii Michaelis sectatores superessent, & admitti vellent, hanc suæ fidei professionem coram ipso præmitterent, & a censuris absoluti ad Sedem Apostolicam remitterentur. Ita vero professus est Franciscus: *Ego frater Franciscus de Esculo Ordinis Minorum, recognoscens veram Catholicam, & Apostolicam fidem, fateor me illam fidem firmiter credere, & tenere, quam sacrosancta Romana Ecclesia, quæ Mater est omnium fidelium & magistra, tenuit, & docuit, tenet, & docet, & quam sanctissimus in Christo Pater Dominus Clemens Papa VI. cum sacro Collegio Cardinalium tenet & docet. Et præcipue credo & teneo, cum etiam scriptura sacra in plerisque locis hoc asserat, Redemptorem nostrum & Dominum nostrum Jesum Christum, ejusque Apostolos nonnulla habuisse, & quod asserere pertinaciter, quod Christus & Apostoli nihil habuerint in proprio vel communi, est erroneum & hæreticum; & quod Christus & ejus Apostoli habuerunt in rebus, quibus usi sunt, jus utendi & faciendi ea, quæ scriptura sacra testatur eos fecisse, & quod usus non possit esse justus absque omni jure utendi, & quod in præmissis fel. rec. Joannes Papa XXII. recte & catholice definierit, in constitutione sua quæ incipit*, Cum inter nonnullos, *quam reputo Catholicam, & contrarium tenere post decretalem, & ejus publicationem pertinaciter, ore & corde, profiteor prout ipse in dicta sua constitutione declaravit, erroneum & hæreticum fore. Et doleo & me pœnitet, quod unquam aliquid scripserim, dixerim, vel fecerim, contra ipsam, & specialiter de verbis excessivis, quæ credens zelare pro Ordine meo adversus præfatum Dominum Joannem scripsi,* di-

Ann. 1343. n. 13.

Fr. Franc. Asculan. resipiscit.

Ann. 1328. n. 19.

Ex lib. secr. an. 3. epist. 38.

dixi, vel feci, & peto veniam, gratiam, & misericordiam de præmissis. Et confiteor, dictum Dominum Joannem toto tempore, quo regimini universalis Ecclesiæ præfuit, verum & Catholicum Papam fuisse, & ipsum catholice & ut verum, & fidelem Christianum vixisse & obiisse. Et hanc meæ fidei brevem confessionem & annotationem juro & suppono correctioni, & emendationi, ac suppletioni ejusdem sancti Patris & Domini nostri Papæ Clementis VI.

Guillelmus Farinerius fit S. Theologiæ Magister.

VIII. Guillelmus Farinerius Provinciæ Aquitaniæ vir doctus, qui Fortanerio Vassalli hujus temporis Ministro Generali in officio successit, hoc anno in Universitate Tholosana assumptus est ad gradum Magisterii, sub Jordano Curti, ejusdem Ordinis Theologicæ facultatis Professore, quem paulo ante diximus assumptum fuisse ad Episcopatum Triventin. De his scripsit Pontifex ad Archiepiscopum Tholosanum, nec non ad Cancellarium Ecclesiæ Parisien. circa similem gradum conferendum fratri Rogerio de Palhariis sacræ Theologiæ Baccalaureo. Alios multos viros doctissimos circa hæc tempora floruisse scribit, sub hoc anno Marianus. In Provincia Angliæ fratrem Joannem Borroes Magistrum Parisiensem, Joannem Occhamum, qui directorium juris, Joannem alterum cognomento Lectorem, qui summam Joanninam; Henricum Anglicum, qui varia Quodlibeta, Henricum de Huda, qui commentaria in quatuor libros sententiarum scripsit; Hugonem Bilionium, & Rogerium Chanoe Custodiæ Novi castri. Horum non meminit Pitseus in suo de scriptoribus Anglicis commentario. In Provincia Januensi Henricum de Monte Jardino egregium concionatorem, & Evangelii Joannis commentatorem. Jacobum Henricum de Alba, Custodiæ Astensis, qui varios Philosophiæ libros scripsit, & Roberto Regi Siciliæ dedicavit. Manfredum de Terdona Custodiæ Papiensis, qui varia sui ingenii edidit monumenta, atque inter hæc mediocre volumen scripturæ explicandæ opportunum, Polylogium nuncupatum. Franciscum de Abbate, & Joannem de Monte Casali insignes Prædicatores, qui varios hujus ministerii tractatus edidere. In Provincia Tusciæ Sinibaldum de Figlino, Jacobum de Mugello, Joannem de Scopeto, Modestum Antiquum, qui eadem ætate legerunt Parisiis, & sub eodem ferme tempore decesserunt; in Etruria Joannem Gervasii doctum verbi divini disseminandi ministrum, qui pro omnibus anni festivitatibus sermones conscripsit; Leonardum de Monpolitiano virum doctrina, & virtutibus illustrem. In Provincia Mediolanensi Jacobum de Laude, qui Summam casuum conscientiæ scripsit. In provincia Terræ laboris & Custodia Beneventana Franciscum de Aquaputrida, qui ad conclusionum compendium universam reduxit philosophiam, & librum edidit, Diadema Philosophorum nuncupatum. In provincia Siciliæ & Custodia Syracusana Joannem de Noto clarissimum Theologiæ Magistrum, in qua plures scripsit tractatus.

Item Roger. de Palhariis.

Marian. cit. cap. 31.

Viri docti in Anglia.

Alii in provincia Januensi.

Alii in Tuscia.

Alii in tractu Mediolan. & Regnis Siciliæ.

Alii alibi.

IX. In aliis variis provinciis, haud tamen certis, sub hoc eodem tempore hos, qui sequuntur, enumerat. Durandum de Francia, qui Summam scripsit pro Confessariis instruendis, Joannem de Saxonia alterius Summæ auctorem, Rodulphum de Bribaco qui librum de itineribus æternitatis, Bartholomæum Aromatarium, qui librum edidit Distinctionum, Porogaldum Episcopum, Bertrandum Lectorem Montispesulani, Gualfridum, Franciscum Spoletanum, Joannem Brixiensem, Nicolaum Rodulphi, Philippum de Monte Castelli, Jacobum de Sinopoli, Marianum de Montemellino, Joannem Philippi, Jacobum de Gallio; quos ait scientia illustres, plurimum suis scriptis Sodalitium illustrasse. Aliquorum ex his iterum opor-

portunius redibit mentio, sub illis præcisis annis, quibus maxime floruerunt; neque enim asseveraverim omnes sub hoc tempore vixisse.

X. Hoc anno (non præterito uti scribunt Marianus, & Marcus Ulyssiponensis,) die XXI. Januarii, expleto anno viduitatis, Sancia Regina Siciliæ, mundo, quod diu in votis erat, valedixit. Sanctæ Claræ subiit Institutum, juxta rigorem primæ regulæ, quem ipsam diximus, in Monasterium sanctæ Crucis introduxisse. Paucis ante ingressum diebus regios redditus, & quas habuit facultates in pauperes & pios usus distribuenda commisit viris principibus, qui ultimam & Christianam ejus voluntatem testamento declaratam exequerentur: summam tamen rerum & præcipuam curam reposuit penes fratrem Guillelmum Episcopum Scalen. „ suum olim confessarium, & „ fidum consiliarium, „ & fratrem Robertum de Mileto, viros timoratæ conscientiæ ex Ordine Minorum. Omnia hæc, & concessiones, donationes, ac indulta mariti sui Roberti, ac Reginæ Joannæ, Roberti neptis, voluit a Pontifice confirmata, cujus instrumenta dabimus in regesto. His præmissis, die prædicto suscepit humiliter, & egregiæ humilitatis argumento, humilem, & abjectam vestem ex manu Fortanerii Ministri Generalis, a quo imponi sibi Claræ de sancta Cruce nomen, Monialibusque præceptum ne amplius Sanciam, aut Reginam appellarent, impetravit. Vixit hic raro virtutis, pietatis, & humilitatis exemplo, annum unum, menses sex, dies septem; obiit enim sanctissime anno sequenti, die XXVIII. mensis Julii. Unde mendum est apud Cæsarem Engenium, & Antonium Summontium, qui menses dumtaxat sex, & dies septem ejus monachatui præscribunt. Hoc eodem anno Engenius initiatam & defunctam scribit: sed Summontius nobiscum in anno, & die, quo Institutum amplexa est, & vitæ finem posuit, aperte concordat; quod amplius ex sepulcri epitaphio confirmabimus. Parentarunt ei Joanna Regina, & regni proceres die sequenti, & ad similitudinem Mausolæi Roberti conjugis erexerunt ei sepulcrum marmoreum pulchre elaboratum, super altare majus ipsius Monasterii, in quo decessit, apposita ejus imagine religioso habitu & corona insignita. Aureis litteris incisum hoc Cœnotaphium, quod ipse non semel ibidem perlegi.

Marian. citat. Marc. lib. 8. cap. 49.

Sancia Regina fit Clarissa.

Ann. 1142. n. 64

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

Engen. in Ecclef. S. Crucis.

Summont. cit.

Hic jacet summæ humilitatis corpus venerabilis memoriæ sanctæ sororis Claræ, olim Dominæ Sanciæ, Reginæ Hierusalem, relictæ claræ memoriæ Serenissimi Domini Roberti Hierusalem & Siciliæ Regis, quæ post obitum ejusdem Regis viri sui, agens viduitatis debitæ annum, deinde transitoria cum æternis commutans, ac inducens in ejus corpore pro amore Christi voluntariam paupertatem, bonis suis omnibus in alimoniam pauperum distributis, hoc celebre Monasterium sanctæ Crucis opus manuum suarum, sub Ordinis obedientia est ingressa anno Domini MCCCXLIII. *die* XXI. *Januarii,* XII. *indict. in quo vitam beatam ducens secundum Regulam beati Francisci, Patris pauperum, tandem vitæ suæ terminum religiose consummavit anno Domini* MCCCXLV. *die* XXVIII. *Julii,* XIII. *Indict. sequenti vero die peractis exequiis tumulatur.*

XI. Si ulli unquam Principi ob recepta beneficia se obstrictam fatetur Sodalitas Minorum, vel huic maxime Reginæ, cujus tanta fuit erga eosdem benevolentia & beneficentia, ut nihil missum fecerit, quo ingenui possint homines devinciri. Matrem se exhibuit omnium in sublevandis necessitatibus; sororem in facili accessu & familiari colloquio, deposito majestatis supercilio; protectricem in depellendis adversariis; patronam in agendis causis apud Pontifices & Principes; auxiliatricem in promovendo Instituto, & multiplicandis domiciliis. Plæraque hujus munificentiæ dedimus per varios an-

Quanta Minoribus côtulerit beneficia.

annos argumenta. Aliquot ejusdem exscripsimus epistolas ad Ministros Generales, & totius Ordinis comitia, quibus intimum erga Sodalitium expressit affectum. Monasteria Monialium insignia quatuor Neapoli; aliud Aquis in Gallia extruxit. Hierosolymis incolatum Fratribus impetravit, & Cœnobia ædificavit, Neapoli alterum erexit, & alibi plura restituit. Amorem hunc a parentibus & consanguineis religioni summe addictis, quos ipsa recenset in epistola ad comitia generalia missa, abunde hausisse testatur. Ubi etiam se deprædicat sanctæ Elisabethæ Hungaricæ Franciscanæ, sancti Ludovici Episcopi Tholosatis, Minoritæ consanguineam, & fratris Jacobi Majoricen. Jacobi Regis primogeniti, qui spreto Regno, Minoribus nomen dedit, germanam sororem.

An.1334. n.12.

XII. Diximus superius, Ecclesiam Trinitatis a Sancia Regina fundatam pro Fratribus Minoribus, qui Sororibus sanctæ Crucis inservirent. Hos isthoc anno invenimus in confirmatione diplomatis Joannis Archiepiscopi Neapolitani, decem fuisse sub nomine Eremitarum ac vitæ solitariæ professorum audivisse. Fuisse vero Franciscanos mihi aperte constat, dum primus, qui inter eos nuncupatur frater Robertus de Mileto, in alio diplomate, quod citavimus, & integre referimus in regesto, expresse asseritur fuisse Ordinis Minorum. Ecclesiæ & Fratrum institutio constabit ex Archiepiscopi & Pontificis diplomate: *Ferventis devotionis*, XIX. Kalend. Januar. Hi vero Fratres sive Eremitæ postea addicti sunt Sororum ministerio.

An.1338. n. 21. Conv. Trinitatis Neapoli.

Hoc an. n.10.

XIII. Hoc anno in insula Trinacriæ concessam Fratribus in oppido Torturicorum Ecclesiam sanctæ Marinæ, ut contiguum sibi ædificarent habitaculum, refert Rodulphus, & Randacii aliud extruxisse Elisabetham Reginam, Ludovici ac Friderici III. Regum genitricem, impetrata prius facultate a Clemente VI. idque factum asserit anno MCCCXXXIV. Sed mendum esse in notis judicaverim, atque ita transponendas, MCCCXLIII. neque enim sub illo anno sedit Clemens VI. qui anno MCCCXLII. assumptus est ad Pontificatum. Primi Conventus mentionem agit Rodulphus in custodia Messanæ, secundi in Custodia Drepani. Pisanus primi non meminit, de secundo agit in Custodia Messanensi.

Conv. Torturicorum. *Rodul. fol. 280. & 281.* Conv. Randacii

XIV. Concessit hoc anno Pontifex facultatem nobili viro Guillelmo Dunenuordio, Domino de Osterhont, ærarii Præfecto apud Comitem Hollandiæ, ut in Opbrussella in loco Condendoerster nuncupato, Cameracen. diœcesis Clarissis Monasterium ædificaret: *Piis desideriis*, XV. Kalend. Februar. Primum ab eo jactum lapidem anno proximo præterito die XVI. Octob. ait Henricus Sedulius, vir recolendæ memoriæ, noster olim amicus, in monumentis Germaniæ inferioris a se collectis, apud me MSS. Et evocatas ex Nussiæ Monasterio Sorores tres, atque ex Luxemburgensi alias totidem, quarum magisterio novitiæ regulam & vitam inchoarent. Ecclesiam & altaria ex commissione Pontificis consecravit anno MCCCXLVI. Matthias Episcopus Trapezundæ, sed eo loco a Geuziis Monasterio destructo, migrarunt in Villam interiorem Bruxellarum, occupato procerum beneplacito Hieronymianorum Collegio, cum anno MDLXXXV. Dux Parmen. Bruxellam in Regiam potestatem a Geuziis vendicasset.

Monast. Bruxellen.

XV. Similiter indulsit Pontifex fratri Guillelmo Archiepiscopo Brundusino, quem hoc anno diximus translatum ad Ecclesiam Beneventanam, ut in Castro Civitellæ Aprutinæ diœcesis, unde erat oriundus, Monasterium ejusdem Instituti fundaret & dotaret: *Speciosus forma* IV. Februar. Quando hoc accepit diploma, Monasterium magna ex parte fundaverat & dotaverat, & alio diplomate Pontifex omnibus vere pœnitentibus, & confessis qui

Monast. Civitellæ.

Ec-

Ecclesiam dicti Monasterii post collocatas illic Abbatissam & Sorores, in festo sanctæ Claræ devote visitarent, annuatim unum annum & quadraginta dies de injunctis pœnitentiis misericorditer relaxavit. Sub hoc tempore Agnetem Hungariæ Reginam construxisse ac de bonis propriis dotasse Monasterium Clarissarum Campi Regii Constantiensis diœc. constat ex diplomate, quo Pontifex liberum ad illud ei concedit ingressum: *Devotionis tuæ* XI. Kalend. August. Clarissis Monasterii Longicampi indulsit ut Parisiensis Antistes sive alius pro necessariis functionibus ab ipsis requisitus, cum decenti comitatu ingredi possit earum clausuram: *Sacræ Religionis* IV. Idus Maii. Et ex alio diplomate constat, Monasterium sanctæ Claræ Burdegallen. sub hoc tempore translatum esse ad ipsam Civitatem propter bella, quæ inter Reges Franciæ & Angliæ frequenter vigebant. Mon. Campi Regii.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. Clemens Pontifex, expeditis litteris ad Episcopum Barchinonensem pro Monialibus Castri de Gasseriis: *Circumspecta &c.* XII. Kalend. Februarii, & facta facultate permutandi Conventum Montorii Aprutini: *Inter ceteros &c.* Kalend. Martii, Monialibus Monasterii Monticelli, seu Moncelli in diœcesi Belluacensi in Belgio, plura vel præscripsit, vel concessit sub V. nonas Maii; præscripsit quidem Sororum numerum: *Quanto studiosius &c.* modum circa recitationem divini officii: *Religionis vestræ &c.* & etiam circa servitrices nonnulla ordinavit: *Speciali gratia &c.* & Monasterii capellanos: *Sinceræ devotionis &c.* necnon ejusdem confessores: *Benigno sunt &c.* ac tamdem idipsum desiderantes regimini Fratrum Minorum commisit: *Merita vestra &c.* concessit vero liberam sepulturam in earum Ecclesia: *Ex injuncto &c.* successionem in bonis temporalibus: *Movet animum &c.* privilegia aliarum Clarissarum: *Sacra vestra &c.* ac tamdem exemit a decimis solvendis: *Pium, & congruum &c.* sed Monasterio Burdegallensi earumdem nostrarum Sororum indulgentiarum concessione VI. Idus Junii favit; sed fratri Gerardo Odonis, sive Ottonis alias Ministro Generali Ordinis, quem paulo ante ad Patriarchatum Antiochenum sublimaverat, ac eidem administrationem Ecclesiæ Catanensis in Sicilia commiserat, decimas quasdam decrevit idibus Junii: *Susceptæ servitutis &c.* & VII. Kalend. Julii. Fratri Arnaldo de Lucegio Inquisitori in Provincia Marchiæ Anconitanæ, & ejus cappellano pro quadam summa pecuniæ scripsit: *Exigit tuæ &c.* Fratri vero Eliæ de Nabinallis, sive de Annibaldis, ut habet Rodulphus, provinciæ Aquitaniæ, post Patriarchalem dignitatem Hierosolymæ, & administrationem Nicosiensis Ecclesiæ in Cypro, creato Cardinale presbytero tituli sancti Vitalis, ejus paupertati ex professione occurrens, plura ut posset habere beneficia indulsit, simul & concessit sub VIII. Kalend. Octobris: *Dudum ad personam &c.* item: *Apostolicæ Sedis &c.* & quamdam Abbatiam pariter III. nonas Octobris. Litt. Pontif. Indic. ex Vatic. Ex Vatic. Wad. ad ann. 1344.

„ II. Hæc inter, frater Petrus Minister provinciæ Boemiæ, & Poloniæ cum anno præterito Pragæ in festo sancti Francisci Comitia indixisset, hoc anno MCCCXLIV. Fratres Boemi obedientiæ ejus Nuncium remiserunt, consortium unitatis per scissuram dissolvere ordientes, dum ei obsequium præstare denegarent: quæ res dum pervenisset ad notitiam Fortanerii Ministri Generalis, hic illico misit visitatores fratrem Bartholomæum Rose Lectorem Ratisponensem, & fratrem Wenceslaum Lectorem Noriber-

„ gen-

„ gensem: qui utriusque partis causis utcumque consarcinatis, non in toto „ animos a simultate immunes reliquerunt.

„ III. Joanna de Sab. Joannis III. Britanniæ Ducis quomdam uxor „ commemorari merito poscit: hæc viduata viro, pietatis operibus in Deum, „ & homines intenta, Vincenis, dum apud Lutetiam Parisiorum supremum „ suæ vitæ die XXIX. Junii absolvit, suum cadaver humandum Minoritis, „ quorum Religionem impense, more suorum, diligebat, religiose remi- „ sit. Dyonum igitur translato, apud eosdem Minoritas in nobili mauso- „ læo marmoris nigri, a solio elato, locatum fuit, hoc adjecto epitaphio.

Joanna de Sabaud. obit.

Epitaphium ad ejusdem mausoleum.

„ *Cy gyt tres-Noble, & Honorable Dame*
„ *Madame Jeanne de Savoye, jadis Duchesse*
„ *de Bretagne, Fille de Monsieur Heduart*
„ *Conte de Savoye, & de Madame Blanche*
„ *de Bourgogne, qui trepassa au Bois de Vinc.*
„ *lez Paris, l'an de grace* MCCCXLIV.
„ *le* XXIX. *jour de Juin.: Priez Dieu, que*
„ *mercy lui fasse. Amen.*
„

„ Hoc vero Mausolæum omni magnificentia extructum, post annos quinque, „ vel sex, per Religiosos ejusdem Monasterii, sub prætextu ampliandi Ec- „ clesiæ chorum, demolitum fuit: quam actionem, ut animadversione di- „ gnam, Samuel Guichenojus damnat.

Guich. hist. Sab. tom. 1. c. 21.

ARGUMENTUM.

Martyrio coronantur fratres Livinus & Joannes de Montepolitiano. Moritur in Gothia beatus Algotbus. Creantur Episcopi. Pontifex succurrit Christianis in Romania afflictis. Propagatur Religio.

Chron. antiqua. Maria. c. 12. Marc. lib. 9. c. 7. Fr. Livini Galli. tirocinia & virtutes.

I. HOc anno gloriosum subiit Martyrium in Chairo Babyloniæ minoris, religiosus & doctus Pater Livinus Provinciæ Franciæ alumnus. Ut Minorum vitam vellet imitari, & a Fratribus reciperetur, suasit efficaciter Venerabilis Vir frater Adamus ejusdem Provinciæ egregius Concionator, qui Livini religiose educandi, & virtutibus imbuendi in se curam assumpsit, præsagiens qualis futurus erat in Sodalitio. Nullus eo humilior, nullus continentior, nullus animi tranquillioris. Vividum & acutum licet præferret ingenium, & ob bene impensam in studiis operam, quantumvis Theologicæ facultatis ei Cathedræ offerrentur regendæ, noluit acquiescere; eligens potius humilitatis & orationis virtutibus acquirendis diligenter incumbere. Magistrum suum ad Terræ sanctæ loca proficiscentem Martyrii flagrans desiderio comitatus, aliquanto tempore in sacro Conventu Montis Sion habitavit. Dum in Ecclesia eo in loco, quo fuit cænaculum cœnæ Dominicæ quadam nocte oraret, & ingens illud beneficium instituti Sacramenti Eucharistiæ meditaretur, apparuerunt tres globi sive circuli ignei super Ecclesiam: Saraceni putantes templum flammis devastari, accurerunt Fratres auxiliaturi; sed dum omnia lustrant, solum Livinum igneo fervore orantem a terra elevatum conspiciunt. Chairum missus ad Christianorum obsequia, quædam incepit opuscula in Christi infantuli, & Mariæ genitricis encomium; sed aliis rebus distractus non perfecit. Apparuit ei beata Virgo absque filio, quem alias dum ei appareret, gestabat in ulnis; cui Livinus: *ubi sacratissima*

Apparent super eum globi ignei. B. Virginem alloquitur.

ma genitrix tuum filium, Dominum meum reliquisti? At illa: *tibi successit, qui laudes ejus a te inchoatas, neglexisti, resume laborem, & non solum suo te conspectu dignabitur, verum etiam martyrii, quod vehementer cupis, corona laureabit.* Opus continuo studio prosequutus Livinus, absolvit, & deinceps majori ferebatur studio martyrii.

II. Pacifice omnia tunc gerebantur erga Christianos, neque suo fruendi desiderio videbatur spes ulla relicta, nisi oblata occasione publica in se provocaret Sarracenos. Nihil magis illis intollerabile, quam si contemptibiliter quispiam illorum ingrediatur Mesquitam, aut in illorum legem intrepide verba faciat. An vero ita facere cum manifesto vitæ periculo liceret, cœpit dubitare, ne sui videretur homicida. Atque ut temere non ageret, in scripta redegit rationes in utramque partem dubitandi, & doctum composuit de hoc dubio tractatum, quem summa animi submissione Romanæ Ecclesiæ subjecit censuræ. In eam vero ipse abiit sententiam, quod & Sarracenorum fana ingredi, & Mahumetanorum legem publice improbare liceat; quod probatum voluit doctorum virorum testimonio, & plurimorum martyrum sanctorum exemplo. Ad rationem contrariam potissimam de homicidio voluntario, quod ex hujusmodi actibus videtur deduci, respondet, non hoc contumelioso nomine vituperari posse, quod tot fidei pugiles, doctrinæ Christianæ antesignani præstiterunt. Neque adeo certo sequi mortem ex ingressu Mesquitæ, aut prædicatione Evangelii probavit exemplo multorum, quos nominatim recenset, qui & ingressi sunt & prædicaverunt impune, ut propterea sui, qui ita fecerit, dicatur occisor. An liceat infideles in sui perniciem concitare?

III. Hac statuta doctrina, decrevit facere, quod scripsit, & feria VI. desiderans pro eo mori, qui illo die pro nobis pati dignatus est, ad horam orationis nonam intravit in Templum, quo convenerant Sultanus & populus ad orandum. Deinde voce magna gallica lingua clamans improbavit orationes eorum, quas absque vera Christi fide dixit inanes: Et conversus ad Sultanum inquit: *ut quid tu in vanum oras? si credideris in Jesum Christum ascendent orationes tuæ in conspectu Domini, & in omnibus, quæ juste petieris, exaudieris, surge itaque & baptizare in nomine sanctæ Trinitatis, quod si non feceris, sed in tua perfidia persliteris, scias te morte æterna condemnandum.* Adfuerunt aliquot interpretes, & ex Christianis qui fidem abnegarunt, hi Sultano furenti retulerunt, quod Livinus in suæ sectæ opprobrium pronunciavit. At ille divino æstu correptus, idiomate Arabico, quod prius non callebat, audacter, & clare eadem repetiit, & plura in hanc sententiam adjecit. Majori accensus furore Sultanus ad satellites inquit: *Moriatur porcus iste* (ita ob contemptum appellant Christianos, quibus succensent) *qui ausus est sacram domum pollutus intrare, & condemnare legem nostram & gentem.* At paulo post volens ejus fidem labefactare & ad suam perfidiam attrahere, promissis divitiis multis & honoribus, suadebat, ut quæ dixerat, retractaret. Cui Livinus: *ut quid mihi cito peritura promittis? si tu credideris in Dominum Jesum Christum, ego tibi thesauros in perpetuum duraturos ostendam, & vitam æternam promitto.* Ad hæc irruenti & furenti populo persuasit Sultanus insaniisse misellum, atque ex nimia abstinentia (pallebant enim ora jejuniis, & vigiliis, quibus se ad hoc certamen præparaverat, & habitu squallidus, nudis pedibus absque sandaliis incedebat) versum esse in furorem: *Facite* inquit, *ut reficiatur, & in se reversus quæ insane effutivit, revocabit.* Custodia adhibita, eductus extra Mesquitam in domum cujusdam Sarraceni, qui hanc in se curam assumpsit, manducavit, & illo die quievit. Totam autem noctem in Dei oratione consumpsit, Audacter invehitur in Legem Sarracenorum. Capitur & torquetur.

mu-

muniens se spiritualibus armis adversus tentationes futuras. Die sequenti productus in medium fortius & constantius legi insultabat Mahometanæ, & Christianam commendabat; quod ægre ferens Sultanus, jussit, in carcerem, detrudi.

IV. Die Dominico in quæstionem vocatus, cur ita insane exprobraret credulitatem Sarracenorum? respondit: *ut languentes curarem, & in æternum perituros Christi fide vivificarem. Caritas Christi urget nos, ut vestram salutem opportune, importune, etiam vobis contradicentibus, & frementibus procuremus.* Secundo conjectus in carcerem, die Lunæ in judicium ductus præsentibus Sarracenorum Cadinis sive sacerdotibus, circa multa interrogatus, intrepide respondit in contumeliam Mahometanorum. Irati flamines Sultano dixerunt nimis indulgenter agi cum homine Mahometis inimico, & suæ legis contumeliatore, neque amplius differendum esse supplicium. Sultanus ne suæ fidei videretur esse contemptor, Livinum tradidit voluntati eorum puniendum. Illi furore incensi pugnis & calcibus male affectum, duxerunt in publicum urbis forum, ubi convocato populo, Dei servum, Christum & Virginem Mariam fervide invocantem capite abscisso detruncarunt. Nuncio misso Hierosolymas, dum hæc audivit Livini præceptor Adamus, ad discipuli triumphum exultavit, sed se derelictum ingemuit. Cupierat enim in Cairum proficiscenti adsociari, sed infirmitate gravatus non potuit particeps esse Martyrii. Ita ingemiscenti & in Ecclesia montis Sion oranti apparuit Vir Dei dicens, noli mæstus esse bone præceptor, sed in Domino confortare, quia dabit tibi petitiones cordis tui, & secundo apparens, ostendit ei volumen magnum, in quo erant scripta nomina omnium Fratrum, qui digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati, & qui inposterum erant insigniendi corona martyrii.

Occiditur.

Apparet suo Magistro.

Marian. cit. Marc. cit. c. 9. F. Joan. de Montepolitiano errantem Christianum reducit.

V. Eodem anno circa Aprilis medium in eadem Civitate frater Joannes de Montepolitiano Provinciæ Tusciæ Martyrii lauream assecutus est. Cum enim quidam Christianus Januensis fidem abnegaret, frater Joannes secreto cum eo habito colloquio, ut ad cor rediret, errorem abjuraret, & ad tormenta quæque pro Christi nomine sufferenda, se fortiter præpararet, efficaciter persuasit. Obsequutus Januensis religiosi viri consilio, abjurata coram testibus perfidia, sacris Ecclesiæ Sacramentis præmunitus, in publico Sarracenorum consessu, in ipsa Mesquita retractavit, quæ prius dixerat contra Christi fidem, & detestabilem proclamavit Mahometanam. Statim captus, & in vincula conjectus, variis tormentis examinatur, quare quam sponte amplexus est Mahometis legem, tam cito derelinquat. Cum nihil ab eo extorquere possent, quam quod ita suæ animæ saluti expediret, aliunde sciverunt conversionis auctorem fuisse hunc Minoritam, missis Apparitoribus Magistrum cum discipulo carceribus includunt, mox variis modis tentant an a sua fide ad Mahometanam velint transire. Cum nulla id arte neque minis, neque blanditiis, neque ullis tormentis assequi possent, Januensem decollarunt, & fratrem Joannem a capite deorsum medium sciderunt, qua ratione factum est, ut insigne sui Magisterii præmium reportaret, & quo præmisit discipulum, ipse sequeretur gloriosus.

Cum quo simul occiditur.

Birgitta lib. 6. revel. c. 31. Joan. Vaston. in Viti Aquilonia. B. Algothi adolescentia & virtutes.

VI. Hoc etiam anno, Scaris in Gothia ad cœlos evolavit beatus Algothus, cujus sancta Birgitta honorifice meminit in suis revelationibus. Bonam a Deo sortitus animam, a puero pietatem cum litteris assidue imbibit, & postquam humanioribus excultus fuisset, Lutetiam Parisiorum ad solidiora studia sese contulit, ibique partim Philosophicis, partim Theologicis tamdiu operam dedit commentationibus, donec doctoris in sacra Theologia insigne mereretur. Inde postmodum rediens, tam amplo litterarum ditatus

talento

talento Deo inſervire diſpoſuit, ſtatimque ſeculo renuncians, habitum ſuſcepit Franciſcanum. Quare liberior in ſervitiis divinis factus, bonis operibus perpetuo erat intentus, ut malignus ſpiritus hoſtis humani generis perpetuus, eum ſemper occupatum inveniret. Caſtitatis fuit per quam ſtudioſus, obedientiæ ſanctæ conſtanter addictus; paupertate & humilitate facile omnes anteibat, concionibus quoque ad populum frequentibus mirifice incendit corda auditorum, & animos ad pietatem commovit: erant nimirum verba illius ſpiritu plena, interiora animi penetrantia.

VII. Porro cum ubique, tum Scaris ubi monaſterii Guardianum agebat, magna doctrinæ ac ſanctitatis ſuæ reliquit monumenta, donec laboribus feſſus, tribus ante mortem annis, cæcitate ad meritorum cumulum majorem, & patientiæ præmium uberius, percuſſus, & gravi dolore calculi preſſus, ſine quievit beato. Aderat tunc Scaris beata Birgitta, & Deum præpotentem ſollicite precabatur pro Algotho ut ſanaretur. Orando autem audivit in ſpiritu reſponſum tale: *Ipſe eſt ſtella quædam fulgida, non expedit ut fuligine vitæ mortalis denigretur ejus anima; jam enim certamen certavit, & curſum conſummavit, & nihil reſtat, niſi ut coronetur. Et hoc erit tibi ſignum, quod ab iſta hora alleviabuntur dolores carnis, verum anima ardentiori inflammabitur caritate mea. Deinde ad animam converſa vox: veni electa mea in gaudium, quod deſideraſti: veni ad dulcedinem, quæ numquam finietur perfruendam, fonte vitæ inebriaberis, cujus rivulos tantopere ſitiviſti.* Quæ dum cupide audiret, beatus ſpiritus corporeis exolutus vinculis, ſuperorum choris eſt inſertus. Sancte moritur.

VIII. Hi aſſumpti ſunt hoc anno ad Epiſcopatus, frater Franciſcus de Marziis Sacellanus Pontificis, uti diximus anno antecedenti, ad Laquedonen. in regno Neapolitano, & Regione Hirpinorum ſub Archiepiſcopo Compſano, per obitum Nicolai: *Angit nos cura paſtoralis.* VII. Kal. Martii. Ad Tanenſem in extimis terminis Ponti Euxini jam dudum vacantem, frater Henricus: *Regimini univerſalis.* XVIII. Kal. Sep. Ad Teleſinum in Regno Neapolitano ſub Archiepiſcopo Beneventano, frater Matthæus de Aqua putrida, per obitum Thomaſii: *Paſtoralis Officii.* Idibus Julii. Ad Adiacen. in Corſica ſub Archiepiſcopo Piſano, frater Bertrandus Eſcarpiti, per obitum Manfredi etiam Minoritæ: *Militanti Eccleſiæ.* XII. Kal. Julii. Ad Gabulen. ſub Patriarcha Antiocheno jam dudum vacantem frater Adamus: *Apoſtolatus Officium* IV. Nonas Julii. Ad Orthoſien. ſub eodem Patriarcha etiam dudum vacantem, frater Arnaldus: *Inter ſollicitudines.* V. Nonas Julii. Ad Galtelinum alias Caltelnen, ſive Catellinen in Sardinia, frater Franciſcus Goſaldus electus eſt a Capitulo, qui tamen negotium ſuæ electionis non eſt proſequutus.

Fr. Franc. Epiſc. Laquedon. An. 1344. n. 5.
Fr. Henric. Tanen.
Fr. Matth. Teleſinus.
Fr. Bertram. Adiacen.
Fr. Adamus Gabulen.
Fr. Arnal. Orthoſien.
Fr. Franc. Galtellin.

Ad Archiepiſcopatus electi ſunt qui ſequuntur. Ad Naupacten. tunc ſub ditione Roberti Principis Tarentini, nunc a Turcis occupatum, ad cujus ſinum Chriſtiani inſignem illam victoriam navalem contra Turcas anno MDLXXI. Duce Joanne Auſtriaco obtinuerunt, frater Euſtachius de Ancona, tunc Guardianus Clarenciæ, Diœceſis Olen. in Romania, per obitum Joannis: *Summi diſpoſitione rectoris* VI. Kal. Julii. Ad Seleucien. ſub Patriarcha Antiocheno dudum vacantem, frater Pontius: *Inter ſollicitudines.* VII. Idus Auguſti. Ad Theſſalonicen. in Theſſalia, ſub Patriarcha Conſtantinopolitano, etiam dudum vacantem, frater Ludovicus de Urbeveteri: *Regimini univerſalis Eccleſiæ* III. Kal. Auguſti.

Fr. Euſtach. Arch. Naupacten.
Fr. Pontius Seleucien.
Fr. Ludovic. Theſſalonicen.

IX. Chriſtianis in Romania afflictis, & Turcarum feritati relictis in prædam, compatiens Clemens Pontifex, advocatis in ſocietatem armorum & ſumptuum ſubſidium Hugone Rege Cyprio, Veneta Republica, Magiſtro Pontifex ſuccurrit Chriſtianis Romaniæ.

ac Fratribus Hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani, statuit eis succurrere valida militum manu, & ad insulam Nigripontis munitam classem triremium instituere. Ut vero alii Principes ad laudabile opus, & fidei defensionem convenirent, Cruciatam voluit ubique prædicari. De hoc amplum dedit diploma ad Ministrum Generalem Ordinis Minorum, in quo jubet, ut hujus, & reliquorum Ordinum mendicantium Fratres, alternis vicibus in Provinciis fideles ad classicum compellant: *Magna repleti mentis amaritudine.* III. Kal. Augusti. Cujus etiam exemplar misit anno sequenti ad Ministrum Siciliæ. Eamdem ut prædicarent crucem Fratres in Hibernia statuerunt superiores hoc ipso anno in suis comitiis Provincialibus celebratis in Conventu Clani, quantumvis ex aliorum relatione diximus, alias convocatum hoc capitulum anno MCCCXLVI. ubi obiter retulimus & examinavimus reductionem custodiarum Prov. Hiberniæ ad numerum quaternarium in illo factam, deputatis Conventibus Rossipontis & Kilkeniæ Custodiæ Dublinensis.

Prædicant Minores cruciatam.

An. 1300. n. 16.

X. Hinc vero constat, antiquiorem hoc tempore esse prædictum Conventum Clanensem, situm in Episcopatu & Comitatu Darensi X. M. P. ab emporio Dubliniensi in oppido rurali, a quo denominationem accepit. Quo certo anno, aut auctore initium acceperit, nescitur: fundatoris, quisquis fuerit, effigies conspicitur hodie in sepulcro marmoreo, in chori medio. Successerunt in hæreditate & jure patronatus nobiles viri familiæ Ugain, quorum prosapia adhuc superest, & floret. Dirutum fuit totum ædificium, præter muros, irruente hæresi in Hyberniam. Possidet fundum cum prædiis & pratis sibi adiacentibus, ex dono Reginæ Elisabethæ Dom. Lutherellus de Cuterli oppido. Hujus loci meminere Pisanus & Rodulphus sub Custodia Dublinienti.

Con. Clanen. Monum. MSS. Hibern.

XI. Hoc anno Carolum secundum Navarræ Regem Fratribus extruxisse commodum habitaculum extra Vasconum oppidum Olibæ, vulgo *Olite*, asserit Gonzaga. Sed haud fieri potuit, cum Carolus juvenculus adhuc regimini ineptus, non nisi anno MCCCXLIX. ætatis suæ XVII. regnare cœpisset, & hoc anno ejus mater Joanna, Philippi Regis conjux absolute regnasset. Vel ergo posterior est hujus loci origo, vel Joannæ genitrici hoc anno regnanti erit tribuenda. Patrum Conventualium subsuit regimini usque ad annum MDLXVII. quo ex Pii V. præcepto transiit ad Fratres regularis observantiæ Provinciæ Burgensis, qui collapsa ædificia restaurarunt.

Con. Olibæ.

Gonz. in Prov. Burgen. Con. 17. Vide Caribay. lib. 27. c. 9. & 10.

XII. Concessit hoc anno Pontifex licentiam Ministro Generali recipiendi Conventum pro Fratribus Minoribus in Civitate Insulæ viridis, quam ante paucos annos, uti ipse refert Pontifex, Alphonsus XII. Castellæ, & Legionis Rex, Christiani nominis propugnator, & Mahometanæ perfidiæ debellator, ex manibus inimicorum Christi eripuit, & cultu Catholicæ fidei cupiebat exornari: *Ex munere cælestis*, XII. Kal. Maii. An ibi erectum Cœnobium, cui aggregatum Provinciæ, vel in quo mari hæc insula consurgat, ex nostris, externisque scriptoribus haud scire potuimus. In mari Britanniæ Armoricæ aliquæ sunt insulæ, atque inter has una *Insula viridis* nuncupata: nescio tamen quid Castellano Regi cum oris Britannicis, ut in iis sua erigat trophæa. Concessa etiam facultas Guardiano, & Fratribus Castri Cellini (forte Celani) Pennen. Diœc. mutandi suum domicilium ad locum commodiorem: *Quanto vester Ordo*, Kal. Aprilis. Simili modo concessum Fratribus de Monterio Aprutinæ Diœcesis, ut suum domicilium transferrent intra castrum: *Inter ceteros Ordines*. II. Kal. Martii. Carolus, & Joanna Britanniæ Duces elegerunt sibi sepulturam sub hoc tempore in Conventu de Guigant, Trecoren. Diœc. impetraruntque a Pontifice facultatem, cruces,

Conv. Insulæ viridis.

Conv. Celani transfertur.

Et Monterii.

Conv. Guiganti.

can-

candelabra argentea vel aurea, pannos deauratos, vel fericos, reliquias, earumdem cuftodias, atque alia ornamenta Ecclefiaftica, pro fuarum animarum falute ibidem offerendi, cum cautela ne aliquando inde diftrahantur: *Sinceræ devotionis affectus*, IX. Kal. Martii. Hujus loci fub hoc nomine non meminerunt Pifanus, aut Rodulphus, nifi fortaffis ille fit, quem Guincampi appellant. Petiit etiam Minifter Provinciæ Romanæ, mediatore Hanibaldo Cardinali Epifcopo Tufculano, licentiam ut recipere, aut ædificare poffet in Caftro Cecani, Diœcefis Ferentinatis Fratrum Conventum, quem tamen ibidem minime extructum puto, dum in veterum Conventuum ferie relatum non invenio: *Sacræ tuæ Religionis*, IV. Idus Decembris. Conv. Cecani.

XIII. Communitas & populus Begienfis, five Juliæ Pacis, Diœcefis Elboren. in Regno Lufitaniæ, conftruere cœpit Monafterium Clariffarum, cujus primum lapidem in fundamentum jecerunt Alphonfus Rex, & Beatrix Regina Lufitaniæ. Sed Capitulares Ecclefiæ Elboren. operis profecutioni fe oppofuerunt, quantumvis licentiam concefferit Epifcopus, allegantes Monafterii prædicti ædificationem ceffuram in fuorum jurium præjudicium. Scribit Pontifex Epifc. ut ftudeat difficultates has fuperare, & contradictionem removere: *Exigit puræ devotionis*, III. Nonas Novembris. Inchoati vero operis profecutionem, quam maximopere juvit fuis fumptibus Maria Joannis ejufdem Monafterii alumna, ab hoc tempore computandam effe, ex eo liquet, quod in diplomate Pontificio dicatur, Communitatem, habita fuper hoc licentia Taylarandi Cardinalis Protectoris, prædictum inchoatum Monafterium voluiffe ad perfectionem deducere. Taylarandus enim nonnifi anno MCCCXLIII. uti eo loco diximus, inftitutus eft Minorum & Clariffarum Protector. Jejune de hoc Monafterio tractat Gonzaga, folum faffus eft, fe fundationis, & ad Obfervantes tranfitus tempora nefcire. Monaft. Juliæ Pacis. *Gonz. in Prov. Algarb. Mon. 12.*

XIV. Extruxerant fub Joanne XXII. Arnaldus & Margarita Vicecomites Caramanni in caftro feu loco fuo de Cafferiis, Diœcefis fancti Papuli, Monafterium Monialium beatæ Mariæ Angelorum, fub habitu & regula fancti Benedicti, & cura Presbyterorum fecularium. Defiderans vero Margarita Sororum numerum, & divinum cultum augeri fub Inftituto & habitu fanctæ Claræ, ad quam fpecialem gerebat affectum, & vitæ fpiritualis inftructores præficere Minoritas, obtinuit a Clemente, ut ex communi ipfarum Sororum confenfu, habitum mutarent & regulam: *Circumfpectia Sedis Apoftolicæ*, VI. Kal. Maii. Atque ita vere factum effe conftabit ex alio diplomate regefti, fub anno MCCCXLVI. Monaft. de Cafferiis.

XV. Nicolactius Petronius de Petronibus civis Senen. teftamento legavit quædam bona, ut in Civitate Senarum ædificaretur Monafterium Clariffarum, fub titulo fancti Nicolai. Deducto ad exitum opere per executores teftamenti, hoc anno fcripfit Pontifex ad Guardianum & Fratres Senenfes, ut ex Monafterio fanctæ Claræ ejufdem urbis affumerent Sanctimonialem unam pro Abbatiffa, & alias duas pro inftruendis novitiis in novo Monafterio recipiendis: *Exhibita nobis*, Nonis Decembris. Vir nobilis Conradus de Marcha, poft conftructum in Claremberg. Colonien. Diœc. Monafterium Clariffarum, hoc anno in decrepita ætate, fe recepit in Ordinem Minorum, & in claffem eorum, qui Converfi, five Fratres laici nuncupantur. Concedit ei Pontifex ut cum fex honeftis & provectis Fratribus aliquando prædictum ingrediatur Monafterium, in eoque fibi eligat fepulturam: *Devotionis tuæ*, X. Kal. Augufti. Nobilis vir Gerardus de Pomerio miles Diœcefis Leodien. petiit hoc anno licentiam conftruendi Monafterium in loco opportuno ejufdem Diœcefis. Scripfit Pontifex ad Epifcopum Leodien. ut præmiffis requifitis, Monaft. Senen. S. Nicolai. Monaft. Claremborgen. *Vide fupra an. 1327. n. 17. & n. 4. an. 1352.* Monaft. Jenzani, vel Gentiani. Varia indulta.

fitis, tribueret ædificandi facultatem: *Illorum vota*, III. Kal. Augusti. Alionoræ Comitissæ Gelrien. potestatem fecit intra metas Gelrien. & Zutphanien. Comitatuum aliud ejusdem Instituti fabricare: *Sinceræ devotionis*, II. Kal. Augusti. Ante hoc tempus dotaverat Robertus de sancto Severino, Comes Coriliani, Ordini addictissimus (cujus uxor Agnes postea facta est Clarissa in Monasterio Corporis Christi Neapolitano) ad castrum Jenzani Acheruntinæ Diœcesis, Monasterium sub titulo sanctæ Mariæ Annunciatæ. Hoc anno concessit Pontifex, posse alias recipi in Moniales ultra numerum a fundatore præscriptum: *Petitionibus supplicum*, VI. Idus Augusti. Similiter concessum Clarissis Monasterium Tricar. a Sueva Comitissa, ut diximus, extructum: *Petitionibus supplicum*, Kal. Augusti. „ Inchoavit in Civitate Valentiæ in Hispania, aliud pro mulieribus lubricis, ad pœnitentiam „ conversis, quædam pia fœmina Tertii Ordinis sancti Francisci, nuncupata „ Soriana; cui ex Senatusconsulto talia adhibita sunt auxilia, ut brevi opus „ compleverit, bipartita domo, parte una designata pro iis, quæ nubere „ volunt; parte altera, & ampliori pro reliquis, quæ se Deo consecrant sub „ perpetua clausura. Subest domus Archiepiscopo, sub regula sancti Augustini, & invocatione sancti Gregorii; sed Confessarios habent Franciscanos, inchoato a Franciscana Monasterio.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI. Monast. Pœnit. Valentiæ.

Varia indulta.

XVI. Scripsit hoc anno Pontifex ad Episcopum Sistaricen. ut persuaderet cuidam ex suis Capitularibus commutare cum Fratribus Minoribus ejusdem urbis fundum, ampliandæ suæ domui necessarium: *Exhibita nobis*, II. Idus Augusti. Joanni Archiepiscopo Neapolitano, & Guillelmo Episcopo Carnotensi Sedis Apostolicæ Nuncio, necnon Andreæ Regi, & Joannæ Reginæ Siciliæ, & Archiepiscopo Barensi, scripsit, ut curarent reddi bona multa, quæ Sancia olim Siciliæ Regina, post Clarissa, ante paucos menses defuncta, legavit in pios usus: *Perlatum bis diebus extitit*, XII. Kal. Decembris. Præfixit numerum in Monasterio Clarissarum Sistaricen. recipiendarum: *Apostolicæ Sedis*. Univit, & incorporavit Monasterio sancti Marcelli de Pogeto prope castrum novum de Vallibus Caturcen. Diœces. Ecclesiam Parochialem sancti Martini, & imminenti belli periculo, indulsit ut infra castrum commorarentur in hospitio Bertrandi Episcopi Ostien. sui Fundatoris: *Pia Religiosarum*, II. Nonas Januarii: *Devotæ Religionis*, XVII. Kal. Januarii.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

Lit. Pont. Indic. ex Vatic.

„ I. Pauca admodum sunt, quæ addenda occurant ab Annalista dictis: „ Provinciæ Siciliæ Ministro, ut Cruciatam in Turcas prædicaret, „ Pontifex II. Kal. Martii indixit: *Dudum non &c.* & pro reparatione „ Conventus Montis Sion Apostolicas litteras: *Sinceræ devotionis &c.* „ X. Kal. Aprilis expedivit. Ministro Generali Fortanerio Fratricellorum „ inquisitione commissa: *Intelleximus &c.* concessit posse substituere Ministros: *Cupientes Ordinem &c.* subrogare Custodes: *In generali Ordinis &c.* promovere illegitimos: *Devotionis tuæ &c.* licentiare ad magisterium fratrem Jacobum: *Cum sicut &c.* & habilitare fratrem Franciscum: „ *Nuper dilecti &c.* VIII. Kal. Maii: quo etiam tempore commendatitias „ ejusdem Ministri litteras pluribus Civitatibus, & personis direxit: *Cum* „ *dilectus &c.* Monasterio autem Clarissarum de Æmiliano in Ruthenensi „ Diœcesi indulgentias concessit: *Quoniam ut ait &c.* III. Kal. Maii; & Comitissæ Tricariensi Monasterii ingressum: *Devotionis tuæ &c.* II. Kal. Julii.

„ II. Simultatibus Fratrum Provinciæ Boemiæ, & Poloniæ anno superiori

„ riori indicatis, adhuc perseverantibus, factum est, ut hoc anno a Petro „ Provinciæ Ministro indictis Comitiis celebrandis Cracoviæ in Polonia in „ festo sancti Michaelis, nulli Boemi comparere voluerint: re tamen delata „ ad Ministrum Generalem, hujus mandato præfati Fratres Boemi Ministro „ Provinciali Petro adacti sunt obedientiam præstare usque ad futurum „ Capitulum Provinciale. Regionum diversitatem climatum morum varie- „ tas cum sequatur, fit ut raro in pace cohæreant Nationes diversæ; quamo- „ brem prudentiæ est, cuique suos præscribere fines. At hæc inter Bremæ „ in Prussia frater Electus licet ætate juvenis, sanctitate & vitæ perfectione „ senes anteibat: mira in eo puritas, & eximia devotio omnium animos ra- „ piebat in Deum: moriturus decumbens trina vice dulciter cecinit: *Ascen-* „ *do ad Patrem meum, & Patrem vestrum*; idipsum altiori semper voce „ repetente accurrere Confratres; ipse vero in eorum conspectu manibus „ in Cœlum levatis, oculisque defixis spiritum Deo immaculatum reddidit; „ sepultus ibidem die VI. Martii, ut notarunt Hieremias Buch. & Martinus „ Baronius. Hunc beatum Electum commemorans Petrus Rodulphus Tos- „ sinianus, ait floruisse anno MCCCLXV. VII. Kal. Junii. Beatum etiam Gili- „ bertum Minoritam humilitate, & pietate virum valde præclarum, hoc eo- „ dem anno Magdeburgi in Prussia occubuisse, dieque ultima mensis Maii „ ibidem sepultum iidem præfati Auctores enarrant; cum tamen Bartholo- „ mæus Pisanus eumdem sub anno MCCXLIX. VIII. Idus Decembris refe- „ rat: hanc discrepantiam temporum haud facile tolendam Priscorum nostro- „ rum vel incuria, vel temporis diuturnitas invexit: videtur nihilominus po- „ tius adhærendum primis, cum ipsi earumdem nationum sint, quam Pisano.

Sup. an. 1344. 22.

Fr. Electus obiit cum sanctimoniæ signo.

Baron. in cat. SS. fol. 71.

B. Gilibertus pietate conspicuus obit.

„ III. Monasterium Clarissarum Pacis Juliæ in Eborensi Diœcesi, de „ quo ad hunc annum habet Waddingus, primum quidem & fundamenta- „ lem accepit lapidem ab Alphonso IV. & Beatrice ejus conjuge Portugal- „ liæ Regibus; sed annuos redditus ex prædiis in dotem assignatis, pro „ commoda Monialium sustentatione, ab ipsa loci Communitate habuit; „ quamobrem & eidem honor fundationis jure defertur: in ejus tamen con- „ structione non defuere aliorum piorum benefactorum manus, qui sua li- „ beralitate consummabant opus. Interea vero illustris heros D. Joannes de „ Rhedon Eques torquatus supremum diem obiturus, quietis post mortem „ locum elegit apud Minoritas Guingampenses, quos vivens valde dilexerat.

Wadd. ad hunc ann.

ARGUMENTUM.

Mittuntur Legati cum plenitudine potestatis ad Armenos, errores in fidem admissos elliminaturi. Excitantur Florentiæ turbæ contra Inquisitorem Minoritam. Celebrantur Venetiis Comitia generalia. Eligitur in discordia contra Ludovicum Carolus IV. sed non potuit obtinere. Instituuntur Episcopi & nova domicilia.

I. ANTE biennium diximus, emissos Legatos a Rege & gente Armenorum, circa deponendos & eliminandos errores, qui in eorum libros irrepserant, ut plene & prudenter expurgarentur, & sufficienter cribro salutaris sapientiæ separaretur lolium a tritico, & prava a Catholica disterminaretur doctrina, misit Pontifex hoc anno Antonium de Aribandis de Valentia, ex Minorita Episcopum, uti diximus alias, Caetanum, & Joannem electum Coronen. cum plenæ legationis officio & auctoritate, concessis omni-

Fr. Anton. Episc. Caetan. cum ello Legat. a latere ad Regem Armenorum.

An. 1341. n. 4.

omnibus privilegiis, titulis & facultatibus, quæ Sedis Apostolicæ Legatis a latere tribui consueverunt, circa collationes beneficiorum, & dignitatum Ecclesiasticarum, circa dispensationes, indulgentias, institutiones, destitutiones, officium, & alia hujusmodi, quæ instrumentis viginti septem constant Vaticanis. Eos demum honorificis cohonestans elogiis, commendavit Bertrando tit. sancti Marci Cardinali, Apostolicæ Sedis in Regno Siciliæ, in Provincia Tusciæ, & aliis partibus Italiæ Legato, Humberto Dalphino Viennen. fidelium exercitus contra Turcas Imperatori, Deodato de Glosono Magistro Hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani, Rectoribus triremium, quæ ad partes transmarinas in subsidium Christianorum mittebantur; Hugoni Regi Cyprio, & Oddoni Episcopo Paphensi, ut omnia eis abunde, & pro suæ Legationis dignitate ministrarentur. Duo præcipua hujus Legationis instrumenta hic subjicio.

Venerabili fratri Antonio Episcopo Caetan. & dilecto filio Joanni electo Coronen. Apostolicæ Sedis Legatis.

Ex lib. 5. ann. 5. epist. 3.

II. *Universalis Ecclesiæ, licet insufficientibus meritis, disponente Domino, regimini præsidentes, curis sollicitamur assiduis, & continuis sollicitudinibus agitamur, ut plebs fidelium, custodiæ nostræ commissa, fidei claritate resplendeat, & errorum quorumlibet fugata caligine, in lumine veritatis incedens, serpentis callidi non vereatur insidias, & astutias Satanæ, divina gratia se protegente, confutet. Dudum siquidem Venerabiles Fratres nostri Consolator, dictus Catholicon Armenorum, nec non Archiepiscopi & Episcopi, ac dilecti filii Abbates, & ceteri Clerici, in Armenia constituti, per nuncios & litteras eorum nobis intimare curarunt, quod olim fel. recor. Benedictus Papa XII. prædecessor noster, dum adhuc ageret in humanis, eos per litteras Apostolicas requisivit & monuit, ut errores aliquos fidei Catholicæ repugnantes, quos perculosè nimium in partibus illis perceperat pullulasse, quorumque prædecessor idem eis seriem descripserat, distincte succiderent, & congregata synodo, condemnarent, illos de cordibus Armenorum & aliorum, quos tamquam simpliciores malignus hostis facilius laqueo damnationis involveret, extirpando, quodque ipsi prædicti litteris prædecessoris ejusdem filiali devotione susceptis, ac per eos synodo congregata, hujusmodi errores abjecerant, & prout decuit condemnarant, ulterius offerentes, quod si in libris eorum quibus communiter utuntur, aliqua fortassis reperirentur errorea, & fidei repugnantia, supradicti parati erant illa de libris eisdem, juxta mandatum ejusdem Ecclesiæ, delere penitus, seque institutis Apostolicis penitus conformare. Verum, quia, sicut habet displicens relatio facta nobis, antiquus hostis errores alios damnabiles, & omnino damnandos in partibus Armeniæ inseruit, qui nisi Catholicæ doctrinæ falce fuerint resecati, in perniciosam segetem coalescent, Nos hujusmodi & alios errores de partibus illis extirpari funditus, & evelli radicitus, ac fidem inseri & excoli cupientes, & attendentes, quod divina providentia, quæ dat omnibus affluenter, & non improperat, sic vobis thesauros magnæ ac profundæ scientiæ credidit, sic vos multis virtutibus insignivit, ut sciatis & possitis ei circa beneplacita sua devotum, acceptum & diligentem impendere famulatum, vobis & vestrum cuilibet, tamquam Dei ministris, & viris in lege Domini plenius eruditis, ac ipsius fidei sinceris & fervidis zelatoribus, qui per ipsius semitam mandatorum Domini gradientes, studetis ipsum verum lumen de lumine, veramque sapientiam, quantum vobis ab ipso permittitur, imitari, In dictis partibus Ar-*

Armeniæ, plenæ legationis officium duximus committendum, ut ibidem, auctore Domino, recta regentes, & dirigentes etiam indirecta, ac aspera convertentes in plana, sicut cultores diligentes, atque solliciti, evellatis, & destruatis, dissipetis & plantetis, ac disperdatis & ædificetis, sicut vobis Dominus ministrabit. Ideoque discretionem vestram monemus, requirimus, & hortamur, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus de divina gratia, & Apostolico favore confisi, onus tam salubris negotii suscipientes devota mente, ac animo reverenti, & ad partes illas vos conferentes personaliter, ad prædictos & alios errores quoslibet ac vitia de illis supputanda partibus, nec non fidem Catholicam, ac mores & virtutes etiam propagandos, operarias manus diligenter ac sollicite apponere studeatis: ipsos Prælatos, Clerum & populum de ipsius fidei veris dogmatibus, salutarique doctrina informantes, plenius & perfectius instruentes; ita quod, præstante Domino, de partibus illis, omnis, per operationis vestræ fructuosum studium errorum, ac vitiorum spurcitia expietur, & eadem fides Catholica ad nostri laudem & gloriam Redemptoris radicetur firmius, dilatetur diffusius, & fortius roboretur. Vosque præter retributionis æternæ premium, quod indubitanter assequimini, exinde nostram, & dictæ Sedis benedictionem & gratiam vobis uberius vindicetis. Datum Avenione 11. *Kalend. Decembris anno* V.

Venerabilibus Fratribus Consolatori, dicto Catholicon Armenorum, nec non Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, & ceteris Clericis in Armenia constitutis.

III. Q*Uia divinæ sapientiæ testante sacro eloquio*, Sapientia filii Patrem lætificat, & matrem ejus stultitia reddit mœstam, *nos, quibus, licet immeritis, a Deo universalis Ecclesiæ Pastorale officium est commissum, & sancta Romana Ecclesia Domina, & magistra omnium fidelium, sponsa nostra, de vobis gaudemus, & in Domino admodum exultamus, cum veræ sapientiæ lumine, scilicet fidei Catholicæ percipimus vos fulgere: sed in corde multum affligimur, dum in illis partibus claritatem audimus ejusdem fidei errorum tenebris obfuscari, affectantes desiderabiliter ut hujusmodi profugatis de illis partibus tenebris, claritas prædictæ fidei apud vos splendeat, usque ad lucem æternam cælestis patriæ vos dirigens & perducens. Sane litteræ vestræ pridem per Venerabiles Fratres nostros Joannem de Merchar, & Antonium, Episcopos, ac dilectum filium Danielem Lectorem, & Vicarium Fratrum Ordinis Minorum in Armenia consistentium, ac nobilem virum Gregorium Cengium, vestros Nuncios præsentatæ nostro Apostolatui, continebant, quod dudum fel. rec. Benedictus Papa XII. prædecessor noster per suas litteras vos caritate paterna requisivit & monuit, ut quosdam errores eidem Ecclesiæ fidei obviantes, quos periculose nimium invaluisse in illis partibus perceperat relatibus fide dignis, abolere & extirpare, illos nihilominus per vestram synodum condemnando curaretis, fideli & solerti adhibita diligentia, de cordibus Armenorum, & ut hoc plenius & perfectius perficere valeretis, dictos errores distinctos per Ordinem vobis destinavit in scriptis, vosque reverenter, & cum gratiarum actionibus hujusmodi receptis litteris & scripturis errores continentibus supradictos, a vestra synodo, prout per vos commode fieri potuit, convocata, errores abjecistis, & condemnastis prædictos; sicut in libello, quem nobis transmisistis per vestros præfatos Ambassiatores & Nuncios, continetur. Nihilominus in vestris prædictis litteris subjungentes, quod si in libris vestris quibus communiter utimini,* Ibid. epist. 19. Prov. 10. 1.

er-

errores alii, eidem fidei ac doctrinæ ipsius, quam eadem Romana & universalis Catholica Ecclesia tenet, profitetur, & docet, quomodolibet obviantes, reperiantur forsitan, abolere ac tollere penitus, juxta mandatum nostrum, & ejusdem Ecclesiæ Romanæ, cui subesse vos confitemini, ipsamque recognoscitis Ecclesiarum omnium esse caput, & super omnes tam Armenorum, quam aliorum Ecclesias obtinere primatum, a tempore beati Gregorii illuminatoris vestri, & sancti Silvestri citra, ut tenemini, veraciter cognovistis; quodque parati estis uti decretis ac decretalibus, quibus eadem Romana & universalis Ecclesia utitur, secundum tenorem & continentiam litterarum Prædecessoris nostri præfati vobis super hoc directarum, illa postulantes humiliter vobis mitti. Nos igitur hujusmodi litteris vestris affectu solitæ benignitatis receptis, visoque prædicto libello nobis per dictos Ambassiatores, & Nuncios præsentato, & iis, quæ ipsi dicere, ac explicare voluerunt, plenius intellectis, & tam cum Fratribus nostris ejusdem Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, quam multis Prælatis, aliis sacræ Scripturæ Doctoribus, & magna habita deliberatione provida, & matura, zelum devotionis, quem ad fidem ipsam, ac nos, & præfatam Ecclesiam Romanam vos gerere obtulistis, ac diligentiam, quam circa revocandos & condemnandos dictos errores adhibuisse asseritis, multipliciter in Domino commendamus. Verum quia errores alii valde perniciosi & damnandi, quos hostis humanæ salutis in illis partibus, ut sectatores illorum secum trahere valeat, in damnationis præcipitium satagit, remanent extirpandi. Nos desiderantes attente ut ipsos, ac alios errores, si quos astutia Satanæ, ut animas simplices diabolica fraude deceptas, secum in æternam prædam adducat, superseminare conatur; discernere clarius, & confutere facilius, atque prudentius valeatis, Venerabilem fratrem nostrum Antonium Episcopum Cajetanum, & dilectum filium Joannem Electum Coronen. Apostolicæ Sedis Legatos, Viros utique profundæ scientiæ, ac in lege Domini eruditos, ac ipsius fidei sinceros, & fervidos zelatores, qui per semitam mandatorum Domini gradientes, ipsum verum lumen de lumine, veramque sapientiam, quantum eis ab ipso permittitur, imitantur, commisso eis, & eorum cuilibet plenæ Legationis officio, ad vos, & partes ipsas, de dictorum Fratrum nostrorum consilio decrevimus destinandos, ut per eos de ipsa fide, ejusque salutari doctrina informemini plenius, & imbuamini viva voce, quam possetis scriptura instrui, vel litteris informari, ac tenacius cordibus vestris impressa maneant, quæ ipsorum Legatorum studio, & linguæ ministerio fuerint propagata. Ideoque universitatem vestram monemus & hortamur, vobis nihilominus districte præcipiendo mandantes, quatenus Legatos ipsos, per quos Decretum & Decretales postulata transmittimus, imo potius nos in eis pro nostra & ipsius Sedis reverentia benigne recipientes, ac debita honorificentia prosequentes, eisque tamquam dictæ Sedis Legatis, devote ac humiliter intendentes, eorum salubribus monitis, & mandatis, exhortationibus, & doctrinæ fideliter acquiescere, ac efficaciter, & effectualiter obedire, ac una cum ipsis, ad extirpandos penitus prædictos & alios errores, & de mentibus ac intentionibus Armenorum errantium evellendos, & removendos, omnino diligentem operam & sollicitudinem, sicut Dei ministri, adhibere, nec non doctrinam veræ fidei Catholicæ super ipsis articulis, & aliis fidem ipsam tangentibus profiteri, sequi, ac docere, cum omni sollicitudinis studio efficaciter procuretis, ad eosdem Legatos super hujusmodi articulis ejusdem fidei, si forsan circa intelligentiam eorumdem aliquid dubitationis emerserit, recurrentes, ut vestras, & ipsorum Armenorum lucrifacientes animas, Domino illustrati veræ splendore fidei, & errorum quorumcumque fermento aditum sa-

salutis claudentium, purgato totaliter & rejecto, de bonis laboribus vestris fructus gloriosos colligere, nobiscum deferre valeatis, in districto judicio inde coronam perennis beatitudinis percepturi. Pro certo scituri, quod si præmissa feceritis, ut speramus, Vos in sinu sanctæ Matris Ecclesiæ confovebimus, & vobis gratiosis favoribus, quantum cum Deo fieri poterit, super vestris opportunitatibus assistemus, nec vestris detrectatoribus, si qui forsan existerent, credulas præbebimus faciliter aures nostras. Alioquin pœnas & sententias, quas ipsi Legati, & quilibet eorum, rite tulerint, sive statuerint in rebelles, ratas habebimus, & faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum Avenione II. *Kalend. Septembris anno* V.

Villan. lib.12. c. 57.
Leand. de viris illustr. Ord. Præd. lib.3.
Leonar. Aretin. lib.7. histor. Flor.
Tumultuose excitantur Florentini in Petrum Inquisitorem.

IV. Erat hoc tempore Inquisitor hæreticæ pravitatis Florentiæ frater Petrus de Aquila, cui cum Petrus Gomesius de Barroso Cardinalis Hispanus potestatem fecit exigendi XII. millia nummum aureorum e societate Acciajola, quos ei debebat; ea societas quod bona fere universa decoxisset, & multis æs alienum debuisset, Priores seu Rectores urbis, id quod reliquum erat bonorum Cardinali tantisper donec dissolueret, addixerant, insuper & vades addiderant. Petrus ab iis aurum deposcebat, illi, quod debentium proprium est, cunctabantur. Cumque nec monendo, nec obsecrando quidquam proficeret, tres apparitores misit, & Silvestrum Baroncellum socium Acciajolorum, e palatio prodeuntem comprehendi imperavit. Tumultu in foro mox excitato, hi quibus potestas Inquisitoris fuerat invisa, impetu in apparitores facto, vinctum eis omnes eripuerunt. Re ad Priores relata, quod majestatem suam læsam existimarent, apparitoribus Inquisitoris manus præscidi jusserunt, eosque non tantum urbe, verum etiam universa ditione Florentina proscripserunt. Inquisitor cum sibi a furibunda plebe metueret, Senas secessit, & in Præfectum, Priores, & administros facinoris anathema tulit; insuper & sacra omnia urbi interdixit, donec Silvestrum Baroncellum suæ jurisdictioni interceptum restituerent.

V. Priores & reliquus magistratus urbis, appellatione interposita ad Clementem Pontificem, imprimis Oratores, qui factum excusarent, & in Petrum multa crimina conferrent, destinarunt: deinde Florentinum, & Fesulanum Episcopos, & Clerum ad sacra obeunda impulerunt. Cum autem eorum plurimi sacra facere recusarent, leges iniquas in Clericos tulerunt, & privilegia eorum imminuere conati sunt. Præter alia præscripserunt, ne Inquisitor quemquam pecuniaria pœna mulctaret, sed si quem hæresi imbutum invenisset, flammis addiceret. Ne carceres in domo Inquisitionis haberet, sed omnes vinctos in ergastulum Prætorianum conjiceret. Nullus ex magistratu urbico insciis & invitis Prioribus, illi apparitores ad capiendum quemcumque concederet: nullos etiam ipse armaret, aut faceret, præter sex familiares, qui arma ferrent, non plures Inquisitor; Episcopus Florentinus duodecim, Fesulanus non nisi sex aleret: neque pluribus ex civibus, quam sex Inquisitor, Fesulanus Episcopus totidem, Florentinus autem duodecim possint arma permittere. Præter leges iniquas, carcerem quoque sanctæ Inquisitionis diruerunt, & omnibus vinctis dimissis, a testimonio iniquorum multis calumniis Petrum Inquisitorem apud Sedem Apostolicam onerarunt: quasi is plurimos per avaritiam & per imposturas, ut tantum pecuniarum extorqueret, in vincula conjecisset, & VII. M. nummum aureorum non integro biennio ex mulctis pecuniariis & permissione armorum corrosisset; adeoque plurimos potentiorum adversus Priores armasset, in-

innumerabiles vero innocentes nulla eorum culpa, pecuniis atque bonis exuisset.

VI. Principes Legationis fuere Franciſcus Brunelleſcius, Antonius Adimarius, Bonaccurſus Freſcobaldius, Hugo de Stufa, Lippus Spinus, & Baldus Fraccaſinus, inter quos cum non bene conveniret, & ex ipſorum diſcordia Clemens violatum fuiſſe Inquiſitorem ſatis perſpiceret, poſtulante Petro, qui Avenionem ſeſe contulerat, diem Prioribus, Præfectis urbicis, & reliquis auctoribus ſceleris & ſociis apud ſubſellia Sedis Apoſtolicæ dixit. Florentinæ Eccleſiæ tunc præerat Angelus Acciajolus ab Inſtituto Dominicano ad Epiſcopalem dignitatem evectus. Is ſive minis Senatus populique Florentini perterritus, ſive injuriæ neceſſariorum ſuorum ab Inquiſitore violatorum compatiens, nequaquam edicto Petri, quo is ſacra Florentinæ urbi interdicebat, parere voluit; quin & Feſulanum Epiſcopum in eam ſententiam traxit, ut & is quoque ſacris in ſua diœceſi operaretur. Quam ob cauſam Clemens Pontifex utrumque Avenionem evocatum, cauſam dicere præcepit.

Capitulum Generale 49. Venetiis.

VII. Indicta hoc anno Venetiis Comitia Generalia, quibus celebrandis multa privilegia, & ſpecialem poteſtatem circa ſubroganda ſuffragia conceſſit Miniſtro Generali Pontifex, datis ad eumdem pleriſque litteris, ſed ea præſertim, quam ſubjicimus, in qua Capitulares omnes paterne hortatur, ut proſpiciant univerſi Sodalitii profectui, & Eccleſiæ calamitatibus, in ſuis orationibus a Deo remedium expoſcant. Hujus Capituli non meminit Rodulphus, neque ulla ejus acta ab alio quopiam referuntur.

Dilectis filiis, Generali, & Provincialibus Miniſtris & Definitoribus Capituli Generalis Ordinis Fratrum Minorum, in proximo celebrando Venetiis Caſtellanæ diœceſis congregandis.

Ex lib. ſecr. anni 4. epiſt. 1106.

Encomia religionum.

Laudes Franciſcanæ.

VIII. *Summus & mirabilis opifex, cujus mira ſunt opera, ſuam ſanctam fundavit Eccleſiam ſupra petram, & ut numquam fides ejus deficeret, exoravit, eamque ſolida firmitate ſtabiliens, inter ceteros decentes & decoros ornatus ejuſdem, Ordinum & Religionum diverſitate munivit, ut ſicut turris David cum propugnaculis ædificata fortiſſimis, eorumdem Ordinum & Religionum fulta ſuffragiis, quaſi bellatorum ſtipata cuneis, & velut caſtrorum acies ordinata terribilis, ſecura cum hoſte antiquo congreditur, & non ſolum ad confutandas ſpirituum malignorum inſidias, & inſidioſos repellendos inſultus, ſed etiam ad apertos accendentium ex adverſo impetus ſuperandos, imperterrita, & immota conſiſtit. Sane dum inter ceteros hujus belli ſpiritualis belligeros, Ordinem veſtrum, quem in agro ipſius Eccleſiæ cæleſtis plantavit agricola, ſicque gratiæ ſuæ rore rigavit quod a ſui principio fructus honoris & honeſtatis uberes in eadem Eccleſia continue non deſtitit, nec deſiſtit ferre, mentis oculis contemplamur, profecto deſideriis affectamus intenſis, Ordinem ipſum, & profeſſores ipſius, intra noſtra, & Sedis Apoſtolicæ præcordia recumbentes, adeo continuis ſpiritualibus & temporalibus proſperari commodis, quod ſemper reddantur aptiores in conſpectu Altiſſimi, & creſcat jugiter fidelium devotio erga ipſos. Quocirca ſinceritatem veſtram rogamus in Domino, & paternis affectibus exhortamur, quatenus in congregatione inſtantis veſtri Capituli Generalis, ad illum qui lator & cultor eſt bonorum operum, cujuſque ocali bonos & malos infallibiliter contemplantur, dirigentes in humilitate ſpiritus vota veſtra, & quæ ſplendorem ipſius Ordinis denigrare vel obfuſcare poſſunt quomodolibet, & divinæ oculos offen-*

de-

dere majestatis, operosis sollicitudinibus resecantes, ad illa corrigenda, statuenda, & ordinanda, qua sancta, utilia, ac bonae famae, ac honori & honestati ejusdem Ordinis congruunt in unitate caritatis, sine qua opus nequit exerceri perfectum, conjunctim vigilantibus studiis intendatis, curetisque specialiter providere, quod quilibet vestrum supra gregem sibi commissum sic diligenter & sedulo studeat vigilare, quod errores & haereses nequaquam pullulare valeant, & si forsan suggestione hostis humani generis aliqualiter pullulassent, mox antequam perniciosam coalescant in segetem, eradicari & evelli penitus cum omni diligentia, qua convenit & expedit, procuretis, ut ubique fidei claritas fulgeat, errorum tenebris profugatis. Ceterum, quia sicut nostis, Petri navicula, cujus gubernaculum nobis, licet immeritis, desuper est commissum, tempestatis diabolicae flatibus commotis videlicet, & frementibus, in diversis Christianitatis partibus inter nonnullos Reges, Principes, Magnates & populos, guerris & dissensionibus periculose nimium agitantur, precibus & exhortationibus nostris adjicimus, ut vos qui familiariter insistitis pedibus Domini cum Maria, una nobiscum excitare Dominum dormientem propter peccata hominum, devotarum vestrarum orationum suffragiis procuretis; ut ipse cujus imperio venti & mare obediunt & quiescunt, hujusmodi mitigatis procellosis turbinibus, dignetur populo Christiano suo pretioso redempto sanguine operari de sua ineffabili pietate tranquillum, sic ad regendum populum ipsum curae nostrae commissum, actiones nostras sua clementia dirigat, & imbecillitatem nostram potenti virtute sustentet, quodque quae sunt placita, jugiter operantes, tandem post laboriosos vitae praesentis decursus, una cum grege Dominico possimus aeternae beatitudinis quietem adipisci. Ut autem in praedicto Capitulo circa praemissa & alia promovenda & exequenda salubria tanto affectuosius, delectabilius, & studiosius vos geratis, quanto vos senseritis donis spiritualibus refectos, nos de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Apostolorum ejus Petri & Pauli auctoritate confisi, tam vobis, quam ceteris Ordinis vestri praedictis Fratribus, qui ad Capitulum convenerint supradictum, vere paenitentibus & confessis, septem annos & septem quadragenas de injunctis paenitentiis misericorditer relaxamus. Datum Avenione VIII. *Kalend. Maii anno* IV.

IX. Alias litteras destinavit Pontifex ad haec comitia, in quibus praecipiebat, in ipsa aede Capitulari, atque in reliquis totius Ordinis, & in concionibus ad populum, legi processus & sententias latas contra Ludovicum Bavarum, quibus eumdem in die coenae Dominicae diris devovit, Imperialibus insigniis & juribus privavit, fidelitatisque sacramento omnes qui se ei adstrinxerant, exoluit. Omnem sane movebat lapidem Clemens, ut Ludovicus judicio se sisteret Ecclesiae, eas tamen apponebat conditiones, quas sine honoris jactura, & suae ad Imperium electionis praejudicio admitti non posse, judicabat Ludovicus. Ne etiam dignitate cederet, & deposito Imperio, se Pontificis subderet sententiae, uti Joannes & successores volebant, obsistebant Electores & Principes Germaniae, persuadebantque quos fovebat, Doctores, jus statuentes in manifestis suffragiis potioris partis electorum, injustasque dicentes sententias latas a Joanne Pontifice & successoribus, a Philippo Galliarum Rege, Ludovici inimico, contra eumdem concitatis. Alias addebant rationes, ut in hujusmodi Principum controversiis fit, quae animo perpetua tot annorum discordia exulcerato, facile applaudebant contra Pontificios, ne ad illorum imperium Imperii deponeret ma- *Ex lib secr. anni 5. ep. 9.* Severe agit Clemens contra Ludovic. Bavarum.

 je-

jestatem. Nolentem obsequi, omni qua potuit solemnitate, Clemens censuris innodavit, dignitate non tam privavit, quam antea a prædecessoribus privatum declaravit. Deinde Electores quinque induxit, ut Carolum Marchionem Moraviæ, Joannis Boemiæ Regis filium, hoc anno XIV. Kalend. August. Cæsarem nuncuparent. Attamen licet Electum in Bonna civitate coronaverit Coloniensis, & confirmaverit Clemens Pontifex, non obtinuit, dum vixit Ludovicus, cui plurimi Principes adhærebant, & potissimæ Germaniæ civitates obediebant. Quare Caroli Imperium auspicantur Cardinalis Bellarminus, Onuphrius Panvinus, & alii Chronologi ab anno MCCCXLVIII. quo compositis rebus cum Principibus Germaniæ consensu septem virum, & Principum, ac civitatum Imperii, die sancti Jacobi, secundo coronatus est diademate ferreo Aquisgrani ab Archiepiscopo Coloniensi; & ex adverso Ludovici Imperium usque ad ejus mortem deducunt. Horum nos sequemur chronologiam, non ignari varias fuisse in hac re hominum sententias, quas refert, & explicat Cancellarius Bavaricus Herwartus. Non est vero nostri instituti hæc examinare; libenter odiosas disceptationes procul facimus, & communiorem sequimur in rebus controversis, præsertim si graves adsint auctores, opinionem.

Curat nuncupari Cæsarem Marchionem Moraviæ.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI. *B. Clara Ariminensis.*

„ X. Hoc anno die 11. Februarii decessit Clara Ariminensis, patre Zaccheo, matre Gaudiana circa annum Christi ter centessimum progenita. „ Anno ætatis septimo genitricem amisit, sed tertium post annum novercam accepit viduam genere, & moribus commendabilem. Huic filius „ erat juvenculus ex primo conjuge, quem Zacheus filiæ Claræ sponsum „ adscivit. Atqui hic paulo supervixit, parumque genitrix filio superfuit. „ Destituta juvencula sponso, & novercæ consortio, graviori malo cruciatur; exilio scilicet propter discordias civiles, quæ patrem, fratremque „ ad extera pepulerunt; sed patriæ tamdem restituti hostium insidiis capite „ plectuntur, relicta Clara absque ulla tutela. At neque illa tot parentum „ jacturis cautior, neque prudentior effecta, mundi vanitates, carnisque „ illecebras, quibus cœpit inescari, avidius prosecuta, demum nupsit cuidam quem antea inhoneste deperibat. Vestium, ciborumque luxui intemperanter addicta vitam duxit liberrimam, donec sub annum trigesimum „ quartum mutationem dexteræ excelsi circa se mirabiliter ita persensit.

In adolescentia lascivit.

Cœlitus monita resipiscit.

„ XI. In Templo Franciscanorum vagis oculis menteque circa alia distracta, dum sacris adesset, visa est puerili voce moneri, ut vel semel „ orationem Dominicam attente recitaret, mentemque colligeret. Dedit „ Deus voci suæ vocem virtutis, qua languentem animam ad ima depressam potenter erexit, & ad cœlestia meditanda mirabiliter excitavit. Cœpit cogitare qualem vitam egerit, quantum animæ salutem neglexerit, „ quam tepide Deum dilexerit, quantum corpori, & sensibus solebat indulgere. Hinc decrevit aliud vitæ genus subire, mundanorum consortia „ devitare, corpori lasciviæ fomenta subtrahere, præteritæ vitæ pœnitere, in quibus deliquit carnem castigare. Pias has confirmavit cogitationes Virginis Deiparæ in eodem Templo apparitio; atque illa ad majora „ progrediens statuit in seculo extra seculum versari. Habita itaque conjugis venia, mundo penitus vale dixit, vestemque vilem obduxit Franciscanam, sub qua miros exorsa pœnitentiæ modos omnibus cœpit esse admirationi. Paulopost defuncto marito, sui juris penitus effecta, rigorem adauxit, calceos abjecit, cilicium corpori adaptavit, & superinduta triginta „ librarum lorica tenellum corpus compressit, circulis ferreis collum, brachia, & tibias obligavit. Lectus illi nuda humus, vel injecti asseres, ci-

Rigorosos subit pœnitentiæ modos.

„ cibus, panis & aqua, quem in festis Paschalibus, ac diebus Dominicis „ paucis herbis, vel raro legumine condiebat.

„ XII. Solitis artibus, longo jejunio, & macie confectam Dœmon „ adorsus, suggerere cœpit, ut misello corpori indulgeret, vino, cibisque po- „ tioribus extenuatum refoveret. Diu restitit, demum titubavit, tandem „ consensu succubuit. Victoriam canens inimicus, dum manifeste irridet, „ ad acriorem pugnam irritat; vehementer etenim dolens misella se blandis „ suggestionibus circumventam, opere punivit, quod cogitatu deliquit. „ Bufonem fœdum, horridumque animal venenosum, dilectum in partes „ prunis imposuit, deinde ori, labiis, dentibus admovit, dureque adfrica- „ vit, iis se increpans verbis: *Eja gulosa, delicatum hunc cibum manduca,* „ *assato hoc animalculo exsaturare: si fastidias panem & aquam*; *jam hic* „ *habes obsonium*. Insigni hoc facinore confusus dæmon non est ausus am- „ plius certamen inire, etsi post aliquotum tempus vindictam sumpserit in- „ flictis pœnis, collisaque in terram digito uno dextræ manus abscisso.

Dœmon ab his conatur retrahere.

Sed frustra.

„ XIII. Septem solemniores jejunii distributiones, quas sanctua Franci- „ scus per anni circulum sibi præscripsit, vigilias sancti Joannis Baptistæ, & „ omnium Apostolorum, universos anni Sabbatorum diea indicto solo pa- „ ne, & proscripto omni genere fructuum, leguminum & herbarum, rigo- „ rose peragebat. Toto Quadragesimæ tempore in concavo urbis muro „ stans, somnum carpebat, solo lintei temporibus præcinti aliquoties usa „ levamine. Symbolum Apostolorum frequenter, sed orationem Domini- „ cam centies singulis noctibus recitabat, additis multis precibus jaculato- „ riis, quibus peccatorum veniam, & divinam gratiam implorabat.

Per septem Quadragesimas jejunat.

Quas effundebat preces.

„ XIV. Post devictas animi passiones, carnemque subactam, ad proxi- „ morum obsequium conversa, nullum non præstitit christianæ caritatis „ argumentum. Fratrem juniorem Urbini exulem ægrotare audiens, fe- „ stina perrexit, collectisque necessariis rebus refocillavit, neque ab infirmi „ recessit ministerio, donec incolumis evasit. At vero non adeo fratri „ adhæsit, ut sui oblivisceretur, aut pœnitentiæ rigorem remitteret; nacta „ enim prope Templum præcipuum sanctæ Columbæ, in turre vetusta se- „ cretum latibulum, solatio habuit devotam beatæ Mariæ Imaginem, ap- „ pensa accensaque lampade commendatam. Hic multas diei horas in ora- „ tione, & noctes durabat insomnes, vitam illam prosecuta, quam in patria „ sibi præscripsit. Adjutorem habuit, & consiliarium in omnibus prædicti „ Templi venerandum Canonicum vultu gravem, ætate provectum, sermo- „ ne affabilem, judicio severum, cui cordis, & conscientiæ aperiebat arca- „ na. Hujus auctoritate obtinuit, ut ad preces matutinas, quæ tunc no- „ ctu recitabantur, in Templum admitteretur, ubi reliquam noctis, & „ sequentis diei partem usque ad horam nonam in oratione, & audiendis „ sacris transigebat. Mox ostiatim mendicans, sibi aliisque pauperibus, quos „ alendos susceperat, stipem colligebat.

Urbinum abit prioris vitæ nihil remittens.

„ XV. Miserorum miserta singulis, prout calamitas exigebat, caritatis „ præstabat subsidia. Esurientibus panem, sitientibus potum, nudis ami- „ ctum, languentibus pharmaca, egregiam in populis nacta pietatis opinio- „ nem procurabat. Carceribus mancipatos mire consolabatur, procuratis- „ que apud Judices causis per potentes intercessores liberabat. In xenodo- „ chiis, & nosocomiis, leprosorum, & male habentium ulcera suis manibus „ tergebat, discordes conjuges reconciliabat, inimicitias sedabat, errantes „ mulierculas, ea præsertim urbis parte, qua illa habitabat, ad rectam vir- „ tutis semitam reducebat. Si quas videbat fœminas nimio corporis cultui, aut

Caritatis officia.

Errantes ad viã reducit virtutis.

„ aut vestium vano nitori deditas, prudenter carpebat, easque addebat suadelas, ut nimium complacendi studium in ornatus neglectum converterent. Inter has Comitissam quamdam Ariminensem adolescentem, conjuge orbatam, liberius, quam viduam deceret, agentem, rogavit, ut suo honori consuleret, modestiusque incederet, vel ad secundas nuptias transiret. Respondenti se nupturam, modo maritum inveniret nobilem adolescentem, subjunxit Clara: *Eum tibi suggeram, cujus nobilitati, formæ, divitiis, & potentiæ nulla possit mensura præscribi, qui parem non habet, omnibus excelsior. Deus ille est, qui nullo casu minuitur, qui nullo perit infortunio, qui morti imperat, quem nullus tibi potest morbus eripere*. Ad hæc vidua cœpit cogitare, rerum mundanarum inconstantiam, acquirendi laborem, possidendi tædium, amittendi periculum, & timorem, satiusque esse reliquis vitæ diebus, in hoc unum incumbere, ut quæ peritura erant, æternis posset commutare. Tantus demum præteritæ vitæ accessit dolor, ut corrigendæ magistram delegerit Claram, atque in ejus consortio, structoque ab ea Monasterio vitam vixerit religiosissimam.

„ XVI. Ariminum cum fratre reversa, templa, religiosasque ædes frequentabat, sæpe invisens nobiles quasdam Sorores Gallicanas, quæ ad sanctæ Mariæ de Muro inhabitabant, & piæ fœminæ religioso prudentique sermone magno erant solatio. Sorores sanctæ Mariæ de Regno Ordinis sanctæ Claræ, e suo Monasterio bellorum injuriis ejectas, multoties consolabatur, earumque penuriæ compassa, ab omnibus petebat, quod asportaret. Frumentum, vinum, oleum, & si quæ alia colligebat, propriis humeris advehebat: lignorum struem, arborumque truncos ultra vires ferebat, nec sub pondere ingentis stipitis semel gementi placuit Dini Rossii consanguinei oblatam opem admittere, vel onus in alium transferre. Media hyeme per densas nives, rigidumque gelu Urbinum avolavit, ut cuidam misello indigna patienti mederetur. Neque vero sub itineris terminum madidam vestem deposuit, aut ignis fomentum adhibuit, sed uti pervenit humida, laceraque tunica humi decubuit. Cujusdam Religionis Monachum, deposita regulari veste, ad militaria castra se præparantem placido, sed vehementi eloquio, ut resipisceret effecit, vestem monachalem procuravit, & ad proprium Monasterium ex rubore redire nolentem, ut alio superiores mitterent, obtinuit.

Bona quæq. charismata efficaciter persuadebat.

„ XVII. Bologninum Mercatelli (quod Massæ Trebariæ castrum est) Tyrannum indigna pleraque patrantem ad viam salutis convertit, qui demum Minoritis nomen dedit, transeuntibus genitrice, & sorore ad sanctæ Claræ Monasterium. Adolescentem nobilem cum aliis Ariminum transeuntem, ejusque colloquium appetentem excitavit, ut juvenilia oblectamenta missa faceret, & salutem animæ serio procuraret, conversisque sociis, ut regularium Claustra subirent, feliciter exoravit. Ea virtus & efficacia erat in verbis, ut quidquid vellet animabus proficuum, omnino persuaderet. Nullus erat ex civibus, qui quidquam petenti negaret, nullus extraneus, qui vel alloqui, vel videre non desideraret.

„ XVIII. Nihilominus suos habuit adversarios, & qui moleste exercerent: quidam obsessam, alii Patarenam, & hæreticam inclamabant. Amadæus Ariminensis usurarius, præ ceteris vehementius infestabat: neque vero illa commovebatur, sed æquanimiter omnia ferebat, pro persecutoribus orans, condonatis universis offensis. Ut humilius de se sentiret, neque cœlestibus gratiis intumesceret, dicebat hos sibi datos correctores, & suæ miseriæ commonitores; si quid ergo de se commendabile cogi-

Suos habuit adversarios.

„ cogitabat, in memoriam revocabat, quæ sibi ab aliis objiciebantur, & humili corde suam vilitatem cognoscebat, multisque verberibus obrepentem tumorem deprimebat. Minima quæque errata, vel levissima mendacia severe in se castigabat, semelque ob linguæ lapsum eam stricto retinaculo extra os per aliquot dies protraxit, quæ demum tantum intumuit, ut ad pristinum locum difficillime potuerit redire. Miros modos excogitavit cruciandi corporis, tum ut prioris vitæ delicta vindicaret, tum ut Christo pro se passo compateretur. Ita acerbe Christi dolores, & passionem sentiebat, ut animo deficeret, multisque horis jaceret immobilis. In Ecclesia Prædicatorum tale cordis deliquium, & mentis amaritudinem perpessam Hieronymus Monasterii Prior, postea illius urbis Antistes, arcanorum conscius, quippe qui multoties ejus confessionem excepit, sacra adhibita hostia, in omnium conspectu sui compotem effecit. Similes sæpe extases passa publica devitabat loca, & in nidulo suo se continens, sacræ illius myrrhæ fasciculum inter ubera sua secreto continebat.

„ XIX. At se continere non potuit quin semel in concione matutinali Parasceves, audita Christi passione, dira præsertim flagellatione ad columnam, mercede conduxerit duos, qui ad sanctæ Columbæ Templi præcipui ostium, e regione domus Senatoriæ ad columnam ligatam dire ceciderunt. Paulo post mysteria hæc cruenta recolenti in Templo sancti Matthæi sensit spineam sibi imponi coronam adeo gravem, ut cervicem per dies quindecim inflexerit. Aliquando ei Christus distincte suos dolores, & laterale vulnus ostendit, utque quidquam peteret, admonuit. At illa nonnisi sibi dolorum compassionem, & peccatoribus veniam postulavit, cuiChristus promisit se gratiis suis illos cumulaturum, quos illa propensius ei commendabat. Iterum totus pœnis, & cicatricibus miserandus, alias gloriosus candida, & pretiosa veste pulcherrimus apparuit, & quem primo altum impressit dolorem, secundo lenivit. Aliquando ardente corde præ nimio amoris æstu, sensit Christum Dominum infantulum intra cordis penetralia dulciter requiescere. Cum aliquando in angustula cella, quam in muri ruina sibi paraverat, sociam Benedictam Calliensem, Christi passionem meditari doceret, revelatum est, dilatandum fore hunc locum, multarumque Sororum fore habitaculum. Ita factum paulo post, quodam cive, cui nomen Lapus, pecunias ministrante, ut vicinas domunculas aggregaret. Domum ampliorem effectam, adhibito oratorio, & multiplicatis Sororibus, Neapoleon Cardinalis, Sedis Apostolicæ Legatus, in Monasterium erigi, a Minoribus regi, & officiis divinis sacrari concessit.

Qualiter Christi sentiebat passionem.

Prædicit suam cellam fore Monasterium.

„ XX. Famulam suam tamdem Deus miraculorum virtute illustravit; etenim quamdam fœminam ruricolam mamilla ulcerosa, & fœde cancro exesa laborantem, præmissis precibus solo tactu sanavit. Eugubii quemdam gravi morbo ad interitum, medicorum judicio, properantem; ad Baroncelli vicum puerum utroque lumine captum curavit. Assisium cum aliquot discipulis, & fœminis Urbinatibus, & Calliensibus ad lucrandas insignes Portiunculæ Indulgentias profecta, fecit ut ubique absque pecunia universa abundarent, & Assisii a Templo sancti Francisci ad Ecclesiam sanctæ Mariæ Angelorum mirabiliter, brevissimo temporis tractu fuit asportata. Post multorum dierum rigorosum jejunium, molestamque a potu abstinentiam apparuit ei Angelus, qui ciathum aureum limphati vini porrexit. Iterum per argenteam fistulam cœlestem accepit liquorem, qui prostratas vires erexit, & longo post tempore ab omni potus necessitate præservavit. Apparens etiam beatissima Virgo Maria alias consolationes adjunxit.

Patrat miracula.

XXI. De-

Cõsolationes recepit divinas.

XXI. Demum in festo sanctæ Luciæ ad eum contemplationis gradum pervenit, ut sopitis vel mortificatis corporis sensibus, desipuisse videretur. Ita per menses tres a rebus humanis abstracta tota versabatur circa cœlestia, nec quæ prius solebat, poterat præstare. Postremo sensibus perfecte restitutis, in gravem morbum incidit, cujus vi dum mortem præsentiret vicinam, Sororibus plurima dabat monita salutis, seque ipsam misericordiæ credebat divinæ, & demum prolatis illis verbis: *In manus tuas Domine commendo spiritum meum*. Dulciter obdormivit in Domino, vehementer dolentibus Ariminensibus, & tantam jacturam. Corpus ejus prius male habitum, jejuniis attritum, & variis injuriis denigratum, tunc pulchrum, molle, flexibile, & odoriferum apparuit.

Moritur.

Quis vitam scripsit?
Ex qua erat familia.
Gonza. in Prov. Bonon. Mon. 13.

XXII. Vitam ejus paulo post mortem scripsit frater Daniel Clementis Minorita, partim ex eis quæ vidit, partim ex eis quæ a sociis, Drudisia, Amata, Agnete, aliisque accepit. Ex familia Chiarella Petri in ipso actorum limine fuisse conscribit, & consanguineam Dini Rossii postea appellat. Franciscus Gonzaga Claram de Aquilatiis; errore, ut conjicio, Typographi nuncupavit. Stirps Agolantum eam sibi vendicare studet tum ex insignibus hujus prosapiæ quæ conspiciuntur in Claræ Oratorio, & passim per alia loca Monasterii, tum ex Sarcophago, seu tumulo porphyretico, in quo ejus corpus requiescit, cui hoc insculptum est Epitaphium.

Anno Domini MCCCXXIII. *die* II. *Novembris. Hic jacet Domna Clara filia Honosdei quondam Domini Jacobi de Agolantibus de Florentia: Cujus anima requiescat in pace.*

Clement. lib. 5. pag. 568.

Exscripsit hæc verba Cæsar Clementinus in sua historia Ariminensi in confirmationem opinionis Agolantum, sed nihil hic commune cum iis, quæ de Clara referuntur, & sub compendio ex supradicto vitæ auctore exscripsit Clementinus. Illic dicitur Thadei, hic Honosdei fuisse filiam: illic anno MCCCXLVI. die x. Februarii, hic anno MCCCXXIII. die II. Novembris decessisse. Anni varietas subdubitare fecit Clementinum, atque illud maxime, quod scalpri tunsionibus deletum sit Claræ nomen ex lapide. Ego judico, sepulcrum hoc ante annos XXIII. alteri paratum postea Claræ cessisse (uti etiam me prior suspicatus est Raphael Adimarus ejusdem urbis historicus, & prædictæ vitæ compendiarius) in quod insuper corpus beatæ Francæ postea fuit illatum. Utriusque reliquiæ conspectæ sunt die Veneris XIV. Julii anno MDCXVII. aperto sepulcro, præsentibus Bernardino de Benedictis a Castro durantis Vicario Generali Ariminensi, aliisque vocatis testibus, qui Claræ corpus aspero cilicio, gravique lorica contectum, obductosque manibus, & collo ferreos circulos viderunt, cujus rei testimonium publicum rogatus perhibuit Joannes Maria Bassonus Notarius.

Adimar. lib. 1. pag. 80. & 105.
B. Franca contumulata.

Gonzag. citat.
Quid sentiendum de Monasterio S. Claræ Ariminensi?
Ann. 1323. n. 47.

XXIII. Circa Monasterii originem non concordant auctores. Gonzaga putat, ante hoc tempus fuisse ædificatum, sub Regula sancti Benedicti, & Sororibus alio translatis, sub hoc tempus anno incerto Monasterium traditum fuisse Clarissis: quod etiam nos ex eo alias retulimus. Adimarus aliud antiquius ait humile, seu parvum Monasterium sanctæ Mariæ Angelorum Monialium Ordinis sancti Benedicti extra urbem præextitisse, ad annum MLXXX. fabricatum, & ex illo ait Claram, cum sex Sororibus ad hoc aliud, sub eodem nomine sanctæ Mariæ Angelorum transmigrasse, primumque traditum fuisse Monachis Montis Olivetani. Istud improbat Clementinus, vetusque illud de Angelis Monasterium,

non

„ non Monialium sancti Benedicti, sed Fratrum sancti Pauli primi Eremitæ „ fuisse asseverat. Aliorum deinde ipse opinionem refert dicentium, præ- „ extitisse illic Monasterium sanctæ Mariæ de Muro, prope quod aliud de „ Angelis Clara construxerat, & ex duobus coaluisse unum, in quod admi- „ serat aliorum Monasteriorum Sorores variarum religionum, quæ bello- „ rum injuriis suis sedibus exturbatæ illuc convolarunt, & in unam sanctæ „ Claræ regulam conspirarunt: At ex actis superius citatis constat, nullum „ illic Monasterii fuisse vestigium, primamque Claram emptis, prope suam „ cellulam, quam in muro sibi adaptaverat, domibus opportunis, in eam „ formam reduxisse, ut aliquot Sorores sibi cohabitarent, & facultatem „ concesserit Neapoleon Cardinalis illic divina celebrandi. Verum est, alio „ in loco Monasterium præfuisse sanctæ Mariæ in Muro, cujus Sorores pau- „ culæ Claræ erant gratissimæ. Inchoatrix ergo loci fuit Clara, nomen- „ que imposuit sanctæ Mariæ Angelorum, tunc familiare aliis Monasteriis, „ vel ob devotionem insignis Templi Assisiatis, quod illa uti diximus, causa „ peregrinationis invisit.

„ XXIV. Celebrem illic de prædicari Indulgentiam septem dierum in- „ cipientem a vigesimo secundo Martii, & perseverantem usque ad vigesi- „ mum octavum ejusdem, tres scilicet dies antecedentes festum Annuncia- „ tionis beatæ Mariæ, tres subsequentes, & ipsum Annunciatæ Virginis „ diem complectentem, ab hac Clara a Deo obtentam scribunt Adimarus „ & Clementinus, eamque miro populorum concursu per integrum illud se- „ ptenarium dierum commendari. Referunt enim, pro salute fidelium „ oranti apparuisse Christum Dominum, Joannem Baptistam, & SS. Apo- „ stolos, & per Joannem Evangelistam aureis litteris libro inscriptis inti- „ matam ei prædictam Indulgentiam, cui nullus Episcoporum Ariminensium „ huc usque ausus est contradicere, etsi nullo probetur authentico instru- „ mento. Super altaris præcipui tabulam apparitio, & Indulgentiæ con- „ cessio, opera Joannis Antonii Longi insignis Pictoris Ravennatis, depictæ „ conspiciuntur, & super iconem hæc verba litteris aureis exarata leguntur: „ *Divæ Claræ Ariminensi dedicatum, quæ tantam a Christo huc intranti- „ bus exoravit Indulgentiam.* Addunt etiam conspici depictam in cella, „ quam Clara in concavo urbis muro inhabitabat, effigiem Christi Domini „ Salvatoris, quam in diebus Veneris, maxime Parasceves, humectari & „ sudorem emittere affirmant.

Indulgentiæ magnæ in Ecclesia illius Monasterii.

XXV. Sacellanos aliquot suos hoc anno instituit ex Minoritis, fr. Gervasium Marcerii, fratrem Guillelmum Beaufiz Cantuarien. diœces. Thomasium de Lanzarotta, de Mazaria, & Deodatum Bernardonis. Episcopos vero quam plures, fratrem Amadeum in Ecclesia Naulen. in Liguria, sub Archiepiscopo Genuen. per obitum Thodeschi: *Creditæ nobis dispensationis*. XV. Kalend. Martii; fratrem Petrum cognominatum Theutonicum in Pacten. in Sicilia, sub Archiepiscopo Messanen. per obitum Vincentii etiam Minoritæ: *Sollicitæ considerationis*. XV. Kalend. Martii; fratrem Tancredum de Auleta in Gravinen. sub Archiepiscopo Acheruntino in regno Neapolitano, per obitum Andreæ etiam Minoritæ: *Sedula nos Pastoralis officii*. VIII. Idus Martii; fratrem Iterium de Nabinallis in Famagustana, & Ancheraden. unitis, sub Archiepiscopo Nicosiensi, in insula Cypri, ad illam translatum a Nimociensi, per obitum Marci: *Pastoralis officii*. VI. Kalend. Julii; fratrem Franciscum in Canticen. sub Archiepiscopo Creten. in eadem insula: *Apostolatus officium*. XII. Kalend. Septembris; fratrem Petrum in Constantien. sub Patriarcha Antiocheno, jam dudum vacante: *Inter sollicitudines*.

Sacellani Pontificii.

Frater Amadeus Episcopus Naulen.

Frat. Petrus Pacten.

Frat. Tancredus Gravinen.

Fr. Iterius Famagustan.

Frat. Franciscus Canticen.

Fr. Petrus Constantien.

Fr. Vesianus Eugubin.
Fr. Barthol. Folian.
Frat. Guillelmus Chissimen.
Fr. Donatus Salpen.
Fr. Manens Montismaranen.
Fr. Daniel. Archiep. Bostraen.
Fr. Antonius Hierapolitan.

nes. II. Kalend. Augusti; fratrem Vesianum Ronlandum in Eugubina immediate Sedi Apostolicæ subjecta, per obitum Francisci: *Apostolatus officium*. VI. Nonas Octobris, postea translatus est ad Archiepiscopatum Capuanum, & institutus Rector Campaniæ & Maritimæ; fratrem Bartholomæum de Cassino Januensem in Foliensi diu vacante: *Attenta meditatione*. II. Idus Maii; fratrem Guillelmum Mauroacocchium in Chissimen. sub Archiepiscopo Creten. per mortem Belleti: *Inter sollicitudines varias*. II. Kalend. Octobris; fratrem Donatum de Curato in Salpen. sub Archiepiscopo Baren. in regno Neapolitano, per obitum Galgani: *Quam sit onusta periculis*. VI. Kalend. Julii; fratrem Manentem Francisci Fabrianensem in Montismarana, sub Archiepiscopo Beneven. in eodem regno, per translationem Pontii ad Vicaven. *Pastoralis officii debitum*. XV. Kalend. Decembris. Archiepiscopos etiam binos instituit. Bostraen. in Arabia majore, sub Patriarcha Antiocheno, fratrem Danielem: *In supremæ dignitatis*. IV. Kalend. Augusti. Hierapolitanum in Phrygia Cappatiana, sub Patriarcha Constantinopolitan. fratrem Antonium de Alexandria: *Summi dispositione Rectoris*. II. Kalend. Augusti.

Conv. Compinacen.
Conv. Castrinovi.
Conv. Patermonis.
Ann. 1343. n. 13.
Conv. Lavarken.

XXVI. Ante hoc tempus extabat extra Villam Compinaci, dioec. Santonensis, Conventus Minorum, sed propter bella, quæ inter Galliæ & Angliæ Reges vigebant, majori ex parte destructus. Petierunt itaque Fratres hoc anno licentiam, illum transferendi intra muros prædictæ Villæ, & ædificandi in territorio, ac domibus, quas nobilis vir Petrus de Charmenta, dictæ Villæ domicellus, eis liberaliter concessit. Scripsit de his Pontifex Episcopo & Decano Santonensi: *Exhibita nobis*. XII. Kalend. Junii. Meminerunt hujus loci Pisanus & Rodulphus, in provincia Turoniæ, & Custodia Santonensi, sub nomine Compriaci. Concessit etiam facultatem Pontifex Ministro & Fratribus provinciæ Siciliæ, ædificandi Conventum in Castro novo Agrigentinæ diœcesis in fundo, quem ex sua pietate concessit nobilis Vir Ottobonus de Auria, Admiratus Siciliæ, prædicti Castri Dominus, qui etiam maxima ex parte, quæ ædificio erant necessaria, subministravit: *Dum ad fructus uberes*, nonis Augusti. Hujus loci meminit Pisanus in Custodia Agrigentina, & Rodulphus in Custodia Drepanensi, sub invocatione sancti Francisci. Eisdem largitus est facultatem recipiendi in eadem Insula & Oppido Patermonis Cathanien. diœcesi. Cœnobium, quod in suis ædibus ædificare præcepit Alionora Regina, de cujus morte, suscepto prius Instituto sancti Francisci, egimus superius: *Ordinis vestri*. Nonis Augusti. Apud nostros tamen Auctores hujus loci non invenio memoriam. Vicario & Fratribus Vicariæ Scotiæ indultum, ut duo admitterent loca, unum in Villa de Lavark, Glascuen. diœcesis, quod eis pridem obtulit & concessit Robertus Bruseus Rex dum in humanis ageret, & alium sibi concedendum a Davide II. Rege, Roberti filio, & Joanna Regina Davidis consorte: *Inter ceteros ordines*. III. Kalend. Decembris. In hoc diplomate refertur tunc in toto Regno Scotiæ Minorum Sodalitium, in tribus dumtaxat diœcesibus aliquot habitacula obtinuisse, & propter bellorum discrimina, præ ceteris Ordinibus fuisse depressum. In codice vestusto MSS. Bibliothecæ Vaticanæ num. 1960. habetur Provinciale Ordinis Minorum, in quo Provincias omnes, Vicariatus, & Conventus enumerat. Paulo post hunc annum videtur exaratus; hujus enim Conventus mentionem habet, & domicilia Scotiæ ita recenset. Vicariatus Scotiæ habet loca sex. Bervici, Aditoniam, Reyburgiæ, Dunfrisii, Lavargum, & Domum Dei.

Dubrau. l. 2. hist. Boem. in fine.

XXVII. Hoc anno XXVI. Augusti occubuit in bello Cersiacensi, in agro

agro Pontino, apud Caletes, Joannes Rex Boemiæ, filius Henrici VII. Imperatoris, genitor Caroli IV. & avus Wenceslai Imperatorum, dum cœco impetu, cœcus, oculis captus, subsidium ferret Philippo Valesio Gallorum Regi contra Eduardum Anglum. Traditum corpus filio Carolo ut sepeliret ubi placeret. Placuit Lucemburga, eratque conditum in ea a tempore sancti Francisci Monasterium Franciscanorum. Illuc illatus Regia pompa sepultus est in Ecclesia sanctæ Dei Genitrici dicata. Nulla se hucusque obtulit occasio de hoc Cœnobio scribendi, neque alia subest notitia, quam quod anno MDLXVII. petente Philippo II. & præcipiente Pio V. transierit a Conventualibus ad Observantes.

Moritur Joannes Boemiæ Rex, sepeliturque Lucemburgæ ad Minores.
Conven. Lucemburgen.
Gonza. in Prov. Fland. Conv. 17.

XXVIII. Scripsit Pontifex Episcopo Legionensi, ut absolutis Fernando Roderici Osorio, viro Principe, Domino Villæ Luporum, ejusque consorte Agnete de la Cerda, filia Alphonsi Hispaniarum Infantis, ab excommunicationis sententia, lata a canone, quam in gradu quarto affinitatis conjuncti scienter matrimonium contrahentes incurrerant, eis concederet facultatem, ut in prædicta Villa vel alio loco competente sui dominii, extruerent Monasterium Clarissarum: *Piis desideriis*, XIV. Kalend. Maii. Re infecta, e vivis excessisse Fernandum, & relictam Agnetem non nisi anno MCCCLXXXVI. in propriis ædibus intra prædictæ Villæ muros ædificasse, scribit Gonzaga. Elegantem deinde adjunxit Ecclesiam, sub invocatione sanctæ Claræ, & sufficientes redditus adhibuit. In Templo & parentum tumulo sepulta est horum Principum filia anonyma, quæ a nativitate muta, ea ipsa hora, qua genitor in bello occubuit, soluto vinculo linguæ, infortunium genitrici prædixit. Floruerunt in hoc Monasterio magna pietate, quatuor postremi seculi, Moniales, Maria Cavalla, Francisca del Rio, Anna de Ureña, & Anna altera de Cruce.

Monaster. Villæ Luporum.
Gonza. in Prov. S. Jacob. Monast. 9.

XXIX. Hoc anno concessa facultas Joanni Regi Boemiæ, quem paulo antea, hoc etiam anno occubuisse diximus, ut in oppido Epternacensi Treviren. diœces. & Comitatus Lucemburgensis, Clarissis ædificaret & dotaret Monasterium, sub nuncupatione beatæ Mariæ Virginis, & sancti Joannis Baptistæ: *Pia Principum*, IV. Kalend. Maii. De hoc Monasterio Petrus Cratepolius, loquens de Boemundo II. Sarapuntino, Archiepiscopo Trevirensi, ita habet: *Circa hæc tempora divæ Claræ Monasterium Epternasi inchoatum ac fundatum est anno Domini* MCCCXLII. *a Joanne Boemiæ Rege, & Comite Luxemburgensi, Henrici VII. Imperatoris filio. Dotatum est a Carolo IV. antedicti Joannis filio, anno Domini* MCCCXLVIII. *Tandem & a Wenceslao Imperatore, anno* MCCCLXVIII. *Postremo auctum & locupletatum a Petro Sarrachino, Scabino Epternacensi, ejusque uxore domina Juliana, qui omnes possessiones suas legarunt Monasterio, anno Domini* MCCCCLII. *Præest hoc anno Domina Joanna Besenraedt*. Errat tamen in anno fundationis, dum hoc ipso anno ei conceditur construendi facultas, & diploma referat, eum tunc Monasterium fundare, & construere proposuisse. Quod etiam ait de dotato Monasterio per Wenceslaum Imperatorem, anno MCCCLXVIII. difficile nimis videtur, cum Wenceslaus puerulus tunc septennis, vel octennis esset, natus quippe anno MCCCLXI. bimulus coronatus Rex Boemiæ, & ad Romanorum regnum non nisi anno MCCCLXXVI. ætatis XV. vivente & artificiose curante patre, sit electus, & Cæsar renuntiatus anno MCCCLXXX. Fortassis error irrepsit in notas numerorum, & pro 1368. scribendum erat 1386. inversis notis posterioribus.

Monast. Epternacen.
Cratepol. de Archiep. Treviren. n. 94.
Vide Dubra. cit. & lib. 23.

XXX. Cum Clarissæ multis in locis a Prælatis Rectoribus & Clero, aliis-

Dantur Conservatores Clarissis.

aliisque personis, super bonis, juribus, & libertatibus earumdem contra indulta Apostolica multipliciter molestarentur, dedit Clemens hoc anno Conservatores, Archiepiscopum Aquen. & Episcopos Apten. & Cavallicen. *Inter opera pietatis*, IV. Kalend. Maii. Et alio simili diplomate eodem die Episcopos Mimaten. Castren. ac Vabrensem. Defensionem etiam ac protectionem Clarissarum Monasterii Amiliani, dioecesis Ruthenen. commendavit Episcopo & Praelatis per eamdem dioecesim constitutis, & multa alia his Sororibus privilegia indulsit, quae in regesto licebit aspicere. Omnes Clarissas liberavit a decimis solvendis, contribuendis procurationibus, collectis, pedagiis, aliisque gravaminibus: *Laudabilis sacra Religio*, VI. Non. Martii. In subsidium locorum Terrae sanctae concessit, ut Fratres possent facultatem elargiri, quaedam mercimonia evehere in Ægyptum, & ex eisdem lucrum percipere: *Sincerae devotionis* X. Kalend. Aprilis.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

Wadd. ad hunc ann. n. 9. 12.
Dogl. p. 4. fol. 190.

„ I. Vigente obstinato bello inter Philippum Valesium Franciae, & Edoardum Angliae Reges, inter eos commisso praelio in agro Pontino apud Caletum die XXVI. Augusti victor Anglus evasit; occuberunt in ore gladii Joannes Boemiae Rex, qui Valesio suppetias tulerat, Majoricae etiam item Rex, Lotharingiae Dux, ipsius Valesii frater, Comes Flandriae, pluresque Comites, atque Franciae Barones; beneficio fugae salvatis Philippo Rege, & Carolo Lutzemburgico nuper in Imperatorem electo, ut dicebamus; cui concessum Joannis Patris corpus, ut ubi vellet sepeliret; itaque regali fastu, sed funebri, Lutzemburgum delatum ibidem in Templo Minorum sepultum fuit. Fratres ergo ea in urbe eo tempore aedes habebant, quarum etiam antiquitatem ad anteriora sancti Patris Francisci referendam putat Annalista; cum anno MCCLVII. Moniales Clarissas ab eadem admissas fuisse constet: initia nihilominus certa, tituli, honores, & fundatorum nomina nostros historicos omnino latent; nisi quod Pisanus in Custodia Trevirensi Provinciae Coloniae secundum locum eis assignet. Ceterum Lutzemburgum, Guiciardino interprete, quasi *Lucis Burgium*, idest, Arx Solis, praeclara Civitas Comitatus Lutzemburgici (nondum enim Ducatus honorem habebat) caput, in loco peramoeno parte altera montoso, & altera plano sita, Templum majus sancto Nicolao dedicatum habet. At ut justa persolvamus tanto Regi, erat Joannes in Minoritas valde propensus, praesertim in Clarissas, quibus Znoimae amplum, & regale privilegium jam ante concesserat; & hoc anno petierat, & obtinuerat a Clemente VI. facultatem pro XXXII. earumdem Sororum construendi Monasterium ad Epternacum oppidum, in eodem Comitatu Lutzemburgico, Dioecesis Trevirensis: *Pia Principum fidelium vota &c.* IV. Kal. Maii Avenion. anno IV.


Joannes Boemiae sepelitur apud Minores.

Lit. Pont.

„ II. Alia praeterea nonnulla concessit Pontifex, ut Agneti Comitissae communionem cum Clarissis: *Devotionis tuae &c.* XV. Kal. Martii. Comitissae Cariolani ingressum Monasteriorum: *Personam tuam &c.* XV. Kal. Maii: sed Clarissis Neapolitanis indixit reddere scripturas F. Michaelis, expeditis duobus diplomatibus V. Idus Augusti: *Relatibus percepimus &c.* &: *Fide dignorum &c.* Quia vero ad Regem, & gentes Armenorum mittebat Legatos, cum plenae legationis officio, & auctoritate fratrem Antonium de Aribandis Valentinum ex Minorita Episcopum Caetanum, & Joannem electum Coronensem, viaticum ut haberent, pro certis eleemo-

„ synis ipsis consignandis, duo dedit ejusdem tenoris brevia III. nonas Septembris: *Ad cultus augmentum &c.* quorum unum Bertrando Cardinali dirigebatur.

„ III. Andræa Bonfanti auctore, quidam Joannes ab Æthiopia Tertii Ordinis alumnus, admirabili poenitentia, humilitate, ac oratione conspicuus, hoc anno in Italia moritur, incerto loco, & transitus die. Etiam Joanna Virgo a Ravenna Tertii pariter Ordinis ibidem miraculis clara obdormivit in Domino, incerto etiam die; quæ ob signa mirabilia per ejus intercessionem a Deo patrata, a Religiosis & secularibus in maxima veneratione & reverentia habetur, ut scribit Nicolaus de Antissa. Alcazarii pariter in territorio Toletano, Sancia Virgo Alcazariensis, & ipsa Tertii Ordinis, paupertate, humilitate, contemplatione & oratione insignis, migravit ad Sponsum, auctore Nicolao præfato.



RE-

REGESTUM
PONTIFICIUM.

REGESTUM PONTIFICIUM.

JOANNIS XXII.

ANNO CHRISTI 1323. PONTIFICATUS ANNO 7. & 8.

BULLA I.

Præficitur Ecclesiæ Beriten. Ibidem epist. 765.

Dilecto filio Matthæo electo Beriten.

§. I.  Egimini universalis Ecclesiæ &c. usque ad *præesse utiliter & prodesse*. Dudum siquidem Beriten. Ecclesia per obitum bonæ memoriæ Roberti Episcopi Beriten. pastoris solatio destituta, dilecti filii Capitulum ejusdem Ecclesiæ vocatis omnibus, qui voluerunt, debuerunt & potuerunt commode interesse, die ad eligendum præfixa in Ecclesia Nicosien. cum in dicta Beriten. Ecclesia, quæ in terra ubi Sarraceni dominium obtinent, situata existit, non possent absque animarum periculo residere, ut moris est, convenientes in unum, & Spiritus sancti gratia invocata, quondam Emanuelem dictum de Long constitutum in sacerdotio, Ordinis Fratrum Minorum in eorum Episcopum concorditer elegerunt, qui antequam hujusmodi fuisset electio confirmata, viam extitit universæ carnis ingressus; nosque postea vacatione hujusmodi fide dignis relatibus intellecta, cupientes regimini ejusdem Beriten. Ecclesiæ personam utilem per nostræ sollicitudinis studium præsidere, provisionem ipsius ea vice dispositioni nostræ, ac Sedis Apostolicæ duximus specialiter reservandam, decernentes ex tunc &c. *contingeret attentari*, & postmodum de provisione ejusdem Beriten. Ecclesiæ, ne prolixioris vacationis sustineret incommoda, sollicite cogitantes, post deliberationem, quam ad deputandum eidem Beriten. Ecclesiæ personam utilem, ac etiam fructuosam, cujus industria probitatis in suis valeret juribus adaugeri, ac etiam defensari, cum Fratribus nostris habuimus diligentem. *Vide Const. 25. Clem. V. fol. 464. Tom. 6.*

§. II. Demum ad te Ordinis Fratrum Minorum in sacerdotio constitutum, Ordinem ipsum expresse professum, cui de religionis zelo, vitæ munditia, regulari observantia, litterarum scientia, honestate morum, & vitæ ac aliis probitatis meritis fide digna testimonia suffragantur, direximus aciem nostræ mentis.

§. III. Quibus omnibus diligenti meditatione discussis, volentes Beriten. Ecclesiæ præfatæ salubriter providere, de persona tua nobis & Fratribus eisdem accepta, præfatæ Beriten. Ecclesiæ de ipsorum Fratrum consilio, auctoritate Apostolica providemus, teque illi in Episcopum præficimus & pastorem, curam & administrationem ipsius Beriten. Ecclesiæ tibi tam in spiritualibus, quam in temporalibus committendo plenarie, firma spe fiduciaque conceptis, quod dirigente Domino actus tuos, eadem Ecclesia per tuæ circumspe-

cumspectionis industriam prospere dirigetur, & salubria, dante Domino, suscipiet incrementa. Quocirca discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus impositum tibi onus &c. usque ad *favorem benevolum impertiri*.

Datum Avenione XII. Kal. Martii anno VII.

II.

Præficitur Ecclesiæ Sagonensi. Ibidem epist. 765.

Venerabili fratri Guillelmo Episcopo Sagonen.

§. I. Cura pastoralis officii nos admonet, ac inducit &c. *ad salutaria dirigantur*. Olim siquidem bonæ memoriæ Guarino Episcopo Sagonen. præsidente regimini Sagonen. Ecclesiæ. Nos cupientes Ecclesiæ præfatæ, cum per ipsius Guarini obitum vel alio quovis modo vacare contingeret, personam utilem præsidere, provisionem ipsius Ecclesiæ Sagonen. cum vacaret, nostræ ac Sedis Apostolicæ dispositioni duximus reservandam, decernendo ex tunc irritum & inane, si secus super hoc per quoscumque scienter vel ignoranter contingeret attentari.

§. II. Postmodum vero dicto Guarino Parisiis rebus humanis exempto, nos attendentes, quod nullus præter nos de ordinatione ipsius Ecclesiæ Sagonen. ea vice se intromittere poterat, reservatione hujusmodi nostra obsistente, de præficiendo eidem Ecclesiæ Sagonen. approbatam idoneamque personam cogitare cœpimus diligenter, & post deliberationem, quam cum Fratribus nostris super hoc attentam habuimus, demum in te Fratrem Ordinis Minorum, quem in sacerdotio constitutum, & sufficienter in sacra pagina peritum fœl. rec. Clemens Papa V. prædecessor noster fecit in Episcopum consecrari, ac te ad prædicandum in terra Tartarorum verbum Dominicum deputavit, aciem direximus nostræ mentis, ac de persona tua nobis, & eisdem Fratribus, per grandia dona virtutum, quas in te ipsarum Dominus dispensavit, & super quibus fide dignis testimoniis commendaris, eidem Ecclesiæ Sagonen. de dictorum Fratrum consilio, auctoritate Apostolica, providemus, teque ipsi præficimus in Episcopum & pastorem, curam & administrationem illius tibi tam in spiritualibus, quam in temporalibus plenarie committendo, liberamque tibi concedendo licentiam, te ad eamdem Ecclesiam conferendi, in eo, qui dat gratias & largitur præmia confidentes, quod dextera Domini tecum faciente virtutem, dicta Ecclesia per tuum ministerium studiosum augmenta suscipiet commodi & honoris. Onus itaque regiminis ejusdem Ecclesiæ Sagonen. prompta devotione suscipiens &c. usque ad *uberius promereri*.

Datum Avenione II. Kal. Martii anno VII.

III.

Ut habeant liberam sepulturam. Ibidem epist. 998.

Dilectis in Christo filiabus Abbatissæ, & Conventui Monasterii sanctæ Claræ Civitaten. Ordinis ejusdem Sanctæ.

Devotionis vestræ precibus inclinati, sepulturam Ecclesiæ vestræ sine alieni juris præjudicio liberam esse decernimus, ut eorum devotioni & extremæ voluntati, qui se illic sepeliri desideraverint, dummodo excommunicati, vel interdicti, aut publice usurarii non fuerint, nullus obsistat, salvis

salvis tamen canonica justitia & parochiali jure illarum Ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Nulli ergo &c. nostræ concessionis &c. Datum Avenione Kal. Aprilis anno VII.

IV.

Ne teneantur solvere quidpiam ex sibi legatis. Ibidem epist. 993.

EISDEM.

JUstis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, & vota, quæ a rationis tramite non discordant, affectu prosequente complere. Eapropter dilectæ in Christo filiæ vestris supplicationibus inclinati, auctoritate præsentium districtius inhibemus, ne quis de legatis, oblationibus seu aliis quibuscumque eleemosynis vobis pia fidelium devotione collatis, aliquid a vobis exigere, vel extorquere præsumat.
Nulli ergo &c. nostræ inhibitionis &c. Datum ut supra.

V.

Ut habeant liberam sepulturam. Ibidem epist. 992.

Dilectis in Christo filiabus Abbatissæ, & Conventui Monasterii sanctæ Claræ de Perpiniano Ordinis ejusdem Sanctæ Elnen. Diœcesis.

DEvotionis vestræ precibus inclinati &c. *ut in præcedenti privilegio ad Civitatenses usque ad finem*.

VI.

EISDEM.

JUstis petentium desideriis &c. *ut in præcedenti privilegio ad Civitatenses usque ad finem*.

VII.

Ut fruantur privilegiis Minorum. Ibidem epist. 760.

EISDEM.

DEvotionis vestræ precibus inclinati, ut privilegiis & indulgentiis Ordini Fratrum Minorum, ab Apostolica Sede concessis, competentibus vobis, uti possitis, auctoritate vobis præsentium indulgemus. Nulli ergo &c. nostræ concessionis &c. Datum Avenione Kal. Maii anno VII.

VIII.

Ut præficiat fabricæ Monasterii Clarissarum Conimbricen. duos Fratres. Ibid. epist. 1606.

Dilecto filio Custodi fratrum Ordinis Minorum loci Colimbricen.

§ I. CArissima in Christo filia nostra Elisabetha Portugalliæ, & Algarbii Regina illustris, nobis exposuit, quod ipsa zelo piæ devotionis accensa, quoddam Monasterium Sororum Ordinis sanctæ Claræ prope Colimbriam in præsentarium construere facit, de nostra sibi concessa super hoc licen-

tia speciali, ad cujus prosecutionem, directionem, consummationem operis intendit duos Fratres industrios & fideles tui Ordinis adhibere, qui sint Conventuales loci Colimbrien. Ordinis memorati.

§ II. Nos igitur pium ejusdem Reginæ propositum in hac parte plurimum in Domino commendantes, illudque opportunis favoribus prosequi cupientes, discretioni tuæ per Apostolica scripta districte præcipiendo mandamus, quatenus ad requisitionem ejusdem Reginæ duos Fratres tui Ordinis, quos ad hoc videris opportunos, Conventui, Fratrum dicti loci Colimbrien. studeas assignare pro dicto opere sanctæ Claræ dirigendo provide, & foeliciter consummando, eos a prædicto loco sine causa rationabili nullatenus amoturus.

Datum Avenione XVII. Kal. Junii anno VII.

IX.

Ut recipiat domum in Castro Cauratæ. Ibid. epist. 1965.

Dilecto filio Ministro Provinciali & Fratribus Ordinis Minorum in Apulliæ partibus constitutis.

§. I. PRo parte vestra fuit nobis humiliter supplicatum, ut recipiendi & construendi unum locum ad usum & nomen Fratrum Ordinis Minorum in Castro de Caurata, Ruben. Dioecesis, vobis largiri licentiam dignaremur.

§. II. Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati, volentes votis vestris annuere favorabiliter in hac parte, locum recipiendi hujusmodi in dicto castro, & in eo ædificandi capellas seu oratoria, domos cum aliis necessariis officinis, sine præjudicio parochialis Ecclesiæ ejusdem Castri, & cujuslibet juris alterius alieni, si tibi, fili Minister, expediens videatur, super quo tuam conscientiam oneramus, constitutione fel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri super hoc in contrarium edita, non obstante, plenam & liberam, auctoritate præsentium, concedimus potestatem. Nulli ergo, &c.

Datum Avenione II. Nonas Junii anno VII.

X.

Præficitur Ecclesiæ Humanaten. Ibid. epist. 1010.

Dilecto filio Petro Electo Humanaten.

Vid. Const. 68. Bonif. VIII. fol. 432. Tom. 6.

AD regimen universalis Ecclesiæ, &c. *Oves rapiat & dispergat.* Olim siquidem ex certis causis provisiones omnium Ecclesiarum Cathedralium, &c *Contingeret attentari*. Postmodum vero Humananten. Ecclesia per obitum bonæ mem. Gerardi Episcopi Humanaten. in illis partibus decedentis, pastoris solatio destituta: Nos attendentes, quod nullus præter nos de ipsius Ecclesiæ provisione se intromittere poterat, neque potest, reservatione hujusmodi obsistente, ac de ordinatione celeri ejusdem Ecclesiæ, ne diu viduitatis experiretur incommoda, sollicite cogitantes, & cupientes illum per nostræ providentiæ studium eidem præesse Pontificem, de quo certam notitiam haberemus, quod ipsum clara meritorum suorum insignia redimirent, ne dubia esset ipsius caritas erga plebem suo regimini commendandam, & in cujus fide fida recumberet securitas subditorum, ad personam tuam litterarum scientia, zelo religionis, vitæ munditia, honestate morum, & aliis

& aliis virtutibus decoratam, in ſpiritualibus providam, & temporalibus circumſpectam, noſtræ mentis aciem dirigentes, de te Ordinis Fratrum Minorum profeſſore, in ſacerdotio conſtituto, de Fratrum noſtrorum conſilio eidem Humanaten. Eccleſiæ, auctoritate Apoſtolica providemus, teque in Epiſcopum illi præficimus & paſtorem, curam & adminiſtrationem ipſius tibi in ſpiritualibus & temporalibus committendo, firma concepta fiducia, quod eadem Eccleſia Humanaten. per tuæ providentiæ ſtudium proſperitatis & honoris, Deo propitio, grata ſuſcipiet incrementa. Reverenter itaque ſuſcipiens impoſitum à Domino tibi onus, &c. *valeat incrementis*.

Datum Avenione VIII. Idus Junii anno VII.

XI.

Præficitur Eccleſiæ Maceraten. Ibid. epiſt. 1407.

Dilecto filio Petro Electo Maceraten.

§ I. Regimini univerſalis Eccleſiæ, &c. uſque ad *Olim ſiquidem* Maceraten. Eccleſia, pro eo quod nos Venerabilem Fratrem noſtrum Fridericum Senogallien. tunc Maceraten. Epiſcopum, licet abſentem, a vinculo quo tenebatur eidem Maceraten. Eccleſiæ, cui præerat, de Fratrum noſtrorum conſilio, & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine abſolventes, ad Senogallien. Eccleſiam tunc vacantem duximus transferendum, præficiendo ipſum eidem Senogallien. Eccleſiæ in Epiſcopum & paſtorem, regimine deſtituta paſtoris. Nos ad celerem proviſionem ejuſdem Maceraten. Eccleſiæ, ne prolixæ vacationis exponeretur incommodis, ſollicite intendentes, cum nullus præter nos hac vice de ipſius Maceraten. Eccleſiæ ordinatione ſe intromittere poſſit, pro eo quod nos diu ante vacationem ejuſdem Maceraten. Eccleſiæ proviſiones omnium Eccleſiarum Cathedralium, &c. *contingeret attentari*.

Habes form. Cōſt. 16. Clem. V. fol. 459. Tom. 6.

§ II. Poſt delibrationem, quam ad deputandum eidem Maceraten. Eccleſiæ perſonam utilem ac etiam fructuoſam, cujus induſtria probitatis in ſuis valeret juribus adaugeri ac etiam defenſari, cum dictis Fratribus habuimus diligentem. Demum ad te Ordinem Fratrum Minorum profeſſum, in ſacerdotio conſtitutum, cui de religionis zelo, vitæ munditia, litterarum ſcientia, gravitate morum, circumſpectionis expertæ prudentia, & aliis virtutum meritis fide digna teſtimonia ſuffragantur, direximus aciem mentis noſtræ. Quibus omnibus diligenti meditatione diſcuſſis, volentes præfatæ Macraten. Eccleſiæ ſalubriter providere, de perſona tua nobis & eiſdem Fratribus ob hujuſmodi tuorum exigentiam meritorum accepta, præfatæ Maceraten. Eccleſiæ, de ipſorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica, providemus, teque illi in Epiſcopum præficimus & paſtorem, memoratam Maceraten. Eccleſiam tibi tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratias & largitur præmia confidentes, quod eadem Maceraten. Eccleſia per tuæ circumſpectionis induſtriam, & providentiam circumſpectam non ſolum præſervabitur a noxiis, verum etiam ſalubria in eiſdem ſpiritualibus & temporalibus, divina ſavente clementia, ſuſcipiet incrementa. Jugum itaque Domini prompta devotione ſuſcipiens, &c. *propterea promereri*.

Datum Avenione VIII. Idus Junii ann. VII.

XII.

Ut tribuat facultatem mutandi domum Montis Regii. Ibid. 1468.

Epiſcopo Aurien.

§. I. SAcra religio dilectorum filiorum Guardiani & Conventus Ordinis Fratrum Minorum de Monte Regis tuæ Diœceſis referta virtutum fœcunditate meretur, ut eos illa gratia favorabiliter proſequamur, quæ ſuis fore aſſeritur neceſſitatibus opportuna. Petitio ſiquidem dilecti filii nobilis viri Philippi, nati claræ mem. ſanctii Regis Caſtellæ, nobis exibita continebat, quod locus de Monte Regis, in quo ipſi Guardianus & Conventus degunt, adeo diſtemperatus exiſtit, quod propterea ipſos frequenter infirmari & mori contingit.

§. II. Quare idem Nobilis nobis humiliter ſupplicavit, ut providere ipſis ſuper hoc de opportuno remedio dignaremur. Præmiſſorum itaque conſideratione inducti, & dicti Nobilis ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuæ, de qua & in his & aliis plenam in Domino fiduciam obtinemus, per Apoſtolica ſcripta mandamus, & committimus, quatenus ſi eſt ita, eiſdem Guardiano & Conventui dimittendi prædictum locum, ſeque transferendi in Vianam Aſtoricen. Diœc. locum quidem dicti Nobilis, ibique conſtruendi Eccleſiam, & neceſſarias officinas, non obſtante conſtitutione Fel. record. Bonifacii Papæ VIII. auctoritate noſtra licentiam largiaris ſine juris præjudicio alieni.

Datum Avenione Nonis Auguſti anno VII.

XIII.

Præficitur Eccleſiæ Nemauſen. Ibid. epiſt. 1779.

Dilecto filio Bernardo Electo Nemauſen.

In Bulla 1. hujus Pontif. fol. 479. Tom. 6.

§. I. INter cætera ſollicitudinis noſtræ ſtudia, &c. *valeant incrementis.* Dudum ſiquidem Eccleſia Nemauſen. per obitum bo. mem. Bernardi Epiſcopi Nemauſen. qui nuper in partibus Lombardiæ diem clauſit extremum, ſolatio deſtituta paſtoris, nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, cupientes regimini ejuſdem Eccleſiæ perſonam utilem per noſtræ ſollicitudinis ſtudium præſidere, proviſionem ipſius Eccleſiæ ea vice diſpoſitioni noſtræ, ac Sedis Apoſtolicæ duximus ſpecialiter reſervandam, decernentes ex tunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contingeret attentari.

§. II. Et deinde de ipſius Eccleſiæ ordinatione celeri, ne prolixæ vacationis ſubjaceret incommodis, mente vigili cogitantes, & cupientes talem illi per noſtræ providentiæ ſtudium præeſſe paſtorem, per quem poſſet dicta Eccleſia utiliter dirigi, & ſalubriter gubernari. Poſt vigilem quam ſuper hoc cum Fratribus noſtris habuimus diligentiam, cum nullus præter nos hac vice poſt reſervationem eamdem, de ipſius Eccleſiæ ordinatione ſe intromittere potuerit, reſervatione obſiſtente prædicta, ad te Ordinem Fratrum Minorum expreſſe profeſſum, in ſacerdotio conſtitutum, virum quidem litterarum ſcientia præditum, religionis zelo, ac morum honeſtate decorum, diſcretionis & conſilii maturitate conſpicuum, in ſpiritualibus providum, & in temporalibus circumſpectum, direximus aciem noſtræ mentis. Quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & dictis Fratribus ob hujuſmodi tuorum exigentiam meritorum accepta, prælibatæ Eccle-

ſiæ

siæ, de eorumdem Fratrum consilio, providemus, teque ipsi Nemausen. Ecclesiæ in Episcopum præficimus & pastorem, curam & administrationem illius tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo, firma concepta fiducia, quod dirigente Domino actus tuos, eadem Ecclesia sub tuo felici regimine salubriter & prospere dirigetur, & multiplicis honoris & commodi suscipiet incrementa. Jugum itaque Domini, &c. *consequi merearis*.

Datum Avenione x. Kal. Septembris anno VIII.

XIV.

Ut habeant liberam sepulturam Ibid. epist. 1947.

Dilectis In Christo filiabus Abbatissæ & Conventui Monasterii sanctæ Claræ extra muros, Lectoren. Ordinis ejusdem Sanctæ.

DEvotionis vestræ precibus inclinati, &c. ut in epist. 992. usque ad finem.

Datum Avenione Kal. Septembris anno VIII.

XV.

Ut fruantur omnibus privilegiis Minorum. Ibid. epist. 1948.

EISDEM.

DEvotionis vestræ precibus inclinati, &c. ut in epist. 760. usque ad finem.

Datum ut supra.

XVI.

Ne solvant quidquam de sibi legatis. Ibid. epist. 1949.

EISDEM.

JUstis petentium desideriis dignum est nos, &c. ut in epist. 993. usque ad finem.

Datum ut supra.

XVII.

Ne solvant decimas de suis terris. Ibid. epist. 1905.

EISDEM.

PIetatis opera, cujus observantiæ vos pro Christi gloria deputastis, adeo vobis Apostolicæ Sedis gratiam promerentur, ut ea, quæ cum Deo & honestate possumus, vobis favore benevolo concedamus. Eapropter, dilectæ in Christo filiæ, vestris justis postulationibus inclinati, ut de terris & possessionibus vestris, quas propriis sumptibus excoli facitis, vel aliis conceditis excolendas, nulli decimas solvere teneamini, nec aliquis ad id vos coarctare valeat, nisi vos ad alium Ordinem transferretis, auctoritate præsentium indulgemus. Nulli ergo, &c. nostræ concessionis, &c.

Datum ut supra.

XVIII.

XVIII.

Ut possint succedere in bonis consanguineorum. Ibid. epist. 1951.

Eisdem.

DEvotionis vestræ precibus inclinati, auctoritate vobis præsentium indulgemus, ut possessiones & alia bona mobilia & immobilia quæ liberas personas Sororum vestrarum, mundi relicta vanitate, ad Monasterium vestrum convolantium, & professionem facientium in eodem, jure successionis, vel alio justo titulo si remansissent in seculo, contigissent, & libere potuissent aliis erogare, exceptis rebus feudalibus, exigere, petere ac retinere libere valeatis. Nulli ergo, &c. nostræ concessionis, &c.

Datum ut supra.

XIX.

Ne solvaut procurationes aut collectas. Ibid. epist. 1952.

Eisdem.

PAupertati vestræ, quam voluntarie propter Deum sustinetis, ac quieti, paterna imposterum sollicitudine providere volentes, auctoritate vobis præsentium indulgemus, ut vos ad præstationem procurationum Legatorum Sedis Apostolicæ, vel Nunciorum ipsius aut exactionum, vel collectarum, seu subsidiorum quorumcumque minime teneamini, nec ad id ea solvenda per litteras dictæ Sedis seu legatorum, Rectorum, vel Nunciorum ejusdem cujuscumque tenoris existant, aut cujuscumque auctoritatis, compelli minime valeatis. Nos enim decernimus irritas & inanes interdicti, suspensionis, & excommunicationis sententias, si quas propter hoc in vos, vel in vestrum aliquas vel Monasterium vestrum imposterum contigerit promulgari. Nulli ergo, &c.

Datum ut supra.

XX.

Ut possint recipere de male acquisitis, & redemptione votorum. Ibid. epist. 1554.

Eisdem.

NEcessitatibus vestris paterno compatientes affectu, quod de usuris, rapinis, & aliis male acquisitis, si quibus horum restitutio fieri debeat, inveniri non possint, necnon de redemptionibus votorum auctoritate Dioecesani prius factis, Hierosolymitano dumtaxat excepto, usque ad summam centum librarum Turronen. parvorum recipere valeatis, auctoritate vobis præsentium indulgemus, si alias pro similium receptione non estis a nobis hujusmodi gratiam consecutæ. Ita quod voventes ad executionem votorum hujusmodi minime teneantur, sed alii ad restituendum residuum acquisitorum taliter, si quod defuerit, remaneant nihilominus obligati. Nulli ergo, &c. Nostræ concessionis, &c.

Datum ut supra.

XXI. Ne

XXI.

Ne solvant decimas ex quibuscumque bonis. Ibid. epist. 1955.

EISDEM.

LAudabilis sacra vestra religio, &c. *Domino servitutem*. Hinc est, quod nos pium & congruum reputantes, ut vos illa prosequamur gratia, quam vestris necessitatibus fore conspicimus opportunam, vobis auctoritate præsentium indulgemus, ut ad præstationem decimarum, de quibuscumque possessionibus, & aliis omnibus bonis vestris, quæ in præsentiarum habetis, & justo modo, præstante Domino, acquisiveritis in futurum, vel ad contribuendum in procurationibus quorumcumque Ordinariorum, ac etiam Legatorum, & Nunciorum Sedis Apostolicæ, & quibuslibet talliis, & collectis, & ad exhibendum pedagia, telonia & alias exactiones, quibusvis regibus, & principibus, seu aliis personis secularibus minime teneamini, nec ad id compelli aliquatenus valeatis. Nulli ergo; &c. nostræ concessionis, &c. *Vide Constit. 32. hujus Pontif. tom. 6. fol. 506.*

Datum ut supra.

XXII.

Ut subveniant harum Clarissarum necessitatibus. Ibid. epist. 1956.

Universis Christi fidelibus.

QUoniam, ut ait Apostolus, omnes stabimus ante tribunal Christi, recepturi prout in corpore gessimus, sive bonum fuerit, sive malum, oportet nos diem missionis extremæ misericordiæ operibus prævenire, ac æternorum intuitu seminare in terris, quod reddente Domino, cum multiplicato fructu recolligere debeamus in cœlis, firmam spem fiduciamque tenentes, quoniam qui parce seminat, parce & metet, & qui seminat in benedictionibus de benedictionibus & metet vitam æternam. Cum igitur dilectæ in Christo filiæ Abbatissa & Conventus Monialium Monasterii sanctæ Claræ extra muros Lectoren. Ordinis ejusdem Sanctæ, subventionis vestræ indigeant revelari remediis, quæ jugo non modicæ paupertatis præmuntur, Universitatem vestram rogamus, monemus & hortamur in Domino, in remissionem vobis peccaminum injungentes, quatenus de bonis vobis a Deo collatis, pias eleemosynas, & grata eis caritatis subsidia erogetis, ut per subventionem vestram earum inopiæ consulatur, & vos per hæc & alia bona, quæ Domino inspirante, feceritis, ad æternæ possitis fœlicitatis gaudia pervenire.

Datum Avenione ut supra.

XXIII.

Ut lucrentur Indulgentias invisentes Ecclesiam Clarissarum Lectoren. Ibid. epist. 1957.

Universis Christi fidelibus.

LIcet is de cujus munere venit, &c. *divinæ gratiæ aptiores*. Cupientes igitur, ut Ecclesia dilectarum in Christo filiarum Abbatissæ & Conventus Monasterii sanctæ Claræ extra muros Lectoren. Ordinis ejusdem Sanctæ, congruis frequentetur honoribus, omnibus vere pœnitentibus, & con- *Habes form. in const. 24. hujus Pont. tom. 6. fol. 500.*

fessis qui ad ipsam Ecclesiam in singulis beatæ Mariæ Virginis, beatorum Joannis Baptistæ, & Joannis Evangelistæ, sanctorum Blasii & Eutropi martyrum, sanctorum Francisci & Ludovici Episcopi, & Antonii confessorum, sanctarum Claræ & Agnetis, ac Catharinæ virginum, & martyrum, ac undecim millium Virginum festivitatibus, & per octo dies festivitates easdem immediate sequentes, devote visitaverint, annuatim de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, unum annum & quadraginta dies de injuncta sibi pœnitentia misericorditer relaxamus.

Datum ut supra.

XXIV.

Ut possint interesse funeribus exercendis intra Monasterium Clarissarum Barchinonen. Ibidem epist. 1777.

Dilecto filio Guardiano & Fratribus Ordinis Minorum Barchinonen.

Carissimæ in Christo filiæ nostræ Elisendis, Reginæ Aragonum Illustris, in hac parte nobis humiliter supplicantis, precibus inclinati, vobis præsentium auctoritate concedimus, quod cum per dilectam in Christo filiam Abbatissam, seu Conventum Monasterii sancti Damiani Barchinonen. Ordinis sanctæ Claræ vocati fueritis ad sepeliendum corpora mulierum, quæ habitum susceperunt earumdem, quæve sunt intra dictum Monasterium tumulanda, & exequiarum seu sepulturæ officium inibi celebrandum, illuc accedere, & sepulturis interesse, & exequiarum officium celebrare libere valeatis, dummodo in loco a jure permisso fiant hujusmodi sepulturæ, constitutione ipsius Monasterii, vel Ordinis prædicti seu alia quacumque contraria non obstante. Nulli ergo, &c. nostræ constitutionis, &c.

Datum Aven. Kalend. Septemb. anno VIII.

XXV.

Ut informent circa permutationem quorumdam bonorum. Ibid. epist. 741.

Venerabilibus Fratribus Archiepiscopo Salernitan. ac Cajetan. ac Trojan. Episcopis.

§. I. Ex parte carissimorum in Christo filiorum nostrorum Roberti Regis & Sanciæ consortis suæ Reginæ Siciliæ Illustrium, nobis extitit humiliter supplicatum, ut cum Monasterium Scafati Cistercien. Ordinis, Nolanæ dioec. habeat nonnulla jura, & bona in civitatis Neapolitanæ pertinentiis, quæ propter commoditatem & vicinitatem locorum, ubi consistunt, multum competerent Monasterio sancti Corporis Christi Neapolitan. quod dicti Rex & Regina ad laudem & gloriam Redemptoris ejusdem pia devotione fundarunt, pro quibus dilectæ in Christo filiæ Abbatissa, & Conventus dicti Monasterii sancti Corporis Christi paratæ sunt dicto Monasterio Scafati recompensationem decentem, seu sufficiens excambium assignare, prædicta jura & bona omnia quæcumque ad dictum Monasterium Scafati spectantia, sita in civitate & pertinentiis supradictis dicto Monasterio sancti Corporis Christi, dato per eas dicto excambio præfato Monasterio Scafati, concedere dignaremur.

Bona Monasteriorum permutanda.

§. II. Quia

§. II. Quia igitur de præmissis notitiam non habemus, fraternitati vestræ de qua plenam in Domino fiduciam gerimus, præsentium auctoritate committimus & mandamus, quatenus de valore dictorum bonorum, quæ dictum Monasterium Scafati obtinet in civitate, & pertinentiis memoratis, & eorum, quæ per dictam Abbatissam & Conventum danda erunt, pro recompensatione seu excambio eorumdem, ac etiam opportunitate dictorum bonorum assignandorum dicto Monasterio Scafati, pro recompensatione prædicta, & aliis circumstantiis universis curetis diligentius informari, & quæcumque per informationem hujusmodi inveneritis, & alias circumstantias universas, & opportunas, quæ fuerint in talibus attendendæ, nobis per vestras litteras harum seriem continentes, fideliter referre curetis, ut vestra relatione super præmissis instructi, quod super his expediens & utile fuerit, auctore Domino, agere valeamus. Quod si non omnes his exequendis poteritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exequantur. Commissio data Episcopis.

Datum Avenione xx. Kalend. Aprilis anno VIII.

XXVI.

Ut similiter informent circa alia bona permutanda. Ibid. epist. 742.

EISDEM.

EX parte carissimorum in Christo filiorum nostrorum Roberti Regis & Sanciæ consortis suæ Reginæ Siciliæ Illustrium nobis extitit humiliter supplicatum, ut cum hospitale sancti Joannis Hierosolymitan. habeat in pertinentiis civitatis Aversanæ quamdam grangiam, quæ Coliana vulgariter nuncupatur, & quæ propter commoditatem & vicinitatem loci, ubi consistit, multum competeret Monasterio sancti Corporis Christi Neapolitan. quod dicti Rex & Regina ad laudem & gloriam Redemptoris ejusdem pia devotione fundarunt, pro quibus dilectæ in Christo filiæ Abbatissa & Conventus dicti Monasterii sancti Corporis Christi paratæ sunt dicto hospitali recompensationem decentem, seu sufficiens excambium assignare, prædictam granciam, cum pertinentiis suis dicto Monasterio sancti Corporis Christi, dato super eas dicto excambio præfato hospitali, concedere dignaremur. Quia igitur de præmissis notitiam non habemus, fraternitati vestræ, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemns, præsentium auctoritate committimus, & mandamus, quatenus de valore grangiæ & pertinentiarum prædictarum, & eorum, quæ per dictas Abbatissam & Conventum danda erunt, pro recompensatione seu excambio earumdem, ac etiam opportunitate dictorum bonorum assignandorum præfato hospitali pro recompensatione prædicta, & aliis circumstantiis universis curetis diligentius informari, & quæcumque &c. ut in præcedenti usque ad *nihilominus exequantur*.

Datum Avenione x. Kalend. Aprilis anno VIII.

XXVII.

Ut Sorores Clarissæ Neapolitanæ gaudeant privilegiis concessis Minoritis & aliis Clarissis. Ibid. epist. 814.

Carissimæ in Christo filiæ Sanciæ Reginæ Siciliæ Illustri.

CLaris tuæ celsitudinis meritis, *desideriis mentis tuæ*. Cum itaque sicut pro parte tua fuit nobis expositum, quod de licentia Sedis Apostolicæ Monasterium quoddam, sub vocabulo sancti Corporis Christi, in civitate Nea- *Lege Const. 4. hujus Pontif. tom. 6. fol. 486.*

XXIX.

Ut vicissitudinaliter officium solvant divinum cum Fratribus Minoribus. Ibid. epist. 807.

EISDEM.

EA quæ cultus divini incrementum respiciunt, & ipsius frequentiam, affectu piæ mentis complectimur, & libenter etiam promovemus. Hinc est quod nos cariffimæ in Christo filiæ nostræ Sanciæ Reginæ Siciliæ Illustris, vestri Monasterii fundatricis, cupientis ibidem cultum divini nominis augmentari, precibus inclinati, ut in dicto Monasterio præfatus cultus divinus frequentetur, auctoritate præsentium indulgemus, ut Fratres Ordinis Minorum præsentes & posteri in dicto Monasterio consistentes, in Ecclesia ejusdem Monasterii, quæ extra, sed prope clausuram vestram consistit, possint horas divinas vicissitudinaliter dicere, seu decantare, videlicet quod ipsi primo missam cantent, in qua tantum respondeant dicti Fratres, & deinde in alia missa respondeat chorus vester, qui quidem ordo in aliis horis canonicis observetur, videlicet ut dicti Fratres primo horam Primæ decantent, & deinde dictam primam concinat chorus vester, vicissitudinem hujusmodi in ceteris aliis horis canonicis observando, ita quod hujusmodi alternato seu vicissitudinario officio inibi observato, Deus in dicto Monasterio duplicatis divinæ laudis obsequiis venerabiliter collaudetur. Nulli ergo &c. nostræ concessionis &c.

Datum Avenion. Kalend. Aprilis anno VIII.

XXX.

Ut ingredi possit Monasterium Clarissarum Neapolitan. Ibid. epist. 878.

Roberto Regi Siciliæ illustri.

EXimiæ tuæ devotionis sinceritas promeretur, ut petitiones tuas quantum cum Deo possumus, ad exauditionis gratiam admittamus. Hinc est quod nos tuis supplicationibus inclinati, ut Monasterium Sororum sancti Corporis Christi Neapolitan. Ordinis sanctæ Claræ, quotiescumque devotionis causa volueris, cum duodecim probatis & honestis personis secularibus, quas elegeris, & quatuor Fratribus Ordinis Minorum ad ipsius loci custodiam deputatis, libere ingredi valeas, absque pœna quacumque, dummodo ibi non comedas, nec pernoctes, contrariis ipsius Ordinis statutis vel consuetudinibus nequaquam obstantibus, serenitati tuæ, auctoritate præsentium indulgemus. Nulli ergo &c. nostræ concessionis &c.

Datum Avenione IV. Idus Aprilis anno VIII.

XXXI.

Transfertur a Puteolana ad Ecclesiam Adversanam. Ibid. epist. 1541.

Venerabili fratri Willelmo Episcopo Adversan.

§. I. QUam sit onusta dispendiis, quam plena periculis &c. *proficiant incrementis*. Dudum siquidem Ecclesia Adversana ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinente, per obitum bonæ memoriæ Petri Episcopi Adversani, qui in partibus illis diem clausit extremum, pasto-

ſtoris ſolatio deſtituta, dilecti filii Capitulum ejuſdem Eccleſiæ, vocatis omnibus, qui voluerunt, debuerunt, & potuerunt commode intereſſe, die ad eligendum præfixa, ut moris eſt, convenerunt inſimul, & tamdem votis ipſorum, in diverſis diviſis, nonnulli ex eis bonæ memoriæ Richardum Epiſcopum Tricaricen. tunc viventem poſtulare, reliqui vero ex ipſis quondam Ligorium de Sveſſa Canonicum ejuſdem Eccleſiæ in Adverſanum Epiſcopum eligere in diſcordia curaverunt.

§. II. Hujuſmodi ergo electionis & poſtulationis negotio, in conſiſtorio propoſito coram nobis, & prædicto Ligorio ad Sedem Apoſtolicam, pro proſecutione electionis ſuæ hujuſmodi perſonaliter accedente, nos bonæ memoriæ Berengario Epiſcopo Portuen. negotium hujuſmodi audiendum oraculo vivæ vocis commiſimus, & nobis poſtmodum referendum. Coram quo, poſtquam ad aliquos actus, in hujuſmodi negotio fuit proceſſum, dictus Tricaricen. Epiſcopus in illis partibus debitum naturæ perſolvit, ac deinde præfato Epiſcopo Portuen. ſublato de medio, nos Venerabili fratri noſtro Petro Epiſcopo Preneſtrino negotium hujuſmodi reſumendum in eo ſtatu, in quo erat, coram dicto Epiſcopo Portuen. commiſimus ſimiliter referendum, ſed prius quam coram eodem Epiſcopo Preneſtrino, in hujuſmodi negotio ad aliquos actus proceſſum fuiſſet, idem Ligorius apud Sedem prædictam viam fuit univerſæ carnis ingreſſus.

§. III. Nos igitur ad proviſionem Eccleſiæ Adverſanæ celerem & felicem, ne ulterioris vacationis exponeretur incommodis, ſollicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te tunc Epiſcopum Puteolanum, conſideratis grandium virtutum meritis, quibus perſonam tuam Dominus inſignivit, & quod regimini Puteolanæ Eccleſiæ laudabiliter præfuiſti, direximus oculos noſtræ mentis. Intendentes itaque tam gregi Dominico, quam eidem Adverſanæ Eccleſiæ ſalubriter & utiliter providere, te a vinculo, quo tenebaris præfatæ Puteolan. Eccleſiæ, cui tunc præeras, de dictorum Fratrum conſilio & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine abſolventes, ad prædictam Adverſanam Eccleſiam transferimus, teque illi præficimus in Epiſcopum & paſtorem, curam & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ Adverſanæ tibi tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus plenarie committendo, liberamque tibi dando licentiam ad præfatam Adverſanam Eccleſiam tranſeundi, firma ſpe, fiduciaque conceptis, quod dextera Domini tibi aſſiſtente propitia, præfata Adverſana Eccleſia per tuæ induſtriæ, & circumſpectionis ſtudium fructuoſum regetur utiliter, & ſalubriter dirigetur. Quocirca fraternitati tuæ, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus curam & adminiſtrationem prædictas ipſius Eccleſiæ Adverſanæ ſic diligenter geras &c. *Uberius conſequi merearis*.

Datum Avenione Kalend. Junii anno VIII.

XXXII.

Ut recipiant domum in Caſtro Montorii. Ibid. epiſt 1224.

Dilectis filiis Miniſtro Provinciali, & Fratribus Ordinis Minorum in partibus Tuſciæ conſtitutis.

§. I. NUper pro parte veſtra nobis oblata petitio continebat, quod locus veſtri Ordinis, quem multis annis, juxta Caſtrum Montorii Vulteranæ diœceſ. Ordo ipſe habuerat, propter ruinam montis, in quo locus

cus ipse fundatus fuerat, dimissus est totaliter & desertus. Quare pro parte vestra, nobis fuit humiliter supplicatum, ut alium locum in dicto Castro, vel juxta illud in loco tamen, seu situ idoneo, recipiendi, vel locum primum inibi transferendi, præsertim cum commune, & homines dicti Castri nimia instantia hoc desiderent & affectent, vobis largiri licentiam dignaremur.

§. II. Nos igitur vestris supplicationibus inclinati, recipiendi in dicto Castro, vel juxta illud de novo unum locum dumtaxat ad nomen, opus & usum Fratrum Ordinis eorumdem, dummodo castrum ipsum sit ad hoc sufficiens & etiam opportunum, nec sit in ea domus alicujus Ordinis mendicantium, ac construendi, aut ædificandi inibi capellam seu oratorium cum domibus & aliis necessariis officinis, habendi quoque hortum & cœmeterium sine juris præjudicio Parochialium Ecclesiarum, & cujuslibet alterius alieni, constitutione fel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri super hoc in contrarium edita, non obstante, plenam & liberam vobis tenore præsentium concedimus facultatem.

Datum Avenion. XVII. Kalend. Julii anno VIII.

XXXIII.

Ut recipiant domum in villa Itri. Ibid. epist. 1218.

Dilectis filiis Ministro Provinciali, & Fratribus Ordinis Minorum Provinciæ Neapolitan.

§. I. Ex munere cœlestis gratiæ illud Ordini vestro, & vobis donatum inesse conspicimus, quod ubique locorum, in quibus degitis, fideles populos doctrina verbi pariter & exempli ad salutis gratiam evocatis. Est igitur & esse debet nobis, & Apostolicæ Sedi cura sollicita, loca vestra, per orbem terrarum longe lateque diffundere, ut quanto ipsa diffusius propagantur, tanto per amplius, prout in gratiarum omnium largitore confidimus, majorem semper operum vestrorum fragrantiam ad ædificationem Christi fidelium sentiamus.

§. II. Hinc est quod nos tuis, fili Minister, devotis supplicationibus inclinati, recipiendi locum unum dumtaxat in Castro seu Villa Itri Cajetanæ diœcef. ad nomen, opus & usum Fratrum Ordinis Minorum, dummodo hujusmodi Castrum, seu Villa sit ad hoc sufficiens & etiam opportunum, nec sit ibidem domus alicujus Ordinis mendicantium, ac construendi, & ædificandi inibi capellam seu oratorium &c. ut in præcedenti. *Concedimus facultatem.*

Datum Avenion. XIII. Kalend. Julii anno VIII.

XXXIV.

Ut recipiant duo loca in Sardinia, & alium in terris Malatestæ. Ibidem epist. 1219.

Dilecto filio Ministro Generali & Fratribus Ordinis Fratrum Minorum.

Ex munere cœlestis gratiæ, illud Ordini vestro, & vobis donum inesse credimus quod ubique locorum, in quibus degitis, fideles populos doctrina verbi & exempli ad salutis gratiam evocatis. Est igitur & esse debet nobis &c. ut in præcedenti: recipiendi dumtaxat duo loca in Insula Sardiniæ, & unum in terris dilecti filii nobilis viri Pandulphi de Malatestis Pensau-

saurien. diœcef. ad nomen, opus & usum Fratrum Ordinis Minorum, dummodo Terræ, & Villæ, in quibus loca hujusmodi recipi contigerit, sint ad hujusmodi sufficientia & etiam opportuna, nec sit ibidem domus alicujus Ordinis mendicantium, ac construendi & ædificandi inibi capellas seu oratoria, cum domibus & aliis necessariis officinis, habendi quoque hortum &c. ut in præcedenti. *Concedimus facultatem*.

Datum ut supra.

XXXV.

Præficitur Ecclesiæ Puteolanæ Ibid. epist. 1345.

Dilecto filio Paulino Electo Puteolan.

Vide constit. 1. hujus Pontif. tom. 6. fol. 479.

§. I. Inter cætera sollicitudinis nostræ studia *Proficere valeant incrementis*. Nuper siquidem Puteolana Ecclesia pastoris solatio destituta, pro eo quod nos Venerabilem Fratrem nostrum Guillelmum Aversanum, tunc Puteolanum Episcopum, in illis partibus existentem, a vinculo, quo tenebatur eidem Puteolanæ Ecclesiæ, cui tunc præerat, de Fratrum nostrorum consilio & Apostolicæ potestatis plenitudine absolventes, ipsum ad dictam Aversanam Ecclesiam, tunc vacantem, duximus transferendum, præficiendo eum ipsi Aversanæ Ecclesiæ in Episcopum & pastorem.

§. II. Nos volentes eidem Puteolanæ Ecclesiæ, ne dispendia prolixæ vacationis incurreret, paterna sollicitudine præcavere, cum nullus præter nos hac vice, &c. *Contingeret attentari*, post deliberationem quam de præficiendo eidem Puteolan. Ecclesiæ personam utilem cum eisdem Fratribus nostris habuimus diligentem, in te Ordinis Fratrum Minorum professorem, Ordinem ipsum expresse professum, in Sacerdotio constitutum, Pœnitentiarum nostrum, litterarum scientia præditum, religionis zelo conspicuum, vitæ munditia & morum honestate decorum, prudentia spiritualium, & temporalium providentia, prout ex testimoniis fide dignis accepimus, insignitum, intuitum dreximus nostræ mentis. Quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua nobis & eisdem Fratribus ob hujusmodi tuorum meritorum considerationem accepta, eidem Puteolan. Ecclesiæ de ipsorum Fratrum consilio auctoritate Apostolica providemus, teque ipsi Puteolan. Ecclesiæ in Episcopum præficimus & pastorem, curam & administrationem illius tibi tam in spiritualibus, quam in temporalibus plenarie committendo, firma concepta fiducia, quod dirigente Domino actus tuos, præfata Puteolan. Ecclesia per tuæ circumspectionis industriam in utrisque fœliciter & prospere dirigetur, & salubria, dante Domino, suscipiet incrementa. Jugum itaque Domini tuis impositum humeris prompta devotione suscipias, &c. *Consequi merearis*.

Datum Avenione xii. Kal. Julii anno viii.

XXXVI.

Ut possint domum suam in meliorem locum transferre. Ibidem epist. 2140.

Dilectis filiis Guardiano & Fratribus Ordinis Minorum loci siti extra Castrum Xericii Burgen. Diœc.

§. I. Ad Ordinem vestrum in firmamento militantis Ecclesiæ coruscantem, & ad professores ipsius paternæ gerentes caritatis affectum, libenter illa concedimus, quæ sint dicto Ordini: ejusque professoribus opportuna, §. II.

§. II. Exhibita siquidem nobis dilecti filii Ministri Generalis Ordinis vestri petitio continebat, quod locus vester situs in Regno Castellæ, extra Castrum Xericii Burgen. Dioec. est in loco periculoso, & dubio constitutus, adeo quod per locum illum transitum facientes, malignorum patiuntur incursus, propter quod præfatus Minister nobis humiliter supplicavit, ut vobis recipiendi locum alium tutiorem, vosque ad illum magis quieti vestræ securum & accommodum transferendi, concedere licentiam dignaremur.

§. III. Nos igitur ejusdem Ministri supplicationibus inclinati, vobis recipiendi locum alium magis vobis tutum ac congruum, & honestum, consistentem intra vel extra Castrum prædictum, vosque ad dictum locum, priori loco dimisso, transferendi & construendi in hujusmodi loco, quem de novo recipietis, oratorium cum officinis & aliis domibus opportunis, ac ipsum inhabitandi, constitutione fœl. rec. Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri super hoc in contrarium edita non obstante, auctoritate præsentium plenam & specialem licentiam elargimur. Nulli ergo, &c. nostræ concessionis, &c.

Datum Avenione v. Idus Augusti anno ix.

XXXVII.

Ut accipiant locum in Villa de Rotemoye. Ibid. tomo 2. an. ix. epist. 1977.

Dilectis filiis Ministro Provinciali & Fratribus Ordinis Minorum in Hiberniæ Partibus constitutis.

§. I. Inter Ecclesiasticos Ordines in domo Domini militantes, illud de benedictione cœlesti, Ordini vestro & vobis ad laudes speciales adscribitur, ac rerum efficax experientia magistra testatur, quod ubique locorum in quibus degitis, fideles populos ad salutis gratiam evocatis, proficientes vobis per vitæ virtutum merita, & aliis nihilominus per exempla. Nos igitur, qui lucrifieri animas Christo cupimus, & vestros ab hactenus sensimus & jugiter sentimus odores, libenter loca vestra in diversis orbis partibus propagamus, sperantes in illo, cui per decantationes laudum devotum impenditis holocaustum, quod quanto latius loca ipsa diffundimus, tanto abundantius spiritualis odoris aromata de vestris bonis operibus sentiemus. *Ordinis præconium.*

§. II. Cum itaque dilectus filius nobilis vir Joannes de Breinghem de Hiberniæ insula, Comes de Lonche, sicut ejus nobis exhibita petitio continebat, habens ad Ordinem vestrum specialem devotionis affectum, ac diligenter considerans, quod in Villa sua de Rotemoye Daren. Dioec. propter religiosorum carentiam, & distantiam ab eadem raro, ibidem prædicatur, seu proponitur verbum Dei, quodque vos mentes fidelium ædificabitis inibi verbo pariter & exemplo, unum locum ad opus, nomen, & usum Fratrum dicti Ordinis in Villa prædicta dare & concedere sit paratus, & ad id nonnulla vobis caritatis subsidia impertiri; ejusdem Joannis devotis in hac parte, & vestris supplicationibus inclinati, ut hujusmodi locum in dicta Villa recipere ac in eo ædificare & construere domos, capellam seu oratorium cum aliis necessariis officinis, ac inibi habitare libere valeatis sine juris præjudicio Parochialis Ecclesiæ dictæ Villæ, & juris cujuslibet alieni, constitutione fœl. rec. Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri super hoc in contrarium edita non obstante, dum tamen Villa præfata ad hoc sit idonea, & in ea duodecim Fratres dicti Ordinis inibi commorantes, honeste & congrue valeant sustentari, auctoritate vobis præsentium indulgemus. Nulli ergo, & nostræ concessionis, &c. *Comes in sua villa FF. vocat.* *Pontif. construere Cœnobium concedit.*

Datum Avenione Idibus Augusti anno ix.

XXXVIII.

Ut perferat instrumenta ad Pontificem. Ibid. ex secretis anni ix. fol. 61.

Dilecto filio Guardiano Fratrum Minorum de Valriaco.

CUm sicut accepimus, nonnulla instrumanta seu litteras penes te habeas, quæ nos & Ecclesiam Romanam contingunt, super quibus dilectus filius Petrus de Blacosio præsentium exhibitor te specialius informabit, discretioni tuæ præsentium tenore injungimus & mandamus, quatenus cum eisdem instrumentis, aut litteris ad nostram præsentiam te conferre, aut per fidelem nuncium illa caute quantocyus nobis mittere non postponas.
Datum Avenione iv. Nonas Octobris anno ix.

XXXIX.

Ut condere possit testamentum Ibid. ex tomo 2. ann. ix. epist. 1715.

Venerabili fratri Simoni Episcopo Tuden.

Tom. 6. fol. 475. QUia præsentis vitæ conditio, &c. ut in bulla 41. Clementis V. *usque ad* Nos itaque tuis supplicationibus inclinati, ut de bonis mobilibus Ecclesiæ Pacen. quam nunc habes, & de iis, quæ tibi debentur pro fructibus anni præsentis Ecclesiæ prælibatæ, reservata de illis successori tuo Pacen. Episcopo congrua portione, libere disponere valeas, debità tua solvendo, familiam remunerando, & pro animæ tuæ salute eleemosynas, & pro exequis opportuna distribuendo, non obstante quod Ordinis Minorum professor existis, auctoritate præsentium tibi concedimus facultatem, proviso quod præfatam Ecclesiam non dimittas debitis obligatam.
Datum Avenione iii. Nonas Decembris anno ix.

XL.

Conceduntur Indulgentiæ visitantibus Ecclesiam sancti Audomari Clarissarum. Ex tomo 1. anno ix. epist. 453.

Universis Christi Fidelibus, præsentes litteras inspecturis.

Ut in Reg. Tom. 4. fol. 441. VItæ perennis gloria, &c. Cupientes igitur ut Ecclesia Monasterii Monalium sancti Ludovici prope S. Audomarum, Ordinis sanctæ Claræ Morinen. Diœc. congruis honoribus frequentetur. Nos de Omnipotens Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus vere pœnitentibus, & confessis, qui Ecclesiam ipsam in singulis beatæ Virginis Mariæ & ejusdem sancti Ludovici, ac sanctæ Claræ festivitatibus centum, eis vero, qui per octo dies festivitates ipsas immediate sequentes devote visitaverint annuatim, quadraginta dies de injunctis eis pœnitentiis misericorditer relaxamus.
Datum Avenione xv. Kal. Januarii an. ix.

XLI.

Ut recipiant domum in insula Inquæ. Ibid. epist. 530.

Dilectis filiis Custodi & Fratribus Ordinis Minorum Barchinonen.

SIncerę vestræ religionis; in qua virtutum Domino devotum & sedulum exhibetis obsequium, promeretur honestas, ut votis vestris in iis præsertim, quæ divini cultus augmentum, & fidelium animarum salutem respiciunt, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Hinc est, quod nos vestris supplicationibus inclinati, ut in Villa, quæ inqua vulgariter nuncupatur Majoricarum Diœc. unum locum ad opus, usum & nomen Fratrum vestri Ordinis recipere, & in eo capellam seu oratorium ac domos cum aliis necessariis officinis ædificare, & construere & ibidem inhabitare, ac cæmeterium etiam libere habere valeatis, sine præjudicio parochialis Ecclesiæ dictæ, & juris cujuslibet alieni, constitutione fœl. rec. Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri super hoc in contrarium edita non obstante, dum tamen in dicto loco per vos recipiendo duodecim Fratres dicti Ordinis inibi commorantes honeste & congrue valeant sustentari, auctoritate vobis præsentium indulgemus. Nulli ergo, &c. nostræ, &c.

Dautm Avenione Kal. Januarii ann. IX.

XLII.

Præficitur Ecclesiæ Girapetren. Ex tomo 2. an. IX. 1457.

Dilecto filio Gerardo electo Girapetren.

§. I. REgimini universalis, &c. *Oves rapiat & dispergat*. Nuper siquidem vacante Girapetren. Ecclesia, pro eo quod nos Venerabilem Fratrem Thomam Agyen. tunc Girapetren. Episcopum, tunc & adhuc apud Sedem Apostolicam personaliter constitutum, a vinculo, quo tenebatur eidem Girapetren. Ecclesiæ, cui tunc præerat, de Fratrum nostrorum consilio & Apostolicæ potestatis plenitudine absolventes, ipsum ad Agyen. Ecclesiam tunc vacantem duximus transferendum, præficiendo eum ipsi Agyen. Ecclesiæ in Episcopum & Pastorem. *Vide Constit. 18. Bonifacii VIII. tom. 6. fol. 430.*

§. II. Nos volentes eidem Girapetren. Ecclesiæ, ne dispendia prolixæ vacationis incurreret, paterna sollicitudine præcavere, cum nullus præter nos hac vice de ipsius Ecclesiæ Girapetren. ordinatione se intromittere potuerit, pro eo quod nos diu ante vacationem hujusmodi Girapetren. Ecclesiæ supradictæ, provisiones omnium Ecclesiarum, &c. *Attentari*, post deliberationem, quam de præficiendo eidem Girapetren. Ecclesiæ personam utilem & etiam fructuosam cum eisdem Fratribus nostris habuimus diligentem, ad te Ordinis Fratrum Minorum professorem, & in Sacerdotio constitutum, quem litterali scientia eruditum, morum ac vitæ honestate decorum, in spiritualibus providum, & in temporalibus circumspectum apud nos fide digna testimonia commendarunt, direximus oculos nostræ mentis. Quibus omnibus attenta meditatione pensatis, de persona tua præfatæ Girapetren. Ecclesiæ, de dictorum Fratrum consilio, auctoritate Apostolica providemus, teque illi præficimus in Episcopum & Pastorem, curam & administrationem ipsius tibi tam in spiritualibus, quam in temporalibus plenarie committendo, firma concepta fiducia, quod dirigente domino actus tuos, præfata Girapetren. Ecclesia per tuæ sollicitudinis studium, tuumque ministerium studiosum, ho-

noris & prosperitatis multiplicis votiva suscipiet incrementa. Jugum igitur Domini, &c. *Consequi merearis*.

Datum Avenione Idib. Februarii an. IX.

XLIII.

Ut confirmet erectionem Monasterii Clarissarum de Roysseto. Ibid. ep. 1342.

Venerabili fratri Episcopo sancti Flori.

§. I. Illis, qui animarum salutem respiciunt, libenter Apostolici favoris præsidium impertimur. Exhibita siquidem nobis dilectæ in Christo filiæ nibilis mulieris Isabelæ de Ruthena Vicecomitissæ Carlaten. sancti Flori Diœces. petitio continebat, quod dudum ipsa cupiens terrena in cœlestia & transitoria in æterna felici commercio commutare, in Parochia Ecclesiæ de Roysseto ejusdem Diœces. duodecim mulieres sub habitu & regula Sororum Ordinis sanctæ Claræ instituit, & ei sufficientes redditus assignavit, ex quibus commode valeant sustentari, & incumbentia eis onera supportare, quodque Rector ejusdem Ecclesiæ, non permittit, ut in loco quem dicta Vicecomitissa ad hoc dictis mulieribus assignavit, diviva officia celebrentur.

§. II. Quare præfata Vicecomitissa nobis humiliter supplicavit, ut ne propter hoc hujusmodi pium opus valeat impediri, providere super hoc de opportuno remedio dignaremur. Quocirca fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus de præmissis, ac etiam si dictis mulieribus, seu loco ipsarum per prædictam Vicecomitissam sufficientes & perpetui redditus fuerint assignati, diligenter te informes, & si repereris ita esse, quod super hoc factum est per Vicecomitissam prædictam, auctoritate nostra, studeas confirmare, eis nihilominus construendi, & habendi oratorium, & altare ac cœmæterium in loco prædicto, in quo cœmeterio ipsæ & familiares earum valeant sepeliri, necnon campanam ad pulsandum, contradictione seu appellatione ejusdem Rectoris aliquatenus non obstantibus, auctoritate prædicta, licentiam concedendo, jure præfatæ Ecclesiæ parochialis alias in omnibus semper salvo, contradictores per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo.

Datum Aven. VI. Non. Maii anno IX.

XLIV.

Confirmatur translatio Monasterii Clarissarum Cracovien. Ibid. epist. 1512.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. Solet plerumque Sedes Apostolica circa illorum præsertim quietem & statum libenter intendere, qui mundanæ dissolutionis relegatis illecebris, sub paupertatis onere puritate fulgent regularis observantiæ, & sub obedientiæ debito dignam & sedulam exhibent Domino servitutem.

Rex Poloniæ & Regina de permutatione Monasterii pertractant.

§. II. Nuper siquidem carissimi in Christo filii nostri Wladislaus Rex, & Heydwigis consors ejus Regina Poloniæ Illustres, sua nobis insinuatione monstrarunt, quod ipsi dudum attendentes, quod dilectæ in Christo filiæ Abbatissa & Conventus Monasterii sancti Andreæ Cracovien. Ordinis sanctæ Claræ, quæ sunt numero fere centum, ad quas propter religionis zelum, & honestatem vitæ, quibus pollere dicuntur, fervore afficiuntur intimæ caritatis, in Monasterio de Scala Ordinis sanctæ Claræ Cracovien. Diœces. in quo tunc tem-

temporis degebant, propter ineptitudinem loci, qui quam plurimis incommoditatibus expositus esse dignoscitur, non poterant commode, juxta statum earum exigentiam commorari, suæque religionis officium exequi, prout Ordo exegerit earumdem, & propterea dicti Rex & Regina pro suorum & progenitorum ipsorum remissione peccaminum, Abbatissæ & Conventui supradictis, de congruenti & accommodo loco, in quo possent Altissimo devotius reddere vota sua, providere ab intimis cupientes, idem Rex Ecclesiam sancti Ægidii Cracovien. cujus erat patronus, & dilecti filii Abbas & Conventus Monasterii Sececonien. Ordinis sancti Benedicti dictæ Dioecesf. Ecclesiam dicti Monasterii sancti Andreæ, ejusdem loci vocabulo insignitam, tunc secularem, ad eosdem Abbatem & Conventum tunc spectantem, cum omnibus areis ac juribus & pertinentiis earumdem adinvicem permutarunt.

§. III. Demum vero cedentibus libere personis in eisdem Ecclesiis institutis, idem Rex post permutationem hujusmodi, præfatam Ecclesiam sancti Andreæ cum omnibus areis, juribus & pertinentiis suis gratiose donavit Abbatissæ & Conventui supradictis, ibique de novo fundavit Monasterium memoratum, ad quod dictæ Abbatissa, & Conventus post fundationem & donationem hujusmodi, de Monasterio de Scala prædicto se illico transtulerunt, ibique degunt ad præsens reddentes Altissimo in humilitatis spiritu vota sua, consensu venerabilis Fratris nostri Nanken Episcopi, & dilectorum filiorum Capituli Cracovien. in his omnibus accedente, prout hæc omnia in patentibus litteris Episcopi & Capituli, ac Abbatis, & Conventus, ac Regis prædictorum sigillis munitis plenius continentur. Quare Rex & Regina præfati nobis humiliter supplicarunt, ut permutationi, fundationi, translationi, & consensui hujusmodi confirmationis nostræ robur adjicere dignaremur.

Donant Monialibus Ecclesiam S. Andreæ.

Donatio confirmata a Pontifice.

§. IV. Nos igitur, qui in divini cultus augmento, & sacræ religionis observantia plurimum delectamur, attendentes, quod Abbatissa & Conventus præfatæ in prædicto Monasterio sancti Andreæ eo devotius poterunt perpetuum Domino reddere famulatum, quo quietius valebunt vivere in eodem, eorumdem Regis & Reginæ devotis supplicationibus inclinati, permutationem, fundationem, translationem & consensum hujusmodi ratos & gratos habentes, illos, quibuslibet statutis & consuetudinibus Ordinum, & Monasteriorum prædictorum contrariis, etiamsi essent auctoritate Sedis Apostolicæ confirmata, nequaquam obstantibus, ex certa scientia confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnem defectum, si quis in eis quomodolibet extitisset de Apostolicæ plenitudine potestatis. Nulli ergo, &c. nostræ confirmationis & suppletionis, &c.

Datum Aven. II. Nonas Aprilis anno IX.

XLV.

Restituitur Ecclesiæ Catacen. ex tom. I. epist. 1101.

Venerabili fratri Venuto Episcopo Catacen.

§. I. DUdum pro parte Procuratoris Generalis Fratrum Ordinis Minorum coram fel. rec. Clemente Papa V. prædecessore nostro proposito, quod olim Ecclesia Catacen. per obitum bonæ memoriæ Jacobi Episcopi Catacen. vacante, ac a dilectis filiis Capitulo ejusdem Ecclesiæ, duobus in eadem Ecclesia, una de te, & reliqua de dilecto filio Gualtero tunc Archidiacono, nunc Decano ejusdem Ecclesiæ, electionibus in discordia ce-

Duo electi a discordi Capitulo.

Gualterus ad renunciãdũ coactus & Venutus violenter intrusus.

Qui citatur ad comparendum.

QuibuſdamPrælatis committitur Inquiſitio.

celebratis, tu dictum Gualterum electioni de ſe factæ renunciare coegeras per potentiam ſecularem, teque iterato eligi a præfatis capitulo ejuſdem Eccleſiæ Catacen. temere procuraras, ac per litteras Provincialis dicti Ordinis, quæ falſo fabricatæ fuerunt, ut dicebatur, te licentiam conſentiendi electioni hujuſmodi habere prætendens, electionem tuam hujuſmodi per Metropolitanum loci feceras confirmari, & ſubſequenter tibi munus conſecrationis impendi, idem prædeceſſor dilecto filio noſtro Arnaldo ſanctæ Mariæ in Porticu Diacono Cardinali commiſit, ut de præmiſſis omnibus, & quibuſdam aliis ſe plenius informaret, & hujuſmodi informationem ſibi referret, per cujus informationem te abſente non vocato, apud Sedem Apoſtolicam receptam, & relationem ipſius ſibi factam, idem prædeceſſor motus, te ſuper præmiſſis, etiam ſuper eo quod dicebaris excommunicatus, & ſic ligatus divina officia celebraſſe, ac celebrare, temere te immiſcuiſſe, & immiſcere eiſdem, citari fecit, ut certo termino coram eo perſonaliter compareres, recepturus quod juſtitia ſuaderet. In quo termino cum propter impotentiam tui corporis te a perſonali comparitione hujuſmodi per procuratorem idoneum legitime excuſaſſes, idem prædeceſſor venerabilibus Fratribus noſtris Archiepiſcopo Cuſentin. & ſancti Marci, ac Meliten. Epiſcopis, ſuis dedit litteris in mandatis, ut ipſi, vel duo, aut unus eorum vocatis qui exiſterent evocandi, ſuper contentis in citatione prædicta inquirerent diligentius veritatem, & quæ invenirent in ſcriptis redigi facientes, ea ſub eorum incluſa ſigillis ſibi fideliter deſtinarent, præfixo tibi certo termino competenti, quo legitime te Apoſtolico conſpectui præſentares, recepturus ſuper præmiſſis, quod juſtitia ſuaderet.

Capitulum denuo Gualterum Epiſcop. eligit.

§. II. Demum vero eodem Archiepiſcopo Cuſentin. ſuper dicto negotio de quo, ut dicebat, inquiſiverat, præfato prædeceſſori per ſuas litteras referente, idem prædeceſſor præfato Cardinali commiſit hujuſmodi negotium audiendum, & etiam referendum, coram quo per Procuratorem dictorum Fratrum, quibuſdam productis, & per procuratorem tuum nonnullis exceptionibus exhibitis contra ea, & aliquali habito in cauſa ipſa proceſſu; tamdem præfato prædeceſſore viam univerſæ carnis ingreſſo, nobiſque ad apicem ſummi Apoſtolatus aſſumptis, ſicut per te fuit expoſitum coram nobis, præfati capitulum te Epiſcopatu ac bonis omnibus ad Epiſcopalem menſam Catacen. ſpectantibus ſpoliarunt, dictumque Gualterum in Catacen. Epiſcopum de facto eligere præſumpſerunt, teque propterea ad Sedem Apoſtolicam recurrente, nos venerabili Fratri noſtro Epiſcopo Maturanen. noſtris dedimus litteris in mandatis, ut ſi ei per evidentiam facti, vel alias ſummarie & de plano ſine ſtrepitu, & figura judicii conſtaret, præfatos Catacen. Capitulum dictum Gualterum in Catacen. Epiſcopum elegiſſe, teque dicto Epiſcopatu, & bonis omnibus ad dictam menſam ſpectantibus ſpoliaſſe, te plene reſtitueret, & faceret ipſius Epiſcopatus poſſeſſione gaudere, contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, quodque dictos capitulum, ut per procuratorem dictoſque Gualterum & nonnullas alias perſonas eorumdem capituli, ut perſonaliter ſe Apoſtolico conſpectui certo termino præſentarent ſuper præmiſſis de juſtitia reſponſuri, auctoritate Apoſtolica citare deberet, dictuſque Epiſcopus Maturanen. juxta dictarum noſtrarum litterarum formam cognito de præmiſſis, te ſententialiter reſtituit ad Epiſcopatum prædictum, citando præfatos capitulum, perſonas juxta earumdem litterarum noſtrarum continentiam, cumque tu realiter propter potentiæ ſecularis objectum, ad dictum Epiſcopatum plene reſtitui non valeres, ad Sedem dictam iterum rediens a nobis humiliter poſtulaſti, ut te ad Epiſcopatum prædictum, quo ſpoliatus extiteras, plene reſtitui faceremus.

Acta irrita declarantur.

§. III. Ve-

§. III. Verum pro parte Fratrum dicti Ordinis intrusio, ac excommunicatio, & apostasia, & nonnulla alia contra te replicata, & proposita coram nobis, & Fratribus nostris in consistorio extiterunt, nosque causam hujusmodi bon. memor. Beringario Episcopo Portuen. commisimus audiendam, & nobis postmodum referendam, coram quo tam te, quam Angelo Pulliscio Canonico Catac. pro se, & procuratorio nomine dictorum capituli, & aliorum Canonicorum Caturcen. personaliter citatorum, quorum procurator erat ad hoc specialiter constitutus, necnon procuratoribus dicti Ordinis & capituli prædictorum comparentibus, exhibitis quoque productis, & factis hinc inde in eadem causa coram dicto Episcopo Portuen. quæ partes ipsæ exhibere, producere & facere voluerunt, dum idem Episcopus Portuen. intenderet ad faciendum nobis relationem hujusmodi, diem clausit extremum, nosque sibi venerabilem fratrem nostrum Petrum Episcopum Penestrin. in eadem causa subrogavimus auditorem, coram quo te & procuratoribus comparentibus supradictis, & per eum processibus super præmissis habitis recensitis, nobisque & dictis Fratribus nostris super præmissis per eumdem Episcopum Penestrin. facta relatione fideli, volumus, & mandamus restituendum te fore ad plenam & pacificam possessionem præfati Episcopatus Catacen. ac jurium ejus, teque restituimus ad illa, decernentes tibi, de fructibus medio tempore perceptis ex eo, & qui percipi potuerunt, vel eorum æstimatione de bonis hujusmodi tibi substractis, integram satisfactionem impendi, dantes tibi nihilominus licentiam ad dictam Catacen. Ecclesiam redeundi. Nulli ergo, &c. nostrarum voluntatis & mandati, restitutionis, constitutionis & concessionis, &c.

Denuo aliis causa commissa.

Frat. Venutus Se. di sua restituitur.

Datum Aven. Kalend. Martii anno IX.

XLVI.

Temperantur in aliquibus decreta & statuta Monasterii Clarissar. Neapolitani. Ex tomo 2. epist. 1903.

Dilectis in Christo filiabus Abbatissæ & Conventui Monasterii Sororum sancti Corporis Christi Neapolitan. Ordinis sanctæ Claræ.

§. I. INtenta caritatis & pietatis operibus carissima in Christo filia nostra Sancia Regina Siciliæ Illustris, per virtutum gradus desiderans jugi actione proficere, se sollicitam exhibet, ut Monasterium vestrum, quod ipsa decoro plurimum opere, & etiam sumptuoso construxit, tam in personis servitiis divinis obnoxiis, de bono crescat in melius, quam Deo auctore, regatur & proficiat salubribus regularibus institutis.

Commendatur Sancia Regina.

§. II. Sane exhibita nobis pro parte ejusdem Reginæ petitio continebat, quod in statutis ejusdem Monasterii, auctoritate Apostolica confirmatis, ad quorum observantiam Sorores ejusdem Monasterii adstringuntur, quædam circa ætatem earum, quæ recipi debent ibidem & nonnulla alia continentur, quæ noscuntur Sedis Apostolicæ moderamine indigere.

Monasterii statuta egent moderatione.

§. III. Quare pro parte ipsius Reginæ nobis extitit humiliter supplicatum, ut prædicta, quæ pro parte sua nobis fuerunt exposita, seriatim benignius moderari, auctoritate Apostolica, dignaremur. Attendentes igitur supplicationem hujusmodi fore rationi consonam, & etiam æquitati, & quod certa ætas, quæ secundum statuta prædicta requirebatur in Sororibus recipiendis in Monasterio supradicto, propter multitudinem diversarum volentium dictum Monasterium introire, non potest commode observari, præsentium auctoritate concedimus, quod circa ætatem earumdem Sororum recipiendarum in eo, illud de cetero observetur, quod observari in aliis Mo-

Dispensatio super ætatem recipiendarum.

Monafteriis ejufdem profeffionis & Ordinis confuevit, dummodo talis confuetudo jure communi vel privilegio Apoftolico fulciatur.

§. IV. Volumus tamen; quod in receptione ipfarum ad profeffionem fervetur ætas a jure taxata, quodque hujufmodi noftra conceffio intelligatur dumtaxat de Sororibus ingredientibus dictum Monafterium ad novitiatum & probationem Ordinis memorati.

Servientes velo nigro utantur, & votum habeant in Capitulo.

§. V. Continebatur etiam in petitione prædicta, quod mulieres feu fervitrices dicti Monafterii, quæ ad fervitium Sororum inibi inclufarum claufuram ingrediuntur Monafterii memorati, vovent perpetuo claufuram hujufmodi non exire, ut reliquæ Sorores inibi commorantes, nec unquam claufuram egrediuntur eamdem, licet interius aliarum Sororum minifterio & fervitio fint intentæ. Unde ne forte voti difparitas zeli, feu invidiæ & fcandali materiam generet inter eas, auctoritate prædicta concedimus, quod dictæ fervientes, quæ infra claufuram dicti Monafterii funt receptæ, & recipientur impofterum, & claufuram voverunt perpetuam vel vovebunt, nigrum velum ut ceteræ poft profeffionem emiffam deferant, vocemque in capitulo habeant, nec in his inter eas aliqua diftinctio obfervetur.

Omnes Moniales tres tunicas poffint habere.

Statuta legantur alio die a fexta feria.

Archiep. Neapol. poteft bona Monaft. commutare.

§. VI. Vobis etiam tam præfentibus, quam futuris propter fragilitatem ac imbecillitatem fexus, ac neceffitates muliebrium corporum, & ut poffitis in munditia corporis & mentis Deo fervire, auctoritate Apoftolica indulgemus, ut quælibet Sororum ejufdem Monafterii poffit tres tunicas fuperiores habere, ac illis uti, licet per dicta ftatuta vobis feu cuilibet dictarum Sororum habere ultra duas tunicas fuperiores non liceret. Volumus etiam, & auctoritate prædicta concedimus, quod lectio ftatutorum prædictorum in Capitulo, quæ per eadem ftatuta in fexta feria fieri debebat, transferatur in alium diem hebdomadæ non feftivum, qui vobis occurrerit opportunus, pro eo quod fexta feria eft dies dedicata dominicæ paffioni, cujus meditationi vacare devotiffime affectatis.

§. VII. Ceterum, cum in ftatutis contineatur eifdem, quod bona ftabilia acquifita vel impofterum acquirenda Monafterio fupradicto, nulla fpecie alienationis poffint per aliquem etiam in melius permutari, nos, fuadentibus certis caufis rationabilibus, præfentium auctoritate concedimus, quod venerabilis Frater nofter Archiepifcopus Neapolitan. cum aliqua ex bonis prædictis pro evidenti commodo ejufdem Monafterii poterunt commutari, & de hoc fibi conftiterit, poffit vobis, fi expedire viderit, fuper quo ejus confcientiam oneramus, dicta bona in melius vel in commodius permutandi, auctoritate noftra, licentiam impertiri.

Libertas eligendi Guardianum extenditur.

§. VIII. Præterea, quamvis in dictis ftatutis contineatur, quod de toto Ordine Fratrum Minorum poffit eligi Guardianus Monafterii veftri, excepto regno Siciliæ, & hoc illo tempore, quo ftatuta hujufmodi fuerunt edita, rationabile appareret, ex eo quod Sorores quæ in primordio dicti Monafterii receptæ fuerint ibidem, Provinciales erant, & idioma illarum partium ignorabant, tamen quia dictæ Sorores Provinciales propter converfationem diutinam perfecte dictum intelligunt idioma, & favente Deo, quotidie crefcit Sororum numerus latinarum, auctoritate prædicta concedimus, quod abfolute fine exceptione dicti regni dictus Guardianus inftitui poffit & debeat de toto Ordine, ea forma & modo fervatis, quæ in ordinatione feu ftatutis dicti Monafterii feriofius continentur, non obftantibus prædictis ftatutis & ordinatione contrariis, confirmatione Apoftolica roboratis, per quæ præmiffis omnibus & fingulis in nullo volumus derogari. In aliis vero contentis, ftatuta & ordinationem prædicta volumus & decernimus in pleno, ficut prius, robore permane-

nere. Nulli ergo, &c. nostrarum concessionum, voluntatum & constitutionis infringere, &c.

Datum Aven. Kalend. Julii anno IX.

XLVII.

De componendis litibus inter Capitulum & Clarissas Corduben. Ibidem epist. 1983.

Dilectis filiis Thesaurario & Scholastico Ecclesiæ Giennen. ac Priori Fratrum Ordinis Prædicatorum Corduben.

§. I. Significarunt nobis dilectæ in Christo filiæ Abbatissa, & Conventus Monasterii sanctæ Claræ Corduben. Ordinis ejusdem Sanctæ, quod dudum fel. record. Bonifacius Papa VIII. prædecessor noster universis Abbatissis, & Conventibus Ordinis supradicti indulsit per privilegium speciale, quod ad præstationem decimarum de quibuscumque possessionibus, & aliis omnibus bonis earum, quæ tunc habebant, & justis modis acquirerent in futurum, vel ad contribuendum in procurationibus quorumlibet Ordinariorum minime tenerentur, neque ad id a quoquam possent aliquatenus coarctari, & quod nos postmodum eisdem Abbatissæ, & Conventui duxerimus simile privilegium concedendum. Quodque cum dilecti filii Decanus & Capitulum Ecclesiæ Corduben. post concessionem hujusmodi eas super quibusdam decimis quorumdam molendinorum & terrarum eis per claræ memoriæ Alphonsum Regem Castellæ pia liberalitate collatorum coram Vicario Venerabilis fratris nostri Episcopi Corduben. non ex delegatione Apostolica traxisset in causam, idem Vicarius cognitis ejusdem causæ meritis, & juris Ordine observato, vigore dictorum privilegiorum definitivam pro dictis Abbatissa & Conventu sententiam promulgavit, quæ cum nulla fuisset appellatione suspensa, in rem transiit judicatam.

Privilegium a Bonifacio VIII. Monialibus concessum.

Gravantur a Capitulo Cordubensi.

§. II. Cumque post dictam sententiam fere triennium effluxisset, præfati Decanus & capitulum causam sententialiter jam sopitam contra dictas Abbatissam & Conventum suscitare conantes, eos coram quodam eorum canonico videlicet Francisco Ægidii Archidiacono Bediogiæ in eadem Ecclesia Vicario Episcopi memorati, super dictis decimis fecerunt ad judicium evocari, petentes, dictam Ecclesiam restitui in integrum adversus sententiam memoratam, asserentes sibi & dictæ Ecclesiæ per piæ memoriæ Innocentium Papam prædecessorem nostrum indultum fuisse, quod omnes Moniales & ceteri religiosi de omnibus eis collatis teneantur decimam solvere Ecclesiæ & capitulo memoratis, de quo quidem privilegio ejusdem prædecessoris Innocentii, ut dicebat, tam in Generali ejusdem Bonifacii universis Abbatissis & Conventibus dicti Ordinis, quam in nostro speciali dictis Abbatissæ & Conventui privilegiis concessis, nulla mentio habebatur, propter quod dictus Franciscus pronunciavit, præfatos capitulum in integrum fore restituendos adversus sententiam memoratam. A qua restitutionis sententia pro parte dictarum Abbatissæ & Conventus fuit ad nostram audientiam appellatum, quarum appellationi dictus Franciscus Vicarius detulit reverenter, & ad prosecutionem ipsius eis certum terminum assignavit, infra quem duæ Sorores dicti Monasterii procuratrices dicti Conventus ad Sedem eamdem se humiliter contulerunt, nobis humiliter supplicantes, ut super hoc præfatis Abbatissæ & Conventui de opportuno providere remedio dignaremur.

Appellant ad Apostolicam Sedē.

§. III Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus apud civitatem Corduben. de dictis privilegiis & valore dictorum bo-

bonorum curetis diligentius informari, tractantes inter partes prædictas, quod præfatæ Abbatissæ & Conventus de voluntate Decani & capituli prædictorum, dictas decimas pacifice teneant, & quiete, & si partes easdem non potueritis super hoc forsan concordare, hujusmodi informationem fideliter in scriptis redactam, nobis sub sigillis vestris destinare curetis, certum eisdem partibus peremptorium competentem terminum præfigentes, quo cum omnibus actis, juribus & munimentis eorum, Apostolico se conspectui repræsentent auditur æ ordinationem nostram, quam super his, dante Domino, duxerimus faciendam, nostrisque super his beneplacitis pariturae. Diem vero præfixionis hujusmodi & formam & quidquid inde feceritis nobis per vestras litteras harum seriem continentes fideliter intimare curetis, non obstante indulgentia, qua fili Prior Ordini tuo a Sede Apostolica dicitur esse concessum, ut ipsius Ordinis Fratres non teneantur se intromittere de quibuscumque negotiis, quæ eis per ejusdem Sedis litteras committuntur, nisi in eisdem litteris de concessione hujusmodi plena & expressa mentio habeatur. Quod si non omnes his exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exequantur.

Provisio Pontificis.

Datum Avenion. IV. Kalend. Augusti anno IX.

XLVIII.

Ut non solvant decimas aut procurationes. Ex tom. I. ann. 10. epist. 72.

Dilectis in Christo filiabus universis Abbatissis, & Conventibus Monialium inclusarum, sive Ordinis sanctæ Claræ, sive S. Damiani, sive Minorissæ dicantur.

Sacra vestra religio, quæ in Monasteriis vestris a vobis & aliis personis in eis degentibus, sub onere voluntariæ paupertatis jugiter colitur, sic a vobis mundanæ dissolutionis relegavit illecebras &c. *Exhibeatis Domino servitutem*, Hinc est, quod nos pium & congruum reputantes, ut vos illa prosequamur gratia, quam vestris necessitatibus conspicimus opportunam, vobis universis & singulis ad instar fel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri, auctoritate præsentium indulgemus, ut ad præstationem decimarum, de quibuscumque possessionibus, & aliis omnibus bonis vestris, quæ in præsentiarum habetis, & justis modis, præstante Domino, acquisiveritis in futurum, vel ad contribuendum in procurationibus quorumlibet ordinariorum, & eorum legatorum & nunciorum Sedis Apostolicæ, minime teneamini, nec ad id compelli aliquatenus valeatis. Nulli ergo &c. nostræ concessionis &c.

Datum Avenion. II. Idus Octobris anno X.

XLIX.

Confirmatur erectio Monasterii Clarissarum de Ribernil, & ei unitur parochialis Ecclesia ejusdem loci. Ex secret. ann. 10. fol. 288.

Venerabili fratri Joanni Episcopo Swernien.

§. I. Devotorum studia, quæ opera salutis inspiciunt, libenter Apostolico favore prosequimur, & gratiosum assensum eis, atque benevolum impertimur.

§. II. Sane dilecti filii nobilis viri Henrici Domini Magnopolen. oblata nobis petitio continebat, quod ipse pro suæ, suorumque progenitorum re-

medio animarum, cupiens terrena pro cœlestibus & transitoria pro æternis felici commercio permutare, Monasterium sanctæ Claræ in Ribernil Ordinis ejusdem Sanctæ, tuæ diœcesis, de bonis sitis in fundo proprio, de licentia tua noviter fundavit pariter & dotavit, institutis jam ibi Abbatissa & Monialibus, impendentibus Domino famulatum, propter quod Henricus idem nobis humiliter supplicavit, ut quod pie super hoc actum esse dignoscitur, confirmare benignius ex certa scientia dignaremur, supplentes defectum, si quis in hac parte fuisset, de plenitudine Apostolicæ potestatis, ac pro augmento facultatum ipsius Monasterii parochialem Ecclesiam ejusdem loci de Ribernil, cum juribus, & pertinentiis suis, cujus idem Henricus tantum patronus existit, eidem Monasterio ex nunc incorporantes, annectentes & perpetuo unientes: ita quod cedente parochialis Ecclesiæ præfatæ Rectore, qui nunc est, vel ea quovis alio modo vacante, liceat præfatis Abbatissæ, & Monialibus corporalem ipsius Ecclesiæ possessionem apprehendere per se ipsas, cujuscumque assensu minime requisito, & ipsarum usibus applicare, reservata de illius proventibus perpetuo Vicario inibi Domino servituro congrua portione, ex qua congrue valeat sustentari, & Episcopalia jura solvere, aliaque incumbentia sibi onera supportare. *Monasterii Fundator pleraque petit.*

§. III. Nos igitur præfati Nobilis supplicationibus inclinati, & gerentes de tuæ circumspectionis industria, fiduciam in Domino specialem, confirmandi auctoritate Apostolica, quod super hoc factum est, & supplendi omnem defectum, si quis fuerit in præmissis, Fraternitati tuæ plenam & liberam concedimus, tenore præsentium, atque committimus ex certa scientia potestatem, si simpliciter, summarie & de plano, sine strepitu & figura judicii, informatione habita, super his tibi, Frater, visum fuerit expedire. *Commissio data Episcopo.*

§. IV. Volumus autem, quod de jure patronatus ejusdem Ecclesiæ, suisque redditibus annuis, & utrum supportatis omnibus, quæ Ecclesiæ prædictæ incumbunt, aliquod commodum & quantum dictæ Abbatissæ & Moniales reportare valeant, rescribas nobis per tuas litteras, vel instrumentum publicum particulariter & distincte.

Datum Avenion. XI. Kalend. Novembris anno X.

L.

Præficitur Ecclesiæ Enaghdunen. Ex tom. I. epist. 514.

Venerabili fratri Roberto Episcopo Enaghdunen.

§. I. EX susceptæ servitutis officio sollicitudine pulsamur assidua, ut Ecclesias, quarum cura nobis est summi Pastoris dispositione commissa, spiritualibus & temporalibus commodis augeamus, & eis per nostræ provisionis ministerium, prout opportunitas temporum exigit, salubriter consulamus.

§. II. Olim siquidem quondam Guilberto, qui pro Episcopo Enaghdunen. se gerebat, exponente nobis, se fore per Venerabilem fratrem nostrum Malachiam Archiepiscopum Tuamen. Episcopatu Enaghdunen. Ecclesiæ indebite spoliatum, & petente se restitui ad eamdem, magistro vero Andrea Joannis Giberti de Florentia procuratore Archiepiscopi supradicti in nostra præsentia constituto, procuratorio nomine ipsius, asserente dictam Ecclesiam Enaghdunen. non Cathedralem, sed Parochialem existere, ac Archiepiscopali mensæ Tuamen. canonice unitam fore, & propter hoc petita per Guilbertum supradictum, fieri non debere, nos causam hujusmodi bon. mem. Petro, tituli sancti Stephani in Cœlio monte presbytero Cardinali sanctæ Ro- *Guilbertus Episcopatu spoliatus.* *Rationes pro Archiep. adductæ*

Romanæ Ecclesiæ Vicecancellario, de plano sine strepitu & figura judicii audiendam commisimus, & nobis postmodum referendam. Post multos vero processus inter partes easdem habitos in causa hujusmodi coram Cardinali prædicto, cum dictus Guilbertus apud Sedem Apostolicam naturæ debitum persolvisset; nos nolentes prædictam Enaghdunen. Ecclesiam legitimo defensore carere, Venerabilem fratrem nostrum Jacobum Coneren. tunc nullius Ecclesiæ Episcopum eidem Enaghdunen. Ecclesiæ, de consilio Fratrum nostrorum præfecimus in Episcopum & pastorem, salvo in præmissis jure dictæ Ecclesiæ Tuamen. & deinde dictum Jacobum a vinculo, quo dictæ Enaghdunen. Ecclesiæ tenebatur, de Apostolicæ potestatis plenitudine absolventes, ipsum ad Ecclesiam Coneren. tunc vacantem, de prædictorum Fratrum consilio duximus transferendum, ipsumque illi præfecimus in Episcopum & pastorem. Postmodum autem eodem Cardinale rebus humanis exempto, nos Venerabili fratri nostro Petro Episcopo Pænestrino commisimus oraculo vivæ vocis, ut de omnibus actis in eadem causa, coram Cardinale præfato habitis, se diligentius informaret, ea nobis postmodum fideliter relaturus, cumque facta nobis per Pænestrin. Episcopum supradictum super prædictis relatione fideli, per relationem eamdem nobis legitime constitisset, dictum Guilbertum tempore, quo spoliatus fuit per dictum Archiepiscopum, fuisse in possessione, vel quasi, Episcopatus Enaghdunen. prædicti, & ipsam Enaghdunen. Ecclesiam fuisse dicto tempore in possessione status & dignitatis Ecclesiæ Cathedralis. Nos dictam Enaghdunen. Ecclesiam ad possessionem, vel quasi, status & dignitatis Cathedralis Ecclesiæ restituimus, & etiam reintegramus justitia exigente, quæstione proprietatis in eadem Enaghdunen. Ecclesia parti utrilibet reservata.

Novus eligitur Episcopus.

Qui ad aliamSedem transfertur.

Eccles. Enaghdunensis declaratur Cathedralis.

§. III. Nolentes igitur, quod dicta Enaghdunen. Ecclesia remaneat ulterius defensoris præsidio destituta, ac de utili provisione ipsius sollicite cogitantes, cum nullus præter nos de ipsius Ecclesiæ Enaghdunen. ordinatione se intromittere possit, pro eo quod nos diu ante vacationem hujusmodi provisiones omnium Ecclesiarum Cathedralium ubicumque tunc vacantium, & in antea vacaturarum per translationes per nos factas & imposterum faciendas de Prælatis earum ad alias Ecclesias tunc vacantes, & in futurum etiam vacaturas, dispositioni nostræ duximus specialiter reservendas, decernendo ex tunc irritum & inane si secus super his per quoscumque scienter vel ignoranter contingeret attentari, post deliberationem, quam ad deputandum eidem Ecclesiæ personam idoneam habuimus cum eisdem Fratribus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Minorum de religionis zelo, vitæ munditia, litterarum scientia, prudentia spiritualium, & providentia temporalium aliisque virtutum meritis fide dignorum testimonio commendatum, direximus oculos nostræ mentis, quamvis tu olim dicti Ordinis Fratrum Minorum existens, Ecclesiæ Clonferten. tunc pastore carenti in Episcopum in discordia electus, post appellationem ab hujusmodi electione tua ad Sedem Apostolicam interjectam, obtinueris in illis partibus electionem hujusmodi confirmari, tibique munus consecrationis impendi, & administrationi dictæ Clonferten. Ecclesiæ in spiritualibus & temporalibus contra sanctiones canonicas, nihilominus te ingesseris, super quibus tecum de uberioris dono gratiæ, auctoritate Apostolica dispensamus, omnem inhabilitatis notam, & infamiæ, maculam, quam propterea incurristi, de prædictæ potestatis plenitudine penitus etiam abolendo.

Ad quam F. Robertus præficitur.

§. IV. Attendentes itaque quod sic consecratus nullius Ecclesiæ Episcopus remansisti, & consideratis prædictis tuarum virtutum meritis, nolentes quod indigentia rerum temporalium excellentiam pastoralis obnubilet digni-

ta-

tatis, de persona tua dictæ Enaghdunen. Ecclesiæ de prædictorum Fr. consilio, auctoritate præfata providemus, teque illi in Episcopum præficimus & pastorem, curam & administrationem ipsius tibi in spiritualibus & temporalibus plenarie committendo, jure dictæ Tuamen. Ecclesiæ super quæstione proprietatis prædictæ in omnibus semper salvo, cui per hujusmodi provisionem nostram nullum volumus præjudicium generari, in illo, qui dat gratias & largitur præmia confidentes, quod dicta Enaghdunen. Ecclesia per tuam industriam, dirigente Domino actus tuos, prospere dirigetur & salubria suscipiet incrementa. Quocirca fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus impositum tibi onus a Domino devote supportans, curam & administrationem prædictas sic geras fideliter, & sollicite prosequaris, quod præfata Enaghdunen. Ecclesia gubernatori provido & fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque proinde præmium æternæ retributionis acquiras & nostram ac dictæ Sedis gratiam uberius consequi merearis.

Datum Avenione VI. Idus Novembris anno X.

Anno Christi 1326. Joannis XXII. anno 10. & 11.

LI.

Præficitur Ecclesiæ Calvien. Ex tomo 1. an 10. epist. 569.

Dilecto filio Petro Electo Calviensi.

§. I. Inter cætera sollicitudinis nostræ studia, &c. *Proficere valeant incrementis.* Nuper siquidem Ecclesia Calv. per obitum bonæ memoriæ Joannis Episcopi Calv. qui in partibus illis diem clausit extremum, solatio destituta pastoris, dilecti filii Capitulum ejusdem Ecclesiæ vocatis omnibus, qui voluerunt, debuerunt & potuerunt commode interesse, die ad eligendum præfixa; prout moris est, convenientes in unum, te Ordinis Fratrum Minorum professorem, Lectorem Fratrum dicti Ordinis Aversan. in Calvien. Episcopum per formam compromissi, concorditer elegerunt, cujus electionis tibi præsentato decreto, quia sine tui superioris licentia tunc & adhuc in remotis agentis, eidem electioni consentire non poteras, consensum ipsum minime præstitisti. *Vide Const. 1. hujus Pontif. Tom. 6. fol. 479.*

§. II. Postmodum vero tam tu, quam præfati capitulum pro hujusmodi consentiendi licentia obtinenda ad Sedem Apostolicam, vel alium locum, ubi ejusdem superioris posset haberi præsentia, specialem nuncium quanto citius fieri potuit, direxistis, quo ad Sedem accedente præfatam, nobisque ex parte dictorum Capituli & tua, negotio electionis ejusdem exposito, quia ex plurium Fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, qui de te plenam habebant notitiam, testimonio fide digno percepimus, quod tibi religionis zelus, litterarum scientia, vitæ honestas, gravitas morum, & alia multiplicia probitatum merita suffragantur, tum pro celeri provisione ipsius Ecclesiæ, ne propter prorogationem hujusmodi tui consensus & confirmationis ejusdem electionis a Metropolitano dictæ Ecclesiæ obtinendæ dilationem, præfata Ecclesia, quod absit, dispendia prolixæ vacationis incurreret, tum etiam propter hujusmodi virtutum & meritorum tuorum studia, dignum duximus de persona tua fore dictæ Ecclesiæ providendum, considerantes quoque tam concordem dictorum Capituli voluntatem, quam in hujusmodi electione de te habita, habuisse dicuntur, & propter hoc firma ducti fiducia præsumimus verisimiliter, & tenemus quod dicta Ecclesia per tuæ circumspectionis industriam in suis poterit manuteneri juribus ac etiam defensari,

post

post vigilem, quam super provisione dictæ Ecclesiæ facienda, cum Fratribus nostris habuimus diligentiam, in te noster animus requievit.

§. III. Intendentes itaque tam gregi Dominico, quam dictæ Calvien. Ecclesiæ providere, te ipsi Ecclesiæ in Episcopum præficimus, & pastorem, curam & administrationem ipsius tibi tam in spiritualibus, quam temporalibus plenarie committendo, firma concepta fiducia, quod præfata Calvien. Ecclesia, dirigente Domino actus tuos, in utrisque prospere dirigetur, & salubria, dante Domino, suscipiet incrementa. Jugum itaque Domini, &c. *Plenius consequi merearis*.

Datum Avenione XVIII. Kal. Februarii anno X.

LII.

Ut possit ædificare Monasterium Clarissarum in Terraconen. Provincia. Ibid. Epist. 803.

Charissimæ in Christo filiæ Elisendi Reginæ Aragonum Illustri.

§. I. INsignis devotionis tuæ commendantes affectum, quo mentem tuam ad pietatis opera dirigens, locum, in quo Virgines Deo dicatæ, virtutum Domino perpetui famulatus obsequia sub regulari observantia exhibentes, accensis lampadibus se parent obviam ire sponso, fundare desideras pariter & dotare, petitionibus tuis quantum cum Deo possumus, favorem benevolum impertimur.

§. II. Sane petitio tua nobis exhibita continebat, quod tu ad laudem Dei & divini cultus augmentum, quoddam Monasterium Sororum Ordinis sanctæ Claræ ædificare proponis infra Terraconen. Provinciam, in loco per unam leucam saltem ab hominum habitatione remoto, quem dilectus filius Minister Provincialis Ordinis Fratrum Minorum Provinciæ Aragonen. convenientem, & aptum fore cognoverit ad præmissa.

§. III. Nos igitur tuis supplicationibus inclinati, devotioni tuæ fundandi infra dictam Terraconen. Provinciam domum seu Monasterium dictarum Sororum dicti Ordinis sanctæ Claræ in loco convenienti, juxta ipsius ministri Provincialis arbitrium; cujus in hac parte conscientiam oneramus, Bonifaciana & quacumque constitutione contraria non obstante, liberam, auctoritate Apostolica, tenore præsentium concedimus facultatem, proviso quod dicto Monasterio de bonis tuis temporalibus taliter provideas, quod de eis duodecim Moniales ad minus in dicto Monasterio valeant commode sustentari. Nulli ergo, &c. nostræ concessionis, &c.

Datum Avenione Kal. Februarii anno X.

LIII.

Ut informet de Monasterio Clarissarum ædificando in civitate Auxitan. Ibid. epist. 1450.

Venerabili Fratri Archiepiscopo Auxitan. seu ejus Vicariis.

§. I. SIgnificarunt nobis dilectæ in Christo filiæ Abbatissa & Conventus Monasterii Sororum sanctæ Claræ extra muros Civitatis Lectoren. Ordinis ejusdem Sanctæ, quod dictum Monasterium propter magnam multitudinem Sororum degentium in eodem, est plurimum oneratum, & quod in civitate Auxitan. quæ est locus magnus, solemnis, & fertilis, Monasterium aliquid dicti Ordinis non existit, quodque quam plures de melioribus civibus, ac etiam populares civitatis ipsius cupiunt, quod in eadem civitate

vitate, aut ejus suburbiis pro Sororibus dicti Ordinis Monasterium construatur.

§. II. Quare præfatæ Abbatissa & Conventus nobis humiliter supplicarunt; ut recipiendi eis in dicta civitate, seu ejus suburbiis locum competentem, ac construendi inibi monasterium cum oratorio, cæmeterio & aliis officinis, ac domibus opportunis licentiam concedere dignaremur.

§. III. Quia igitur de facto hujusmodi, & ejus circumstantiis notitiam non habemus, discretioni vestræ, de qua plenam in Domino fiduciam gerimus, præsentium auctoritate committimus & mandamus, quatenus vos diligentius informantes, si sint in civitate prædicta personæ aliquæ, quæ dictum locum pro dictis Sororibus ibidem ædificare, & dotare proponant, & quæcumque super his inveneritis, nobis per vestras litteras harum seriem continentes, fideliter intimare curetis, ut vestra super his relatione plenius informati, dictis Abbatissæ & conventui possimus juste concedere vel negare licentiam supradictam.

Datum Avenione. Idibus Maii anno x.

LIV.

Præficitur Ecclesiæ Scarpaten. Ex tomo 2. epist. 1624.

Dilecto filio Nicolao de Machilona Electo Scarpaten.

§. I. Summi dispositione Rectoris, ad regimen universalis Ecclesiæ, quamquam immeriti, deputati curis assiduis angimur, & sollicitis indefessæ sollicitudinis studiis propulsamur, ut Ecclesiis universis, & præsertim in remotis partibus constitutis, quæ sunt propriis pastoribus destitutæ, viros præficiamus idoneos, ipsasque pastoribus providis committamus, per quorum providentiam, scientiam & doctrinam eædem Ecclesiæ taliter destitutæ, Deo propitio, regantur utiliter, & ad salutaria dirigantur.

§. II. Ecclesia siquidem Scarpaten. per obitum bon. mem. Nicolai Episcopi Scarpaten. qui nuper in terra Venetiarum Castellan. diœces. diem clausit extremum, pastoris solatio destituta. Nos hujusmodi vacatione ipsius Ecclesiæ fide dignis relatibus intellecta, cupientes eidem Ecclesiæ nostræ operationis ministerio, secundum cor nostrum idoneam approbatamque præsidere personam, provisionem ejusdem Ecclesiæ ordinationi & dispositioni nostræ & Sedis Apostolicæ ea vice duximus reservandam specialiter, decernentes ex tunc irritum & inane si secus super his per quoscumque scienter vel ignoranter contingeret attentari.

§. III. Ac deinde de ipsius Ecclesiæ ordinatione celeri, de qua nullus præter nos, post reservationem & decretum prædicta, se intromittere potuit, sollicite cogitantes, & ad provisionem ipsius prosperam & felicem, ne longæ vacationis subjaceret incommodis, paternæ sollicitudinis studio intendentes, post deliberationem quam de præficiendo eidem Ecclesiæ personam idoneam, per quam posset præservari a noxiis, ac in suis manuteneri juribus, & etiam adaugeri, cum Fratribus nostris habuimus vigilantem; demum ad te Ordinis Fratrum Minorum professorem, in Sacerdotio constitutum, quem nobis & eisdem Fratribus de litterarum scientia, honestate morum, vitæ munditia, prudentia spiritualium, temporalium providentia, fide digna testimonia commendarunt, quique scies & poteris dictam Ecclesiam utiliter regere, & salubriter gubernare, direximus oculos mentis nostræ.

§. IV. Quibus omnibus debita consideratione pensatis, de persona tua nobis & eisdem Fratribus ob exigentiam hujusmodi meritorum tuorum accepta, de

de ipsorum Fratrum consilio, eidem Ecclesiæ Scarpaten. auctoritate Apostolica providemus, teque illi præficimus in Episcopum & pastorem, curam & administrationem ipsius tibi tam in spiritualibus, quam in temporalibus plenarie committendo, firma spe, fiduciaque conceptis, quod dirigente Domino actus tuos, dicta Ecclesia per tuæ industriæ, ac circumspectionis fructuosum studium, præservabitur a noxiis & adversis, ac votivis proficiet prosperitatis commodis & honoris. Jugum igitur Domini tuis impositum &c. *Valeas promereri*.

Datum Avenion. VII. Kalend. Junii anno x.

L V.

Ut permittat ædificari Monasterium Clarissarum in Villa Xativa. Ibidem epist. 1702.

Venerabili fratri Episcopo Valentin.

§. I. Significarunt nobis dilecti filii Jacobus Zaguardia, & Ægidius Martinus Dentenza laici tuæ diœcesf. executores testamenti, seu ultimæ voluntatis, quondam Saurinæ Dentenza relictæ quondam Rogerii de Lauria Admirati regnorum Siciliæ & Aragoniæ viduæ, quod dicta Saurina in dicto testamento voluit & ordinavit, quod unum solemne Monasterium Sororum Ordinis sanctæ Claræ construi & ædificari, ac de bonis suis dotari deberet in villa Xativa dictæ tuæ diœcesf. sufficientibus eis de bonis prædictis dotibus assignatis.

§. II. Quare præfati executores nobis humiliter supplicarunt, ut cum ipsi parati sint ejusdem testatricis piam in hac parte exequi voluntatem, eis construendi dictum Monasterium in Villa prædicta concedere licentiam dignaremur.

§. III. Nos igitur ipsorum supplicationibus inclinati, ac de tuæ circumspectionis industria plenam in Domino fiduciam obtinentes, fraternitati tuæ, præsentium auctoritate, committimus & mandamus, quatenus eisdem executoribus construendi & ædificandi dictum Monasterium cum Ecclesia seu oratorio, & aliis necessariis officinis in Villa præfata, dummodo sufficientes redditus pro supportandis necessitatibus saltem duodecim Sororum ejusdem Ordinis inibi ponendarum, ad præstandum Domino perpetuum famulatum, juxta tuæ discretionis arbitrium, studeant assignare, auctoritate nostra concedas licentiam specialem, quacumque constitutione contraria non obstante. Jure parochialis Ecclesiæ & cujuslibet alterius semper salvo.

Datum Avenion. Kalend. Junii anno x.

L V I.

Ut possit construere Monasterium Clarissarum in Granayraco. Ibidem epist. 1796.

Dilecto filio nobili viro Petro de Via, Domino Calvineti sancti Flori diœcesf. Salutem.

§. I. In iis, quæ animarum salutem respiciunt, libenter Apostolici favoris præsidium impertimur. Exhibita siquidem nobis tua petitio continebat, quod quondam Eustachius de Bellomarchesio, Dominus tunc Calvineti sancti Flori diœcesf. ordinavit in suo ultimo testamento, Monasterium Sororum Minorissarum Ordinis sanctæ Claræ usque ad numerum duo-

duodecim in loco suo de Granayraco, prope Petruciam Ruthenen. dioecesi. sub certis modis & conditionibus contentis & expressis in testamento prædicto, construi & fundari, legando Sororibus ipsis centum libras Turonen. parvorum annui & perpetui redditus pro victu & necessariis earumdem, & quingentas libras ejusdem monetæ semel solvendas pro constructione Monasterii antedicti, quodque tu, ad quem dictus locus de Granayraco cum alia terra, quam dictus Eustachius in illis partibus dum viveret, obtinebat, noscitur pertinere, cupiens terrena in cœlestia & transitoria in æterna felici commercio commutare, intendis, juxta ordinationem testatoris ejusdem dictum Monasterium construere & dotare.

§. II. Nos igitur tuis supplicationibus inclinati, ut præfatum Monasterium cum oratorio, cœmeterio, & aliis necessariis officinis, juxta ipsius testatoris desiderium atque tuum, construere & dotare valeas in dicto loco, sine juris præjudicio alieni, tibi auctoritate præsentium liberam concedimus facultatem, jure tamen patronatus in eo tibi & hæredibus tuis in perpetuum reservato. Nulli ergo nostræ concessionis &c.

Datum Avenion. XII. Kalend. Julii anno X.

LVII.

Ne liceat Ministro Provinciæ Terræ laboris removere Guardianum Monasterii sanctæ Claræ, absque consensu Ministri Generalis. Ibid. epist. 2306.

Carissimæ in Christo filiæ Sanciæ, Reginæ Siciliæ Illustri.

§. I. Clara tuæ devotionis erga Deum & Apostolicam Sedem obsequia, per quæ divinam & ipsius Sedis gratiam vendicare tibi, velut benedictionis filia, niteris, nos inducunt, ut quæ a nobis suppliciter postulas, ad exauditionis gratiam favorabiliter admittamus. Porrecta siquidem nobis ex parte tua petitio continebat, quod in statutis Monasterii sancti Corporis Christi de Neapoli Ordinis sanctæ Claræ, olim per te fundati, per nos ad tuæ supplicationis instantiam, auctoritate Apostolica confirmatis, inter cetera continetur, quod Guardianus ejusdem Monasterii de consilio discretorum Ordinis Minorum, per Provincialem Ministrum Terræ laboris dicti Ordinis Minorum, quotiens expediat, valeat amoveri.

§. II. Verum quia absolutam & longam dicti Ministri licentiam moderari per Apostolicæ Sedis providentiam postulasti; nos in hac parte tuis supplicationibus inclinati, volumus & auctoritate Apostolica decernimus, ut quando causa suberit amotionis Guardiani prædicti, Provincialis Minister Terræ laboris, non sic absolute ac licenter amovere possit eumdem, sed alium probum virum ejusdem Ordinis, de consilio ipsorum discretorum Fratrum ipsius provinciæ, vel majoris partis eorum, ipsi Guardiano debeat interim ad exercendum Guardianatus ejusdem officium subrogare, dictusque Provincialis Minister Generali Ministro dicti Ordinis causam amotionis dicti Guardiani debeat intimare, ut prælibatus Minister Generalis causa amotionis ipsius intellecta, prout expedire crediderit, libere Guardianum possit absolvere prælibatum, dicta ordinatione dictorum statutorum contraria non obstante. Nulli ergo nostrarum voluntatis & constitutionis &c.

Datum Avenion. XII. Kalend. Augusti anno X.

LVIII.

Ut abſque ejus licentia bona Monaſterii Clariſſarum Neapolitani non poſſint alienari aut permutari. Ibid. epiſt. 2307.

Eidem.

§. I. Hoc habet in nobis, cariſſima in Chriſto filia, tuæ devotionis ſinceritas, qua noſtram & Apoſtolicæ Sedis benevolentiam tibi vendicas & favorem, ut ſupplicationibus tuis, quas ineſſe tibi cordi conſpicimus, libenter & favorabiliter annuamus.

§. II. Ex tenore ſiquidem tuæ petitionis accepimus, quod in ſtatutis Monaſterii ſancti Corporis Chriſti de Neapoli Ordinis ſanctæ Claræ, olim per te fundati, per nos ad inſtantiam tuam, auctoritate Apoſtolica confirmatis, inter cetera continetur, quod bona ſtabilia Burgenſatica ipſius Monaſterii nulla ratione, vel cauſa alienari vel permutari poſſent, ſeu in alium quoquo modo transferri. Quodque poſtmodum nos ad tuæ ſupplicationis inſtantiam, Archiepiſcopo Neapolitan. qui tunc erat, & qui pro tempore foret, quod Abbatiſſa & Conventus dicti Monaſterii alienare, aut permutare poſſent, aliqua ex bonis eiſdem pro commodis Monaſterii prælibati, licentiam eis auctoritate Apoſtolica impertiri valeret, plenam conceſſimus per alias litteras noſtras facultatem.

§. III. Verum quia circa vtilitatem & conſervationem bonorum dicti Monaſterii, jugiter es intenta, & propter hoc cupis, ut aſſeris, ut in alienatione ſeu permutatione dictorum bonorum, tua etiam licentia requiratur: nos tuis in hac parte ſupplicationibus annuentes, auctoritate præſentium, ordinamus atque decernimus, ut alienatio ſeu permutatio bonorum ipſorum non aliter fieri valeat, quam de ipſius Archiepiſcopi, & tua licentia in caſibus, & forma a jure permiſſis, quamdiu tu vitam duxeris in humanis, quacumque ordinatione dictorum ſtatutorum contraria non obſtante. Nulli ergo &c. noſtræ ordinationis & conſtitutionis &c.

Datum ut ſupra.

LIX.

Ne liceat Guardianum Monaſterii ſanctæ Claræ eligi ex regno Siciliæ. Ibid. epiſt. 2308.

Eidem.

§. I. Videmus filia benedictionis & gratiæ, quod ſpiritualibus operibus ejus, per quæ ſtudes Altiſſimo velut apis argumentoſa ſervire, non capiunt ſomnum oculi mentis tuæ, ſuper quo tuam diligentiam in Domino commendamus. Exhibita ſiquidem nobis tua petitio continebat, quod in ſtatutis Monaſterii ſancti Corporis Chriſti de Neapoli Ordinis ſanctæ Claræ, olim per te fundati, ad inſtantiam tuam, per nos auctoritate Apoſtolica confirmatis, inter cetera extitit ordinatum, quod in Monaſterio ipſo poſſet eligi Guardianus Ordinis Fratrum Minorum de quibuſcumque partibus, regno Siciliæ dumtaxat excepto. Poſtmodum autem ex aliquibus cauſis aliis forſan tunc temporis rationabilibus ſuadentibus in contrarium, innovatum fuit in ſtatutis eiſdem, quod Guardianus ipſe ſine exceptione aliqua poſſet eligi undecumque, quam etiam innovationem ſecundum nos ad tuæ ſupplicationis inſtantiam, eadem auctoritate duximus confirmandam; deinde

de vero dictorum statutorum ordinatio prior quo ad Guardiani ejusdem electionem, videlicet quod de dicto regno Siciliæ Guardianus eligi non valeret, quamvis satis justa & rationabilis ac digesto consilio facta fuisset, & postmodum ordinationis secundæ mutatio, quæ innuit, quod Guardianus sine exceptione aliqua undecumque posset eligi, ut præfertur, juxta tuam & multorum opinionem in melius crederetur, tamen quia humanum judicium plerumque fallit & fallitur, & per magnam rerum experientiam ad veritatis certitudinem pervenitur, reduci ad statum pristinum pro salubriori statu dicti Monasterii, ordinationem ipsam per Apostolicæ Sedis providentiam postulasti.

§. II. Nos itaque vota tua, quæ præsertim speramus de puritatis fonte procedere, libenter favore Apostolico prosequimur, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, ordinationem statutorum ipsorum ad statum pristinum, Apostolica auctoritate, reducimus, decernentes, ut Guardianus eligi nequeat de eodem Regno in Monasterio prælibato, prædicta secunda ordinatione statutorum ipsorum in contrarium edita, non obstante. Nulli ergo &c. nostræ reductionis & constitutionis &c.

Datum ut supra.

LX.

Præficitur Ecclesiæ Auximanæ. Ibid. epist. 2770.

Dilecto filio Sinibaldo Electo diœcef. Auximan.

§. I. Romani Pontificis, quem universi orbis Ecclesiis cœlestis dispositio prætulit, & ei commisit illarum sollicitudinem generalem, supereminens cunctis auctoritas prudenter attendens, quod secundum varietates temporum, & demerita personarum, succedunt humana judicia, & conditiones sunt mutandæ locorum, interdum statum Ecclesiarum & locorum ipsorum mutat & variat, prout incolarum eorumdem locorum exigentibus culpis, & legitimis suadentibus causis, divini nominis, & Ecclesiæ Romanæ quæ, disponente Domino, caput & magistra omnium fidelium existit, honori conspexerit, pensatis circumstantiis, rationabiliter & salubriter expedire.

§. II. Olim siquidem, dum Ecclesia Auximana, eidem Ecclesiæ Romanæ immediate subjecta Episcopatus titulo potiretur, ac bonæ memoriæ Berardus Diœcef. Auximan. tunc Auximan. Episcopus, ipsius Ecclesiæ Auximan. regimini præsideret; Nos exigentibus gravibus & notoriis culpis, atque demeritis universitatis & incolarum Terræ tunc Civitatis Auximan. qui maligno spiritu concitati, adversus nos & Romanam Ecclesiam furentibus & obstinatis animis patenter & manifeste rebellionis calcaneos erexerunt, nos & dictam Romanam Ecclesiam provocando, & afficiendo multimodis injuriis & offensis, dictam Terram, tunc, ut præmittitur, Civitatem, de Fratrum nostrorum consilio, & de Apostolicæ plenitudine potestatis, Episcopalis dignitatis honore privavimus, justitia exigente, ac voluimus & decrevimus de consilio & plenitudine antedictis, ut ex tunc idem Berardus, & qui successor in antea pro tempore sibi foret, Auximan. Diœc. Episcopus vocaretur. Deinde vero præfato Berardo in partibus illis sublato de medio, Nos attendentes, quod nullus præter nos de provisione præfatæ Diœcef. constitutæ in terra spectante ad Romanam Ecclesiam memoratam, de Pontifice præficiendo eidem se potest intromittere ista vice, pro eo quod nos diu ante ipsius Berardi obitum provisiones omnium Ecclesiarum &c. *contingeret attentari*.

§. III. Cupientes quoque regimini præfatæ Dioec. nostræ providentiæ studio utilem & fructuosam præesse personam, post deliberationem, quam cum eisdem Fratribus super hoc attentam habuimus, demum in te Ordinis Fratrum Minorum, Ordinem ipsum expresse professum & in sacerdotio constitutum, litterarum scientia præditum, morum & vitæ honestate decorum, in spiritualibus providum, & temporalibus circumspectum, & aliis multiplicibus virtutum donis coram nobis & dictis Fratribus, fide dignorum testimonio commendatum, convertimus oculos nostræ mentis.

§. IV. Quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua, de dictorum Fratrum consilio, auctoritate Apostolica, dictæ Dioecesi providemus, teque sibi in Episcopum præficimus & pastorem, curam & administrationem ejusdem Dioec. tibi in spiritualibus & temporalibus plenarie committendo, firma concepta fiducia, quod eadem Dioec. sub tuo fœlici regimine, dextera Domini tibi assistente propitia, salubriter & prospere dirigetur, & grata suscipiet incrementa in spiritualibus & temporalibus.

V. Quocirca discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus impositum tibi onus a Domino suscipiens reverenter, curam & administrationem prædictas sic geras sollicite, fideliter & prudenter, gregem Dominicum in illa vigilantiæ tuæ commissum, doctrina verbi & operis informando, ut exinde apud remotos & proximos fama tua clareat per effectum, & in delectationem nobis veniat opportuno tempore gratiose te prosequi, & tuis desideriis favorem benevolum impertiri.

Datum Avenione VIII. Idus Augusti anno X.

LXI.

Præficitur Ecclesiæ Scabien. Ex tom. III. an. II. epist. 2934.

Dilecto filio Landulpho Carallulo electo Scabien.

Vide Constit. 5. Clem. V. Tom. 6. fol. 451.

§. I. Militanti Ecclesiæ disponente Domino &c. *Pastores*. Dudum siquidem bo. mem. Petro Episcopo Scabien. regimini Scabien. Ecclesiæ præsidente, nos cupientes regimini ejusdem Ecclesiæ, cum eam vacare contingeret, per Apostolicæ Sedis providentiam personam utilem præsidere, provisionem faciendam eidem Ecclesiæ de Pastore, quam cito per ipsius Petri Episcopi obitum, vel quovis alio modo Ecclesia prædicta vacaret, dispositioni nostræ, & Sedis Apostolicæ ea vice duximus specialiter reservandam, decernentes ex tunc irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attentari.

§. II. Postmodum vero dicta Ecclesia per obitum ejusdem Petri, qui dudum in partibus illis viam fuit universæ carnis ingressus, pastoris solatio destituta: Nos volentes eidem Scabien. Ecclesiæ, ne dispendia prolixæ vacationis incurreret, paterna sollicitudine præcavere, cum nullus præter nos hac vice de ipsius Ecclesiæ Scabien. ordinatione se intromittere potuerit, reservatione & decreto hujusmodi obstantibus, post deliberationem, quam de præficiendo eidem Ecclesiæ personam utilem ac etiam fructuosam, cum Fratribus nostris habuimus diligentem, demum in te Ordinis Fratrum Minorum, Ordinem ipsum expresse professum, & in sacerdotio constitutum, sacræ Theologiæ Magistrum, virum utique morum & vitæ honestate decorum, in spiritualibus providum, & temporalibus circumspectum, aliarumque virtutum titulis, prout testimonio fide dignorum accepimus, insignitum, direximus oculos nostræ mentis. Quibus omnibus debita meditatione pensatis, intendentes tam dictæ Scabien. Ecclesiæ, quam dominico gregi ejusdem

dem salubriter, & utiliter providere, de persona tua nobis, dictisque fratribus, ob exigentiam tuorum meritorum accepta, eidem Scabien. Ecclesiæ de dictorum Fratrum consilio, auctoritate Apostolica providemus, teque ipsi Ecclesiæ in Episcopum præficimus & pastorem, curam & administrationem ipsius tibi tam in spiritualibus, quam in temporalibus plenarie committendo, firma concepta fiducia, quod dirigente Domino actus tuos, præfata Scabien. Ecclesia, per tuæ circumspectionis industriam in utrisque fœliciter & prospere dirigetur, & salubria, dante Domino, suscipiet incrementa.

§. III. Jugum itaque Domini tuis impositum humeris prompta devotione suscipias, commissumque tibi ejusdem Scabien. Ecclesiæ regimen sic exercere studeas sollicite, fideliter & prudenter, ut eadem Ecclesia sponso utili & gubernatori provido gaudeat se commissam, tuque proinde præmium retributionis æternæ, ac nostram & dictæ Sedis benedictionem, & gratiam plenius consequi merearis.

Datum Avenione XII. Kal. Septembris anno XI.

LXII.

Conceditur Indulgentia visitantibus Sacellum sancti Ludovici in Ecclesia Minorum Barchinonen. Ibidem epist. 2791.

Universis Christi fidelibus.

§. I. Perennis vitæ gloria, qua mira benignitas conditoris omnium beatam coronat aciem civium supernorum, a redemptis pretio sanguinis fusi de pretioso corpore Redemptoris, meritorum debet acquiri virtute, inter quæ illud prægrande fore dignoscitur, ut ubique, sed præcipue in Sanctorum Ecclesiis, majestas Altissimi collaudetur.

§. II. Cum itaque venerabilis frater noster Joannes Archiepiscopus Toletanus, quamdam capellam in honorem beati Ludovici Episcopi & Confessoris, avunculi sui, in Ecclesia Fratrum Ordinis Minorum Barchinonen. per eumdem Sanctum consecrata, construi fecerit: Nos cupientes ut erga dictam capellam fidelium devotio augeatur, & ad eam fideles Christi spiritualibus allecti muneribus, in jubilo mentis frequenter accedant, dona divinæ gratiæ percepturi, de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui in festo ejusdem beati Ludovici centum, eis vero, qui infra ipsius festivitatis octavas ad dictam capellam devote accesserint, annuatim quadraginta dies, de injunctis eis pœnitentiis misericorditer relaxamus.

Datum Avenione II. Kal. Septembris anno XI.

LXIII.

Præficitur Ecclesiæ Melfien. Ex tom. I. an. II. epist. 84.

Dilecto filio Monaldo Electo Melfien.

§. I. Apostolatus officium nobis, quamquam immeritis, superna dispositione commissum salubriter & utiliter exequi, adjuvante Domino, cupientes, tanto curam impendimus, quanto nobis ex alto permittitur, studiosam, ut Ecclesiæ universæ statu prospero floreant & accrescant; sed de illis Ecclesiis propensius cogitamus, quas suis carere pastoribus intuemur, ut eis, & præsertim cum ad Romanam Ecclesiam nullo pertinent mediante

diante, per noſtræ providentiæ ſtudium viri præficiantur idonei, ſub quorum fœlici regimine, ſalutis & proſperitatis eædem Eccleſiæ ipſorum gubernationi commiſſæ, Deo propitio, votiva ſuſcipiant incrementa.

§. II. Pridem ſiquidem Eccleſia Melſien. eidem Romanæ Eccleſiæ immediate ſubjecta, per obitum bon. mem. Alexandri Epiſcopi Melſien. qui nuper apud Sedem Apoſtolicam debitum naturæ perſolvit, paſtoris ſolatio deſtituta: Nos attendentes, quod nullus præter nos de ordinatione ipſius Eccleſiæ Melſien. ſe hac vice intromittere poteſt, pro eo quod Nos diu ante hujuſmodi vacationem præfatæ Eccleſiæ Melſien. proviſionem omnium Eccleſiarum Cathedralium &c. *contingeret attentari*, de præficiendo eidem Eccleſiæ Melſien. perſonam utilem ac fructuoſam, cujus ſcientia, & virtute poſſet regi utiliter, & fœliciter gubernari, cogitare cœpimus diligenter, & poſt deliberationem, quam cum Fratribus noſtris habuimus ſuper hoc attentam, demum in te Ordinis Fratrum Minorum profeſſorem, in ſacerdotio conſtitutum, cui ſacræ religionis zelus, vitæ munditia, morum elegantia, litterarum ſcientia, circumſpectionis induſtria, & alia grandium virtutum merita, in te divinitus diſpenſata, ac nobis & eiſdem Fratribus non ignota, ſuffragari noſcuntur, aciem direximus noſtræ mentis.

§. III. Quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis & dictis Fratribus ob hujuſmodi tuorum exigentiam meritorum accepta, prædictæ Melſien. Eccleſiæ de Fratrum eorumdem conſilio auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum & Paſtorem, curam & adminiſtrationem ejuſdem tibi tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus plenarie committendo, firma concepta fiducia, quod, dirigente Domino actus tuos, prædicta Melſien. Eccleſia, per tuum miniſterium fructuoſum augmenta ſuſcipiet commodi & honoris. Jugum itaque Domini tuis in hac parte impoſitum &c. *percipere incrementum*.

Datum Avenione II. Non. Octobris anno XI.

LXIV.

Ut confirmet erectionem Monaſterii Clariſſarum ſancti Viti, & Sorores introducat. Ex tom. III. epiſt. 2202.

Venerabili fratri Archiepiſcopo Salzburgen.

§. I. IN iis, quæ animarum ſalutem, & divini cultus augmentum reſpiciunt, libenter favorem benevolem impertimur.

Monaſterii Fundatoris petitio. §. II. Sane petitio dilecti filii nobilis viri Conradi de Cuneſtain Mariſcalci ducatus Carinthiæ, nobis nuper exhibita, continebat, quod ipſe olim de ſalute propria cogitans, cupienſque terrena in cœleſtia & tranſitoria in æterna fœlici commercio commutare, prope oppidum ſancti Viti tuæ Diœc. quoddam Monaſterium Ordinis & ſub invocatione ſanctæ Claræ ad Dei, & beatæ Virginis matris ejus honorem & gloriam, pro ſuſcipiendis Sororibus, quas inibi ſub regulari dicti Ordinis habitu perpetuo Domino ſervituras deputare deſiderat, cum oratorio, & aliis neceſſariis officinis de bonis propriis pro ſuæ & parentum ſuorum animarum remedio, conſtruxit pariter & dotavit.

§. III. Quare dictus nobilis nobis humiliter ſupplicavit, ut quod ſuper hoc per ipſum pie factum eſt, Apoſtolico fulcire præſidio dignaremur.

Delegatio Archiep. demandatur. §. IV. Quia vero de præmiſſis notitiam non habemus, nos gerentes de tuæ circumſpectionis induſtria fiduciam in Domino ſpecialem, dicti Nobilis ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuæ, qui de præmiſſis & eorum circum-

cumstantiis notitiam habere poteris pleniorem, per Apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus si tibi constiterit, quod pro decenti numero Sororum, quæ ibidem sub prædicta regula præstabunt Domino famulatum, dos sufficiens eidem Monasterio fuerit assignata, quod super hoc per eumdem Nobilem pie factum est, Apostolica auctoritate confirmans, hac vice personas idoneas, quas idem Nobilis duxerit nominandas, usque ad prædictum numerum condecentem, de quo tibi videbitur, quæ dictum Ordinem sanctæ Claræ profiteantur, & servent, in eodem Monasterio recipias, & instituas in Sorores, præficientes eis in Abbatissam personam idoneam, eumdem Ordinem expresse professam, de religionis zelo & aliis virtutibus commendatam, per cujus circumspectionem providam & providentiam circumspectam, dictum Monasterium salubriter gubernetur, ad quam & eas, quæ sibi in regimine prædicto successerint, una eum Sororibus ejusdem Monasterii creatio & receptio aliarum Sororum in dicto Monasterio deinceps debeat pertinere. Electio vero Abbatissæ ipsius Monasterii, cum de cetero imminebit, ad Sorores ipsius Monasterii pertineat celebranda per eas juxta canonicas sanctiones.

Datum Avenione II. Non. Novembris anno XI.

LXV.

Ut concedat Fratribus Minoribus potestatem prædictum Monasterium gubernandi. Ibidem epist. 2990.

EIDEM.

§. I. NUper pro parte dilecti filii nobilis viri Conradi de Cuneftain Mariscalci Ducatus Carintbiæ nobis exposito, quod ipse olim de salute propria &c. *ut in epistola præcedenti usque ad* construxerat pariter & dotaverat.

§. II. Nos tibi per nostras certi tenoris litteras dedimus in mandatis, ut si tibi constaret, quod pro decenti numero Sororum, quæ ibidem sub prædicta regula præstarent Domino famulatum, dos sufficiens esset eidem Monasterio assignata, quod super hoc per eumdem Nobilem pie factum fuerat, Apostolica auctoritate confirmans, ea vice personas idoneas, quas idem Nobilis sibi duceret nominandas, usque ad prædictum numerum condecentem, de quo tibi videretur, quæ dictum Ordinem sanctæ Claræ profiterentur, & servarent, reciperes & institueres in Sorores, præficiens eis in Abbatissam personam idoneam eumdem Ordinem expresse professam, de Religionis zelo, & aliis virtutibus commendatam, per cujus circumspectionem providam, & providentiam circumspectam prædictum Monasterium gubernaretur salubriter, prout in eisdem nostris litteris plenius continetur.

§. III. Nos igitur ut Abbatissa & Sorores prædictæ in præfato Monasterio eo liberius in tranquillitate mentium, pacis famulentur auctori, quo plenius saluti suarum consultum fuerit animarum, dicti Nobilis supplicationibus inclinati, fraternitati tuæ præsentium tenore committimus & mandamus, quatenus postquam prædicta in eisdem litteris tibi super hoc directis contenta fuerint efficaciter adimpleta, Fratribus Ordinis Minorum, quos ad spiritualia ministeria dicti Monasterii pro tempore contigerit deputari, auctoritate nostra concedas, ut in dicto Monasterio, quo ad celebrandum divina, & ministrandum eisdem Ecclesiastica sacramenta, illam, quam ejusdem Ordinis Fratres habent per privilegia Sedis Apostolicæ in aliis Monasteriis dicti Ordinis sanctæ Claræ, habeant potestatem. Datum ut supra.

LXVI.

Ne ſolvant decimas aut procurationes Sorores prædicti Monaſterii. Ibidem epiſt. 2991.

Eidem.

NUper ex parte dilecti filii nobilis viri Conradi de Cuneſtain &c. ut in epiſtola præcedenti, uſque ad *efficaciter adimpleta*. Si Monaſteria, Abbatiſſæ & Sorores aliæ prædicti Ordinis a præſtatione quarumlibet procurationum, talliarum & collectarum facienda Legatis, & Nunciis Sedis Apoſtolicæ, & a ſolutione decimæ ab eadem Sede imponendæ, ſunt per Sedem ipſam exempta, prædictum Monaſterium, Abbatiſſam & Sorores ejuſdem a præſtatione & ſolutione hujuſmodi eximere, prout Monaſteria, Abbatiſſæ & Sorores aliæ ejuſdem Ordinis ſunt exempta,præfata auctoritate procures.

Datum ut ſupra.

LXVII.

Ut gaudeant omnibus privilegiis & favoribus reliquarum Clariſſarum. Ibidem epiſt. 3045.

Eidem.

NUper pro parte dilecti filii nobilis viri Conradi de Cuneſtain &c. ut in epiſtola præcedenti, uſque ad *efficaciter adimpleta*, auctoritate noſtra decernas, ut Monaſterium, Abbatiſſa & Sorores præfatæ, omnibus privilegiis, indulgentiis & gratiis univerſis Abbatiſſis & Sororibus ejuſdem Ordinis ab eadem Sede conceſſis, & impoſterum concedendis perpetuis futuris temporibus, ſicut aliæ Abbatiſſæ & Sorores ejuſdem Ordinis, gaudeant & etiam potiantur.

Datum Avenione II. Non. Novembris anno XI.

LXVIII.

Ut fundatores illud Monaſterium ingredi poſſint. Ibidem epiſt. 3046.

Eidem.

NUper pro parte dilecti filii nobilis viri Conradi de Cuneſtain Mariſcalci &c. ut in epiſtola præcedenti uſque ad *efficaciter adimpleta*, eidem Nobili, uxori, & liberis ſuis præſentibus & poſteris intrandi devotionis & conſolationis cauſa, clauſtrum & officinas ejuſdem Monaſterii bis in anno cum duodeno puellarum numero, quibuſcumque ſtatutis & conſuetudinibus Monaſterii, & Ordinis prædictorum, contrariis nequaquam obſtantibus, dummodo Abbatiſſæ ipſius Monaſterii, quæ pro tempore fuerit,ad id accedat aſſenſus, ita tamen quod iidem Nobilis & uxor ac liberi & puellæ ibi non comedant,nec pernoctent,auctoritate Apoſtolica,liberam licentiam largiaris.

Datum ut ſupra.

LXIX.

Ut liceat celebrare divina tempore interdicti. Ibidem epist. 3046.

Eidem.

NUper pro parte dilecti filii nobilis viri Conradi de Cuneſtain Mariſcalci &c. ut in epiſtola præcedenti uſque ad *efficaciter adimpleta*, eiſdem Abbatiſſæ & Sororibus, ut cum terra illa generali fuerit ſuppoſita interdicto, januis clauſis, non pulſatis campanis, ſubmiſſa voce, excommunicatis & interdictis excluſis, legendi & dicendi horas canonicas ac faciendi coram ſe Miſſas per Capellanum proprium celebrari, dummodo cauſam non dederint hujuſmodi interdicto, nec id eis contingat ſpecialiter interdici, auctoritate Apoſtolica licentiam largiaris.
Datum ut ſupra.

LXX.

Ut faciat reſtitui Monaſterio Clariſſarum Salamantino bona a ſuis miniſtris occupata. Ibid. tom. I. epiſt. 344.

Cariſſimo in Chriſto filio Alphonſo Regi Caſtellæ & Legionis illuſtri ſalutem.

§. I. SI ad examen debitæ conſiderationis adduxeris, fili cariſſime, quam ſit ſalubre, quamque meritorium apud Deum perſonas Eccleſiaſticas, regulares & ſeculares, præcipue in terra tui dominii conſiſtentes, conſervare in bonis ſuis & juribus, quinimo illa etiam eis ampliare: profecto hoc tuæ ſollicitudinis dignatio erga dilectas in Chriſto filias Abbatiſſam & Conventum Monaſterii Sororum incluſarum Salamantin. Ordinis ſanctæ Claræ, dictæ Terræ incolas, eo attentius obſervabit, & faciet efficacius obſervari, quo ipſæ in divinis obſequiis exequendis, quibus ſunt majeſtati Altiſſimi dedicatæ, fortius extiterint impeditæ, quove periculoſius cogentur extra ſuæ clauſuræ terminos evagari, dum in eorum bonis & juribus, quæ pia eis devotione fidelium conferuntur, & ex quibus ſtipendia quotidiana vitæ percipiunt, indebite moleſtantur. Moniales moleſtatæ.

§. II. Habet ſiquidem dictarum Abbatiſſæ, & Conventus humilis & devota inſinuatio, noſtris auribus inſtillata, quod nonnulla bona immobilia, quæ dicti fideles eidem Monaſterio in eorum ultimis voluntatibus legavere, ſeu ab eiſdem Abbatiſſa, & Conventu fuerint juſtis modis aliis acquiſita, de facto ſunt pro parte Regalis Curiæ occupata, in Abbatiſſæ, Conventus & Monaſterii prædictorum non leve præjudicium & jacturam. Accedat ergo ad tribunal tuæ mentis regiæ pietatis affectus, & recenſebit memoriter, quod plerumque malignitas incentorum fuco fucata mendacii, ſub fictæ fidelitatis pallio averterunt damnabiliter corda regum, & ne dominica mandata cuſtodiant, in illis lolium cupiditatis & avaritiæ ſeminant, viruſque detractionis effundere non expavent. Bona Monaſterii occupata.

§. III. Quapropter excellentiam regiam monemus, & hortamur in Domino, & obnixius deprecamur, quatenus pro divina & Apoſtolicæ Sedis reverentia, præfatas Abbatiſſam & Conventum regalis favoris, & opportunæ defenſionis præſidio proſequens, hujuſmodi bona, ut præmittitur, occupata reſtitui facias Monaſterio prælibato, nec patiatur tuæ manſuetudinis lenitas, ut dictis Abbatiſſæ & Conventui ſuper præmiſſis vel aliis bonis, atque juribus earumdem inſerantur per cujuſpiam calumniam ſive dolum, injuria vel Regius imploratur favor.

vel gravamen pro illius honore, qui te Regnorum tuorum prædestinavit, & constituit hæreditarium successorem, prædictas Abbatissam & Conventum in bonis eisdem libere succedere, illaque pacifice possidere, si alias in eis juris censura suffragatur eisdem, de regia clementia permittendo. Ita quippe prædictas Abbatissam, & Conventum tuas apud Regem Regum, per quem vivis & regnas, constituent sedulas oratrices hæc, & alia pia opera, quæ, Domino inspirante, feceris, tuæ celsitudinis solium roborabunt, tibique captabunt supernæ miserationis & gratiæ incrementum.

Datum Aven. VI. Kalend. Octobris anno XI.

LXXI.

Revocat & annullat quosdam processus factos ab Officiali Burdegallen. contra Prædicatores & Minores. Ex tom. 2. epist. 1107.

Ad futuram rei memoriam.

Gravamina ab Officiali illata recensentur.

§. I. ILla sine cavillosæ difficultatis obice, nimiæque dilationis objectu, Apostolicæ correctionis linea corrigit, prout debet, quæ præsertim evidenter invenit per inferiores judices minus provide attentata.

§. II. Pro parte siquidem dilectorum filiorum Prioris Prædicatorum, & Guardiani Minorum Fratrum Ordinum, & eorumdem Fratrum Burdegallen. fuit in consistorio propositum coram nobis, quod dilectus filius Officialis Burdegallen. ad instantiam, seu querelam dilectorum filiorum Rectorum, Cappellanorum ac Vicariorum perpetuorum Parochialium Ecclesiarum, seu CappellarumCivitatis & suburbiorum Burdegallen. mendaciter imponens dictis Fratribus, quod vilipendebant Canonicas sanctiones, de facto, cum de jure nequiverit; in dictis & ipsorum Prioris, Guardiani, & Fratrum Ecclesiis, dum celebrabantur missarum solemnia in eisdem, diebus Dominicis, & festivis mandavit, & fecit dictis Fratribus publice inhiberi, ne ipsi ex tunc confessiones Parochianorum dictarum Ecclesiarum audirent, seu ipsos ad Pœnitentiæ sacramentum, & corpora eorum ad Ecclesiasticam sepulturam admitterent,absque Parochialium Rectorum ipsarum Ecclesiarum seu cappellarum licentia & assensu, & etiam in eisdem proponi Ecclesiis, ne aliquis vel aliqua ex tunc ad eorumdem Fratrum vel alicujus eorum inductionem, apud ipsos, vel eorum Ecclesias suam eligeret sepulturam, asserendo minus juste, quod hujusmodi electio, ad dictorum Fratrum inductionem sic facta, de jure foret irrita & inanis, nec eisdem Fratribus vel alicui confiteretur eorum, aut ab eis seu aliquo ipsorum, reciperet prædictum Pœnitentiæ sacramentum absque sui proprii Rectoris Parochialis licentia & assensu. Alioquin contrafacientes in præmissis articulis, necnon universos religiosos cujuscumque status vel conditionis existerent, qui antea induxissent vel inducerent aliquem vel aliquos ad vovendum, jurandum, vol fide interposita seu alias promittendum, quod apud eorum Ecclesias eligerent sepulturam, vel jam electam minime immutarent, mandavit, & fecit excommunicatos publice nunciari. Et licet præfati Fratres de funeralibus, quæ ratione corporum defunctorum sibi delegatis, seu relictis, canonicam portionem dictis Parochialibus Rectoribus, prout debuerant, solvere curavissent, & parati forent eam illis solvere in futurum, sicut fuit expositum coram nobis, ipse tamen Officialis non attendens, quod nequibat, contra eosdem talia exercere, dictos Fratres similiter de facto publice moneri fecit, ut si essent aliqui, vel aliquis eorumdem, qui aliqua de funeralibus & legatis seu relictis prædictis haberent, vel detinerent, quæ ad dictos Rectores seu Vicarios aut ipsorum aliquem pertinerent, ea illis integre redderent, vel de ipsis com-

componerent amicabiliter cum eisdem; alioquin quoslibet dictorum Fratrum detentorum funeralium, seu relictorum eorumdem ad dictos Rectores seu Vicarios spectantium, quos ex tunc excommunicabat, mandabat & fecit in eisdem Ecclesiis excommunicatos publice nunciari.

§. III. Quamvis autem pro parte dictorum Fratrum, Apostolica privilegia, quæ dictos Ordines & personas ipsorum a jurisdictione quorumlibet Judicum Ordinariorum eximunt, eosque soli Sedi subjiciunt supradictæ, quodque in pacifica possessione, vel quasi libertatis, & exemptionis hujsmodi existebant, coram Officiali prædicto fuerint allegata, & quod de jure non poterat taliter ad præmissa procedere contra eos, sibique de privilegiis hujusmodi facta extitit ab eisdem Priore & Fratribus Prædicatoribus, ut accepimus, plena fides: idem tamen Officialis prædictus Priorem, Guardianum & Fratres exaudire super allegatis hujusmodi non curavit. Non obstantibus privilegiis.

§. IV. Quoscumque insuper dictorum Fratrum, qui Clericis & laicis unctionis extremæ, vel Eucharistiæ sacramenta ministrare, matrimoniave, solemnizare super hoc Parochialis Rectoris eorumdem licentia non obtenta, seu qui excommunicationis a Canone, præterquam in casibus expressis in jure vel per privilegia dictæ Sedis Fratribus concessis eisdem, aut a sententiis per statuta provincialia promulgatis, seu a pœna, vel a culpa absolvere præsumerent, mandavit, & fecit excommunicatos publice nunciari, quamquam Fratres ipsi, quod hæc præsumpserint, confessi non fuerint, nec convicti, nec etiam evocati. Propter quæ pro parte prædictorum Prioris, Guardiani & Fratrum ad dictam Sedem extitit appellatum. Fratres inaudití excómunicátur.

§. V. Quare fuit pro parte ipsorum Prioris, & Guardiani & Fratrum nobis humiliter supplicatum, ut eis providere super prædictis tam ex debito justitiæ, quam etiam de Apostolica clementia dignaremur.

§. VI. Nos igitur hujusmodi processu præfati Officialis & aliis, quæ tam ex parte dictorum Fratrum, quam etiam pro parte officialis, Rectorum, Cappellanorum & Vicariorum prædictorum coram nobis & Fratribus nostris proposita & allegata fuerunt, auditis & etiam intellectis, quia comperimus eumdem processum perperam factum per officialem eumdem, ipsum & quidquid sequutum est ex eo, vel ob eum, de Fratrum nostrorum prædictorum consilio, auctoritate Apostolica, revocamus, cassamus, irritamus, & nullius fore decernimus firmitatis. Nulli ergo nostræ revocationis, cassationis, irritationis & constitutionis infringere, &c.

Datum Avenion. x. Kalend. Februar. anno XI.

LXXII.

Ut confirmet erectionem Monasterii Clarissarum Cabilonen. & introducat primas Sorores & Abbatissam ad beneplacitum fundatricis. Ibid. post. 1276.

Venerabili Fratri Episcopo Cabilonen.

§. I. Piis desideriis devotorum gratum nos decet præstare consensum, & ea, quæ augmentum religionis cultusque divini respiciunt, ut votivum consequantur effectum, favore prosequi gratioso.

§. II. Sane dilectæ in Christo filiæ nobilis mulieris Margaritæ Dominæ de sancta Cruce Lugdunen. Diœc. petitio nobis exhibita continebat, quod ipsa cupiens terrena in cœlestia, & transitoria in æterna felici commertio commutare, pro suæ ac progenitorum & successorum suorum animarum salute, in fundo proprio sui patrimonii, videlicet in loco vocato *sancta Maria de Cabilone* in Civitate Cabilonen. Monasterium Sororum Ordinis sanctæ Cla- Margarita de sancta Cruce Monast. ædificat.

Claræ proponit de bonis propriis construi, facere & dotare cum officinis necessariis, juxta suarum exigentiam facultatum.

Et petit in eodem Sorores deputandi facultatem.

§. III. Quare præfata Nobilis nobis humiliter supplicavit, ut sibi faciendi præmissa, & quod ipsa, postquam hujusmodi Monasterium fundatum fuerit & dotatum, posset prima vice honestas Sorores & idoneas in dicto Monasterio deputare, juxta facultates assignandas eidem, includendas in eo, juxta dicti Ordinis Instituta, faceremus, auctoritate Apostolica, licentiam liberam elargiri, & præfici eidem Monasterio Abbatissam personam idoneam, quam dicta Nobilis duceret nominandam.

Quæ committitur Episcopo.

§. IV. Nos igitur piis votis ejusdem Nobilis in hac parte favorabiliter annuere intendentes, gerentes quoque de tuæ circumspectionis industria in his & aliis fiduciam in Domino specialem, fraternitati tuæ per Apostolica scripta committimus, & mandamus, quatenus eidem Nobili, dote sufficienti per eam prius eidem construendo Monasterio assignata, pro Abbatissæ & Sororum instituendarum inibi sustentatione, ac aliis omnibus supportandis, faciendi præmissa postulata per eam, auctoritate Apostolica, licentiam largiaris, sine juris præjudicio alieni, & præficias hac vice dumtaxat dicto Monasterio, postquam constructum fuerit & dotatum, in Abbatissam personam idoneam, quam eadem fundatrix tibi duxerit nominandam, faciens personam eamdem, juxta instituta benedici prædicta, & sibi a suis subditis obediri humiliter & intendi, contradictores per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, non obstante si aliquibus communiter vel divisim a Sede Apostolica sit indultum, quod interdici suspendi, & excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Datum Aven. x. Kalend. Aprilis anno xi.

LXXIII.

Ne cogant Clarissas regni Poloniæ solvere decimas. Ex tomo 1. epist. 43.

Andreæ de Verulis Wratisbonen. & Petro de Avernia Noviomen. Ecclesiarum Can. Apostolicæ Sedis Nunciis.

§. I. EX gravi conquestione dilectarum in Christo filiarum Abbatissarum & Sororum Ordinis sanctæ Claræ in Regno Poloniæ degentium nuper accepimus, quod licet ipsæ, ac Monasteria & loca earum ab omnibus actionibus Romanæ Ecclesiæ per privilegia Sedis Apostolicæ sint exempta, vos tamen ad solvendum decimam sexennalem olim per felic. record. Clementem Papam V. prædecessorem nostrum impositam in Concilio Viennen. pro subsidio Terræ Sanctæ, & alias contra rebelles & inimicos fidei Catholicæ dispensandam, auctoritate litterarum nostrarum vobis super collectione decimæ supradictæ in eodem Regno directarum, prædictas Abbatissas & Sorores pro Monasteriis & locis suis compellere, ipsasque molestare, occasione hujusmodi, multipliciter nitimini, sicut pro parte ipsarum asseritur, minus juste.

§. II. Nostræ igitur & ejusdem provisionis remedio super his humiliter postulato, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel alter vestrum, si easdem Abbatissas & Sorores ad præstationem hujusmodi decimæ pro Monasteriis & locis suis, per eadem privilegia repereritis non teneri, a compulsione ac molestatione prædictis penitus desistatis.

Datum Aven. III. Non. Aprilis anno XI.

LXXIV. *Ut*

LXXIV.

Ut possint domum suam transferre in aliam partem. Ibid. ex tomo 2. epist. 1456.

Dilectis filiis Guardiano & Conventui Ordinis Minorum Castri de Casinis Aquen. Diœcesis.

AD ea, quæ vestræ tranquillitatis & pacis augmentum respiciunt, sollicitis studiis intendentes, ex certis causis, quæ ad id animum nostrum induxerunt, quod locum Castri de Casinis Aquen. Diœc. in quo nunc degitis, dimittere, ac infra Castrum ipsum alium locum sine Parochialis Ecclesiæ, & cujuslibet alterius juris præjudicio alieni, recipere valeatis fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri, & qualibet alia constitutione contraria non obstante, plenam & specialem auctoritate Apostolica vobis licentiam impartimur. Nulli ergo, &c. nostræ concessionis, &c.

Datum Avenion. xii. Kalend. Maii anno xi.

LXXV.

Ut Monasterium Clarissarum Castri Gontiani gaudeat privilegiis & exemptionibus aliorum Monasteriorum. Ibid. epist. 1434.

Venerabili Fratri Archiepiscopo Acheruntin.

§. I. PIis desideriis devotorum gratum nos decet præstare consensum, & ea quæ augmentum religionis cultusque divini respiciunt, ut votivum consequantur effectum, favore prosequi gratioso.

§. II. Sane pro parte dilectæ in Christo filiæ nobilis mulieris Aquilinæ de Montecolicola, Dominæ Castri Gontiani, tuæ Diœcesis, petitio continebat nobis exhibita, quod ipsa spiritu caritatis accensa, quoddam Monasterium cum oratorio in eodem Castro in fundo proprio sub vocabulo sanctæ Mariæ Annunciatæ de bonis propriis construi fecit, & in hoc tuum præstitisti consensum, jura Archiepiscopalia tibi & successoribus tuis Archiepiscopis Acheruntinis, qui erunt pro tempore, in dicto Monasterio specialiter reservando, & quod dictum Monasterium de bonis propriis competenter dotavit, & vult in eo ponere Moniales Ordinis sanctæ Claræ numero octo servantes regulam ordinatam per felic. record. Innocentium Papam IV. prædecessorem nostrum, quæ sancti Damiani ab aliquibus nuncupatur, & duos Fratres Minores, qui earum confessiones audiant, & eisdem Monialibus divina celebrent in oratorio Monasterii memorati, quibus necessaria de bonis eisdem ministrentur, cum sint sufficientia ad vitam Fratrum & Monialium prædictarum; & præfatæ Moniales per Ministrum Provincialem Ordinis Fratrum Minorum visitentur, & corrigantur, prout est in aliis Monasteriis similibus consuetum, jure quocumque debito ab aliis Monasteriis, in quibus observatur eadem regula sanctæ Claræ, Diœcesano eorum, tibi & successoribus tuis prædictis in eodem tantummodo reservato.

Aquilina de Montecolicola Monast. fundatrix.

Debent Moniales Regulam sanctæ Claræ profiteri & subesse Minorum regimini.

§. III. Quare pro parte dictæ Nobilis nobis fuit humiliter supplicatum, ut tibi quod Moniales in eodem Monasterio creandæ & moraturæ ordinari valeant, servantes dictam regulam sanctæ Claræ, & quod privilegia libertatum & immunitatum dicto Ordini sanctæ Claræ a prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus concessa habeant, prout aliis Monasteriis similibus est indultum, auctoritate Apostolica concedere dignaremur.

§. IV. Nos

Aliorum Monaster. conceduntur exemptiones.

§. IV. Nos igitur piis votis ejusdem Nobilis clementer annuere intendentes, ac gerentes de tuæ probitatis industria in his & aliis fiduciam in Domino specialem, hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuæ per Apostolica scripta committimus, & mandamus, quatenus si est ita, tu juribus Episcopalibus, quæ competunt Episcopis in aliis Monasteriis Monialium ejusdem Ordinis sanctæ Claræ, contentus existens, pro parte dictæ Nobilis postulata, Apostolica eidem auctoritate concedas, & eidem Monasterio auctoritate prædicta, indulgeas, quod ipsum Monasterium & personæ degentes in eo nunc & imposterum semper gaudeant omnibus exemptionibus, privilegiis, libertatibus & immunitatibus, quibus alia Monasteria Sororum dicti Ordinis sanctæ Claræ perfrui dignoscuntur.

Datum Aven. XVIII. Kalend. Maii anno XI.

LXXVI.

Ut liceat Clarissis Amiliani Monasterium transferre. Ex tomo 2. epist. 1719.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. Quia personas religiosas eo majori prosequi favore debemus, quo devotiori placere Domino student famulatu, libenter eis illa, sollicitudine paterna concedimus, per quæ ipsorum religio laudabile suscipere valeat, auctore Domino, incrementum. Sane oblata nobis pro parte dilectarum in Christo filiarum Abbatissæ & Conventus Monasterii de Amiliano Ordinis sanctæ Claræ Ruthenen. Diœc. petitio continebat, quod dudum propter inundationem cujusdam fluvii defluentis prope locum earum, juxta villam de Amiliano dictæ Diœc. consistentem, eis submersionis periculum sæpius formidantibus, tamdem gravissima inundatione ejusdem fluminis occurrente, eas necessario deserere opportuit locum ipsum.

§. II. Quare pro parte ipsarum nobis extitit humiliter supplicatum, ut locum, qui fuit hactenus Fratrum quondam Ordinis de Sacco dicti, alias de Pœnitentia, in villa eadem situatum, & a multis annis desertum, cujus loci dispositio & ordinatio juxta statuta Lugdunen. Concilii ad Sedem Apostolicam noscitur pertinere, cum ejus oratorio, ac omnibus juribus, & pertinentiis suis, auctoritate Apostolica, eis gratiose donare & concedere in perpetuum dignaremur.

§. III. Nos itaque de valore & conditione dictorum locorum, ac necessitate earum & aliis supradictis plenius informati, hujusmodi periculis, quantum cum Deo possumus, occurrere, earumdemque Abbatissæ & Conventus necessitatibus benigne in hac parte providere volentes, ipsarum supplicationibus inclinati, locum præfatum dicti Ordinis quondam de Pœnitentia, cum ejus oratorio, cæmeterio domibus, officinis, horto ac domibus, bonis, juribus & pertinentiis suis eidem Abbatissæ & Conventui auctoritate prædicta in perpetuum de speciali gratia concedimus & donamus, transferendi quoque se ex nunc ad dictum locum de Pœnitentia, & apprehendendi auctoritate propria possessionem corporalem ipsius, & degendi perpetuis futuris temporibus in eodem, & dictum primum locum earum cum ejus juribus, & pertinentiis vendendi & alienandi, ac pretium, quod eas ex ipso priori loco continget recipere, in reparationem, & utilitatem præfati alterius secundi loci licite convertendi, fœl. rec. Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri, & quacumque alia constitutione contraria non obstante, exhumandi etiam cum honestate debita de dicti primi loci cæmeterio ossa & corpora defunctorum inibi sepultorum, eaque ad dicti secundi loci cæmeterium transfe-

ferendi inibi tumulanda, eisdem Abbatissæ & Conventui tenore præsentium plenam & liberam licentiam impartimur: Ecclesia tamen seu oratorio ac cæmeterio dicti loci prioris cum decem cannis terræ quadratis, ab eadem Ecclesia seu oratorio vel cæmeterio mensurandis dumtaxat exceptis: quam quidem Ecclesiam, seu oratorium, cum cæmeterio ac decem cannis Terræ prædictis Prioratui Ecclesiæ de Amiliano Ordinis sancti Benedicti dictæ Dioec. in cujus Parochia prædictus prior locus situatus esse dignoscitur, auctoritate eadem in perpetuum, tenore præsentium concedimus, connectimus, & unimus; volentes quod Prior Prioratus ejusdem possit corporalem possessionem dictorum Ecclesiæ, seu oratorii, & cæmeterii cum cannis prædictis per se vel alium seu alios post translationem hujusmodi, auctoritate propria libere apprehendere, & licite retinere, cujusquam licentia minime requisita; ita tamen quod ipse Prior, qui est, & erit pro tempore dicti Prioratus, hujusmodi Ecclesiam seu oratorium ac cæmeterium dicti loci prioris manutenere decenter, ac singulis diebus Dominicis, & festivis præcipuis in eadem Ecclesia, seu oratorio dicti loci prioris per Sacerdotem idoneum missam celebrari facere perpetuo teneatur, ad quorum observantiam per Ordinarium loci volumus Priorem qui est, & erit pro tempore Prioratus prædicti, si opus fuerit, per censuram Ecclesiasticam, appellatione cessante, præfata auctoritate compelli. Non obstante si Priori dicti Prioratus, qui est, & erit pro tempore, vel aliquibus aliis communiter vel divisim a Sede sit indultum præfata, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Nulli ergo, &c. nostrarum concessionum, donationum, connexionis & voluntatis, &c.

Datum Avenione Kalend. Maii an. xi.

LXXVII.

Fit administrator Ecclesiæ Cumanæ. Ex secret. anni xi. fol. 38.

Lucæ de Castello de Ordine Fratrum Minorum, Administratori Ecclesiæ Cuman. in spiritualibus & temporalibus, auctoritate Apostolica deputato.

§. I. Dudum de statu Ecclesiæ Cumanæ sollicite cogitantes, & intendentes, cum eam primo vacare contingeret, talem eidem personam præfici per Apostolicæ Sedis providentiam, circumspectam, quæ posset eidem præesse utiliter Ecclesiæ & prodesse, ipsius provisionem Ecclesiæ dispositioni nostræ, & Sedis ejusdem ea vice duximus specialiter reservandam, decernentes irritum & inane, si secus per quoscumque scienter vel ignoranter super his contingeret attentari.

§. II. Sane cum eadem Ecclesia per obitum bonæ memoriæ Leonis Episcopi Cuman. vacet ad præsens, & diu vacaverit, nullusque præter nos possit seu potuerit de provisione ipsius Ecclesiæ se hac vice intromittere, obstantibus reservatione & decreto prædictis, nos præcavere dictæ Ecclesiæ indemnitatibus cupientes, & de tuæ circumspectionis industria plenam in Domino fiduciam obtinentes, te administratorem ipsius Ecclesiæ in spiritualibus & temporalibus auctoritate Apostolica, usque ad nostrum & Apostolicæ Sedis beneplacitum deputamus, faciendi, ordinandi, mandandi, gerendi, exercendi, exequendi omnia & singula, quæ ad hujusmodi administrationis officium pertinere noscuntur, alienatione bonorum immobilium ejusdem Ecclesiæ tibi penitus interdicta, nec non contradictores & rebelles quos-

quoslibet per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendi, plenam & liberam tibi concedimus tenore præsentium facultatem.

Datum Avenione VIII. Kal. Junii an. XI.

LXXVIII.

Ut concedat facultatem ædificandi domum Minoritarum in Castro Montisvarchi. Ex tomo 3. epist. 2582.

Dilecto filio Joanni sancti Theodori Diacono Cardinali, Apostolicæ Sedis Legato.

§. I. Tua & dilecti filii magnifici viri Caroli, carissimi in Christo filii nostri Roberti Regis Siciliæ Illustris primogeniti, Ducis Calabriæ, supplex habet instantia, per litteras nobis facta, ut dilectis filiis communi Castri de Monte-varchi Fesulanæ Dioec. auctoritate nostra ædificandi de novo eorum sumptibus, & expensis in territorio ejusdem Castri ad divinum cultum locum Fratribus Ordinis Minorum, qui pro tempore inibi degerent deputandum, Dioecesani reservato super hoc beneplacito & assensu, facultatem plenariam benigne concedere dignaremur.

§. II. Nos autem hujusmodi supplicationibus inclinati, ac gerentes in his & aliis de tuæ circumspectionis industria plenam in Domino fiduciam specialem, discretioni tuæ per Apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus habilitate prædicti loci, & an religiosi alii dicti vel alterius Ordinis propinqui, vel remoti existant, & aliis, quæ circa hæc attendenda fuerint, diligenter attentis, facias super his, quod secundum Deum videris expedire.

Datum Avenione VIII. Idus Junii an. XI.

LXXIX.

Ut gaudeant omnibus privilegiis aliis Clariss concessis. Ex lib. 3. anni XII. epist. 2801.

Dilectis in Christo filiabus Abbatissæ & conventui Monasterii sanctæ Claræ Nemausen. Ordinis ejusdem Sanctæ.

Speciosus forma, &c. *Potioribus libertatibus communire.* Hinc est, quod nos vestris devotis supplicationibus inclinati, ut omnibus privilegiis dilectis in Christo filiabus, Abbatissæ & Conventui Monasterii sanctæ Claræ Avenionen. ejusdem Sanctæ, sive sancti Damiani Ordinum a præfata Sede concessis, gaudere & uti libere valeatis, vobis auctoritate præsentium, de speciali gratia indulgemus. Nulli ergo, &c. nostræ concessionis, &c.

Datum Avenione Kal. Septembris an. XII.

LXXX.

Transfertur ad Ecclesiam Tergestinam. Ex lib. 1. epist. 186.

Venerabili fratri Guillelmo Episcopo Tergestin.

Vide Constit. 19. hujus Pontif. Tom. 6. fol. 493.

§. I. Romani Pontificis &c. *Prosperitatis successibus gratulentur.* Dudum siquidem Ecclesia Tergestin. per obitum bon. mem. Rodulphi Episcopi Tergestin. qui debitum in istis partibus naturæ persolvit, pastoris solatio destituta, duas in ea electiones, una videlicet de dilectis filiis Justo Archidiacono Tergestin. & aliam de Guidone de Villata Canonico Aqui-

Aquilegien. per dilectos filios Capitulum ejusdem Ecclesiæ contigit in discordia celebrari, ac inter eosdem Archidiaconum & Canonicum super ipsis electionibus, coram Venerabili fratre nostro Patriarcha Aquilegien. loci Metropolitano, auctoritate Metropolitica materia quæstionis exorta, & negotio hujusmodi, post nonnullos processus coram eodem Patriarcha in illo habitos, per appellationem dicti Justi ad Sedem Apostolicam legitime devoluto, ipsoque negotio coram nobis exposito, nos causam appellationis hujusmodi, & negotii principalis, bonæ memoriæ Berengario Episcopo Portuen. primo, & eo sublato de medio, Petro tituli sancti Stephani in Celio monte Presbytero tunc viventibus, & postea dilectis filiis nostris Joanni sancti Theodori, ac demum Gullhardo sanctæ Luciæ in Silice Diaconis Cardinalibus, ex certis causis duximus committendam, coram quibus successive præfato Archidiacono dictum negotium prosequente, in contumaciam ejusdem Canonici, qui pro ipsius negotii prosecutione ad dictam Sedem personaliter venire, vel mittere, juxta juris exigentiam non curavit, diversi processus habiti extiterunt.

Duæ electiones celebratæ a discordi Capitulo.

Delegatio pluribus Cardinalib. data.

§. II. Interim autem coram dicto Joanne pendente negotio antedicto, volentes dictam Ecclesiam a dispendiis, quæ incurrerat ex vacatione hujusmodi, præservare, præfatam Ecclesiam bonæ memoriæ Gregorio Feltrien. & Belunen. Episcopo ex causa legitima duximus committendam, usque ad beneplacitum dictæ Sedis, curam & administrationem ipsius plenam & liberam sibi tam in spiritualibus, quam in temporalibus committendo, quas cum ipse aliquandiu exercuisset, rebus extitit humanis exemptus, dictusque Archidiaconus medio tempore sine licentia nostra de Curia Romana recessit, nondum finito negotio memorato.

Et interim Ecclesia Episcop. Belun. committitur.

§. III. Nos igitur attendentes, quod tam dictus Canonicus pro eo, quod ad dictam Sedem non venit, nec misit, omni jure, si quod ei per electionem hujusmodi suam competebat, si qua fuerat, eo ipso privatus existit, quam electio prædicta ipsius Archidiaconi ex eo, quod ipse sine dicta licentia de Curia ipsa recessit hujusmodi negotio non finito, prout superius est expressum, de jure, ipso facto est viribus, si quas habebat, penitus vacuata, ac volentes, ne prædicta Ecclesia detrimenta, ob ulteriorem ejus vacationem incurreret, ut sub umbra sui sponsi proprii gubernetur, & lætetur, post deliberationem, quam cum Fratribus nostris super hoc habuimus diligentem, in te tunc Episcopum Sagonen. consideratis virtutum meritis, & donis etiam gratiarum, quibus personam tuam divina bonitas, prout testimoniis fide dignis accepimus, insignivit, intuitum direximus nostræ mentis, speque concepta in Domino, quod tu, qui Ecclesiæ Sagonen. diu laudabiliter præfuisti, eamdem Ecclesiam Tergestinam utiliter & salubriter gubernabis, te a vinculo, quo eidem Ecclesiæ Sagonen. cui tunc præeras, de dictorum Fratrum consilio, & Apostolicæ potestatis plenitudine absolventes, te ad dictam Ecclesiam Tergestinam, de plenitudine & consilio prædictis transferimus, teque ipsi præficimus in Episcopum & pastorem, curam & administrationem illius tibi tam in spiritualibus, quam in temporalibus committendo, liberamque tibi tribuendo licentiam ad eamdem Tergestinam Ecclesiam transeundi, in eo, qui bonorum largitor est omnium, confidentes, quod dextera Domini tibi assistente propitia prædicta Ecclesia Tergestin. sub felicis regiminis tui cura optata honoris & commodi suscipiet incrementa.

Privatur electus juribus.

Et Fr. Guillelm. ad hanc Sedem transfertur.

§. IV. Quocirca fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad eamdem Ecclesiam Tergestinam, cum gratia nostræ benedictionis accedens, in ejus ampliandis honoribus, & profectibus procurandis, te gerere

Et commendatur fidele regimen.

rere satagas sollicitum & fidelem, præficiendo etiam inibi tibi per vitæ meritum, & aliis per exemplum, ita quod ipsa Ecclesia Tergestina pastori utili, & fructuoso administratori evidenter & efficaciter gaudeat se commissam, tuque præter æternæ retributionis præmium a nobis & eadem Sede continuum benedictionis & gratiæ merearis percipere incrementum.

Datum Avenion. VII. Kalend. Octobris anno XII.

LXXXI.

Conceditur eis facultas ut possint absolvi a quibuscumque peccatis bis in vita. Ibid. epist. 143.

Dilectis in Christo filiabus Abbatissæ & Conventui Monasterii sanctæ Mariæ de Petra-Alba, Ordinis sanctæ Claræ, Barchinonen. diœc.

Religionis observantia, cui vos, mundanis relegatis illecebris, per semitas incedendo virtutum, pro Christi gloria deputastis, nos excitat & inducit, ut illa vobis favorabiliter concedamus, per quæ, sicut pie desideratis, conscientiæ pacem, & salutem animæ, Deo propitio, consequi valeatis. Hinc est, quod nos vestris supplicationibus inclinati, ut confessor seu confessores vestri, quem vel quos duxeritis eligendos, semel in mortis articulo omnium peccatorum, de quibus corde contritæ & ore confessæ fueritis, eam plenam remissionem, quam Romani Pontifices consueverunt interdum per speciale privilegium aliquibus impertiri, vobis & vestrarum cuilibet, quæ in eodem Monasterio degitis ad præsens, quatenus claves Ecclesiæ se extendunt, & gratum in oculis divinæ majestatis extiterit, auctoritate Apostolica concedere valeant, devotioni vestræ, tenore præsentium, indulgemus, sic tamen quod idem confessor, seu confessores de iis, de quibus fuerit alteri satisfactio impendenda, eam vobis per vos, si supervixeritis, vel per alios, si tunc foras transieritis, faciendam injungat, seu injungant, quam vos vel illi teneamini facere, ut præfertur. Nulli ergo &c. nostræ concessionis &c.

Datum Avenion. XV. Kalend. Novembris anno XII.

LXXXII.

Ut gaudeant omnibus privilegiis concessis reliquis Clarissis. Ibid. epist. 140.

EIDEM.

Religionis observantia, cui vos, mundanis relegatis illecebris, per semitas incedendo virtutum, pro Christi gloria deputastis, adeo vobis Apostolicæ Sedis gratiam promeretur, ut ea quæ cum Deo & honeste possumus, vobis favore benevolo concedamus. Ut igitur eo libentius, & quietius divinis vacetis operibus, quo spiritualibus fueritis privilegiis ejusdem Sedis communitæ, carissimorum in Christo filiorum nostrorum Jacobi Regis, & Elisendis Reginæ Aragonum illustrium, qui Monasterium vestrum de novo fundasse & dotasse dicuntur, ac vestris supplicationibus inclinati, omnia privilegia exemptionis, & immunitatis aliis Sororibus dicti Ordinis concessa, ad vos & dictum Monasterium extendentes, volumus & auctoritate Apostolica decernimus, quod illis uti possitis, ac si in eis de Monasterio ipso expressa mentio haberetur. Nulli ergo nostræ extensionis, voluntatis, & constitutionis &c.

Datum Avenion. XV. Kal. Novembris anno XII.

LXXXIII.

Conceduntur Indulgentiæ visitantibus Ecclesiam Monasterii Clarissarum de Petra-alba. Ibid. epist. 141.

Universis Christifidelibus.

§. I. Dum præcelsa meritorum insignia, quibus Regina cœlorum Virgo Dei genitrix gloriosa sedibus prælata sidereis, quasi stella matutina prærutilat, devotæ considerationis indagine perscrutamur, dum etiam infra pectoris arcana revolvimus, quod ipsa, utpote mater misericordiæ, mater gratiæ, pietatis amica, humani generis consolatrix, pro salute fidelium, qui delictorum onere prægravantur, sedula exoratrix, & pervigil ad Regem, quem genuit, intercedit, dignum quin potius debitum arbitramur, ut Ecclesias in sui honorem nominis dedicatas gratiosis remissionum prosequamur impendiis, & indulgentiarum muneribus honoremus.

§. II. Cupientes igitur, ut Ecclesiam Monasterii sanctæ Mariæ de Petra-alba Ordinis sanctæ Claræ Barchinonen. diœcesi. quod per carissimos in Christo filios nostros Jacobum Regem, & Elisendem Reginam Aragonum illustres, de novo fundatum dicitur & dotatum, congruis honoribus frequentetur, de omnipotentis Dei misericordia & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus vere pœnitentibus, & confessis, qui devote eamdem Ecclesiam in quatuor ipsius beatæ Virginis, ac sancti Francisci, & ejusdem sanctæ Claræ festivitatibus centum, illis vero qui per octavas dictarum festivitatum Ecclesiam ipsam devote annuatim visitaverint, singulis videlicet ipsarum festivitatum & octavarum diebus quadraginta dies de injunctis eis pœnitentiis misericorditer relaxamus.

Datum Avenion. xv. Kalend. Novembris anno xii.

LXXXIV.

Ut subministret Fratres cultui divino in prædicto Monasterio celebrando. Ibid. epist. 142.

Dilecto filio Guardiano Fratrum Ordinis Minorum Barchinonen.

Attendentes puram & sinceram devotionem carissimorum in Christo filiorum nostrorum Jacobi Regis & Elisendis Reginæ Aragonum illustrium, quam habent ad Monasterium Monialium sanctæ Mariæ de Petraalba Ordinis sanctæ Claræ Barchinonen. Diœc. per eos, ut asseritur, de novo fundatum pariter & dotatum, ac ad augendum ibidem cultum divinum, prout tenentur, intentis desideriis aspirantes, discretionem tuam rogamus, monemus, & hortamur attente, tibi nihilominuus per Apostolica scripta mandantes, quatenus ob divinam ac nostram, & ipsorum Regis & Reginæ reverentiam, qui nobis super hoc supplicarunt, & ut divinum officium ibidem solemnius celebretur, in quatuor beatæ Mariæ, ac sancti Francisci, & ejusdem sanctæ Claræ, & aliorum Sanctorum, sub quorum vocabulo in Ecclesia ejusdem Monasterii altaria erecta sunt, & erigentur imposterum festivitatibus, quatuor Fratres Ordinis Minorum ad Monasterium præfatum, quod per unam leucam modicam dumtaxat a Civitate Barchinonen. distare dicitur, mittere studeas, cum per ipsius Monasterii Abbatissam, quæ erit pro tempore, fueris requisitus.

Datum Avenione xv. Kal. Novembris anno xi.

LXXXV.

Transfertur ad Ecclesiam Vencienfem. Ex tom. 1. an. 13. epist. 94.

Venerabili fratri Raymundo Episcopo Vencien.

§. I. ANgit nos cura propensior, & multifarie multisque modis ab intimis excitamur, ut circa cujuslibet statum Ecclesiæ sic attente prospicere, sic excogitare sollicite studeamus, ut per nostræ vigilis attentionis instantiam, nunc per simplicis provisionis officium, nunc vero per translationis ministerium studiosum, prout locorum, personarum & temporum qualitas exigit, & utilitas persuadet, Ecclesiis singulis pastor accedat idoneus, Rector providus deputetur, ut superni favoris auxilio eædem Ecclesiæ lætis foveantur eventibus, & successibus prosperis gratulentur.

§. II. Nuper siquidem vacante Vencien. Ecclesia pro eo, quod nos Venerabilem fratrem nostrum Fulionem Tolonen. tunc Vencien. Episcopum licet absentem a vinculo, quo tenebatur eidem Ecclesiæ Vencien. cui tunc præerat, de Fratrum nostrorum consilio, & Apostolicæ potestatis plenitudine absolventes, ipsum ad Tolonen. Ecclesiam tunc vacantem duximus transferendum, præficiendo eum dictæ Tolonen. Ecclesiæ in Episcopum & pastorem.

§. III. Nos volentes eidem Vencien. Ecclesiæ, ne dispendia prolixæ vacationis incurreret, paterna sollicitudine præcavere, cum nullus præter nos hac vice de ipsius Ecclesiæ Vencien. ordinatione se intromittere posset pro eo, quod nos diu ante vacationem hujusmodi Ecclesiæ Vencien. omnes Ecclesias Cathedrales &c. *attentari contingeret*, ac ad provisionem ipsius Ecclesiæ Vencien. celerem & fœlicem sollicitis studiis intendentes & cupientes talem eidem Vencien. Ecclesiæ præesse pastorem, qui sciret, vellet & posset eam in suis conservare juribus, & etiam adaugeri, post deliberationem, quam super his cum eisdem Fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te tunc Vigintimillien. Episcopum, consideratis grandium virtutum meritis, quibus personam tuam Dominus insignivit, & quod tu, qui eidem Vigintimillien. Ecclesiæ hactenus laudabiliter præfuisti, dictam Vencien. Ecclesiam scies & poteris salubriter gubernare, direximus oculos nostræ mentis.

§. IV. Intendentes itaque tam gregi Dominico, quam eidem Vencien. Ecclesiæ utiliter providere, te a vinculo quo tenebaris præfatæ Vigintimillien. Ecclesiæ, cui tunc præeras, de dictorum Fratrum consilio & Apostolicæ potestatis plenitudine absolventes, te ad præfatam Vencien. Ecclesiam transferimus, teque illi præficimus in Episcopum & pastorem, curam & administrationem ipsius Ecclesiæ Vencien. tibi tam in spiritualibus, quam in temporalibus plenarie committendo, liberamque tibi dando licentiam, ad præfatam Vencien. Ecclesiam transeundi, firma spe, fiduciaque conceptis, quod dextera Domini tibi assistente, præfata Vencien. Ecclesia per tuæ industriæ & circumspectionis fructuosum studium regetur utiliter, & prospere dirigetur. Quocirca fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad præfatam Vencien. Ecclesiam cum gratia nostræ benedictionis accedens, curam & administrationem prædictas sic diligenter geras &c. *uberius consequi merearis*.

Datum Avenion. VIII. Idus Septembris anno XII.

LXXXVI.

LXXXVI.

Præficitur Ecclesiæ Nucerinæ. Ex libr. t. ann. 12. epist. 341.

Dilecto filio Alexandro Electo Nucerino.

§. I. AD exequendum pastoralis officii debitum vigilantibus studiis intendentes, circa statum Ecclesiarum vacantium aciem attentæ considerationis solerter extendimus, & de ipsarum profectibus sollicite cogitamus, opem & operam, prout utilius fore perpendimus, diligentius impendentes, ut per Rectores providos eædem Ecclesiæ gubernentur, ac per eruditos ministros in spiritualibus fulgeant, & per dispensatores prudentes in temporalibus augeantur.

§. II. Olim siquidem ex certis rationalibilibus causis, quæ ad id animum nostrum induxerunt, provisiones omnium Ecclesiarum Cathedralium in Terris ad nos & Romanam Ecclesiam spectantibus consistentium, tunc vacantium & vacaturarum in antea, ordinationi & dispositioni nostræ, & dictæ Sedis Apostolicæ, usque ad nostrum & ipsius Sedis beneplacitum tunc duximus reservandas, decernentes ex tunc irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contingeret attentari. Postmodum vero Nucerina Ecclesia eidem Romanæ Ecclesiæ immediate subjecta, & in terra spectante immediate ad dictam Romanam Ecclesiam constituta, per obitum bon. mem. Joannis Episcopi Nucerin. qui in partibus illis diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, nos ad provisionem ipsius Nucerin. Ecclesiæ celerem & fidelem, de qua nullus præter nos se intromittere potest, reservatione & decreto prædictis obstantibus, paternis & sollicitis studiis intendentes, ac cupientes talem eidem Ecclesiæ præesse personam, quæ curet, & possit eamdem præservare a noxiis & adversis, ac in suis manutenere juribus, & etiam augmentare, post deliberationem, quam super his cum Fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Minorum professorem, Pœnitentiarium nostrum, quem litterarum scientia præditum, conversationis & morum honestate decorum, & discretionis & consilii maturitate dotatum, in spiritualibus providum, & providentia circumspectum, aliisque virtutum meritis multipliciter novimus insignitum, direximus oculos nostræ mentis, quibus omnibus attenta meditatione pensatis, de persona tua nobis & eisdem Fratribus, ob hujusmodi tuorum exigentiam meritorum accepta, præfatæ Nucerinæ Ecclesiæ, de ipsorum Fratrum consilio, auctoritate Apostolica, providemus, teque illi præficimus in Episcopum & pastorem, curam & administrationem ipsius Ecclesiæ Nucerin. tibi tam in spiritualibus, quam in temporalibus plenarie committendo, firma concepta fiducia, quod dirigente Domino gressus tuos, tuaque studia prosequente, præfata Ecclesia Nucerin. per tuæ providæ circumspectionis industriam, & providentiam circumspectam, in utrisque feliciter & prospere dirigetur. Jugum igitur Domini tuis impositum humeris &c. *laudibus commendare*.

Datum Avenion. xv. Kalend. Decembris anno xii.

LXXXVII.

LXXXVII.

Ne solvant de suis possessionibus decimas. Ex lib. 1. an. 12. ep. 413.

Dilectis in Christo filiabus Abbatissæ & Conventui Monasterii sanctæ Claræ Sistar. Ordinis sancti Damiani.

§. I. PIetatis opera, cujus observantiæ vos pro Christi gloria deputastis, adeo vobis Apostolicæ Sedis gratiam promerentur, ut ea, quæ cum Deo & honestate possumus, vobis favore benevolo concedamus.

§. II. Ea propter, dilectæ in Christo filiæ, vestris justis supplicationibus inclinati, ut de terris & possessionibus vestris, quas propriis sumptibus excoli facitis, vel aliis conceditis excolendas, nulli decimas solvere teneamini, nec aliquis ad id vos coarctare valeat, nisi vos ad alium Ordinem transiveritis, auctoritate præsentium indulgemus. Nulli ergo nostræ concessionis &c.

Datum Avenione x. Kal. Januarii anno xii.

LXXXVIII.

Neque procurationes Legatorum Sedis Apostolicæ. Ibidem epist. 414.

Eisdem.

§. I. PAupertati vestræ, quam voluntarie propter Deum sustinetis, ac quieti, paterna in posterum sollicitudine providere volentes, auctoritate vobis præsentium indulgemus, ut vos ad præstationem procurationum Legatorum Sedis Apostolicæ, vel Nuntiorum ipsius, aut exactionum vel collectarum seu subsidiorum, quorumcumque minime teneamini, nec ad ea solvenda per litteras dictæ Sedis, seu Legatorum, Rectorum, vel Nunciorum ejusdem cujuscumque tenoris existant, aut cujuscumque auctoritate, compelli minime valeatis.

§. II. Nos enim decernimus irritas & inanes interdicti, suspensionis, & excommunicationis sententias, si quas propter hoc in vos, vel in vestrum aliquas, aut Monasterium vestrum imposterum contigerit promulgari. Nulli ergo nostræ concessionis, & constitutionis &c. Datum ut supra.

LXXXIX.

Ut gaudeant privilegiis concessis Fratribus Minoribus. Ibidem epist. 415.

Eisdem.

DEvotionis vestræ precibus inclinati, ut privilegiis & indulgentiis Ordini Fratrum Minorum ab Apostolica Sede concessis, competentibus vobis, uti possitis auctoritate vobis præsentium indulgemus. Nulli ergo nostræ concessionis &c. Datum ut supra.

XC.

Ut liberam habeant sepulturam. Ibidem epist. 416.

Eisdem.

DEvotionis vestræ precibus inclinati, sepulturam Ecclesiæ vestræ, sine alieni juris præjudicio, liberam esse decernimus, ut eorum devotioni & extre-

& extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, dummodo excommunicati vel interdicti, aut publice usurarii non fuerint, nullus obsistat, salvis tamen canonica justitia & parochiali jure illarum Ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Nulli ergo &c. nostræ constitutionis &c. Datum ut supra.

XCI.

Ut possint hæreditare. Ibidem epist. 417.

Eisdem.

Devotionis vestræ precibus inclinati, auctoritate vobis præsentium indulgemus, ut possessiones & alia bona mobilia & immobilia, quæ liberas personas Sororum vestrarum, mundi relicta vanitate, ad Monasterium vestrum convolantium, & professionem facientium in eodem, jure successionis, vel alio justo titulo, si remansissent in seculo, contigissent, & libere potuissent aliis erogare, exceptis rebus feudalibus, exigere, petere, ac retinere libere valeatis. Nulli ergo &c. nostræ concessionis &c. Datum ut supra.

XCII.

Præficitur Ecclesiæ Callen. Ex tomo 2. epist. 1559.

Dilecto filio Alberto de Sicardis, electo Callen.

§. I. Susceptí cura regiminis assidua pulsat instantia mentem nostram, ut sollicitudinis debitum, ad quod cunctis Orbis Ecclesiis nos Apostolicæ servitutis necessitas obligat circa earum singulas exolvamus, sed strictius a nobis exigitur, ut de statu prospero illarum Ecclesiarum propensius cogitemus, quæ ad Romanam Ecclesiam nullo pertinent mediante, ut ipsis Ecclesiis, præsertim cum suis propriis Pastoribus carere noscuntur, per nostræ providentiæ studium viri præficiantur idonei, earumque regimina personis talibus committantur, quæ sciant, & possint eisdem Ecclesiis præesse pariter, & prodesse. Sane dudum contra sperantiam, & quosdam alios tunc nominatim expressos olim Comites de Monte Feretro Ecclesiæ Romanæ hostes publicos, & rebelles, necnon contra quosvis alios tam clericos, & laicos complices, adjutores, valitores, sequaces, & fautores eorum, ipsis in hac parte quomodolibet adhærentes, & dantes eisdem contra dictam Ecclesiam auxilium, consilium & favorem, certos processus fecimus, & sententias duximus proferendas, ac nihilominus, si dicti Clerici sententias ipsas per certi temporis spatium in eisdem processibus & sententiis expressum, postquam ipsis publicatæ fuissent, sustinerent, eos ex tunc omnibus beneficiis Ecclesiasticis cum cura vel sine cura & dignitatibus etiamsi Pontificales existerent, auctoritate Apostolica, sententiando privavimus, ipsosque hujusmodi privationis sententiam incurrere voluimus eo ipso.

§. II. Deinde vero venerabili fratri nostro Amelio Episcopo Castren. tunc Abbati Monasterii sancti Saturnini Tolosan. Marchiæ Anconitanæ Rectori per nostras inter alia dedimus litteras in mandatis, ut per se vel alium, seu alios contra eosdem Clericos, qui post hujusmodi spatium, & publicationem processuum, & sententiarum præfatorum contrarium facere præsumpserint, quique notorii non existerent, inquisita summarie de plano sine strepitu & figura judicii veritate, omnes & singulos Clericos prælibatos, quos fuisse, seu fore tales per inquisitionem hujusmodi reperiret, omnibus bene-

beneficiis, dignitatibusque supradictis, etiamsi dignitates ipsæ Pontificales existerent, ut præfertur a nobis, ut præmittitur, privatos esse publice, & solemniter nunciaret; ad ipsius vero Amelii subsequenter audientiam deducto, quod Petrus tunc Episcopus Callen. post spatium & publicationem prædictæ sententiæ.Sperantiæ, & aliorum olim Comitum præfatorum complex, adjutor, valitor, sequax, & fautor fuerat, ipsisque adhæserat, & eis præstiterat auxilium, consilium, vel favorem, ad invadendum, occupandum & tenendum tyrannice certas Civitates & loca illarum partium tunc nominatim expressa, eidem Ecclesiæ immediate subjecta, in rebellione publica contra nos & Ecclesiam antedictam, idem Amelius contra dictum Petrum ad hoc & singulos alios actus judiciarios legitime & peremptorie vocatum, fecit super his diligenter inquiri.

§. III. Et quia per inquisitionem hujusmodi rite habitam,invenit ipsum post spatium & publicationem præfata, præmissa nequiter patravisse, ac fore culpabilem super iis,dictum Petrum, auctoritate litterarum earumdem, Episcopali dignitate & Pontificali eo ipso a nobis per processus eosdem esse privatum sententialiter declaravit, & solemniter, ac publice nunciavit, & hujusmodi processus ipsius Amelii nulla provocatione suspensus in rem transiit judicatam.

§. IV. Interim autem ante hujusmodi processum dicti Amelii, nos ex certis rationabilibus causis provisionem omnium Cathedralium Ecclesiarum in terris Ecclesiæ præfatæ immediate subjectis consistentium,tunc vacantium, & vacaturarum in antea ubicumque & quomodocumque, dispositioni nostræ ac Sedis Apostolicæ, usque ad nostrum & ipsius Sedis beneplacitum duximus reservandam, decernendo ex tunc irritum & inane, si secus super his per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attentari: attendentes igitur, quod nullus præter nos de ordinatione Callen. Ecclesiæ ad eamdem Ecclesiam Romanam nullo medio pertinentis, & in terra dictæ Romanæ Ecclesiæ consistentis,per privationem hujusmodi vacantis, se intromittere potest, reservatione ac decreto hujusmodi obsistentibus, de præficiendo eidem Ecclesiæ Callen. personam utilem cogitare cœpimus diligenter, & post deliberationem, quam cum Fratribus nostris super hoc attentam habuimus, demum ad te Ordinis Fratrum Minorum professorem in sacerdotio constitutum, cui religionis zelus, vitæ & morum honestas, litterarum scientia & alia virtutum merita, prout ex testimoniis fide dignis accepimus, laudabiliter suffragantur, intuitum direximus mentis nostræ. Quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua præfatæ Callen. Ecclesiæ,de dictorum Fratrum consilio, auctoritate Apostolica providemus, teque ipsi Ecclesiæ præficimus in Episcopum & pastorem, curam & administrationem ejusdem &c. *& prospere dirigetur*. Curam itaque regiminis præfatæ Callen.Ecclesiæ, prompta devotione suscipiens &c. *consequi uberius merearis*.

Datum Avenione II. Idus Martii anno XII.

XCIII.

Præficitur Ecclesiæ Sagonen. Ex lib. 3. ibid. epist. 2094.

Venerabili fratri Antonio Episcopo Sagonen.

Vide Const. 101. huj. Pont. tom. 6. fol. 576.

§. I. PAstoralis officii debitum &c. *salubriter gubernare*. Nuper siquidem vacante Ecclesia Sagonen. pro eo quod nos venerabilem fratrem nostrum Guillelmum Tergestinum, tunc Sagonen. Episcopum, apud Sedem

Sedem Apostolicam constitutum, a vinculo, quo ipsi Sagonen. Ecclesiæ, cui præerat, tenebatur, de fratrum nostrorum consilio & Apostolicæ potestatis plenitudine absolventes, ipsum ad Tergestinam Ecclesiam tunc vacantem, duximus transferendum, præficiendo eum illi in Episcopum & pastorem.

§. II. Nos volentes eidem Sagonen. Ecclesiæ, ne dispendia prolixæ vacationis incurreret, paterna sollicitudine providere, cum nullus præter nos hac vice de ipsius Ecclesiæ ordinatione Sagonen. se intromittere posset, pro eo, quod nos diu ante vacationem hujusmodi ipsius Ecclesiæ Sagonen. provisiones omnium Ecclesiarum Cathedralium tunc apud dictam Sedem vacantium, & in antea vacaturarum, quomodolibet apud eam dispositioni nostræ duximus reservandas, decernendo ex tunc irritum & inane, si secus super his per quoscumque, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contingeret attentari, post deliberationem quam, de præficiendo ipsi Ecclesiæ Sagonen. personam utilem, ac etiam fructuosam, habuimus cum eisdem Fratribus diligentem, demum ad te Ordinem Fratrum Minorum expresse professum, virum utique de religionis zelo, litterarum scientia, prudentia spiritualium, & providentia temporalium, aliisque virtutum meritis nobis fide dignis testimoniis commendatum, direximus oculos nostræ mentis. Quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua ipsi Sagonen. Ecclesiæ de Fratrum eorumdem consilio, auctoritate Apostolica duximus providendum, teque illi in Episcopum præfecimus & pastorem, curam & administrationem ipsius Ecclesiæ Sagonen. tibi in spiritualibus & temporalibus plenarie committendo, tibique fecimus postmodum per venerabilem fratrem nostrum Gausellinum Episcopum Albanen. munus consecrationis impendi, firma concepta fiducia, quod eadem Sagonen. Ecclesia sub tuo fœlici regimine, gratia tibi favente divina, prospere dirigetur, & salubria Deo auctore suscipiet incrementa. Quocirca fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus impositum tibi onus a Domino &c. *exinde consequi merearis*.

Datum Avenione XIII. Kal. Aprilis anno XII.

XCIV.

Ut Minores Mirandæ Auxitan. possint ampliare suum Monasterium. Ex lib.4. anno 12. epist.3408.

Dilectis filiis Priori sancti Orienti & de Baldiaco Auxitan. & Bernardo de Arbossano Pampilonen. Archidiaconis Ecclesiarum.

§. I. Significavit nobis dilectus filius nobilis vir Bernardus Comes Astariaci, quod locus Ordinis Fratrum Minorum, quem quomdam Martha ejusdem Comitis uxor, olim dum viveret, de salute propria cogitans in fundo proprio, in Castro Mirandæ Auxitan. Diœcesis fundavit, adeo arctus existit, quod Fratres ejusdem Ordinis habitantes in eo non habent sufficientem aream, seu spatium pro horto, & ad ædificandum in loco ipso eis necessarias officinas, quinimo per dilectum filium Priorem Prioratus dicti Castri Cistercien. Ordinis, & nonnullos alios impedirentur multipliciter, quo minus Fratres ipsi acquirant & valeant obtinere ampliationem & dilatationem ejusdem loci eis necessariam ad præmissa. Quare dictus Comes pro parte ipsorum Fratrum nobis humiliter supplicavit, ut circa hujusmodi ampliationem dicti loci providere eis paterna diligentia dignaremur.

§. II. Nos itaque de præmissis notitiam non habentes, discretioni vestræ per Apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus vocatis dictis

Priore & aliis, qui fuerint evocandi, nisi Prior, seu alii prælibati aliquam justam causam allegaverint, atque de ea docuerint coram nobis, quare Fratres ipsi emere, vel recipere, seu acquirere locum, seu loca, per quæ ampliare dictum locum eorum non debeant, vel non possint, vos sæpefatis Fratribus acquirendi, emendi & obtinendi licite ad ampliationem & dilatationem hujusmodi locum seu loca, quæ eis ad hoc sufficiant, quibuscumque constitutionibus contrariis nequaquam obstantibus, plenam & liberam facultatem, auctoritate Apostolica, concedatis, contradictores per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, *non obstantibus, &c. hujusmodi mentionem*.

Datum Avenion. VIII. Kalend. Junii anno XII.

XCV.

Ut favorabiles sint Prædicatoribus & Minoribus. Ex libro 3. epist. 2208.

Venerabili Fratri Archiepiscopo Burdegallen. & dilectis filiis majoris & sancti Severini Capitulis, necnon Curatis & Rectoribus Parochialium Ecclesiarum Civitatis, & Suburbiorum Burdegallen.

§. I. Gravem dilectorum filiorum Prædicatorum, & Minorum Fratrum Ordinum Burdegallen. querelam non absque admiratione recepimus continentem, quod vos filii Curati, & Rectores, jam per annum & amplius in Ecclesiis vestris, vosque majoris, & sancti Severini Ecclesiarum Burdegallen. Canonici in aliqua processione communi non permisistis, nec permittitis, eosdem Fratres Prædicatores, & Minores proponere verbum Dei, propter quod tam Civitas Burdegallen. dolens & deflens subtractum sibi solitum pabulum verbi vitæ, necnon dilectus filius Senescallus Vasconiæ, quam etiam dicti Fratres, ne verbum Dei in præjudicium populi Civitatis ejusdem, & suarum etiam periculum animarum, sine causa diutius maneat alligatum, ad nos super hoc humiliter recurrentes, nobis pia precum instantia supplicarunt, ut eis in præmissis consulere, paterna sollicitudine, curaremus.

§. II. Nos igitur felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri, in hac parte vestigiis inhærentes, vos universos, & singulos, præsentium tenore rogamus & exhortamur attente, vobis nihilominus districte præcipiendo mandantes, quatenus pro divina & Apostolicæ Sedis reverentia, atque nostra, prædictos Ordines & professores eorum habentes affectu benevolo commendatos, Fratribus ipsis non vos difficiles, graves, duros, aut asperos, sed potius favorabiles, propitios, & benignos, piaque munificentia liberales, studeatis juxta constitutionem eamdem, tamquam cooperatores vestros idoneos & laborum vestrorum participes, prompta benignitate recipere, & affectuose admittere minime omittatis, ut proinde vobis æternæ beatitudinis præmium augeatur, & animarum salutis incrementa felicia procurentur, nec vos lateat, quod si secus a vobis agi fortasse contingeret in hac parte, nos dissimulare seu præterire, salva conscientia non possemus, quin contra vos tamquam transgressores constitutionis ejusdem, & exhortationum, ac jussionum nostrarum temerarios contemptores debite procederemus, prout contemptus & temeritatis hujusmodi qualitas postularet.

Datum Avenion. IV. Kalend. Julii anno XII.

XCVI.

Præficitur Ecclesiæ Balneoregien. Ex lib. 1. ann. 13. epist. 791

Dilecto filio Matthæo de Castropeti electo Balneoregien.

§. I. LIcet continuata supervenientium negotiorum instantia nos, qui disponente Domino, universalis Ecclesiæ regimini præsidemus, insultibus impetat successivis, sollicitudo tamen Ecclesiarum illarum præcipue, quæ propriis Pastoribus destitutæ Romanæ dumtaxat Ecclesiæ sunt subjectæ, nostris incumbens humeris tanto arctius nos quotidiana meditatione perurget, quanto eis sumus specialius obligati.

§. II. Nuper siquidem Ecclesia Balneoregien. eidem Ecclesiæ Romanæ immediatæ subjecta, vacante pro eo, quod nos dilectum filium Trameum Urbevetan. nunc Balneoregien. electum in illis partibus existentem, a vinculo, quo ipsi Balneoregien. Ecclesiæ, cui præerat, tenebatur, de Fratrum nostrorum consilio & Apostolicæ potestatis plenitudine absolventes, ipsum ad Urbevetanam Ecclesiam tunc vacantem, duximus transferendum, præficiendo eum illi in Episcopum & Pastorem. Nos præcavere volentes, ne dicta Balneoregien. Ecclesia prolixæ vacationis exponeretur incommodis, cum nullus præter nos de provisione ipsius se hac vice intromittere possit, pro eo, quod nos dudum ante vacationem ipsius Ecclesiæ Balneoregien. provisiones omnium Ecclesiarum Cathedralium, &c. *Contingeret attentari*. Post deliberationem, quam de præficiendo eidem Ecclesiæ Balneoregien. personam utilem ac etiam fructuosam habuimus cum eisdem Fratribus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Minorum professorem, in Sacerdotio constitutum, de religionis zelo, vitæ munditia, honestate morum, aliisque virtutum meritis nobis & Fratribus nostris eisdem, ex fide dignorum testimoniis multipliciter commendatum, direximus oculos nostræ mentis. Quibus omnibus debita meditatione pensatis, intendentes tam dictæ Balneoregien. Ecclesiæ, quam Dominico gregi ejus utiliter & salubriter providere, de persona tua ipsi Balneoregien. Ecclesiæ, de ipsorum Fratrum consilio, auctoritate Apostolica, providemus, teque illi in Episcopum præficimus & Pastorem, curam & administrationem ipsius Balneoregien. Ecclesiæ tibi, &c. *Provenient incrementa*. Jugum itaque Domini tuis impositum humeris, &c. *Uberius merearis*.

Datum Avenion. III. Nonas Octob. anno XIII.

XCVII.

Præficitur Ecclesiæ Ajacien. Ibid. epist. 272.

Venerabili fratri Joanni Episcopo Ajacien.

SUmmi dispositione Rectoris, &c. *Dirigantur*. Ecclesia siquidem Ajacien. jamdudum sui Pastoris regimine destituta, nos intendentes dictæ Ecclesiæ Ajacien. idoneam præsidere personam, cujus industria, scientia, & virtute præfata Ecclesia posset feliciter gubernari, post deliberationem, quam super hoc cum Fratribus nostris habuimus diligentem, tamdem in te Ordinis Fratrum Minorum professorem, in Sacerdotio constitutum, cui litterarum scientiam, vitæ munditiam, morum elegantiam, aliaque dona virtutum, tibi desuper concessarum, ex fide dignis testimoniis, suffragari percepimus, intuitum direximus nostræ mentis. Quibus omnibus paterna deli- *Vide constit. 54. hujus Pontif. in hoc tomo fol. 375.*

beratione pensatis, de persona tua nobis & eisdem Fratribus exigentia tuorum meritorum accepta, Ajacien. Ecclesiæ eidem, de Fratrum ipsorum consilio providemus, teque illi necnon omnibus & singulis Armenis, & Latinis degentibus in Civitate & Diœcesis Ajacien. præfecimus in Episcopum & Pastorem, curam & administrationem ipsius Ecclesiæ tibi tam in spiritualibus, quam in temporalibus committendo plenarie, tibique postmodum fecimus per venerabilem fratrem nostrum Bertrandum Episcopum Tusculanum munus consecrationis impendi, firma spe fiduciaque conceptis, quod, dirigente Domino actus tuos, præfata Ajacien. Ecclesia per tuæ industriæ & circumspectionis fructuosum studium præservabitur a noxiis & adversis, ac in eisdem spiritualibus, & temporalibus, auctore Domino, grata suscipiet incrementa. Onus itaque regiminis dictæ Ajacien. Ecclesiæ prompta devotione supportans, &c. *Merearis accipere incrementum*.

Datum Avenion. XVI. Kalend. Novembris anno XIII.

XCVIII.

Ut ædificari possit in Castro de Ordealibus Monasterium Clarissarum. Ibid. epist. 359.

Venerabili Fratri Episcopo Burgen.

Castri infortunia.

§. I. Nuper dilecti filii commune Castri de Ordealibus tuæ Diœces. nobis significare curarunt, quod dictum Castrum situm est supra mare, & quod ex navali commercio eorumdem victus & subsidia habere noscuntur, ita quod aliquando viri ac merces & cetera, quæ ad ipsorum sustentationem pertinent, dum vehuntur per mare per innumera pericula, quæ ibidem frequenter accidunt, submerguntur, periclitantur, & penitus amittuntur, ex quo provenit, quod in dicto Castro multæ nobiles tam viduæ, quam pupillæ, virgines & orphanæ orbatæ parentibus, & bonis temporalibus destitutæ, pie respicientes hujusmodi temporalia existere transitoria, & caduca, si haberent locum aptum ad serviendum Deo sub voto sanctæ obedientiæ, voluntarie se offerrent, propter quod præfati commune & eorum singuli in dicto Castro morantes, unanimiter zelo fidei & devotionis accensi, ad divini cultus augmentum, & ut per hoc utilitati & necessitati eorum, & etiam conscientiæ valeat provideri, quoddam Monasterium Ordinis sanctæ Claræ pro virginibus, viduis, pupiliis & orphanis & aliis supradictis in loco decenti & honesto ad exercendum divinum cultum, ædificare proponunt, & eis providere de necessariis omnibus, ut regularis observantia in eodem Monasterio perpetuo valeat relucere.

Pupillæ & viduæ de Monasterio providentur.

Quod concrematum extitit.

§. II. Quare dicti commune nobis humiliter supplicarunt, ut cum olim in dicto Castro quoddam Monasterium dicti Ordinis constructum fuerit de licentia bonæ memoriæ Matthæi sanctæ Mariæ in Porticu Diaconi Cardinalis, tunc auctoritate Apostolica ipsius Ordinis Protectoris, quamvis illud, ut asserunt, ex quodam infortunio quod eidem Castro tunc temporis accidit, inter alia extiterit ignis incendio concrematum, construendi hujusmodi Monasterium dicti Ordinis intra vel extra muros dicti Castri concedere licentiam dignaremur.

Aliud construendum extra muros.

§. III. De tuæ igitur circumspectionis industria plenam in Domino fiduciam obtinentes, dictorum communis in hac parte supplicationibus inclinati, fraternitati tuæ qui de præmissis & eorum circumstantiis habere poteris notitiam pleniorem, per Apostolica scripta mandamus, quatenus præfatis communi construendi & ædificandi intra vel extra muros dicti Castri hujusmodi Monasterium dicti Ordinis cum cappella seu oratorio, ac domibus, & aliis

aliis necessariis officinis concedas, auctoritate nostra, si hoc expedire videris, plenam & liberam facultatem.

Datum Avenion. Kalend. Decembris anno XIII.

XCIX.

Concedit eis privilegia alias concessa Monialibus Avenionen. Ibidem, epist. 336.

Dilectis in Christo filiabus Abbatissæ, & Conventui Monasterii sanctæ Claræ Nemausen. Ordinis ejusdem Sanctæ.

§. I. Annuere consuevit Sedes Apostolica piis votis, & honestis petentium precibus favorem benevolum impertiri. Sane nuper, ut omnibus privilegiis dilectis in Christo filiabus Abbatissæ, & Conventui Monasterii sanctæ Claræ Avenion. Ordinis ejusdem Sanctæ, sive sancti Damiani ab Apostolica Sede concessis, gaudere & uti libere valeretis, vobis auctoritate Apostolica, per nostras certi tenoris litteras duximus indulgendum. Verum quia vobis valde difficile redderetur quotiens indigeretis privilegiis supradictis, ad easdem Abbatissam & Conventum habere recursum, tria a felicis recordationis Alexandro IV. & unum ab Urbano IV. prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus privilegia eisdem Abbatissæ & Conventui concessa, plumbeis ipsorum prædecessorum bullis munita, pro parte vestra nobis exhibita, ad vestræ supplicationis instantiam inspeximus diligenter, ipsorumque tenores, de verbo ad verbum nihil addito vel remoto, quod mutare posset substantiæ veritatem, vestris precibus inclinati, præsentibus adnotari fecimus ad cautelam, & transcripta ipsorum bullæ nostræ appensione muniri ad perpetuam memoriam futurorum.

§. II. Tenores autem privilegiorum ipsorum tales sunt. *Alexander Episcopus &c. Dilectis in Christo filiabus Abbatissæ & Conventui Monasterii S. Claræ Avenion. &c.* Necessitatibus vestris &c. Vide bullam XXII. Joannis XXII. *Item Alexander Episcopus &c. dilectis in Christo filiabus &c.* Justis petentium desideriis &c. vide ibidem. *Item Alexander &c.* Devotionis vestræ &c. vide ibidem. Item *Urbanus Episcopus &c.* Devotionis vestræ &c. *Circa liberam sepulturam, ut in bulla Joannis XXII. in principio hujus anni ad Moniales Sistaricenses. Datum apud urbem veterem* x. *Kal. Octobris anno* III. *Tom. 6. fol. 496.*

§. III. Ceterum ut hujusmodi privilegiorum ipsorum tenores seu transcripta omnimodam rei seu facti certitudinem faciant &c.

Datum Avenion. XIII. Kalend. Decembris anno XIII.

C.

Præficitur Ecclesiæ Dunen. Ibid. epist. 676.

Venerabili fratri Rodulpho Episcopo Dunen.

§. I. Dum ad universas orbis Ecclesias &c. *Jugiter prosperentur.* Dudum siquidem bonæ memoriæ Thoma Episcopo Dunen. tunc regimini Dunen. Ecclesiæ præsidente..... Nos intendentes eidem Ecclesiæ, cum eam vacare contingeret, personam idoneam per Apostolicæ Sedis providentiam providere, provisionem ipsius Ecclesiæ ea vice, quam cito eam vacare contingeret, dispositioni nostræ & Sedis prædictæ duximus reservandam, decernendo ex tunc irritum & inane si secus super his per quoscum- *Vide Const. 34. hujus Pont. tom. 6. fol. 507.*

cumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attentari.

§. II. Postmodum autem dicto Thoma Episcopo in illis partibus viam universæ carnis ingresso. Nos vacatione hujusmodi fide dignis relatibus intellecta, de provisione ipsius Ecclesiæ, ne prolixæ vacationis incommodis exposita remaneret, sollicite cogitantes, post vigilem, quam ad præficiendum eidem Ecclesiæ, de qua nullus præter nos hac vice disponere potest, reservatione & decreto obsistentibus supradictis, idoneam approbatamque personam, adhibuimus diligentiam, demum ad te Ordinis Fratrum Minorum professorem, in sacerdotio constitutum, de religionis zelo, litterarum scientia, spiritualium providentia, aliisque virtutum meritis nobis & Fratribus nostris ex fide dignorum testimonio, multipliciter commendatum, direximus oculos nostræ mentis. Quibus omnibus debita meditatione pensatis, intendentes tam dictæ Ecclesiæ Dunen. quam Dominico gregi ejus utiliter & salubriter providere, de persona tua ipsi Ecclesiæ Dunen. de prædictorum Fratrum consilio, auctoritate Apostolica, duximus providendum, teque illi in Episcopum præfecimus & pastorem, curam & administrationem ipsius tibi in spiritualibus & temporalibus plenarie committendo, tibique postmodum fecimus per Venerabilem fratrem nostrum Bertrandum Episcopum Tusculanum munus consecrationis impendi, firma concepta fiducia, quod dirigente Domino actus tuos, præfata Ecclesia Dunen. per tuæ circumspectionis industriam prospere dirigetur, sibique, divina favente clementia, salubria provenient incrementa. Quocirca fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad prædictam Ecclesiam Dunen. cum gratia nostræ benedictionis accedens, curam & administrationem &c. *Consequi merearis*.

Datum Avenion. II. Idus Decembris anno XIII.

CI.

Ne cogat Clarissas Cracovien. solvere decimas. Ex lib.4. epist.3365.

Venerabili fratri Joanni Episcopo Cracovien.

Oblatæ nobis pro parte dilectarum in Christo filiarum Abbatissæ & Conventus Monasterii sancti Andreæ Cracovien. Ordinis sanctæ Claræ petitionis series continebat, quod tu ipsas super decimis quorumdam novalium ad Monasterium ipsum spectantium, de facto molestas contra tenorem privilegiorum ipsis, & eidem Ordini per Sedem Apostolicam concessorum, propter quod eadem Abbatissa, & Conventus eo minus circa divina obsequia, ad quæ se spretis mundialibus, dedicarunt, possunt intendere, quo ipsæ in earum juribus indebite perturbantur. Quocirca fraternitatem tuam rogamus, & in Domino attentius exhortamur, tibique per Apostolica scripta mandamus, quatenus Abbatissam & Conventum easdem super dictis decimis contra tenorem privilegiorum hujusmodi aliqualiter non molestes.

Datum Avenion. III. Idus Februarii anno XIII.

CII.

CII.

Confirmantur quædam constitutiones Provinciæ & Custodiæ Januensis. Ex libr. 2. epist. 1121.

Dilectis filiis universis Fratribus Ordinis Minorum de Custodia Januen.

§. I. Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, & vota quæ a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere.

§. II. Exhibita siquidem nobis pro parte vestra petitio continebat, quod Venerabilis frater noster Bertrandus Episcopus Tusculanus, Ordinis Fratrum Minorum, auctoritate Apostolica Vicarius Generalis, ad ea, quæ pacem, & tranquillitatem ejusdem Ordinis respiciunt gerens sollicitudinem diligentem, statuit & observandum inviolabiliter ordinavit, quod de cetero nullus frater ejusdem Ordinis in Custodia Januen. vel pro ipsa Custodia ad officium ipsius Ordinis, utpote Custodiariæ, Guardianiæ, Lectoriæ, Visitationis Monasteriorum Ordinis sanctæ Claræ, vel quodvis aliud ejusdem Ordinis officium, valeat promoveri, nisi prius ab omnibus vel a majori parte discretorum ejusdem Custodiæ Januen. Electorum ad Provinciale Capitulum pro tempore celebrandum, & a quatuor discretorum Januen. Conventus, quos ad hoc dictæ Custodiæ Custos, & Guardianus Januen. qui pro tempore fuerint, duxerint assumendos, ad officium hujusmodi exercendum fuerit nominatus, nullusque possit ad hæc de cetero nominari, nisi de ipsa Custodia fuerit oriundus, vel ab omnibus discretis dictæ Custodiæ, seu a majori parte dictorum discretorum ad Capitulum electorum fuerit admissus, nonnulla alia circa dictam Custodiam ordinando, quæ videntur juri & justitiæ convenire, Ministri & Capituli Generalium dicti Ordinis auctoritate in omnibus semper salva, prout in litteris inde confectis ejusdem Episcopi & Vicarii sigillo munitis, quarum tenorem de verbo ad verbum præsentibus inseri fecimus, plenius continetur. Cardin. Bertrandi ordinatio.

§. III. Nos igitur vestris supplicationibus inclinati, ordinationem hujusmodi, usque ad beneplacitum Apostolicæ Sedis, auctoritate Apostolica, confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, ita quod nulli alii, etiam Minister qui erit pro tempore, & Capitulum ejusdem Ordinis generale, illam infringere valeant, vel in aliquo immutare sine Sedis ejusdem licentia speciali. Tenor autem dictarum litterarum talis est. Quam Papa confirmat.

Frater Bertrandus miseratione divina Episcopus Tusculanus, & Ordinis Fratrum Minorum auctoritate Apostolica Vicarius Generalis, dilectis in Christo Fratribus Custodiæ Januen. ejusdem Ordinis salutem & pacem in Domino sempiternam.

Sicut ad ea quæ pacem & tranquillitatem Ordinis respiciunt universi juge votum, & commissi nobis officii nos cura sollicitat, sic curæ nobis est universa, quæ in singulis membris ejus scandala generant, adducunt gravamina, & allatura, quod absit, quandoque pericula formidantur, quantum nobis possibile est, removere. Tunc enim hujus sacræ religionis obsequia Deo proculdubio fiunt grata, cum in ea nutritur caritas, indivisa unitas conservatur, retinetur plena concordia, & pax integra confovetur, cum illa, quæ vulnerant caritatem, unitatem dividunt, faciunt concordiam dissonare, pacem Ejusdē Bertrandi litteræ.

tem efficiunt impacatam, & pervertunt iniquitate sua justitiam, solerti studio procul a Fratrum actibus relegantur. Ea propter, tenore præsentium, statuimus, & observandum inviolabiliter ordinamus, quod de cetero nullus frater in Custodia Januen. vel pro ipsa Custodia ad officium ipsius Ordinis puta Custodiariæ, Guardianiæ, Lectoriæ, Visitationis Monasteriorum Ordinis sanctæ Claræ, vel quodvis aliud ejusdem Ordinis officium valeat promoveri, nisi prius ab omnibus, vel a majori parte discretorum ejusdem Custodiæ Januen. electorum ad provinciale Capitulum pro tempore celebrandum: sed & quatuor nihilominus discretorum Januen. Conventus, qui pro tempore fuerint, duxerint assumendos ad officium hujusmodi exercendum, fuerit nominatus, nullusque possit ad hoc de cetero nominari, nisi de ipsa Custodia fuerit oriundus, vel ab omnibus districtis dictæ Custodiæ, seu a majori parte prædictorum discretorum ad Capitulum electorum fuerit admissus. Præterea cum Custodia Januen. non sit minor Fratrum numero, & valore, qualibet alia Custodia Provinciæ Januen. nec aliis Custodiis in amplioribus honoribus præferatur, justumque conspicitur, quod ipsa Custodia plus ceteris Custodiis Provinciæ memoratæ in omnibus non gravetur. Ita cum dicta Provincia Januen. sex dumtaxat Custodias habere noscatur, dicta Custodia Januen. in oneribus & expensis per ipsam Provinciam supportandis, contribuere teneatur, de cetero tantummodo sextam partem in pecunia, vel libris, juxta existimationem taxandis, ad hæc cum justitia unicuique quæ sua sunt, tribuat, libros, & quævis alia quæ nunc pertinent de cetero ad dictam custodiam, vel aliquem Fratrum ipsius Custodiæ pertinebunt, tam prælatus, quam subditus, & alia custodia quælibet ad quos libri, vel alia hujusmodi bona devenerint, præfatæ Januen. Custodiæ restituere teneantur, Ministri & Capituli Generalium dicti Ordinis, auctoritate in omnibus semper salva. In quorum omnium testimonium efficax, & fidem indubiam præsentes litteras, statuta, & ordinationes continentes prædicta sigilli nostri fecimus appensione muniri. Datum Avenion. anno Domini MCCCXXIX. XVI. die mensis Februarii Indictionis XII. Pontificatus sanctissimi Patris & Domini nostri Joannis divina providentia Papæ XXII. anno XIII.

Nulli ergo &c. nostræ constitutionis &c. Datum Avenion. Nonis Martii anno XIII.

CIII.

Præficitur Ecclesiæ Bisacien. Ex lib. 3. epist. 2075.

Venerabili fratri Joanni Episcopo Bisacien.

§. I. Inter cetera, quæ superna dispositione nobis imminent peragenda, ad id nimium solliciti reddimur, ut viduatis Ecclesiis tales præficiamus pastores, per quorum industriam, & circumspectionem sollicitam, indemnitati earum provideatur salubriter, ac spiritualibus & temporalibus votivis proficere valeant incrementis.

§. II. Dudum siquidem Ecclesiæ Bisacien. per obitum bon. mem. Jacobi Episcopi Bisacien. pastoris solatio destituta, dilecti filii Capitulum ipsius Ecclesiæ vocatis omnibus, qui debuerunt, voluerunt, & potuerunt commode interesse, die ad eligendum præfixa, ut moris est, pro futuri substitutione pastoris convenientes in unum, te Ordinem Fratrum Minorum expresse professum, & in sacerdotio constitutum in ipsius Ecclesiæ Episcopum per formam compromissi, concorditer elegerunt, tuque quantocitius commode potuisti tui superioris super hoc obtenta licentia, electioni hujusmodi con-

consensisti, & petiisti a Venerabili fratre nostro Archiepiscopo Consan. Metropolitano tuo electionem hujusmodi confirmari, qui in hujusmodi electionis procedens negotio, omni jure, quod tibi competebat in electione prædicta, per suam definitivam sententiam declaravit, & decrevit te fore privatum, a qua quidem sententia pro parte tua fuit ad Sedem Apostolicam appellatum.

§. III. Hujusmodi autem electionis & appellationis negotio nobis exposito, tu timens ne prædicta Ecclesia, propter litigiorum anfractus dispendiosæ vacationis remaneret exposita detrimentis, omni juri, quod tibi ex electione prædicta competebat, in manibus dilecti filii nostri Anibaldi, tituli sancti Laurentii in Lucina Presbyteri Cardinalis cessionem hujusmodi, de mandato nostro facto sibi vivæ vocis oraculo, admittentis, libere & pure cessisti.

§. IV. Nos igitur de provisione ipsius Ecclesiæ, ne prolixioris vacationis remaneret exposita detrimentis, sollicite cogitantes, cum nullus præter nos hac vice de provisione ipsius Ecclesiæ Bisacien. se intromittere possit, pro eo quod nos diu ante vacationem ejusdem Ecclesiæ, omnes Ecclesias Cathedrales per hujusmodi cessiones quorumlibet electorum ad illas, apud dictam Sedem tunc factas, & imposterum faciendas, apud dictam Sedem vacare intelleximus, & etiam voluimus, & ipsarum provisiones dispositioni nostræ duximus reservandas, decernendo ex tunc irritum & inane, si secus super his per quoscumque quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contingeret attentari, post deliberationem, quam de præficiendo ipsi Ecclesiæ personam utilem, ac etiam fructuosam, habuimus cum nostris Fratribus diligentem, demum ad te litterarum scientia præditum, aliisque virtutum meritis, quæ tibi ex fide dignis testimoniis suffragari noscuntur, multipliciter insignitum, direximus oculos nostræ mentis.

§. V. Quibus omnibus debita meditatione pensatis, considerando etiam præfatorum capituli unanimem voluntatem, quam in electione prædicta habuisse noscuntur, de persona tua ipsi Bisacien. Ecclesiæ, auctoritate Apostolica, de ipsorum Fratrum consilio, duximus providendum, teque illi in Episcopum præfecimus & pastorem, curam & administrationem ipsius tibi in spiritualibus & temporalibus plenarie committendo, & postmodum per Venerabilem fratrem nostrum Petrum Episcopum Portuen. tibi fecimus munus consecrationis impendi, firma concepta fiducia quod eadem Ecclesia per tuæ circumspectionis industriam, & providentiam circumspectam, sub tuo felici regimine, dextera Domini tibi assistente propitia, salutaria recipiet incrementa. Jugum itaque Domini tuis impositum humeris &c. *Consequi merearis*.

Datum Avenion. XIII. Kalend. Aprilis anno XIII.

CIV.

Ut uniant Monasterio Petræ-albæ Clarissarum beneficia aliqua Ecclesiastica: Ex lib.4. epist.3029.

Venerabilibus Fratribus Archiepiscopo Terraconen. & ejus suffraganeis.

§. I. Pietas exigit, & caritas persuadet, pia vota personarum humilium divinis laudibus, ac sacræ Religionis observantiæ deditarum, favorabiliter exaudire, quodque ipsarum necessitatibus provisionis occurratur gratia congruentis.

§. II. Nos itaque dilectarum in Chriſto filiarum Abbatiſſæ & Conventus Monaſterii ſanctæ Mariæ de Petra-alba Ordinis ſanctæ Claræ, Barchionen. diœceſ. neceſſitatibus deſiderantes, quantum cum Deo poſſumus, ſubveniri, ut exinde quietius & liberius valeant virtutum Domino famulari, ipſarum Abbatiſſæ & Conventus devotis ſupplicationibus inclinati, fraternitatem veſtram rogamus, monemus & hortamur attente, vos in Domino obſecrantes, quatenus ob divinam ac noſtram & Apoſtolicæ Sedis reverentiam, unum, aut duo, vel plura beneficia Eccleſiaſtica cum cura, vel ſine cura, ad veſtram collationem, ſeu proviſionem, vel quamvis aliam diſpoſitionem pertinens ſeu pertinentia communiter vel diviſim, cujus, ſeu quorum fructus, redditus, & proventus ſummam ducentarum librarum Turonen. parvorum, ſecundum taxationem decimæ valorem annuum non excedant, vos una cum veſtris capitulis præfato Monaſterio in perpetuum unire & annectere procuretis.

Datum Avenion. Kalend. Aprilis anno XIII.

CV.

Præficitur Eccleſiæ Bovinen. Ex lib. 2. epiſt. 1813.

Venerabili fratri Rogerio Epiſcopo Bovinen.

Vide Conſtit. 26. hujus Pontif. tom. 6. fol. 501.

§. I. Superni diſpoſitione conſilii &c. *Et accreſcant*.

§. II. Dudum ſiquidem bon. mem. Roſtagno Epiſcopo Bovinen. regimini Bovinen. Eccleſiæ præſidente. Nos cupientes eidem Eccleſiæ, cum eam quovis modo & ubicumque vacare contingeret, per Apoſtolicæ Sedis providentiam, idoneam providere perſonam, proviſionem ipſius Eccleſiæ, ea vice diſpoſitioni noſtræ, & Sedis ejuſdem duximus ſpecialiter reſervandam, decernendo ex tunc &c. *Contingeret attentari*.

§. III. Deinde vero præfata Eccleſia, per obitum ejuſdem Roſtagni, qui in partibus illis diem clauſit extremum, paſtoris ſolatio deſtituta, nos vacatione hnjuſmodi fide dignis relatibus intellecta, attendentes, quod nullus præter nos hac vice de ipſius Eccleſiæ ordinatione ſe intromittere poteſt, reſervatione ac decreto hujuſmodi obſiſtentibus, ad proviſionem ipſius Bovinen. Eccleſiæ, ne prolixæ vacationis exponeretur incommodis, cœpimus intendere diligenter, & demum poſt deliberationem, quam ad deputandum eidem Eccleſiæ perſonam utilem, ac etiam fructuoſam, cujus induſtria dicta Eccleſia in ſuis valeret juribus adaugeri, ac etiam defenſari, cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, ad te Ordinis Fratrum Minorum profeſſorem, in ſacerdotio conſtitutum religionis zelo, vitæ ac morum honeſtate decorum, in ſpiritualibus providum & temporalibus circumſpectum, ac aliis virtutum donis, prout fide dignorum habet aſſertio, multipliciter inſignitum, convertimus aciem noſtræ mentis. Quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis & eiſdem Fratribus, ob hujuſmodi tuorum exigentiam meritorum accepta, de ipſorum Fratrum conſilio, eidem Eccleſiæ, auctoritate Apoſtolica, duximus providendum, teque ipſi præfecimus in Epiſcopum & paſtorem, curam & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ tibi tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus committendo, & poſtmodum per Venerabilem fratrem noſtrum Gaucelinum Epiſcop. Albanen. tibi fecimus munus conſecrationis impendi, firma ſpe, fiduciaque tenentes, quod eadem Eccleſia, divina tibi aſſiſtente clementia, per tuæ circumſpectionis, & diligentiæ ſtudium fructuoſum, proſpere dirigetur, & ſalutaria, dante Domino, ſuſci-

ſcipiet incrementa. Quocirca fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus &c. *Favorem benevolum impertiri*.

Datum Avenion. Kalend. Maii anno XIII.

CVI.

Ut Fratres inſularum Sardiniæ & Corſicæ ſubjiciantur ſuperioribus Aragoniæ & Cataloniæ. Ex lib. 3. epiſt. 2298.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. AD illa ſollicitudinis Apoſtolicæ ſtudium libenter impendimus, & partes diligentiæ noſtræ ſollicite adhibemus, ex quibus in regnis fidelium, quietis bonum proveniat, & pacis tranquillitas & ſecuritas conſervetur.

§. II. Cum igitur cariſſimus in Chriſto filius noſter Alphonſus Aragonum, & Sardiniæ, ac Corſicæ Rex illuſtris, pro pacifico & ſecuro ſtatu hujuſmodi regnorum ſuorum, prudenti ductus conſilio deſideret, ut ſuperiores Fratrum Prædicatorum & Minorum, ac aliorum mendicantium Ordinum per Sedem Apoſtolicam approbatorum, infra dictum regnum Sardiniæ, & Corſicæ exiſtentium ſubjiciantur Ordinum ſuorum ſuperioribus, qui pro tempore in Aragonia & Catalonia ordinantur: nos ejuſdem Regis ſupplicationibus inclinati, volumus & Apoſtolica auctoritate decernimus, quod ſuperiores dictorum Fratrum Prædicatorum & Minorum ac aliorum Ordinum mendicantium, videlicet Conventuales Priores, ac Cuſtodes, & Guardiani Ordinum prædictorum, qui ſunt, & erunt pro tempore in regno Sardiniæ & Corſicæ prælibato, ſuperioribus ipſorum Ordinum videlicet Prioribus, Provincialibus Prædicatorum, & Miniſtris Provincialibus Minorum Fratrum Ordinum, nec non aliis Prioribus, Provincialibus ſeu Prælatis quocumque nomine cenſeantur, aliorum Ordinum mendicantium in Aragonia & Catalonia conſiſtentibus, qui ſunt, & erunt pro tempore, ſint ſubjecti, eos a ſubjectione aliorum quorumcumque ſuperiorum ſuorum Ordinum prædictorum extra dictas provincias Aragoniæ, & Cataloniæ conſiſtentium, auctoritate prædicta totaliter eximentes. Volumus tamen quod præſens exemptio ad magiſtrum & Miniſtrum, vel Priorem ſeu Priores Generales Ordinum prædictorum nullatenus extendatur, ſed eis ſint ſubditi ſicut prius. Nulli ergo &c. noſtræ conſtitutionis, exemptionis & voluntatis &c.

Datum Avenione II. Kalend. Julii anno XIII.

CVII.

Præficitur Eccleſiæ Lavaten. Ibidem epiſt. 3202.

Dilecto filio Henrico de Appoldia electo Lavaten.

SUmmi diſpoſitione Rectoris, ad regimen univerſalis Eccleſiæ &c. *ad ſalutaria dirigantur*. Eccleſia ſiquidem Lavaten. per obitum bo. mem. Joannis Epiſcopi Lavaten. qui nuper extra Romanam Curiam diem clauſit extremum, paſtoris ſolatio deſtituta, nos intendentes per Apoſtolicæ Sedis providentiam dictæ Lavaten. Eccleſiæ idoneam præſidere perſonam, cujus induſtria, ſcientia & virtute præfata Eccleſia poſſit fœliciter gubernari, poſt deliberationem, quam ſuper hoc cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, tandem in te Ordinis Fratrum Minorum profeſſorem, in ſacerdotio

Vide Conſt. 54. hujus Pontif. in hoc Tom. fol. 375.

conſtitutum, cui litterarum ſcientiam, vitæ munditiam, morum diligentiam, aliaque dona virtutum tibi deſuper conceſſarum, ex fide dignis teſtimoniis ſuffragari percepimus, intuitum direximus noſtræ mentis. Quibus omnibus paterna deliberatione penſatis, de perſona tua nobis & eiſdem Fratribus exigentia tuorum meritorum accepta, eidem Lavaten. Eccleſiæ de Fratrum noſtrorum conſilio & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum & paſtorem, curam & adminiſtrationem ipſius tibi tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus plenarie committendo, firma ſpe fiduciaque conceptis, quod, dirigente Domino actus tuos, præfata Lavaten. Eccleſia per tuæ induſtriæ ac circumſpectionis fructuoſum ſtudium præſervabitur a noxiis & adverſis, ac in ſpiritualibus & temporalibus, auctore Domino, grata ſuſcipiet incrementa. Quocirca diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus &c. *merearis ſuſcipere incrementum*.

Datum Avenione v. Nonas Julii anno xiii.

CVIII.

Indulgentiæ viſitantibus Eccleſiam Minorum de Cuccaro. Ex lib. 1. anni 14. epiſt. 235.

Univerſis Chriſti fidelibus præſentes litteras inſpecturis.

§. I. Splendor paternæ gloriæ, qui ſua mundum illuminat ineffabili claritate, pia vota fidelium, in clementiſſima ipſius majeſtate ſperantium tunc præcipue benigno favore proſequitur, cum devota ipſorum humilitas Sanctorum precibus & meritis adjuvatur.

§. II. Cum itaque dilecta in Chriſto filia nobilis mulier Ilaria de Lauria, relicta quondam Henrici primogeniti quondam Thomaſii de ſancto Severino Comitis Marſici militis, vidua, ſicut aſſeruit, favore piæ devotionis accenſa, cupiens terrena in cœleſtia, & tranſitoria in æterna fœlici commercio commutare, quemdam locum ad opus Fratrum Ordinis Minorum in quodam Caſtro ſuo de Cuccaro Caputaquen. Diœc. pro ſuæ & progenitorum ſuorum animarum ſalute ædificare incœpit, non abſque magno onere expenſarum, ſitque in loco prædicto quædam Eccleſia in honorem & ſub vocabulo ſancti Joannis Baptiſtæ, ut aſſeritur, dedicata: Nos volentes ut dicta Eccleſia congruis honoribus frequentetur, de omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui Eccleſiam ipſam in feſtivitate ejuſdem Sancti centum dies, eis vero qui per octavas feſtivitatis ejuſdem ſingulis videlicet ipſarum octavarum diebus eamdem Eccleſiam devote viſitaverint annuatim, quadraginta dies de injunctis eis pœnitentiis miſericorditer relaxamus.

Datum Avenione Nonis Novembris anno xiv.

CIX.

Ut poſſint, non obſtante lite Eremitarum ſancti Auguſtini, in ſuo Monaſterio permanere. Ibidem epiſt. 588.

Dilectis in Chriſto filiabus Abbatiſſæ & Conventui Sororum Monaſterii ſanctæ Mariæ Magdalenæ de Caſtellario de Montefalco, Ordinis ſanctæ Claræ Spoletan.

§. I. Coeleſtia quærentibus, terrenis contemptui derelictis, libenter illud ſpirituale præſidium favoris impendimus, quod eis pacis & quietis producere gratiam ſentiamus.

§. II. Sa-

§. II. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat, quod olim, jam sunt sexaginta anni & amplius, Monasterium vestrum per Sorores, quæ vos in dicto Monasterio præcesserunt, canonice fuit fundatum, post cujus fundationem vel constructionem, elapsis decem annis vel circa, quidam Fratres Ordinis Eremitarum sancti Augustini, quemdam locum prope dictum Monasterium receperunt, & ex tunc usque ad hæc tempora vobis vicinitus permanserunt, quodque pro eo, quod nuper beatæ Claræ regulam recepistis, iidem Fratres asserentes ex hoc vos personas alias fore effectas, & per consequens dictum Monasterium in alias personas fore translatum, contra privilegium eis super hoc ab Apostolica Sede concessum, ac pridem se ex hoc indebite gravari, ad Sedem Apostolicam appellarunt, ac super appellatione hujusmodi, dilectum filium Bertrandum de sancto Genesio Decanum Ecclesiæ Engolismen. Cappellanum nostrum, & earum causarum primi gradus Palatii nostri Auditorem, cum potestate citandi in Romana Curia, & ad partes, nos ad eorum instantiam dedimus Auditorem, qui ad requisitionem dictorum Fratrum vos in partibus per litteras suas citare fecit, & ad aliquos alios actus ulterius in hujusmodi causa processit. Monasteriū per Moniales fundatum. De Monast. jure conqueruntur.

§. III. Quare pro parte vestra fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum Monasterium vestrum magna prematur inopia, vosque oporteat mendicare, nec habeatis unde sumptus litis hujusmodi contra vos motæ per Fratres prædictos supportare possitis, providere vobis super hoc de opportuno remedio dignaremur. Non habent unde possint litis pōdus sustinere.

§. IV. Nos igitur paterno vobis in hac parte compatientes affectu, auctoritate Apostolica, de Fratrum nostrorum consilio, ordinamus & volumus ut præmissis nequaquam obstantibus, in dicto Monasterio, in quo estis, possitis libere permanere, ita tamen quod dilecti filii Fratres Ordinis Minorum, si locum ibidem non habeant, non possint vobiscum in dicto Monasterio habitare, quodque vobis non liceat a parte dictorum Fratrum Eremitarum ædificare, vel locum vestrum etiam ampliare. Nulli ergo &c. nostræ ordinationis & voluntatis &c. Pontificia provisio.

Datum Avenione v. Kal. Decembris anno XIV.

CX.

Ut transferat Joannem ad Dunen. & Rodulphum ad Corkagien. Ecclesias. Ex lib. 2. epist. 1205.

Venerabili fratri Archiepiscopo Armacano.

§. I. IN specula vineæ Domini Sabaoth ex dispositione superna præsidens, & vigilis speculatoris gerens officium Romanus Pontifex beati Petri successor, & Vicarius Jesu Christi, de statu salubri, & prospero cunctarum Ecclesiarum & ministrorum Dei, eorumque præcipue, qui sunt speculatores eminentiæ titulis insigniti, cœlica suffultus potentia, salubriter & utiliter ordinat, & disponit, prout personarum qualitas, locorum diversitas, temporumque varietas exigunt, & causæ rationabiles persuadent. Munera Romani Pontificis.

§. II. Ad nostri siquidem Apostolatus notitiam deduxit relatio fide digna, quod venerabiles fratres nostri Joannes Corkagen. & Rodulphus Dunen. Episcopi, puræ & providæ intentionis affectu sperant amplius proficere animabus & locis, ut efficacius impleant ministerium eorumdem, quod credunt, Deo propitio, posse firmiter provenire, si Joannes ad Dunen. Rodulphus Episcopi desiderant Sedes commutare.

phus vero præfati ad Corkagen. Ecclesias apostolicæ auctoritatis præsidio transferantur.

§. III. Nos igitur de tuæ circumspectionis industria plenam in Domino fiduciam obtinentes, fraternitati tuæ Joannem ab eo quo Corkagen. Rodulphum autem prædictos ab eo quo Dunen. Ecclesiis prælibatis, quibus præsunt, vinculis tenentur, penitus absolvendi, necnon Joannem ad Dunen. Rodulphum vero præfatos ad Corkagen. Ecclesias jam dictas, auctoritate Apostolica, transferendi, ac Joannem Dunen. Rodulphum vero prædictos Corkagen. Ecclesiis antedictis præficiendi in Episcopos & pastores, & Dunen. Joanni, Corkagen. vero Ecclesiarum prædictarum curam & administrationem Rodulpho jam dictis in spiritualibus & temporalibus plenarie committendi, ac Joanni ad Dunen. Rodulpho vero prædictis ad Corkagen. Ecclesias præfatas transeundi liberam licentiam tribuendi, dummodo eorumdem Episcoporum expressus assensus intervenerit in præmissis, faciendi quoque Joanni & Rodulpho præfatis ab eorum subditis obedientiam & reverentiam debitam exhiberi: necnon contradictores per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendi, ac recipiendi postmodum nostro & Ecclesiæ Romanæ nomine a Joanne & Rodulpho prædictis fidelitatis debitæ solitum juramentum juxta formam, quam tibi sub bulla nostra mittimus interclusam, plenam atque liberam, de Fratrum nostrorum consilio & Apostolicæ potestatis plenitudine, concedimus tenore præsentium, potestatem.

Pontifex annuit.

§. IV. Formam autem juramenti, quod quilibet eorumdem Joannes & Rodulphus præstabit nobis de verbo ad verbum, per cujuscumque ipsorum patentes litteras tuo sigillo signatas, per proprium nuntium quantocitius destinare procures. Per hoc autem tibi cui Ecclesiæ supradictæ metropolitico jure subesse noscuntur, & Archiepiscopo Armachano, qui pro tempore fuerit, nullum imposterum præjudicium generetur.

Juramentum præstandum.

Datum Avenione Nonis Januarii anno XIV.

CXI.

Ut Clarissæ Sistaricen. habeant liberam sepulturam. Ex lib. 4. epist. 988.

Venerabili fratri Episcopo Sistaricensi.

Gratia concessa Monialibus.

§. I. Significarunt nobis dilectæ in Christo filiæ Abbatissa, & Conventus Sororum Monasterii S. Claræ Sistaricen. Ordinis S. Damiani, quod licet nos dudum eas favore Apostolico prosequentes, sepulturam Ecclesiæ dicti Monasterii, sine alieni juris præjudicio, liberam esse decreverimus, & privilegium speciale, ut earum devotioni & extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, dummodo excommunicati, vel interdicti, aut publice usurarii non fuerint, nullus obsistat, salvis tamen Canonica justitia, & Parochiali jure illarum Ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur, prout in litteris nostris inde confectis plenius continetur, tuque devote parueris, & parere paratus existas privilegio supradicto.

Canonici male privilegium interpretantur.

§. II. Tamen dilecti filii Canonici Ecclesiæ Sistaricen. dictum privilegium malitiose interpretari volentes, asserunt nomine liberæ sepulturæ cœmeterium intelligi non debere, nec eis per dictum privilegium licere habere cœmeterium prope dictam Ecclesiam Monasterii memorati, & quod ipsi tertiam partem funeralium debent habere pro Canonica portione. Quare præfatæ Abbatissa & Conventus nobis humiliter supplicarunt, ut providere eis super hoc, paterna diligentia curaremus.

§. III. Quo-

§.III. Quocirca fraternitati tuæ mandamus, quatenus præmissorum prætextu, easdem Abbatissam & Conventum non permittas super dicto cœmeterio molestari, dictosque Canonicos, quod sint contenti canonica portione, prout in constitutione, quæ incipit: *Super Cathedram*, super hoc edita continetur, per censuram Ecclesiasticam, appellatione remota, compellas. Non obstan. si prædictis Canonicis, vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Contradictores per censuram eamdem, appellatione postposita, compescendo.

Datum Avenione III. Idus Januarii anno XIV.

CXII.

Ut transmutare possint suum domicilium. Ex lib. I. epist. 670.

Dilectis filiis Guardiano & Fratribus Ordinis Minorum Oppidi Brunsbergen. Warmien. Diœcesis.

§.I. CLara Ordinis vestri religio virtutum fœcunditate referta, & per bonorum operum studia a Domino stabilita, per insignium gratiam meritorum, uberes in Dei Ecclesiam honestatis & salutis fructus semper protulit, & proferre assidue probatur, propter quod nos eumdem Ordinem & personas ipsius benevolentia paterna prosequimur, & necessitatibus ipsorum cum expedit, libenti animo providemus. *Ordinis laudes, & Pontificis benevolentia.*

§.II. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat, quod locus vester, in quo nunc degitis, est extra oppidum Brunsbergen. Warmien. Diœcesis situatus, & quod pagani & infideles, qui sunt dicto oppido convicini, frequenter per hostiles incursus prædas & spolia personarum, cædes & captiones earum, & alia mala innumera inferunt Christianis oppidi prælibati: quodque habitatores ejusdem oppidi attendentes præmissa pericula, & quod etiam si dictus locus vester per dictos paganos caperetur eidem oppido grave periculum immineret, desiderant vobis infra dictum oppidum alium locum assignare. *Conventus extra oppidum situs, petitur ut transferatur.*

§.III. Verum quia vobis non licet locum de novo recipere, vel receptum mutare, absque licentia Sedis Apostolicæ speciali, nobis humiliter supplicastis, ut providere vobis super hoc paterna sollicitudine curaremus. Nos itaque cupientes vestris in hac parte necessitatibus salubriter providere, vestris supplicationibus inclinati, recipiendi dictum locum, qui per homines dicti oppidi vobis offertur infra oppidum prælibatum, & transferendi vos ad illum & ibidem morandi, & habendi inibi Ecclesiam cum campana & cœmeterio, domibus, horto & necessariis officinis, disponendi etiam de loco, in quo nunc habitatis, sicut vobis videbitur expedire, Ecclesia tamen & cœmeterio dicti loci, in quo nunc degitis, dispositioni Diœcesani loci plenarie reservatis, fœlicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri, & qualibet alia constitutione contraria non obstante, vobis auctoritate præsentium licentiam concedimus specialem. Nulli ergo &c. nostræ concessionis &c. *Non licet FF. loca mutare absque licentia Apostolicæ Sedis.* *Pontifex indulget.*

Datum Avenione X. Kal. Martii anno XIV.

CXIII.

CXIII.

Præficitur Ecclesiæ Alerien. Ibidem epist. 955.

Dilecto filio Galgano Blasii de Florentia, Electo Alerien.

Vide Constit. 17. Bonif. VIII. Tom. 6. fol. 419.

Apostolatus officium &c. *grata suscipiant incrementa*. Sane licet Gaddus de Pisis Ordinis Fratrum Eremitarum sancti Augustini, tunc existens Episcopus Alerien. qui dudum post & contra processus nostros contra Ludovicum olim Ducem Bavariæ, & Petrum de Corbaria hæresiarcham, de labe hæreticæ pravitatis per nos, eorum exigentibus culpis, damnatos, & contra faventes & auxiliantes eisdem solemniter habitos, publice ac notorie tamquam suæ salutis immemor adhæsit, & favit damnatis prædictis, & perseveravit etiam cum eisdem, pœnas omnes, quibus fautores hæreticorum subjiciuntur, per sanctiones canonicas & civiles propterea incurrendo, per dictos processus regimine ac administratione spiritualium & temporalium Ecclesiæ Alerien. necnon Episcopali dignitate privatus existeret: nihilominus tamen nos de præmissis habita certitudine, eumdem Gaddum pronunciavimus & declaravimus regimine, ac administratione & dignitate prædictis, exigente justitia, fore privatum, eumque ab illis duximus penitus amovendum, sicque prædicta Ecclesia Alerien. per hujusmodi privationem, declarationem, & amotionem vacante, nos ad provisionem ejusdem Alerien. Ecclesiæ, ne prolixioris vacationis exponeretur incommodis, sollicite intendentes, cum nullus præter nos de ordinatione ipsius hac vice se intromittere possit, pro eo, quod nos diu ante privationem, declarationem & amotionem hujusmodi, omnes Cathedrales Ecclesias &c. *vel ignoranter contingeret attentari*. Post deliberationem, quam ad præficiendum eidem Ecclesiæ personam utilem, ac etiam fructuosam, cujus industria in suis valeret juribus adaugeri ac etiam defensari, cum Fratribus nostris habuimus diligentem; demum ad te Ordinis Fratrum Minorum professorem, in sacerdotio constitutum, cui religionis zelum, vitæ munditiam, morum honestatem, & alia multiplicium dona virtutum suffragari ex testimoniis fide dignis accepimus, direximus aciem nostræ mentis. Quibus omnibus diligenti meditatione pensatis, volentes præfatæ Ecclesiæ salubriter providere, de persona tua nobis & eisdem Fratribus nostris, ob hujusmodi tuorum exigentiam meritorum, accepta, memoratæ Ecclesiæ de ipsorum Fratrum consilio, auctoritate Apostolica providemus, teque illi in Episcopum præficimus & pastorem, curam & administrationem ipsius Ecclesiæ tibi tam in spiritualibus, quam in temporalibus plenarie committendo, firma spe, fiduciaque tenentes, quod eadem Ecclesia per tuæ circumspectionis industriam, & grex Dominicus tuo commissus regimini, per te verbo & opere salubriter informatus, semper ad salutaria, divina opitulante clementia, dirigentur. Quocirca discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus impositum tibi hujusmodi onus &c. *consequi merearis*.

Gaddus Episcopatu privatus.

Et F. Galganus præficitur.

Datum Avenione II. Idus Martii anno XIV.

CXIV.

Transfertur ad Ecclesiam Valven. Ex lib.2. epist.564.

Venerabili fratri Petro Episcopo Valven.

§. I. Quam sit onusta dispendiis, quam plena periculis, quantaque discrimina secum trahat diutina Ecclesiarum vacatio, sollicitæ considerationis indagine perscrutantes, libenter operarias manus apponimus, & studium efficax impartimur, ut viduatis Ecclesiis, præsertim ad Romanam Ecclesiam immediate spectantibus, prout personarum, locorum & temporum qualitas exigit, & utilitas persuadet, nunc per debitæ provisionis officium, nunc vero per ministerium translationis accommodæ Pastores præficiantur idonei, & ministri providi deputentur, quorum eædem Ecclesiæ fultæ præsidiis, & favoribus communitæ, votivis & prosperis, auctore Domino, proficiant incrementis.

§. II. Nuper siquidem Ecclesia Valven. ad dictam Romanam Ecclesiam nullo medio pertinente per obitum bon. memor. Andreæ Episcopi Valven. qui in partibus illis diem clausit extremum, Pastoris solatio destituta: nos hujusmodi vacatione ipsius Ecclesiæ fide dignis relatibus intellecta, cupientes eidem Ecclesiæ nostræ operationis ministerio personam secundum cor nostrum idoneam præsidere, provisionem ipsius Ecclesiæ dispositioni & ordinationi nostræ, & Sedis Apostolicæ ea vice duximus specialiter reservandam, decernentes ex tunc irritum, &c. *Contingeret attentari.* Ac deinde de ipsius Ecclesiæ ordinatione celeri & felici, de qua nullus præter nos post reservationem, & decretum prædicta se hac vice intromittere potest, sollicite cogitantes, ac ad provisionem hujusmodi, ne ipsa Valven. Ecclesia longæ vacationis subjaceret incommodis, paternæ sollicitudinis studio intendentes, post cogitationes multiplices,quas primo infra nos ipsos, & tractatus varios, quos deinde cum Fratribus nostris ad præficiendum talem eidem Ecclesiæ Valven. personam, quæ sciret & posset eamdem præservare a noxiis & adversis, & in suis manutenere juribus, & etiam adaugere, habuimus diligentem; demum in te tunc Episcopum Calvien. consideratis grandium virtutum meritis, & donis multiplicium gratiarum, quibus personam tuam altissimus insignivit, & quod tu qui regimini Calvien. Ecclesiæ hactenus utiliter præfuisti, teque alias exercuisti laudabiliter & prudenter in officio Pastorali, dictam Valven. Ecclesiam scies & poteris, auctore Domino, utiliter regere, & feliciter gubernare, nostrum animum duximus dirigendum.

§. III. Intendentes itaque tam præfatæ Valven. Ecclesiæ, quam gregi dominico ejusdem salubriter providere, te a vinculo, quo tenebaris eidem Calvien. Ecclesiæ, cui tunc præeras, de ipsorum Fratrum consilio, & Apostolicæ potestatis plenitudine absolventes, te ad præfatam Valven. Ecclesiam transferimus, teque illi præficimus in Episcopum & Pastorem, curam & administrationem ipsius Ecclesiæ Valven. tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo, liberamque tibi dando licentiam ad præfatam Valven. Ecclesiam transeundi, in eo qui dat gratias, & largitur præmia, confidentes, & credentes firmiter ex maturis tuorum fructibus studiorum, quod prælibata Valven. Ecclesia per tuæ diligentiæ studium fructuosum, Deo propitio, regetur feliciter, & salubriter dirigetur.

§. IV. Quocirca fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad præfatam Valven. Ecclesiam cum plenitudine gratiæ nostræ benedictionis accedens, curam & administrationem prædictas sic diligenter geras, & sol-

& sollicite prosequaris, quod ipsa Ecclesia Valven. gubernatori circumspecto, & fructuoso administratori gaudeat se commissam, &c. *Consequi mereris.* Datum Avenion. IV. Nonas Maii anno XIV.

CXV.

Transfertur a Salernitana ad Sarlaten. Ecclesiam. Ibid. epist. 796.

Venerabili fratri Arnaldo Episcopo Sarlaten.

§. I. Creditæ nobis dispensationis urgemur officio, &c. *Successibus gratulentur.* Nuper siquidem Sarlaten. Ecclesia per obitum bon. memor. Bertrandi Episcopi Sarlaten. qui in civitate Nemausen. diem clausit extremum, Pastoris solatio destituta: nos vacatione hujusmodi fide dignis relatibus intellecta, cupientes ipsi Ecclesiæ, nostræ operationis ministerio, utilem & idoneam præsidere personam, provisionem ipsius Ecclesiæ ordinationi nostræ ea vice duximus specialiter reservandam, decernendo ex tunc irritum, &c. *Neque potest*, ne ipsa Ecclesia longæ vacationis incommoda deploraret, paternis & sollicitis studiis intendentes, ac cupientes eidem Ecclesiæ talem præesse personam, quæ sciret, vellet, & posset eam præservare a noxiis & adversis, & in suis manutenere juribus, & etiam adaugere, post deliberationem, quam super his cum Fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te, qui regimini Salernitan. Ecclesiæ præsidebas, convertimus oculos nostræ mentis.

§. II. Intendentes itaque tam eidem Sarlaten. Ecclesiæ, quam gregi dominico ejusdem salubriter & utiliter providere, te, ex certis causis rationabilibus pro parte tua nobis expositis, volentem & consentientem, a vinculo, quo tenebaris ipsi Salernitanæ Ecclesiæ, cui tunc præeras, de Fratrum prædictorum consilio & Apostolicæ potestatis plenitudine, absolventes, te ad præfatam Ecclesiam Sarlaten. transferimus, & concedimus te ipsi Sarlaten. Ecclesiæ in Episcopum & Pastorem, curam & administrationem ipsius tibi tam in spiritualibus, quam in temporalibus plenarie committendo, liberamque tibi dando licentiam, ad præfatam Sarlaten. Ecclesiam transeundi, sperantes indubie quod ipsa Sarlaten. Ecclesia per tuæ industriæ ac circumspectionis fructuosum studium regetur utiliter & prospere dirigetur. Quocirca fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad præfatam Sarlaten. Ecclesiam cum gratia nostræ benedictionis accedens, &c. *Valeas promereri.*

Datum Avenion. V. Kalend. Julii anno XIV.

CXVI.

Præficitur Ecclesiæ Isernien. Ibid. epist. 778.

Venerabili fratri Henrico Episcopo Isernien.

§. I. Debitum officii nostri requirit, ut inter sollicitudines alias, quibus assidue premimur, specialiter circa Ecclesias diligentem solertiam adhibentes, ipsarum utilitatibus intendamus, in eo præcipue ut viduatis, ne longæ vacationis dispendia patiantur, nostræ diligentiæ studio provideatur celeriter de talium substitutione Pastorum, per quos spiritualiter, & temporaliter continuum suscipiant, auctore Domino, incrementum. Dudum siquidem Ecclesia Isernien. per obitum bon. memor. Petri Episcopi Isernien. qui in partibus illis diem clausit extremum, Pastoris solatio de-

destituta, dilecti filii capitulum ipsius Ecclesiæ Nicolao Andreæ de Isernia Canonico, ac Archidiacono ipsius Ecclesiæ tunc in Romana curia personaliter existente, vocatis omnibus, qui debuerunt, voluerunt, & potuerunt commode interesse, die ad eligendum præfixa, ut moris est, pro futuri substitutione Pastoris convenientes in unum, quondam Conradum judicis Rampini ejusdem Ecclesiæ Canonicum in Sacerdotio constitutum in Isernien. Episcopum per formam compromissi concorditer elegerunt, ipseque deinde electioni hujusmodi ad instantiam dictorum capituli, illius sibi præsentato decreto, infra tempus debitum consensit, ac electionem hujusmodi a venerabili Fratre nostro Archiepiscopo Capuano Metropolitano suo obtinuit auctoritate Metropolitica confirmari, & deinde administrationi se immiscuit Ecclesiæ prælibatæ, a qua quidem electione dictus Nicolaus, quam cito scivit electionem hujusmodi, ex certis causis ad Sedem Apostolicam appellavit, ac ipsam appellationem eidem Conrado infra tempus debitum intimavit, idemque Conradus pro prosecutione negotii electionis & confirmationis hujusmodi ad Sedem eamdem personaliter accessit.

§. II. Hujusmodi ergo electionis & confirmationis ac appellationis negotio pro parte ipsius Nicolai in consistorio exposito coram nobis, nos negotium ipsum venerabili fratri nostro Bertrando Episcopo Tusculano audiendum commisimus, & nobis postmodum referendum, coram quo cum esset inter ipsum Conradum & præfatum Nicolaum ad certos actus in negotio prædicto processum, idem Conradus apud eamdem Sedem diem clausit extremum.

§. III. Nos igitur considerantes quod nullus præter nos de provisione ipsius Ecclesiæ se hac vice intromittere potest, pro eo, quod nos diu ante hujusmodi obitum ipsius Conradi, omnes Ecclesias Cathedrales, &c. *Contingeret attentari*. Et ad provisionem ipsius Ecclesiæ sollicite intendentes, ac cupientes eidem Isernien. Ecclesiæ utilem præsidere personam, post deliberationem quam super hoc cum nostris Fratribus habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Minorum professorem in Sacerdotio constitutum, cui de litterarum scientia, morum honestate & vitæ, religionis zelo, aliisque virtutum meritis laudabilia testimonia perhibentur, convertimus oculos nostræ mentis. Quibus omnibus attente discussis, de persona tua eidem Isernien. Ecclesiæ, de dictorum Fratrum consilio, auctoritate Apostolica providemus, teque illi præficimus in Episcopum & Pastorem, curam & administrationem illius tibi in spiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, ac faciendo tibi postmodum per venerabilem fratrem nostrum Guillelmum Episcopum Sabinen. munus consecrationis impendi, firma spe fiduciaque conceptis ex laudabilibus tuorum fructibus studiorum, quod, gratia tibi assistente & cooperante divina, eadem Isernien. Ecclesia sub umbra tui nominis gubernabitur, regetur & dirigetur sollicite, fideliter & prudenter, augmentaque suscipiet commodi & honoris. Quocirca fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad eamdem Ecclesiam Isernien. sponsam tuam cum nostræ gratia benedictionis accedens, &c. *Uberius consequi merearis*.

Datum Avenion. VI. Non. Julii ann. XIV.

CXVII.

Ut possit eligi in Abbatissam non obstante defectu natalium. Ex 4. par. an. 15. epist. 621.

Dilectæ in Christo filiæ Endelinæ de Parisius Moniali Monasterii sancti Marcelli prope Parisios Ordinis sanctæ Claræ.

§. I. TEstimonium tibi laudabile suffragatur, quod a Domino gratiam consecuta, genituræ maculam, quam non ex legitimo thoro nata, sed de clar. mem. Ludovico Rege Franciæ soluto, & conjugata contraxisse dignosceris, sic claris virtutibus recompensas, quod dignam te reddas Apostolicæ Sedis gratia & favore.

§. II. Hinc est quod nos tuis supplicationibus inclinati, volentes personam tuam, pro qua etiam dilectæ in Christo filiæ Abbatissa & Conventus Monasterii sancti Marcelli prope Parisios Ordinis sanctæ Claræ, cujus Monialis existis, pro te nobis in hac parte supplicarunt humiliter, prosequi prærogativa favoris & gratiæ specialis, tecum ut eodem defectu, & quibuscumque constitutionibus Romanorum Pontificum, ac statutis & consuetudinibus Monasterii, & Ordinis prædictorum contrariis nequaquam obstantibus, possis in Abbatissam ipsius, vel alterius cujuscumque Monasterii dicti Ordinis libere eligi, & assumi, dummodo aliud Canonicum non obsistat impedimentum, auctoritate Apostolica, de speciali dono gratiæ dispensamus. Nulli ergo, &c. nostræ dispensationis, &c.

Datum Aven. IV. Idus Augusti anno XV.

CXVIII.

Confirmantur Indulgentiæ Minoribus concessæ per alios Pontifices. Monum. Ord. par. I. fol. 108.

Dilectis in Christo filiis Generali & Provincialibus Ministris, ac universis Custodibus Guardianis & singulis Fratribus de Ordine Fratrum Minorum.

Pontifices recensentur qui indulgentias concessere.

§. I. FIliationi vestræ indulgentias Ordini vestro concessas per prædecessores nostros, & per nos, facimus manifestas, & confirmatas sicut inferius annotantur, videlicet in festivitatibus beatæ Mariæ Virginis, beatorum Francisci, Antonii, Ludovici, & beatæ Claræ, in consecrationibus Ecclesiarum altariumque, & vocabulis earum & per octavas, est data indulgentia decem annorum & dierum quadraginta a summis Pontificibus, videlicet, Alexandro IV. Innocentio IV. Clemente IV. Urbano IV. Nicolao III. Gregorio IX. Nicolao IV. Idem Alexander IV. omnibus accedentibus ad loca vestri Ordinis, sive ad audiendum verbum Dei, sive ad audiendum missas beatæ Mariæ Virginis, vel beati Francisci dum cantantur, dedit Indulgentiam centum dierum. Idem etiam Papa omnibus visitantibus loca Fratrum Minorum dedit Indulgentiam quadraginta dierum. Idem Innoc. IV. pro eadem causa dies quadraginta. Item idem Innocentius omnibus porrigentibus manus adjutrices Fratribus Minoribus, sive in domibus eorum, sive euntibus per viam XL. dies. Item Nicolaus III. pro eadem causa dies XL. Item Clemens IV. pro eadem causa dierum centum. Item idem omnibus visitantibus Ecclesias Fratrum Minorum totiens quotiens causa devotionis LXXX. dierum. Item Fratres dicti Ordinis in omnibus

præ-

prædicationibus suis extra domum suam possint dare lxxx. dies Indulgentiæ, in domibus autem suis centum ultra prædictas Indulgentias. Item Nicolaus IV. in Missarum solemniis beatæ Mariæ Virginis & beati Francisci dedit indulgentiam c. dierum. Item Benedictus XI. accedentibus ad loca Fratrum Minorum in solemnitatibus eorum centum dies. Item Nicolaus IV. dedit indulgentiam unius anni & dierum xl. accedentibus ad loca prædictorum Fratrum causa devotionis. Item omnibus accedentibus ad loca vestri Ordinis causa devotionis, quocumque tempore, die, vel hora, licet non sit aliquod festum, concessa est indulgentia a pluribus Romanis Pontificibus annorum duorum & dierum xl.

§. II. Nos igitur vestris piis precibus inclinati, salutem & profectum animarum benignius intendentes, de omnipotentis Dei misericordia & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, quorum vicem, licet immeriti, gerimus, auctoritate confisi, easdem omnes indulgentias vestro Ordini per prædictos nostros prædecessores concessas, omnibus vere pœnitentibus & confessis concedimus & confirmamus. Nulli ergo omnino hominum liceat, &c. *Se noverit incursurum*. Joannes omnes confirmat.

Datum Avenion. iv. Kalend. Septemb. anno xv.

CXIX.

Ut construatur in urbe Grassen. Monasterium Clarissarum. Ex 4. par. an. 15. epist. 598.

Episcopo Grassen.

§. I. Exhibita nobis dilectorum filiorum communis & universitatis hominum Civitatis Grassen. petitionis series continebat, quod in Civitate ac Diœcesi Crassen. aliquod Monasterium alicujus Ordinis Monialium non existit, & quod ipsi ad Ordinem sanctæ Claræ magnæ devotionis gerentes affectum, desiderant in dicta Civitate Monasterium Sororum dicti Ordinis fundari & ædificari de novo. Civit. Grass. Monasterium ædificari postulat.

§. II. Quare dicti commune & universitas nobis humiliter supplicarunt, ut dilectis in Christo filiabus Abbatissæ & Conventui Monasterii sanctæ Claræ Massilien. dicti Ordinis ædificandi de novo in loco idoneo ad hoc eis deputando in civitate Grassen. prædictum Monasterium cum Oratorio, domibus, & aliis necessariis officinis, in quo dictæ Sorores dicti Ordinis, in decenti numero ponendæ ibidem, possint perpetuo virtutum Domino famulari, licentiam concedere dignaremur.

§. III. Nos itaque ipsorum communis, & universitatis in hac parte supplicationibus inclinati, ac de circumspectione tua gerentes in his & aliis fiduciam in Domino specialem, fraternitati tuæ per Apostolica scripta committimus, & mandamus, quatenus eisdem Abbatissæ & Conventui construendi de novo, cujuscumque licentia minime requisita, Monasterium hujusmodi in loco congruo & honesto civitatis Grassen. prædictæ, dote tamen sufficienti per commune & universitatem prædictos, eidem Monasterio noviter construendo, juxta tuæ discretionis arbitrium ac numeros Sororum, quæ ponentur seu statuentur ibidem, & ministrorum ipsarum exigentiam primitus assignata: ita tamen quod prædictæ Sorores in prædicto Monasterio noviter construendo ponendæ, quas inibi perpetuo manere volumus sub clausura, per te includantur ibidem, super quibus tuam conscientiam oneramus, quibuscumque constitutionibus contrariis nequaquam obstantibus, Apostolica auctoritate postulatam licentiam largiaris; jure tamen parochialis Commissio data Episcopo, Et conditiones servandæ.

lis Eccleſiæ & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo.
Datum Avenion. III. Nonas Septembris anno XV.

CXX.

Præficitur Eccleſiæ Suanen. Ex 2. par. epiſt. 427.

Dilecto filio Alamanno de Donatis de Florentia electo Suanen.

§. I. Licet continuata ſupervenientium negotiorum inſtantia nos, qui diſponente Domino univerſalis Eccleſiæ regimini præſidemus, inſultibus impetat ſucceſſivis, ſollicitudo tamen Eccleſiarum, illarum præcipue, quæ propriis Paſtoribus viduatæ, Romanæ dumtaxat Eccleſiæ ſunt ſubjectæ, noſtris incumbens humeris tanto arctius nos quotidiana meditatione perurget, quanto eis ſumus ſpecialiter obligati.

§. II. Dudum ſiquidem ex certis rationabilibus cauſis proviſionem omnium Eccleſiarum Cathedralium, &c. *Contingeret attentari*. Et deinde certis cauſis & conſiderationibus moti pariter & inducti, reſervationem, & decretum, ac beneplacitum ſupradictum uſque ad duos annos a Kalendis Januarii proxime præteriti tunc inſtantibus dumtaxat, voluimus perdurare, niſi illa rationibus aliis forſan inducti provideremus in tempus amplius prorogada.

§. III. Interim vero Eccleſia Suanen. dictæ Romanæ Eccleſiæ immediate ſubjecta, quæ in terra ad nos & dictam Eccleſiam Romanam ſpectante conſiſtit, per obitum bon. mem. Tranſmundi Epiſcopi Suanen. qui in illis partibus diem clauſit extremum, Paſtoris ſolatio deſtituta: nos vacatione hujuſmodi ipſius Eccleſiæ fide dignis relatibus intellecta, de ipſius ordinatione, ne diſpendia prolixæ vacationis incurreret, paterna ſollicitudine cogitantes, cum nullus præter nos hac vice de proviſione ipſius Eccleſiæ Suanen. ſe intromittere poſſit, reſervatione & decreto ac beneplacito obſiſtentibus ſupradictis, poſt deliberationem, quam de præficiendo ipſi Eccleſiæ perſonam utilem ac etiam fructuoſam habuimus cum Fratribus noſtris diligentem, demum in te Ordinis Fratrum Minorum profeſſorem, & in Sacerdotio conſtitutum, cui de religionis zelo, vitæ munditia, litterarum ſcientia, honeſtate morum & aliarum multiplicium virtutum meritis laudabilia teſtimonia perhibentur, direximus aciem noſtræ mentis. Quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua ipſi Suanen. Eccleſiæ, de ipſorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi in Epiſcopum præficimus & Paſtorem, curam, &c. *Proficiet incrementis*. Jugum itaque Domini, &c. *Plenius conſequaris*.
Datum Avenione XI. Kalend. Novembris, anno XV.

CXXI.

Ut incorporetur Cuſtodiæ Wigornien. domus Minorum Præſtonen. Ex 3. par. epiſt. 1517.

Dilectis filiis Abbati Monaſterii Leiceſtriæ Lincolnien. Diœceſis ac Priori Wigornien. ac Guillelmo de Melburno Canonico Lichefelden. Eccleſiarum.

§. I. Exhibita nobis dilecti filii nobilis viri Henrici Lancaſtriæ & Leiceſtriæ Comitis, ac Seneſcalli Angliæ, petitio continebat, quod olim quomdam Edmundus Lancaſtriæ & Leiceſtriæ Comes, natus claræ memo-

moriæ Eduardi Regis Angliæ, pater suus, cupiens terrena in cœlestia & transitoria in æterna felici commercio commutare, locum Fratrum Ordinis Minorum de Prestona Lichefelden. Diœcesis in Comitatu suo Lancastriæ consistentem, suis propriis fundavit sumptibus pariter & construxit, dictumque locum a primaria fundatione ipsius fecit Custodiæ Fratrum dicti Ordinis Wigornien. per Prælatos ejusdem Ordinis assignari. Quare præfatus Henricus Comes nobis humiliter supplicavit, ut votum & factum dicti patris acceptare, & incorporationem dicti loci eidem Wigornien. Custodiæ dictorum Fratrum confirmare, de benignitate Apostolica, dignaremur.

§. II. Nos itaque piis votis ejusdem Edmundi in hac parte benignius annuentes, ipsiusque Henrici supplicationibus inclinati, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus vestrum per vos vel alium, seu alios, si est ita, quod per eumdem Edmundum & Prælatos eosdem super præmissis factum est, auctoritate nostra confirmare curetis, ita quod ex tunc locus prædictus sit de Wigornien. custodia prælibata, nec Prælatis seu Fratribus ejusdem Ordinis, liceat eamdem incorporationem infringere, nec etiam infirmare; contradictores per censuram Ecclesiasticam, &c. *De indulto hujusmodi mentionem*.

Datum Avenion. VII. Idus Novembris anno XV.

CXXII.

Transfertur a Nubien. ad Maranen. Ex 3. par. ann. 14. epist. 3571.

Venerabili fratri Vincentio Episcopo Maranen.

§. I. Angit nos cura propensior multifarie, multisque modis ab intimis excitamur, ut circa cujuslibet statum Ecclesiæ, sic attente prospicere, sic excogitari sollicite studeamus, ut per nostræ vigilis attentionis instantiam, Ecclesiis singulis præsertim gubernatione carentibus Pastor accedat idoneus, & Rector providus deputetur, ut superni favoris auxilio eædem Ecclesiæ lætis foveantur eventibus, & successibus prosperis gratulentur.

§. II. Dudum siquidem ex certis rationabilibus causis, provisiones omnium Ecclesiarum Cathedralium, &c. *Contingeret attentari*. Et subsequenter cum finis hujusmodi nostræ ultimæ prorogationis instaret, nos similibus causis inducti, reservationem & decretum prædicta usque ad duos annos ab eisdem Kalendis Aprilis in antea computandos, auctoritate prædicta, per nostras certi tenoris litteras extendenda duximus, ac etiam proroganda. Interim vero aliquorum fide dignorum relatione percepto, quod Nubien. Ecclesia in prædicta consistens Provincia, certis ex causis tunc expressis, vacabat, nos cupientes eidem Ecclesiæ de idoneo providere Pastore, de te Ordinis Fratrum Minorum professore, ipsi Nubien. Ecclesiæ de Fratrum nostrorum consilio, auctoritate Apostolica duximus providendum, teque illi præfecimus in Episcopum & Pastorem. Et subsequenter per venerabilem fratrem nostrum Guillelmum Sabinen. Episcopum tibi fecimus munus consecrationis impendi.

§. III. Postmodum autem cum Ecclesia Maranen. in præfata Provincia similiter consistens, per obitum bo. me. Guidonis Episcopi Maranen. qui in partibus illis diem clausit extremum, foret pastoris solatio destituta, & de causis propter quas vacavisse præfata Nubien. Ecclesia dicebatur, non plene liqueret, ac ob hoc dubitaretur, quod ipsa Nubien Ecclesia non vacaret tunc temporis. Nos te volentem, & consentientem a vinculo, si quo forsan eidem Nubien. Ecclesiæ tenebaris, de Fratrum prædictorum consilio, & Apo-

& Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, duximus abſolvendum, & ſic nullius Eccleſiæ Epiſcopus remanſiſti. Et deinde volentes eidem Maranen. Eccleſiæ, de cujus ordinatione nullus præter nos ſe hac vice intromittere poteſt, reſervatione, decreto, ac prorogatione & extenſione obſiſtentibus ſupradictis, nec non gregi dominico ejuſdem Maranen. Eccleſiæ, tuoque ſtatui ſalubriter & utiliter providere, poſt deliberationem, quam ſuper hoc cum eiſdem Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te, conſideratis grandium tuarum virtutum meritis, quibus perſonam tuam Dominus inſignivit, noſtræ conſiderationis intuitum dirigentes, de perſona tua præfatæ Maranen. Eccleſiæ, de dictorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica, providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum & Paſtorem, curam & adminiſtrationem ejuſdem Maranen. Eccleſiæ tibi, &c. *Conſequi merearis*.

Datum Avenione Kal. Decembris an. 15.

ANNO CHRISTI 1331. JOANNIS XXII. ANNO 15. & 16.

CXXIII.

Ut poſſit ædificare Monaſterium Clariſſarum Piſis. ex 4. par. an. XV. ep. 465.

Nobili Viro Bonifacio Comiti de Domnoratico.

§. I. Dignum arbitramur & congruum, ut votis tuis in iis, quæ ad augmentum Cultus divini pertinent, & ſalutem animarum reſpiciunt, cum omni promptitudine favorabiliter annuamus.

Comitis propoſitum Pontif. laudat.

§. II. Sane porrectæ nobis pro parte tua petitionis ſeries continebat, quod tu pia devotione ductus, cupiens tranſitoria in æterna, & terrena in cœleſtia fœlici commercio commutare, ad laudem Omnipotentis Dei & honorem Beatæ Claræ, tuæque, ac progenitorum tuorum, & aliorum multorum animarum ſalutem, Monaſterium, ſub vocabulo & Ordine dictæ ſanctæ, in quo quadraginta Moniales Ordinis ejuſdem Sanctæ inibi collocandæ, ac claudendæ perpetuum exhibeant Domino famulatum, cum domibus & officinis, tam pro ipſis, quam etiam pro quatuor Fratribus de Ordine Minorum, ad miniſtrandum eis Sacramenta Eccleſiaſtica deputandis neceſſariis, ac etiam opportunis in Civitate Piſana fundare & ædificare proponas, tuis ſumptibus & expenſis.

Circumſtantiæ ædificandi Monaſterii.

§. III. Quare nobis humiliter ſupplicaſti, ut tibi Monaſterium, domos & officinas hujuſmodi fundandi in quo Abbatiſſa & Moniales prædictæ collocari, & includi valeant commode, ac ibidem perpetuo virtutum Domino famulari, largiri licentiam; & hortum Eccleſiæ ſeu Prioratus Sancti Martini Piſan. ſiti in quarterio Chinſicæ in contrada quæ dicitur Guaſtolongo, ubi Monaſterium, domus, & officinæ hujuſmodi fundari & ædificari poſſint, nec non & Eccleſiam ſeu Prioratum ipſum, nunc rectore ſeu Priore carentem, cujus redditus & proventus annui quadringentos florenos auri valere dicuntur, cum clauſtro ac aliis omnibus poſſeſſionibus, juribus, & pertinentiis ſuis eidem Monaſterio, poſtquam fundatum fuerit, in perpetuum concedere, incorporare, & annectere dignaremur.

Licentia Monaſter. conſtruendi conceditur.

§. IV. Nos igitur eximiæ devotionis affectum, quem ad nos, & Romanam Eccleſiam te habere novimus, diligentius attendentes, ac te volentes in hujuſmodi tuo propoſito, quod gratum reputamus Altiſſimo, confovere, ſufficienti dote prius dicto Monaſterio, redditibus computatis Eccleſiæ ſeu Prioratus prædicti ad Diœceſani arbitrium aſſignata, Monaſterium, domos, & officinas hujuſmodi, tam pro monialibus, quam pro Fratribus memo-

memoratis in horto prædicto ædificandi devotioni tuæ, plenam & liberam licentiam, tenore præsentium elargimur. Volentes & nihilominus concedentes, quod dilectus filius Minister Fratrum dicti Ordinis Minorum in Provincia Pisana, de monasteriis dicti Ordinis, ejusdem Sanctæ, dictæ Provinciæ duodecim vel tredecim Moniales religionis zelo, honestate vitæ, ac institutis instructas regularibus, & morum maturitate pollentes, in dicto Monasterio, postquam fundatum fuerit, collocandas, per quas aliæ Virgines in eodem Monasterio Religionis habitum assumentes, de sanctitate vitæ, honestate morum, ac institutis regularibus salubriter valeant informari, nec non dictos quatuor Fratres, pro missa & aliis divinis officiis, congruis horis & temporibus, etiam solemniter, contraria Monasteriorum dicti Ordinis, ejusdem Sanctæ, illarum partium non obstante consuetudine, memoratis Abbatissæ & Monialibus ejusdem Monasterii, quas inclusas ibidem esse volumus, & ipsarum familiaribus celebrandis ac ministrandis Ecclesiasticis Sacramentis possit, prout suæ discretioni videbitur, assumere, ac etiam deputare. Cui quidem Monasterio præfatam Ecclesiam seu Prioratum sancti Martini cum prædicto claustro, & omnibus aliis possessionibus juribus, & pertinentiis suis, salvo tamen jure Archiepiscopali, Apostolica auctoritate concedimus, incorporamus, unimus, & annectimus de gratia speciali. Volentes tamen quod Canonicis, qui nunc sunt Ecclesiæ supradictæ, locus conveniens pro ipsorum habitationibus, & sufficiens provisio dicti Diœcesani arbitrio assignentur de proventibus Ecclesiæ supradictæ, in quibus quidem provisione & loco, eisdem Canonicis cedentibus vel decedentibus, quatuor presbiteri subrogentur qui in eadem Ecclesia Parrochianis ipsius missas, & alia divina officia celebrent & ministrent Ecclesiastica Sacramenta.

Moniales ex aliis Monasteriis ibi collocandæ.

Prioratus S. Martin. unitur Monasterio.

§. V. Qua quidem assignatione facta, dictoque fundato & ædificato Monasterio, ac Abbatissa & Conventu prædictis collocatis & inclusis ibidem, ipsæ Abbatissa & Conventus possint corporalem possessionem Ecclesiæ, seu Prioratus, claustri possessionem jurium & pertinentiarum prædictorum propria auctoritate libere recipere, apprehendere, & etiam retinere, assensu cujusquam minime requisito, fructusque, redditus, & proventus ipsorum in utilitatem prælibati Monasterii convertere, prout eis utilius videbitur expedire. Nulli ergo, &c. nostræ largitionis concessionis, incorporationis, unionis, annexationis & voluntatis, &c.

Bonorum possessio Monasterio conceditur.

Datum Avenione VIII. Kal. Martii anno XV.

CXXIV.

Ut uniat prædicto Monasterio Rectoratum. S. Martini Ibid. epist. 464.

Archiepiscopo Pisano.

§. I. HAbet in nobis dilecti filii nobilis Viri Bonifacii Comitis de Domnoratico sincera & probata, nobisque plurimum grata devotio, quod petitionibus suis, illis potissimum, quæ Dei laudem, profectum pauperum, & salutem animarum prospiciunt, gratiosis favoribus annuamus.

§. II. Cum igitur idem Comes nobis humiliter supplicaverit, ut quamdam domum, *hospitale* vulgariter nuncupatam, sitam juxta claustrum, seu cœmeterium Ecclesiæ, seu Prioratus sancti Martini de quarterio Chinsicæ Pisan. in qua decem vel duodecim lecti pro pauperibus hospitandis dumtaxat teneri, & servari dicuntur, consuetam per laicum, qui Rector seu Hospitalarius nominatur, cujus dispositio ad Archiepiscopum Pisanum, qui est pro tempore, spectare dignoscitur, gubernari, Monasterio per eumdem Co-

 mitem,

mitem, juxta concessionem super hoc, per alias nostras certi tenoris litteras sibi factam, in ejusdem Ecclesiæ seu Prioratus claustro, per quod ad domum ipsam intratur, fundando, & ædificando, in quo quadraginta Moniales Ordinis sanctæ Claræ inibi collocandæ, ac includendæ perpetuum exhibeant Domino famulatum, tam pro majori in ipsa domo hospitalitate servanda, quam etiam pro commoditate Monasterii supradicti, cum omnibus juribus & pertinentiis suis, unire, annectere, & concedere, in perpetuum de speciali gratia dignaremur.

§. III. Quocirca fraternitati tuæ, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per Apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus prædictam domum cum omnibus juribus, & pertinentiis, si absque alicujus præjudicio fieri possit, præfato Monasterio postquam fundatum fuerit, auctoritate nostra concedas, unias in perpetuum & annectas, ita quod Abbatissa & Conventus quæ tunc erunt, ejusdem corporalem possessionem prædictæ domus, ac jurium & pertinentiarum ipsius, auctoritate propria, recipere, & apprehendere valeant, ac etiam retinere, assensu cujusvis minime requisito. Volumus autem quod ipsius domus redditus & proventus, eidem hospitali, nec non domus competens remaneat pro colligendis hospitandis, & alendis pauperibus supradictis.

Datum Avenione VIII. Kalend. Martii anno XV.

CXXV.

Quod in beneficium prædicti Monasterii applicet quædam legata Ibid. epist. 463.

Nobili Viro Bonifacio Comiti de Domnoratico.

§. I. Nobilitatis tuæ sincera & probata devotio, qua nos & Romanam Ecclesiam revereri dignosceris, sicut ab experto cognovimus, promeretur, ut petitiones tuas, quantum cum Domino possumus, ad exauditionis gratiam favorabiliter admittamus.

Comes plura legata adimplere nequit.

§. II. Ex oblatæ siquidem nobis serie tuæ petitionis accepimus, quod progenitores tui a sexaginta annis citra, in eorum testamentis, quæ in suis ultimis voluntatibus condiderunt, multa certa & incerta legata nonnullis piis locis, & pauperibus reliquerunt; certas & magnas pœnas imponentes hæredibus eorumdem & successoribus, si juxta dispositiones ipsorum de legatis non satisfacerent memoratis, quodque tu qui eorumdem progenitorum successor & hæres a tempore obitus quondam Gerardi Comitis de Domnoratico patris tui, fuisti, sicut adhuc esse dignosceris, ad satisfactionem dictorum legatorum astrictus, & etiam obligatus, propter nonnulla gravamina, quæ a rebellibus Ecclesiæ fuisti perpessus, de legatis hujusmodi satisfacere nequivisti propter quod hujusmodi pœnas per testatores prædictos in hujusmodi testamentis impositas, ut præfertur, nosceris incurrisse.

Recurrit ad Sedem Apost.

§. III. Quare nobis humiliter supplicasti, ut cum de certis ad præsens integre, de incertis legatis hujusmodi infra certa tempora solvendo, videlicet quolibet anno mille libras monetæ Pisanæ, usque ad satisfactionem integram legatorum incertorum hujusmodi, quæ quidem legata incerta propter multa quæ tibi incumbunt onera non vales simul ad præsens exsolvere, satisfacere sis paratus, providere tibi super his de benignitate Apostolica dignaremur.

Ei indulgetur ut in favorem Monast. Legata convertat.

§. IV. Nos itaque tuis supplicationibus inclinati, ut omnia & singula hujusmodi legata incerta in utilitatem Monasterii per te in Civitate Pisana, juxta

juxta Ecclesiam seu Prioratum Beati Martini situm in quarterio Chinficæ in contrada quæ dicitur Guastalongo, in quo quadraginta Moniales Ordinis sanctæ Claræ inibi collocandæ, & includendæ perpetuum exibeant Domino famulatum, juxta concessionem super hoc per alias nostras certi tenoris litteras tibi factam fundandi, convertere valeas, auctoritate præsentium tibi indulgemus, omnesque prædictas pœnas per dictos testatores, & etiam a jure communi impositas, quas non solvendo juxta prædictorum testatorum dispositiones hujusmodi legata incurreras, ut præfertur, in quibus tamen alicui, seu aliquibus jus quæsitum non existit, tibi remittimus de dono gratiæ specialis.

§. V. Ceterum cum sicut dicta tua petitio continebat, propter incumbentia tibi onera, supradicta hujusmodi legata non posses exsolvere simul & semel. Volumus & tibi prædicta auctoritate concedimus; quod juxta quod postulasti a nobis mille liberas dictæ monetæ tantum singulis annis usque ad integram satisfactionem hujusmodi legatorum incertorum, ad utilitatem dicti monasterii expendere tenearis. Nulli ergo nostræ concessionis, remissionis, & voluntatis, &c.

Datum Avenione VIII. Kal. Martii anno XV.

CXXVI.

Ut constituat Abbatissam in Monasterio Cabilonen. Ex 2. par. epist. 759.

Venerabili fratri Archiepiscopo Lugdunen.

§. I. Dudum exponente nobis dilecta filia in Christo nobili muliere Margareta Domina de sancta Cruce, Lugdunen. diœcef. quod ipsa cupiens terrena in cœlestia & transitoria in æterna felici commercio commutare, pro suæ, ac progenitorum & successorum suorum animarum salute, in fundo proprio sui patrimonii, videlicet in loco vocato sancta Maria de Cabilone, juxta civitatem Cabilonen. Monasterium Sororum Ordinis sanctæ Claræ proponebat de propriis bonis construi facere & dotare, cum officinis necessariis, juxta suarum exigentiam facultatum, ac supplicante nobis, ut sibi faciendi præmissa; & quod ipsa postquam hujusmodi Monasterium fundatum & dotatum existeret, posset prima vice honestas Sorores & idoneas in dicto Monasterio deputare, juxta facultates assignandas eisdem includendis in eo, juxta dicti Ordinis instituta faceremus, auctoritate Apostolica, licentiam liberam elargiri; & præfici eidem Monasterio in Abbatissam personam idoneam, quam dicta nobilis duceret nominandam. *Petitio Fundatricis.*

§. II. Nos Venerabili fratri Episcopo Cabilonen. nostris sub hac forma dedimus litteris in mandatis, ut eidem Nobili, dote sufficienti per eam prius eidem contruendo Monasterio assignata, pro Abbatissæ, & Sororum instituendarum inibi sustentatione, ac aliis oneribus supportandis, faciendi præmissa postulata per eam, auctoritate Apostolica, licentiam largiretur, sine juris præjudicio alieni, & præficeret ea vice dumtaxat dicto Monasterio, postquam constructum & dotatum foret, in Abbatissam personam idoneam, quam eadem Fundatrix duceret nominandam, ac faceret personam eamdem, juxta instituta benedici prædicta, sibique obediri a suis subditis humiliter & intendi, prout in eisdem litteris plenius continetur. *Episcopo demandatur ut faciat assignare dotem.*

§. III. Cum autem dicta Nobilis, sicut ipsa nobis nuper exposuit, dictum Monasterium, juxta datam sibi ab Episcopo prædicto, earumdem litterarum auctoritate, licentiam, in loco prædicto de bonis propriis construi fecerit & sufficienter dotaverit, adeo quod de ditioribus Monasteriis dicti Or- *Monaster. a Fundatrice ditatum.*

Ordinis partium Burgundiæ reputatur; ipſumque Monaſterium, in quo præfata Nobilis jam Sorores dicti Ordinis in ſufficienti numero collocavit, eareat Abbatiſſa, ejuſque non ſit oratorium benedictum, pro eo quod dictus Epiſcopus ab Epiſcopatu ſuo diutius fuerit abſens, nec de ipſius reditu ſperatur in brevi, ac ipſe pro parte dictæ Nobilis in Francia ubi moratur, pluries requiſitus, ut alteri ſuper hoc committeret vices ſuas, id facere non curavit, præſata Nobilis nobis humiliter ſupplicavit, ut providere dicto Monaſterio in hac parte de opportuno remedio dignaremur.

§.IV. Nos itaque nolentes imperfectum deſeri, quod in hac parte dedit ipſius Nobilis pium propoſitum inchoari, ejuſdem ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus contenta in prædictis litteris ſuper his Epiſcopo memorato directis, videlicet, quæ nondum ſunt per eumdem Epiſcopum, ut præmittitur, executioni mandata, auctoritate noſtra, exequi ſtudeas, juxta ipſarum continentiam litterarum.

Datum Avenion. Kalend. Martii anno xv.

CXXVII.

Deputantur Conſervatores Monaſterii prædicti. Ex 3.part. epiſt. 1170

Dilectis filiis Cappellæ Ducis Burgundiæ de Divione Lingonen. diæceſ. & Cabilonen. Decanis, ac Cantori Biſuntin. Eccleſiarum.

§.I. Militanti Eccleſiæ licet immeriti, diſponente Domino, præſidentes circa curam Eccleſiarum & Monaſteriorum omnium ſolertia reddimur indefeſſa ſolliciti, ut juxta debitum paſtoralis officii, eorum occurramus diſpendiis, & profectibus, divina cooperante clementia, ſalubriter intendamus.

§. II. Sane dilectæ in Chriſto filiæ nobilis mulieris Margaretæ Dominæ de ſancta Cruce Lingonen. diœceſ. petitio nobis exhibita continebat, quod ipſa pro ſuæ, ac progenitorum & ſucceſſorum ſuorum animarum ſalute, quoddam Monaſterium Sororum Ordinis ſanctæ Claræ in fundo proprio, juxta civitatem Cabilonen. videlicet in loco vocato ſancta Maria de Cabilone, ex Apoſtolica licentia ſibi ut aſſerit, in hac parte conceſſa, fundavit de bonis propriis, & eidem dotem in bonis ſuis in imperio conſiſtentibus congruam aſſignavit; ac in eo collocavit decentem numerum Sororum Ordinis antedicti; quodque ipſa Nobilis dubitat, ne præſato Monaſterio, cui nondum eſt de Abbatiſſa proviſum, in locis, terris, poſſeſſionibus, cenſibus, redditibus, proventibus, juribus, juriſdictionibus, & aliis bonis aſſignatis, eidem, ſeu ad illud ſpectantibus, a nonnullis illarum & aliarum partium vicinarum, qui nomen Domini in vacuum recipere non formidant, inſerantur injuriæ, moleſtiæ, violentiæ, aut jacturæ; ſeu loca, terræ, poſſeſſiones, cenſus, redditus, & proventus, jura, juriſdictiones, & alia bona hujuſmodi occupentur, & occupata indebite teneantur.

Dubio Fundatricis occurritur.

§. III. Quare præſata Nobilis Nobis humiliter ſupplicavit, ut Abbatiſſæ quæ erit pro tempore, & dilectis in Chriſto filiabus Conventui dicti Monaſterii, quibus redderetur difficile, pro ſingulis querelis ad Sedem Apoſtolicam habere recurſum adverſus præſumptores, moleſtatores, & injuriatores quoslibet ſuper præmiſſis, efficacis defenſionis præſidio aſſiſtere dignaremur.

Et petitionibus annuitur.

§. IV. Nos igitur adverſus occupatores, præſumptores, moleſtatores, ac injuriatores hujuſmodi, illo volentes eiſdem Abbatiſſæ & Conventui reme-

medio subvenire, per quod ipsorum compescatur temeritas, & aliis aditus committendi similia præcludatur, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus vestrum, per vos, vel alium, seu alios, etiamsi sint extra loca, in quibus deputati estis conservatores & judices, præfatis Abbatissæ & Conventui, efficacis defensionis præsidio assistentes, non permittatis easdem super his, & quibuslibet aliis bonis & juribus ad Abbatissam & Conventum prædictum spectantibus, ab eisdem, vel quibuscumque aliis indebite molestari, vel eis gravamina, seu damna aut injurias irrogari, facturi dictis Abbatissæ & Conventui, quæ erit pro tempore ac Conventui, cum ab eis, vel procuratoribus suis, vel eorum aliquo fueritis requisiti, de prædictis & aliis personis quibuslibet, de quibuscumque molestiis, injuriis, aut damnis, præsentibus & futuris, in illis videlicet, quæ judicialem requirunt indaginem, summarie, & de plano, sine strepitu & figura judicii, in aliis vero prout qualitas ipsorum exegerit, justitiæ complementum, occupatores, seu detentores, molestatores, præsumptores, & injuriatores hujusmodi, nec non contradictores quoslibet & rebelles cujuscumque dignitatis, status, Ordinis, vel conditionis extiterint, quandocumque & quotiescumque expedierit, auctoritate nostra, per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus tam fel. record. Bonifacii Papæ VIII. &c. ut supra in bullis conservatoriis.

Datum ut supra.

CXXVIII.

Conceduntur Indulgentiæ Ecclesiam prædicti Monasterii visitantibus. Ex 2. part. epist. 748.

Universis Christi fidelibus.

§. I. INter universa opera divinæ placita voluntati, ædificare Cœnobium, in quo prudentes Virgines cupientes, accensis lampadibus, obviam ire sponso, gratum & devotum altissimo exhibeant famulatum, non minimum reputatur, cum in eo divinis laudibus glorificetur Altissimus, & per innocentis vitæ merita, gloria æternæ beatitudinis acquiratur.

§. II. Cum itaque dilecta in Christo filia, nobilis mulier Margareta Domina de sancta Cruce, Lugdunen. diœces. quoddam Monasterium Sororum Ordinis sanctæ Claræ in fundo proprio, juxta civitatem Cabilonen. videlicet in loco vocato sancta Maria de Cabilone, ex licentia Apostolica, sicut asserit, de bonis propriis noviter fundaverit, pariter & dotaverit, ac in ea collocaverit decentem numerum Sororum Ordinis antedicti: Nos cupientes, ut erga dictum Monasterium fidelium devotio augeatur, ac ipsius Ecclesia per Christi fideles spiritualibus allectos muneribus frequentetur; de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui Ecclesiam dicti Monasterii in singulis beatæ Mariæ Virginis, ac beati Francisci, & sanctæ Claræ prædictæ festivitatibus venerabiliter visitaverint, annuatim sexaginta dies de injunctis eis pœnitentiis misericorditer relaxamus.

Datum ut supra.

CXXIX.

Ut gaudeant omnibus privilegiis aliis Clariſſis conceſſis. Ibid. epiſt. 798.

Dilectis in Christo filiabus Conventui Sororum Monaſterii ſanctæ Claræ Cabilonen. Ordinis ſanctæ Claræ.

§. I. SAcra veſtra religio &c. *Exhibeatis Altiſſimo ſervitutem*. Et propterea dignum arbitramur & congruum, ut Sedes Apoſtolica vos, quæ ut prudentes Virgines præparantes vos accenſis lampadibus, obviam ire ſponſo, elegiſtis ſub arctæ vitæ obſervantia, perpetuo virtutum Domino famulari, ac veſtrum Monaſterium, quod dilecta in Chriſto filia nobilis mulier Margareta Domina de ſancta Cruce Lugdunen. diœceſ. fundavit noviter, & de bonis propriis dotavit, & cui nondum eſt de Abbatiſſa proviſum, eo amplius gratiis & opportunis favoribus proſequatur, quo quietius & liberius præmiſſa potioribus communitæ libertatibus, poſſitis ad laudem divini nominis adimplere.

§. II. Hinc eſt quod nos veſtris devotis ſupplicationibus inclinati, ut Abbatiſſa dicti veſtri Monaſterii, quæ erit pro tempore, ac vos, ipſumque Monaſterium omnibus privilegiis, indulgentiis, exemptionibus, libertatibus & immunitatibus communiter Monaſteriis dicti Ordinis ab Apoſtolica Sede conceſſis, uti & gaudere libere valeatis, ſicut illis alia prædicta Monaſteria utuntur & gaudent, vobis & illis quæ vobis in Monaſterio prædicto ſuccedent, auctoritate Apoſtolica, de ſpeciali gratia indulgemus. Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis &c.

Datum ut ſupra.

CXXX.

Præficitur Eccleſiæ Lamecen. Ex t. par. epiſt. 27.

Dilecto filio Salvato Martino electo Lamecen.

Vide Conſtit. 25. Clem. V. Tom. 6. fol. 464.

Duæ electiones celebratæ.

§. I. REgimini univerſalis Eccleſiæ &c. *præeſſe utiliter & prodeſſe*. Dudum ſiquidem Lamecen. Eccleſia per obitum bon. mem. Roderici Epiſcopi Lamecen. qui in partibus illis diem clauſit extremum, paſtoris ſolatio deſtituta, duæ fuerunt in ea electiones, una videlicet de dilectis filiis Martino Alphonſi Bracharen. & altera de Joanne Martini ejuſdem Lamecen. Eccleſiarum Canonicis, a dilectis filiis Capitulo ejuſdem Lamecen. Eccleſiæ in diſcordia celebratæ.

§. II. Poſtmodum vero nos vacatione hujuſmodi ipſius Eccleſiæ Lamecen. fide dignis relatibus intellecta, cupientes eidem Eccleſiæ Lamecen. per Apoſtolicæ Sedis providentiam, idoneam præeſſe perſonam, proviſionem ipſius, ea vice ordinationi & diſpoſitioni noſtræ duximus ſpecialiter reſervandam, decernendo ex tunc irritum, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contingeret attentari: ac deinde præfati Martinus & Joannes, qui interim poſt reſervationem & decretum prædicta, eorum forſan ignari, electionibus prædictis de ſe celebratis conſenſerant, certificati de reſervatione & decreto prædictis, pro ipſarum electionum proſecutione ad Sedem Apoſtolicam perſonaliter acceſſerunt.

Electi ad Sedem Ap. accedunt.

§. III. Hujuſmodi ergo electionum negotio pro parte Canonicorum ipſorum propoſito in conſiſtorio coram nobis, eiſdem Canonicis duximus concedendum, ut reſervatione ac decreto prædictis nequaquam obſtantibus, poſ-

possent electionibus eorum hujusmodi consentire, ipsarumque electionum negotium dilecto filio nostro Raymundo titulo sancti Eusebii Presbytero Cardinali audiendum commisimus, & nobis postmodum referendum. Cumque in hujusmodi negotio coram eodem Cardinale ad nonnullos actus inter dictos Canonicos post præstitum ab eis consensum hujusmodi, processum fuisset, præfati Canonici volentes obviare dispendiis, quæ præfatæ Lamecen. Ecclesiæ possent ex vacatione diutina, & litigiorum anfractibus provenire, omni jure, quod eis ex prædictis electionibus de se factis in præfata Lamecen. Ecclesia competebat, libere ac sponte cesserunt in manibus Cardinalis ejusdem, cessionem hujusmodi, de mandato nostro sibi facto vivæ vocis oraculo, admittentis. Et juri suo cedunt.

§. IV. Nos igitur ad provisionem ipsius Lamecen. Ecclesiæ celerem & fœlicem, de qua nullus præter nos se hac vice intromittere potest, pro eo quod etiam nos, diu ante cessionem hujusmodi omnes Ecclesias Cathedrales per cessiones quorumlibet electorum ad illas apud dictam Sedem tunc factas, & in antea faciendas, apud Sedem ipsam vacare intelleximus & voluimus, earumque provisiones ordinationi & dispositioni nostræ duximus specialiter reservandas; decernendo ex tunc irritum & inane &c. paternis & sollicitis studiis intendentes, & cupientes talem eidem Lamecen. Ecclesiæ præsidere personam, quæ sciret, vellet, & posset eam in suis manutenere juribus, & etiam adaugere, post deliberationem quam super his cum Fratribus nostris habuimus diligentem; demum ad te Ordinis Fratrum Minorum professorem, in sacerdotio constitutum, cui de litterarum scientia, religionis zelo, honestate morum & vitæ, prudentia spiritualium & temporalium, aliisque multiplicium & laudabilium virtutum meritis fide digna testimonia suffragantur, direximus oculos mentis nostræ. Quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua nobis & eisdem Fratribus nostris ob hujusmodi tuorum exigentiam meritorum accepta, præfatæ Lamecen. Ecclesiæ, de dictorum Fratrum consilio, auctoritate Apostolica providemus, teque illi præficimus in Episcopum & pastorem; curam & administrationem ipsius Ecclesiæ Lamecen. &c. *uberius consequi merearis*. F. Salv. præficitur.

Datum Avenione IV. Idus Martii anno XV.

In eumdem modo Archiepiscopo Compostellano: & Alphonso Regi Portugalliæ.

CXXXI.

Præficitur Ecclesiæ Acernen. Ibidem epist. 36.

Venerabili fratri Petro Episcopo Acernen.

§. I. Dum ad universas orbis Ecclesias &c. *jugiter prosperentur*. Dudum siquidem Ecclesia Acernen. per obitum bon. mem. Jordani Episcopi Acernen. qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, nos hujusmodi vacatione ipsius Ecclesiæ fide dignis relatibus intellecta, cupientes ipsi Ecclesiæ per Apostolicæ Sedis providentiam, personam idoneam præsidere, provisionem ipsius Ecclesiæ dispositioni nostræ & Sedis prædictæ ea vice duximus reservandam, decernentes ex tunc irritum &c. Vide Const. 14. hujus Pontif. Tom. 6. fol. 507.

§. II. Et postmodum ad provisionem ipsius Ecclesiæ, ne prolixæ vacationis subjaceret incommodis, cum nullus præter nos de ordinatione ipsius, post reservationem & decretum nostra, se intromittere posset, reservatione & decreto hujusmodi obsistentibus, sollicitis studiis intendentes, post delibera-

berationem, quam de præficiendo eidem Ecclesiæ personam utilem, & etiam fructuosam, habuimus cum nostris Fratribus diligentem; demum ad te Ordinis Fratrum Minorum professorem, in sacerdotio constitutum, litterarum scientia præditum, morum gravitate conspicuum, in spiritualibus providum, aliisque virtutum meritis, prout fide dignorum habet assertio, insignitum, direximus oculos mentis nostræ. Quibus omnibus debita consideratione pensatis, de persona tua dictæ Acernen. Ecclesiæ, de ipsorum Fratrum nostrorum consilio, Apostolica auctoritate providimus, teque illi præfecimus in Episcopum & pastorem, curam & administrationem ipsius Ecclesiæ tibi tam in spiritualibus, quam in temporalibus plenarie committendo, & subsequenter tibi per venerabilem fratrem nostrum Bertrandum Episcopum Tusculanum munus fecimus consecrationis impendi: in illo qui dat gratias & largitur præmia, confidentes quod eadem Acernen. Ecclesia præsulis utilis fulta præsidio, sub tuo fœlici regimine, gratia tibi favente divina, grata suscipiet incrementa. Quocirca fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad eamdem Ecclesiam, cum gratia nostræ benedictionis accedens &c. *exinde uberius consequaris*.

Datum Avenione Kal. Julii anno xv.

In eumdem modum Archiepiscopo Salernitano, & Roberto Regi Siciliæ.

CXXXII.

Ut gaudeant privilegiis concessis Monasterio Tolosano. Ex 3. par. ep. 1098.

Dilectis in Christo filiabus Abbatissæ & Conventui Monasterii sanctæ Claræ de Altaripa, Ordinis ejusdem Sanctæ, Tolosanæ Diœcesis.

SAcra vestra Religio &c. *exhibeatis Altissimo servitutem*. Et propterea dignum arbitramur &c. *ad laudem divini nominis adimplere*. Hinc est quod nos vestris devotis supplicationibus inclinati, ut vos, & illæ, quæ vobis in ipso Monasterio succedent, omnibus privilegiis, indulgentiis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus Apostolicis, uti & gaudere libere valeatis, quibus dilectæ in Christo filiæ Abbatissa & Conventus Monasterii sanctæ Claræ Tolosan. ejusdem Ordinis utuntur & gaudent, devotioni vestræ, auctoritate Apostolica de speciali gratia indulgemus.

Nulli ergo &c. Datum Avenione Nonis Junii anno xv.

CXXXIII.

Deputantur conservatores prædicti Monasterii. Ibidem epist. 1099.

Venerabilibus fratribus Narbonen. & Tolosan. Archiepiscopis.

§. I. SAcra Religio dilectarum in Christo filiarum Abbatissæ & Conventus Monasterii sanctæ Claræ de Altaripa, Ordinis ejusdem Sanctæ, Tolosanæ Diœcesis, quæ in dicto Monasterio ab eis sub onere voluntariæ paupertatis jugiter colitur, sic ab eis mundanæ delectationis relegavit illecebras &c. *ad laudem divini nominis adimplere*. Hinc est, quod nos ipsarum devotis supplicationibus inclinati, ut ipsæ & illæ, quæ ipsis in dicto Monasterio succedent, omnibus privilegiis & indulgentiis, exemptionibus, immunitatibus, libertatibusque Apostolicis, uti & gaudere libere valeant, quibus dilectæ in Christo filiæ Abbatissa & Conventus Monasterii sanctæ Claræ Tolosan. ejusdem Ordinis, utuntur, & gaudent auctoritate Apostolica de speciali gratia duximus indulgendum.

§. II. Quo-

§. II. Quocirca fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel alter vestrum, per vos, vel alium, seu alios, auctoritate nostra, eisdem Abbatissæ & Conventui dicti Monasterii de Altaripa, super prædictis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, & exemptionibus, efficacis defensionis præsidio assistentes, non permittatis eas super his ab aliquibus indebite molestari, molestatores, necnon contradictores quoslibet & rebelles, auctoritate prædicta, per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Non obstante quod aliquibus communiter vel &c. quod interdici &c. per litteras Apostolicas non facientes &c. de indulto hujusmodi mentionem.

Datum Avenione nonis Junii anno xv.

CXXXIV.

Indulgentiæ pro visitantibus Ecclesiam Minorum Derotonien. Ex 4. par. epist. 487.

Universis Christi fidelibus.

§. I. Dum præcelsa meritorum insignia, quibus Regina Cœlorum Dei Genitrix gloriosa, sedibus prælata sideriis, quasi stella matutina prærutilat, devotæ considerationis indaginæ perscrutamur, dum etiam infra pectoris arcana revolvimus, quod ipsa utpote mater misericordiæ, mater gratiæ, pietatis amica, humanique generis consolatrix, pro salute fidelium, qui delictorum pondere gravantur, sedula exhortatrix, & pervigil ad regem quem genuit, intercedit, dignum quin potius debitum arbitramur, ut Ecclesias in honore sui nominis dedicatas gratiosis remissionum prosequamur impendiis, & indulgentiarum muneribus honoremus.

§. II. Nos igitur cupientes ut Ecclesia beatæ Mariæ Ordinis Fratrum Minorum in Derotonia Olonen. Diœcesis, quam ipsi Fratres ad præsens construi faciunt, eo ferventius congruis honoribus a Christi fidelibus frequentetur, quo ipsi potiora dona spiritualis gratiæ fuerint consequuti, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui in singulis quatuor festivitatibus ipsius Virginis gloriosæ centum, illis vero qui per octavas dictarum festivitatum Ecclesiam ipsam devote visitaverint annuatim, quadraginta dies de injunctis eis pœnitentiis, singulis videlicet earumdem festivitatum & octavarum diebus quibus visitaverint, manumque porrexerint, ut præfertur, de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, misericorditer relaxamus, præsentibus post triennium minime valituris.

Datum Avenione Idibus Julii anno xv.

CXXXV.

Similis Indulgentia pro visitantibus sacellum in eorumdem Ecclesia Cassellen. Ibidem epist. 486.

Universis Christi fidelibus.

Dum præcelsa meritorum insignia &c. ut supra. Nos igitur cupientes ut Cappella beatæ Mariæ Fratrum Ordinis Minorum Cassellen. quam ipsi Fratres ad præsens construi faciunt, eo ferventius &c. ut supra.

Datum ut supra.

CXXXVI.

Ut possit Monasterium Minoribus construere. Ibidem epist. 594.

Carissimæ in Christo filiæ Elisabethæ Reginæ Hungariæ.

§. I. Eximiæ devotionis sinceritas, quam ad Romanam geris Ecclesiam, sublimisque tui status magnificentia promeretur, ut desideria tua, potissime quæ pietatem sapiunt, & cultus divini incrementum respiciunt, ad exauditionis gratiam admittamus.

§. II. Sane petitio pro parte tua nobis exhibita continebat, quod tu de salute propria cogitans, & pie desiderans transitoria in æterna fœlici commercio commutare, in aliqua civitate, castro seu villa regni Hungariæ, unum locum cum oratorio, ac cœmeterio, & aliis necessariis officinis, in quo loco Fratres Ordinis Minorum ad laudem divini nominis valeant commorari, de de bonis propriis construere de novo proponis.

§. III. Nos itaque tuis devotis in hac parte supplicationibus inclinati, construendi propterea de novo de bonis propriis in aliqua civitate, castro, seu villa Regni prædicti, in loco tamen ad hoc convenienti, insula Danubii prope castrum Budæ ad dilectas in Christo filias Priorissam & Conventum Monasterii de dicta Insula, per Priorissam soliti gubernari, Ordinis sancti Augustini spectante, & etiam castro prædicto Vesprimien. Diœc. exceptis, unum locum cum oratorio ac cœmeterio, & aliis necessariis officinis, dummodo in eodem loco construendo duodecim Fratres dicti Ordinis inibi commorantes, congrue & honeste valeant sustentari, dictisque Fratribus recipiendi locum ipsum ac inibi in Domino laudabiliter morandi, fœl. record. Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri, qua inhibetur &c. non obstante &c. devotioni tuæ, tenore præsentium, de speciali gratia indulgemus. Nulli ergo &c. nostræ concessionis &c. infringere &c.

Datum Avenione XI. Kal. Augusti anno XV.

CXXXVII.

Præficitur Ecclesiæ Sagonen. Ex lib. I. epist. 176.

Jacobo Episcopo Sagonen.

Vide Const. 34. huj. Pont. tom. 4. fol. 307.

Dum ad universas orbis Ecclesias &c. *jugiter prosperentur*. Nuper siquidem Ecclesia Sagonen. per obitum bonæ memoriæ Antonii Episcopi Sagonen. qui apud Sedem Apostolicam diem clausit extremum, pastoris solatio destituta; Nos attendentes quod nullus præter nos, hac vice de provisione ipsius Ecclesiæ se intromittere poterat, pro eo quod nos diu ante vacationem hujusmodi, provisiones omnium Ecclesiarum Cathedralium &c. post deliberationem, quam de præficiendo eidem Ecclesiæ personam utilem & etiam fructuosam, cum Fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Minorum professorem, in sacerdotio constitutum, litterarum scientia præditum, morum gravitate conspicuum, in spiritualibus providum, aliisque virtutum meritis prout fide dignorum habet assertio, insignitum, direximus oculos mentis nostræ. Quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua dictæ Sagonen. Ecclesiæ, de ipsorum Fratrum consilio nostrorum, Apostolica auctoritate providimus, teque illi præfecimus in Episcopum & pastorem, curam & administrationem ipsius Ecclesiæ tibi tam in spiritualibus, quam in temporalibus plenarie committendo, & subsequenter

ter tibi per venerabilem fratrem nostrum Bertrandum Episcopum Tusculanum, munus fecimus consecrationis impendi, in illo qui dat gratias & largitur prœmia confidentes, quod eadem Sagonensis Ecclesia sub tuo fœlici regimine, gratia tibi assistente divina, grata suscipiet incrementa. Quocirca fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus &c. *plenius consequaris.*

Datum Avenione VIII. Kal. Octobris anno XVI.

In eumdem modum Archiepiscopo Pisano.

CXXXVIII.

Ut recipiant domos in insula Corsicæ. Ex libro majori anni ibid. ep. 1342.

Dilectis filiis Magistro Prædicatorum, & Generalibus Minorum Ministro, ac Eremitarum sancti Augustini, ac beatæ Mariæ de Monte-Carmeli Fratrum Ordinum Prioribus.

Sperantes in Domino, & fiduciam obtinentes, quod Ordines vestri, qui rutilant in Ecclesia Dei bonis operibus, & exemplis per suos alumnos dictorum Ordinum Fratres, præsertim in sacra pagina eruditos, & prædicatione Dominici verbi facundos, indigenas & habitatores insulæ Corsicæ, quæ ad jus & proprietatem beati Petri spectare dignoscitur, in fide Catholica, sicut fide digna relatione percepimus, seminudos, rudes, & hebetes, utpote minus sufficienter informatos in illa, temporibus retroactis, quamvis glorientur nomine Christiano, in eadem fide, bonisque moribus, salubriter & prudenter instruantur, ac dirigantur ad salutem, deliberate providimus, ad tantum præfatæ bonum fidei procurandum, gubernandum, & etiam adaugendum, ut in insula jam dicta, in qua, sicut asseritur, nullus religiosorum locus existit, præterquam in castro Bonifacii Calaritan. Diœc. in quo tu fili Magister, & Fratres dicti Ordinis Prædicatorum unum tantum locum habetis, Ordines ipsi aliqua loca recipiant, & in eis ad Dei cultum, & hujusmodi suum peragendum obsequium, aliorumque Christicolarum spiritale commodum, ex dictis Fratribus, nunc & in posterum Fratres collocent opportunos. Ea propter, juxta providentiam hujusmodi, singulis vestrum recipiendi per vos, vel alium, seu alios, pro singulis vestris Ordinibus supradictis, tria loca in dicta insula, in locis videlicet aptis & congruis ejusdem insulæ per vos legitime acquirenda, unicum dumtaxat locum in singulis tribus locis præfatis, & in quolibet ipsorum trium locorum recipiendorum oratorium & necessarias officinas, cum suo ambitu, juxta morem seu consuetudinem dictorum Ordinum, construendi, necnon ad habitandum inibi Fratres ipsius Ordinis ad divinum perpetuum servitium, ad ædificationem salutis eorum ipsorumque indigenarum, & habitatorum, & aliorum fidelium, deputandi, absque præjudicio Parochialium Ecclesiarum dictorum locorum, & cujuslibet alterius alieni, constitutione fœl. record. Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri prohibente, ne Fratres prædicti, & aliorum Ordinum Mendicantium loca de novo accipiant, absque Sedis Apostolicæ licentia speciali faciente plenam & expressam de prohibitione hujusmodi mentionem, nequaquam obstante, plenam atque liberam, auctoritate præsentium, licentiam impertimur. Volumus autem quod in eadem Civitate, seu Villa, vel uno Castro, nonnisi unus locus per vos recipi valeat, quinimo si unus vestrum in aliqua Civitate, seu Villa, vel Castro aliquo locum reciperet, alii vestrum recipere loca minime valeant in eisdem. Nulli ergo nostræ provisionis, donationis, & voluntatis infringere &c.

Vide Constit. 12. Bonif. VIII. tom. 6. fol. 424.

Datum Avenione Kal. Decembris anno XVI.

CXXXIX.

Ut confirmet in Eccleſia Arianen. fratrem Laurentium. Ex lib. 1. epiſt.435.

Archiepiſcopo Salernitano.

Paſtor non Mercenarius Epiſcopus.

§. I. SAcri Canones, præmiſſa in eis digeſta deliberatione, ſanxere, ut paſtor & non mercenarius introeat in ovile Dominicum, & ut præſit, ac proſit gregi Dominico ſuæ commiſſo fidei, ſuæque cuſtodiæ fiducialiter deputato, quodque ipſi paſtori ſit in dictum ovile per oſtium, & non aliunde ingreſſus Canonicus, & ſic diligenter vigilet in ſpecula conſtitutus, quod ſibi & eidem gregi ſuccedat progreſſus ſalubriter fructuoſus, & tamdem egreſſus utique proveniat, miſerante divina clementia, ſalutaris.

§. II. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Roſtagno Epiſcopo Arianen. regimini Eccleſiæ Arianen. præſidente, nos ex certis rationabilibus cauſis, proviſionem ejuſdem Eccleſiæ, cum eam vacare contingeret, illa vice diſpoſitioni noſtræ, ac Sedis Apoſtolicæ duximus reſervandam; decernentes ex tunc irritum &c. Deinde vero præfata Eccleſia, per obitum ipſius Roſtagni Epiſcopi, qui deceſſit in illis partibus, paſtoris ſolatio deſtituta, dilecti filii Capitulum ipſius Eccleſiæ, hujuſmodi reſervationis & decreti forſan ignari, Venerabilem fratrem noſtrum Laurentium Epiſcopum Arianen. Ordinis Fratrum Minorum profeſſorem,in eorum Epiſcopum concorditer elegerunt; ac nos ſubſequenter, ne dicta Eccleſia diutinæ vacationis exponeretur incommodis, & per fide dignam relationem dicti Laurentii virtutum meritis intellectis, ac etiam ob hujuſmodi electionem concordem,voluimus de Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis, quod eidem electioni præfata reſervatio non obeſſet; quodque nihilominus Archiepiſcopus Beneventanus loci Metropolitanus, cui, ejus proprio nomine non expreſſo, ſuper hoc ſcripſimus, ad confirmationem ipſius electionis, ſi eam invenerit de perſona idonea canonice celebratam,nullumque in hac parte ſibi canonicum obviare impedimentum, libere procedere poſſet, ac ſi nulla reſervatio præceſſiſſet; non obſtantibus in contrarium editis conſtitutionibus quibuſcumque, prout ex tenore percipitur litterarum noſtrarum, ſuper hoc dicto Archiepiſcopo directarum.

Electum a Capitulo confirmat.

Reſervatione nō obſtante.

Nec aliis Conſtitutionibus in contrarium.

§.III. Poſtmodum autem, ſicut ex parte præfati Laurentii nobis extitit intimatum, fuit dicta electio auctoritate metropolitica confirmata, & eidem Laurentio munus conſecrationis impenſum, ipſeque poſt confirmationem hujuſmodi geſſit aliquandiu adminiſtrationem ſpiritualium & temporalium Eccleſiæ prælibatæ, quodque his præmiſſis, Michael de Ceſena ſchiſmaticus * qui tunc temporis pro Generali Miniſtro ſupradicti Ordinis ſe gerebat, quique dum reputaretur legitimus Miniſter Generalis ejuſdem Ordinis, prædicto Laurentio tunc electo ad dictam Eccleſiam, conſentiendi electioni præfatæ licentiam duxerat concedendam; contra eumdem Laurentium, eo præſertim, quod ipſe Laurentius per prædicti Michaelis errorum devia minime incedebat, & de illis reprehendebat eumdem, inteſtini odii rancore indebito concepto, falſo confingens quod præfato Laurentio non conceſſerat licentiam antedictam, ipſum occaſione hujuſmodi, a perſonis dicti Ordinis capi fecit, & longo tempore in carcerali cuſtodia detineri; quodque a captivitate & detentione hujuſmodi idem Laurentius liberatus, & reſtitutus fuit priſtinæ libertati, ac ipſe ſic libertati reſtitutus eidem, ad Sedem acceſſit perſonaliter ſupradictam, ſed a tempore captionis præfatæ adminiſtrationem hujuſmodi non exercuit nec exercet.

* *Nota Michaelem Schiſmaticum non hæreticū nuncupari.*

In eum Cæſenas infenſus.

§. IV. Nos igitur tam juſte, quam benigne prædicto Laurentio pene col-

collapso, ne penitus decidat, tam ob zelum justitiæ, quam etiam ex paternæ pietatis affectu, innocentia dicti Laurentii per fide dignam relationem nobis exposita, providere, ac indemnitati ejusdem Ecclesiæ occurrere intendentes, fraternitati tuæ, de cujus circumspectionis industria plenam in Domino fiduciam obtinemus, per Apostolica scripta committimus, & mandamus, quatenus si tibi legitime constiterit de confirmatione, consecratione, ac administratione hujusmodi præfati Laurentii, & aliis præmissis, nobis, ut præmittitur, intimatis, & quod in processu confirmationis ejusdem, facta fides de ipsius Michaelis licentia hujusmodi extitisset, vel si dicta fides in processu præfato nequaquam facta fuisset, & de novo idem Laurentius tibi fidem faciat antedictam, liberam in spiritualibus & temporalibus in dicta Ecclesia & Episcopatu Arianen. administrandi licentiam, auctoritate Apostolica, concedas Laurentio memorato. Sedi restituitur, & innocens declaratur.

Datum Avenion. XII. Kalend. Januarii anno XVI.

Anno Christi 1332. Joannis XXII. anno 16. & 17.

CXL.

Ut uniat Ecclesiam sancti Roberti Monasterio Clarissarum Camberiaci. Ex lib. 2. epist. 829.

Episcopo Gebennen.

§. I. Romanus Pontifex, cui Ecclesiarum omnium & Ecclesiasticorum bonorum divinitus plenaria dispositio est commissa, unit, annectit, & dividit Ecclesias, prout salubrius conspicit expedire.

§. II. Porrectæ nobis siquidem pro parte dilectarum in Christo filiarum Abbatissæ & Conventus Sororum Monasterii de Camberiaco Ordinis sanctæ Claræ Gratianopolitan. diœces. petitionis series continebat, quod ipsæ sunt adeo pauperes & inopes, quod non habent nisi mendicent, unde possint commode sustentari. Quare pro parte ipsarum nobis fuit humiliter supplicatum, ut earum paupertati & inopiæ, pio in hac parte compatientes affectu, Ecclesiam seu Cappellam sancti Roberti tuæ diœcesis, cujus fructus, redditus, & proventus quadraginta librarum Turonen. parvorum, juxta taxationem decimæ valorem annuum non excedunt, ad dilecti filii nobilis viri Aymonis Comitis Sabaudiæ præsentationem, ut dicitur, pertinentem, qui nobis super hoc etiam humiliter supplicavit, mensæ earumdem Abbatissæ & Conventus, cum omnibus juribus & pertinentiis suis, unire & applicare perpetuo, auctoritate Apostolica, dignaremur. Vult Pontif. paupertati Monasterii subvenire.

§. III. Nos igitur præfatas Abbatissam & Conventum sincera prosequentes in Domino caritate, ac volentes earumdem necessitatibus, veris existentibus supradictis, in hac parte per Apostolicæ Sedis providentiam subvenire, fraternitati tuæ, de qua in his & aliis plenam in Domino fiduciam gerimus, per Apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus si est ita, præfatam Ecclesiam seu cappellam, cum dictis juribus & pertinentiis suis præfatæ mensæ perpetuo, auctoritate Apostolica, unire & applicare procures; ita quod Rectore seu Cappellano dictæ Ecclesiæ, seu Cappellæ sancti Roberti, qui tunc erit, cedente vel decedente, vel dicta Ecclesia seu Cappella alio quocumque modo vacante, liceat Abbatissæ & Conventui supradictis corporalem possessionem ejusdem Ecclesiæ seu Cappellæ, ac jurium & pertinentiarum ejus, per se, vel alium, seu alios libere apprehendere & tenere, ipsiusque fructus & proventus in proprios usus convertere, tua super hoc, Commissio data Episcopo.

vel

vel cujuscumque alterius licentia minime requisita; reservata tamen prius de prædictis proventibus pro perpetuo Vicario inibi servituro congrua portione, ex qua possit commode sustentari, juria Episcopalia solvere, & alia sibi incumbentia onera supportare, contradictores per ce nsuram &c. compescendo: non obstantibus si aliqui super provisionibus sibi faciendis de hujusmodi Ecclesiis seu Cappellis, vel aliis beneficiis Ecclesiasticis in illis partibus, speciales vel generales Apostolicæ Sedis, vel Legatorum ejus litteras impetrarint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem & decretum, vel alias quomodolibet sit processum, quas litteras & processus habitos per eosdem, ad dictam Ecclesiam seu Cappellam, si est ita, & per te unionem & applicationem hujusmodi fieri contingat, volumus non extendi, & cetera. *Contingeret attentari*.

Datum Avenione IV. Nonas Januarii anno XVI.

CXLI.

Ut liceat construere Monasterium Clarissarum in loco Casalis. Ex lib. I. epist. 775.

Dilectæ in Christo filiæ Luciæ Belliprandii & Faiini Dominæ Lugdunen. diœces.

§. I. EX favore devotionis & fidei prodire percepimus, quod tua versatur intentio circa cultum divini nominis ampliandum, nosque hujusmodi tuum pium laudabileque propositum favorabiliter prosequentes, illa tibi libenter concedimus, per quæ ad Dei laudem & gloriam idem propositum ad efficaciæ effectum, dextera Domini tibi assistente propitia, perducatur.

§. II. Oblata siquidem nobis tuæ petitionis series continebat, quod tu olim in quodam loco tuo Casalis vulgariter nuncupato Lugdunen. diœc. pro tuæ ac parentum & tuorum progenitorum animarum salute, quamdam Cappellam seu Ecclesiam, de loci diœcesani consensu, de bonis propriis fecisti construi, & ab eodem Diœcesano obtinuisti, quod possent in eadem Cappella seu Ecclesia Missæ & alia divina officia celebrari, quodque tu quæ ad Ordinem sanctæ Claræ geris præcipue devotionis affectum, proponis, & desideras in dicto loco circa, vel juxta præfatam Cappellam seu Ecclesiam quoddam Monasterium Ordinis præfati construere cum necessariis officinis. Quare nobis humiliter supplicasti, ut tibi construendi præfatum Monasterium cum cœmeterio & officinis hujusmodi, ac illud dotandi, nec non in eo easdem Sorores, postquam constructum & dotatum foret, collocandi, sub clausura & regulari observantia dicti Ordinis Domino perpetuo servituras, facultatem liberam concedere dignaremur.

§. III. Nos itaque cupientes cultum hujusmodi adaugeri, ut majestas Altissimi collaudetur amplius, & Sanctorum memoria frequentius peragatur, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, devotioni tuæ ut dictum Monasterium, cum cœmeterio & necessariis officinis prædictis construere, & in eo postquam constructum fuerit, dictas Sorores, sub clausura & regulari observantia dicti Ordinis perpetuo Domino servituras collocare valeas, dote sufficienti pro numero Sororum, & personarum eis inibi deservientium ad loci diœcesani arbitrium per te primitus assignata, sic tamen quod Sorores ipsæ ibidem, sub clausura perpetua commorentur, plenam & liberam, auctoritate Apostol. concedimus facultatem. Nulli ergo &c. nostræ concessionis &c.

Datum Avenione II. nonas Martii anno XVI.

CXLII.

CXLII.

Ut confirmet permutationes quorumdam bonorum Monasterii Guadalfajaræ. Ex lib. 1. epist. 686.

Episcopo Conchen.

§. I. Ecclesiarum & Monasteriorum omnium providere commodis & eorum indemnitatibus præcavere, paterna diligentia intendentes, in illis Apostolici favoris præsidium libenter impendimus, cum Ecclesiarum & Monasteriorum ipsorum utilitas id exposcit, quæ ad statum prosperum eorumdem redundare valeant evidenter. *Vide const. 18. Clem. VI. Exordium.*

§. II. Ex tenore siquidem petitionis Venerabilis fratris nostri Eximini Archiepiscopi Toletani, & dilectarum in Christo filiarum Abbatissæ & Conventus Monasterii sanctæ Claræ de Guadalfajara, Ordinis ejusdem Sanctæ, dictæ diœcesis, nobis porrectæ collegimus, quod Venerabilis frater noster Joannes Patriarcha Alexandrinus, olim Archiepiscopus Toletanus ejusdem Eximini proximus antecessor, dum Ecclesiæ Toletanæ regimini præsidebat, ad ipsius Ecclesiæ honores & profectus aspirans, ac ejusdem Ecclesiæ utilitates affectans, pro Villa seu loco de Alcolea cum terminis ac universis juribus & pertinentiis suis dictæ diœcesis cum Abbatissa & Conventu præfatis, ad quas Villa, seu locus, præfati pertinebat, prout pertinet, quibusque licet, ut asseritur, habere proprium in communi, ex indulto Sedis Apostolicæ speciali, quædam loca, quæ *Tende*, & quemdam alium locum qui *Currale* in illis partibus vulgariter nuncupantur, consistentia in dicto loco de Guadalfajara præfatæ diœcesis, & decimam bladi in dicto loco de Guadalfajara, ipsiusque loci Archipresbyteratum, certis locis exceptis, ad mensam Archiepiscopalem Toletan. spectantia, cum omnibus juribus & pertinentiis eorumdem, de consilio & assensu dilectorum filiorum Decani & Capituli Ecclesiæ antedictæ, permutare promisit, si ad permutationem hujusmodi beneplacitum accederet dictæ Sedis. *Permutatio locorum facien.*

§. III. Interim tamen partes ipsæ speciali stipulatione seu conventione adinvicem promiserunt, sefeque obligaverunt contra præfata, ratione aliqua, vel causa, in aliquo non venire, & licet hujusmodi permutationis contractus proprium non fortiretur effectum, donec beneplacitum accederet antedictum, tamen ne dictus locus de Alcolea quorumdam tyrannorum, qui ad hoc anhelabant, perveniret ad manus, ex tunc dictus antecessor Abbatissæ & Conventui Tendarum & Curialis, ac decimæ; ipsæ vero Abbatissa & Conventus antecessori præfatis Villæ seu loco de Alcolea corporalem possessionem tradere curaverunt, prout in instrumento publico inde confecto plenius continetur. *Per publicam scripturam partes de non contrafaciendo conveniunt.*

§. IV. Quare nobis eximinus Archiepiscopus, Abbatissa, & Conventus præfati devote ac humiliter supplicarunt, ut eidem permutationi, quod pro securitate ipsarum partium robur habeat solidæ firmitatis, nostrum præbere consensum, ipsamque permutationem ex certa scientia confirmare, auctoritate Apostolica, dignaremur.

§. V. Quia vero tu de facto dictæ permutationis ejusque circumstantiis facilius habere poteris notitiam pleniorem, fraternitati tuæ, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per Apostolica scripta, committimus, & mandamus, quatenus permutationem præfatam, necnon conditiones, & qualitates ipsius diligenter examines, & informationem plenariam recipias super eis, & si per informationem ac examinationem hujusmodi repereris hu- *Commissio facta Episcopo.*

hujuſmodi permutationem faciendam, fore factam abſque læſione menſæ vel Monaſterii præfatorum, ſeu alicujus partium earumdem, permutationi hujuſmodi, auctoritate noſtra, aſſenſum præſtes, ipſamque auctoritate præfata confirmes, ſervatis in his, quæ rationabiliter fuerint obſervanda.

Datum Avenion. II. Idus, Martii anno XVI.

CXLIII.

Præficitur Eccleſiæ Nubien. Ex lib. 2. epiſt. 1087.

Raphaeli Spinulæ electo Nubien.

Vide conſtit. 14. Bonifacii VIII. tom. 6. fol. 425.

§. I. INter cetera quæ, ſuperna diſpoſitione, nobis imminent peragenda, &c. *proficere valeant incrementis*. Nuper ſiquidem venerabili fratre noſtro Percivallo Epiſcopo olim Nubien. per venerabilem fratrem noſtrum Fridericum Epiſcopum Saon. procuratorem ipſius Percivalli Epiſcopi, ad hoc ab eo ſufficiens, & ſpeciale mandatum habentem, regimini Nubien. Eccleſiæ, cui tunc præerat, ex certis cauſis legitimis apud Sedem Apoſtolicam libere, ac ſponte cedente in manibus venerabilis fratris noſtri Petri Epiſcopi Peneſtrini, de ſpeciali mandato noſtro ſuper hoc ei facto oraculo vivæ vocis, ceſſionem hujuſmodi admittentis; nos ad proviſionem ejuſdem Eccleſiæ Nubien. celerem & felicem, ne prolixæ vacationis incurreret detrimenta, paterna ſollicitudine, intendentes, cum nullus præter nos de ordinatione ipſius Eccleſiæ ſe hac vice intromittere poſſit, pro eo quod nos diu ante vacationem hujuſmodi proviſiones omnium Eccleſiarum, &c. ac volentes eidem Nubienſi Eccleſiæ, ne prolixæ vacationis ſuſtineret incommoda, celeriter & utiliter providere, poſt deliberationem quam, &c. Demum ad te Ordinis Fratrum Minorum profeſſorem, & in ſacerdotio, &c. cui de litterarum ſcientia, &c. apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos mentis noſtræ. Quibus omnibus attente penſatis de perſona tua eidem Nubien. Eccleſiæ, de dictorum Fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, &c. curam, &c. committendo, firma de te concepta fiducia, quod eadem Nubien. Eccleſia per tuæ circumſpectionis, &c. grata ſuſcipiet incrementa.

§. II. Quocirca diſcretioni tuæ, &c. quatenus impoſitum &c. prompta devotione ſuſcipiens, curam, &c. ſic exercere ſtudeas, &c. quod ipſa Eccleſia, &c. gaudeat ſe commiſſam, tuque præter, &c. benevolentiæ noſtræ gratiam conſequi uberius merearis.

Datum Avenion. Idibus Aprilis anno XVI.

In eumdem modum Archiepiſcopo Januenſi.

CXLIV.

Præficitur Eccleſiæ Sulcitanæ. Ibid. epiſt. 1004.

Guillelmo Jorneti electo Sulcitan.

Vide conſt. 101. hujus Pont. tom. 6. fol. 576.

§. I. PAſtoralis officii debitum exigit, &c. *ſuſcipiat incrementa*. Dudum ſiquidem bon. mem. Bartholomæo Epiſcopo Sulcitano regimini Sulcitan. Eccleſiæ præſidente, nos cupientes eidem Eccleſiæ, cum eam quovis modo vacare contingeret, noſtræ cooperationis miniſterio, ſecundum cor noſtrum idoneam præſidere perſonam, proviſionem ipſius Eccleſiæ, cum vacaret, ordinationi & diſpoſitioni noſtræ, ac Sedis Apoſtolicæ ea vice duximus ſpecialiter reſervandam, decernendo ex tunc irritum, &c. contingeret attentari.

§. II.

§. II. Postmodum vero præfata Ecclesia per obitum ejusdem Bartholomæi Episcopi, qui in partibus illis diem clausit extremum, Pastoris solatio destituta: nos vacatione hujusmodi fide dignis relatibus intellecta, ad provisionem ipsius Ecclesiæ celerem, &c. intendentes, & cupientes talem eidem Ecclesiæ præesse Pastorem, &c. *habuimus diligentem*. Demum ad te Ordinis Fratrum Minorum professorem, in sacerdotio constitutum, litterarum scientia prædictum, vitæ ac morum honestate decorum, prudentia spiritualium, & temporalium providentia circumspectum, aliisque grandium virtutum meritis, prout ex testimoniis fide dignorum accepimus, insignitum, direximus oculos nostræ mentis; quibus omnibus attente discussis, de persona tua, nobis, & dictis Fratribus nostris, consideratione præmissorum, accepta, præfatæ Ecclesiæ Sulcitan. de dictorum Fratrum nostrorum consilio, auctoritate Apostolica, providemus, teque illa præficimus in Episcopum & Pastorem, curam & administrationem ipsius, tibi tam in spiritualibus, quam in temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratias & largitur præmia, confidentes, quod præfata Ecclesia Sulcitan. per tuæ industriæ, & circumspectionis fructuosum studium regetur utiliter & prospere dirigetur, augmentaque suscipiet, auctore Domino, commodi & honoris. Jugum igitur Domini tuis impositum humeris, &c. *percipere incrementum*.

Datum Avenione VIII. Kalend. Maii anno XVI.

In eumdem modum Archiepiscopo Calaritan. & Alphonso Regi Aragonum.

CXLV.

Præficitur Ecclesia Corbanien. Ex lib. majori, epist. 21.

Bonifacio Episcopo Corbanien.

§. I. Apostolatus officium quamquam insufficientibus meritis, nobis commissum, &c. Olim siquidem Ecclesia Sulcitana per obitum bonæ memoriæ Comitis Episcopi Sulcitani, qui in partibus illis diem clausit extremum, Pastoris solatio destituta: nos vacatione hujusmodi fide dignis relatibus intellecta, provisionem ipsius Ecclesiæ Sulcitan. ea vice dispositioni nostræ duximus specialiter reservandam: decernentes ex tunc, &c. si secus super his, &c. contingeret attentari. *Vid. constit. 17. Bonifacii VIII. tom. 6. fol. 425.*

§. II. Deinde vero dilecti filii capitulum ejusdem Ecclesiæ hujusmodi reservationis & decreti forsan ignari, te in Sacerdotio constitutum, Ordinem Fratrum Minorum expresse professum, in Sulcitanum Episcopum, quamvis de facto concorditer elegerunt, tuque hujusmodi electioni de te factæ ad capituli prædictorum instantiam, ignarus, ut asseris, reservationis & decreti hujusmodi, consensisti, dictaque tua electio metropolitica auctoritate, quamvis de facto, etiam extiterit confirmata, tibique subsequenter munus consecrationis impensum, in his omnibus alias statutis a jure temporibus observatis, ac hujusmodi electionis, confirmationis, & consecrationis negotio nobis exposito; nos electionem & confirmationem easdem, utpote, post, & contra reservationem & decretum præfata, attentata, irrita & inania decernentes, aliam personam ipsi Sulcitanæ Ecclesiæ præfecimus in Episcopum & Pastorem, sicque tu Episcopus nullius Ecclesiæ remansisti: cumque jam dudum ex certis rationabilibus causis omnes & singulas Cathedrales & Collegiatas Ecclesias in Provincia Graden. tunc vacantes & in antea vacaturas per biennium primo, & deinde tempus hujusmodi biennale diversis successive vicibus de biennio in biennium prorogando, usque ad Kalendas Aprilis Pontificatus nostri anni XV. provisioni nostræ, & Sedis Apostolicæ, aucto-

ctoritate Apoſtolica duxerimus reſervandas: decernentes ex tunc, &c. ſi ſecus ſuper his, &c. contingeret attentari; & deinde cum finis hujuſmodi ultimæ noſtræ prorogationis inſtaret, nos ſimilibus cauſis inducti, reſervationem & decretum prædicta uſque ad duos annos ab eiſdem Kalend. Aprilis inantea computandis, auctoritate præfata per noſtras certi tenoris litteras, modo & forma expreſſis ſuperius, extendenda duxerimus, & etiam proroganda, ac interim Eccleſiæ Corbanien. quæ de dicta provincia exiſtit, per obitum bonæ memoriæ Petri Epiſcopi Corbanien. qui in partibus Angliæ diem clauſit extremum, Paſtoris ſolatio deſtituta fuiſſet: nos vacatione hujuſmodi ejuſdem Eccleſiæ Corbanien. fide dignis relatibus intellecta, de proviſione ipſius Eccleſiæ Corbanien. celeri & felici de qua nullus præter nos hac vice ſe intromittere poteſt, reſervatione, voluntate, decreto, extenſione, & prorogatione hujuſmodi obſiſten. ne præfata Eccleſia Corbanien. longæ vacationis exponeretur incommodis, cogitare cœpimus diligenter, & demum poſt deliberationem, quam ad præficiendum eidem Eccleſiæ Corbanien. perſonam utilem ac etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem: demum conſideratis virtutum donis, quibus perſonam tuam Dominus earum largitor multipliciter inſignivit, ad te, ne in opprobrium Epiſcopalis dignitatis langueas pro tædio egeſtatis, direximus aciem noſtræ mentis. Quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua eidem Corbanienſi Eccleſiæ, de ipſorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi in Epiſcopum præficimus & Paſtorem, curam & adminiſtrationem ipſius tibi, &c. committendo, in illo qui dat gratias, &c. confidentes, quod ipſius tibi aſſiſtente clementia, dicta Corbanien. Eccleſia per tuæ induſtriæ ſtudium fructuoſum præſervabitur a noxiis & adverſis, ac in utriſque, auctore Domino, multiplicibus proficiet incrementis. Quocirca fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus,&c. *merearis percipere incrementum.*

Datum Avenione III. Nonas Junii anno XVI.

In eumdem modum Archiepiſcopo Spalaten. & Carolo Regi Hungariæ.

CXLVI.

Præficitur Eccleſiæ Apten. Ex lib. 1. epiſt. 1086.

Guillelmo Aſtiæ electo Apten.

SUpremæ dignitatis faſtigio licet immeriti præſidentes,&c. *multimodis efferant incrementis.* Nuper ſiquidem vacante Aptenſi Eccleſia, pro eo quod nos dilectum filium Bertrandum Bononienſem tunc Aptenſem electum licet abſentem a vinculo, quo ipſi Apten. Eccleſiæ, cui præerat, tunc tenebatur, de Fratrum noſtrorum conſilio & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine abſolventes, ipſum ad Bononien. Eccleſiam tunc vacantem duximus transferendum, præficiendo eum dictæ Bononienſi Eccleſiæ, in Epiſcopum & Paſtorem. Nos volentes eidem Aptenſi Eccleſiæ, ne diſpendia prolixæ vacationis incurreret, paterna ſollicitudine præcavere, cum nullus præter nos hac vice de ipſius Apten. Eccleſiæ ordinatione ſe intromittere poſſit, pro eo quod nos diu ante vacationem hujuſmodi ejuſdem Eccleſiæ Apten. omnes Eccleſias Cathedrales, &c. *contigeret attentari*, & ad proviſionem ipſius Apten. Eccleſiæ celerem & felicem, ſollicitis ſtudiis intendentes, & cupientes talem eidem Eccleſiæ Apten. præeſſe Paſtorem, qui ſciret, &c. *habuimus diligentem*. Demum ad te Ordinis Fratrum Minorum profeſſorem, hæreticæ pravitatis Inquiſitorem in certis partibus, auctoritate Apoſtolica deputatum, in

Sa-

Sacerdotio constitutum, cui religionis zelum, litterarum scientiam, honestatem morum, & vitæ prudentiam, spiritualium ac temporalium providentiam, ex claris fide dignis testimoniis, suffragari percepimus, direximus oculos mentis nostræ. Quibus omnibus attenta meditatione discussis, de persona tua nobis & eisdem Fratribus nostris, ob hujusmodi tuorum exigentiam meritorum accepta, præfatæ Apten. Ecclesiæ, de Fratrum præfatorum consilio, auctoritate Apostolica providemus, teque illi præficimus in Episcopum & Pastorem, curam & administrationem ipsius Apten. Ecclesiæ tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo, firma spe fiduciaque conceptis, quod dextera Domini tibi assistente propitia, præfata Apten. Ecclesia per tuæ industriæ ac circumspectionis fructuosum studium regetur utiliter, & prospere dirigetur. Quocirca discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, &c. *exinde uberius consequi merearis*.

Datum Avenione II. Idus Junii anno XVI.

In eumdem modum Archiepiscopo Aquensi, & Roberto Regi Siciliæ.

CXLVII.

Præficitur Ecclesiæ Coronen. Ibid. epist. 1566.

Alvaro Pelagii electo Coronen.

QUam sit onusta periculis, quam plena dispendiis, &c. *felicibus proficiant incrementis*. Dudum siquidem bonæ memoriæ Albertino Episcopo Coronensi regimini Coronen. Ecclesiæ præsidente: nos intendentes eidem Ecclesiæ, cum vacaret, per Apostolicæ Sedis providentiam idoneam præesse personam, provisionem ipsius Ecclesiæ Coronen. cum eam quovis modo & ubicumque vacare contingeret, dispositioni nostræ, ac Sedis ejusdem duximus reservandam. Decernentes ex tunc, &c. Postmodum vero præfata Ecclesia per obitum ejusdem Albertini, qui nuper extra Romanam curiam diem clausit extremum, Pastoris solatio destituta, dilecti filii capitulum ipsius Ecclesiæ hujusmodi reservationis & decreti nostrorum forsan ignari, dilectum filium Franciscum de Luca Canonicum Patracen. in subdiaconatus ordine constitutum, in Episcopum Coronen. per formam compromissi quamvis de facto, concorditer elegerunt, dictusque Franciscus hujusmodi reservationis & decreti, sicut asseritur, inscius, hujusmodi electioni de se factæ, etiam de facto, consensit. Ipsius igitur electionis negotio ad notitiam nostram deducto: nos attendentes electionem ipsam, post, & contra reservationem & decretum præfata de facto celebratam, illam, prout erat, reputavimus irritam & inanem. Et nihilominus ad ipsius Ecclesiæ provisionem celerem, & felicem, de qua nullus præter nos, hac vice se intromittere potest, reservatione & decreto hujusmodi obsistentibus, ne ipsa Coronen. Ecclesia longæ vacationis incommodis exponatur, paternis & sollicitis studiis intendentes, & cupientes eidem Ecclesiæ talem præesse personam quæ sciret, vellet, & posset, eam præservare a noxiis & adversis, ac in suis manutenere juribus, & etiam adaugere, post deliberationem quam super his cum Fratribus nostris habuimus diligentem. Demum ad te Ordinis Fratrum Minorum professorem, in Sacerdotio constitutum litterarum, &c. & aliis multiplicibus, &c. insignitum, direximus oculos nostræ mentis, quibus omnibus diligenti meditatione pensatis, de persona tua nobis & eisdem Fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, ipsi Coronen. Ecclesiæ, de dictorum Fratrum consilio, auctoritate Apostolica providemus, te-

teque illi præficimus in Epiſcopum & Paſtorem, &c. *& ſalubria ſuſcipiet incrementa*. Jugum igitur Domini ſuſcipiens, &c. *uberius valeas promereri*.

Datum Avenion. XVI. Kalend. Julii anno XVI.

In eumdem modum Archiepiſcopo Patracen. & Joanni Principi Achajiæ.

CXLVIII.

Indulgentiæ pro viſitantibus Eccleſiam Monaſterii Clariſſarum Curien. Ex lib. 2. epiſt. 1573.

Univerſis Chriſti fidelibus.

Vid. Conſtit. 51. hujus Pont. in hoc tomo fol. 395.

DUm præcelſa meritorum inſignia quibus Regina cœlorum, &c. Nos igitur cupientes ut Eccleſia Monaſterii ſanctimonialium beatæ Mariæ Virginis in Merano Ordinis ſanctæ Claræ Curien. Diœceſis quod dilecta in Chriſto filia nobilis mulier Offinia Duciſſa Carinthiæ, prout ſua petitio nuper nobis exhibita continebat, ſundavit & dotavit, eo ferventius congruis honoribus a Chriſti fidelibus frequentetur, quo ipſi potioris dona ſpecialis gratiæ fuerint conſecuti, ipſius Duciſſæ nobis ſuper hoc humiliter ſupplicantis ſupplicationibus inclinati, de omnipotentis Dei miſericordia, &c. qui in ſingulis quatuor feſtivitatibus ipſius Virginis glorioſæ centum, illis vero qui per octavas dictarum feſtivitatum Eccleſiam ipſam devote viſitaverint, annuatim quadraginta dies, de injunctis eis pœnitentiis miſericorditer, ſingulis videlicet earumdem feſtivitatum & octavarum diebus, quibus ipſam Eccleſiam viſitaverint, ut præfertur, relaxamus.

Datum Avenione VII. Idus Auguſti anno XVI.

CXLIX.

Præficitur Eccleſiæ Acienſi. ex lib. 2. an. XVII. epiſt. 4.

Angelo Epiſcopo Acien.

Vid. Conſtit. 17. Bonifacii VIII. tom. 6. fol. 419.

APoſtolatus officium nobis, quamquam inſufficientibus merititis. &c. *efferant incrementis*. Dudum ſiquidem ex certis rationabilibus cauſis omnes & ſingulas cathedrales Eccleſias ſeculares & Collegiatas Civitatis & Diœceſ. ac Provinciæ Januenſis tunc vacantes & in antea vacaturas, per biennium primo, & deinde tempus hujuſmodi biennale diverſis ſucceſſive vicibus, de biennio in biennium prorogando uſque ad Kalendas Aprilis Pontificatus noſtri anno XV. proviſioni noſtræ, ac Sedis Apoſtolicæ auctoritate Apoſtolica duximus reſervandas, decernentes ex tunc irritum & inane ſi ſecus, &c. Ac deinde cum finis hujuſmodi noſtræ ultimæ prorogationis inſtaret. Nos ſimilibus cauſis inducti, reſervationem & decretum prædicta uſque ad duos annos, ab eiſdem Kalendis Aprilis in antea computandos, auctoritate prædicta per alias noſtras certi tenoris litteras modo & forma expreſſis ſuperius, extendenda duximus, ac etiam proroganda. Interim vero Eccleſia Acien. quæ in provincia prædicta conſiſtit, per obitum bonæ memoriæ Benevenuti Epiſcopi Acien. qui extra Romanam curiam debitum naturæ perſolvit, paſtoris ſolatio deſtituta: Nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus, &c. Demum ad te Ordinis Fratrum Minorum profeſſorem, in ſacerdotio conſtitutum, cui religionis zelus, vitæ munditia, morum elegantia, nec non & aliarum grandium virtutum merita, prout ex teſtimoniis fide dignis accepimus, multipliciter ſuffragantur, direximus aciem mentis no-

nostræ. Quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua, de dictorum fratrum nostrorum consilio, eidem Ecclesiæ Acien. auctoritate Apostolica providimus, teque illi præfecimus in Episcopum & pastorem, curam, &c. *committendo*. Et subsequenter per Venerabilem Fratrem nostrum Bertrandum Episcopum Tusculanum munus tibi fecimus consecrationis impendi. In illo qui dat gratias, &c. confidentes quod, gratia tibi assistente divina, eadem Ecclesia, &c. proficiet incrementis. Quo circa fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus quatenus ad eamdem, &c. *uberius consequi merearis.*

Datum Avenione XII. Kalend. Octobris anno XVII.

CL.

Favet Clarissis Tholosanis in causa decimarum. Ibid. epist. 1288.

Ad futuram rei memoriam.

§.I. PRovenire debet per nostræ provisionis auxilium, quod salus impediri nequeat animarum, quodque ubique cultus divini nominis augeatur. Exordium.

§.II. Sane dudum ad supplicationem dilectarum in Christo filiarum Abbatissæ & Conventus Sororum Minorissarum Monasterii sanctæ Claræ Tholosan. Ordinis ejusdem Sanctæ causam seu causas appellationis vel appellationum, quæ vertebantur, seu verti sperabantur inter dictas Abbatissam & Conventum ex parte una, & Venerabilem Fratrem nostrum Archiepiscopum Tholosan. ac dilectos filios Vicarium & officiales ipsius, nec non Rectorem Ecclesiæ sancti Martini de Lairaco-Tholosan. Dioec. super eo quod ipsi Archiepiscopus, Vicarius & officiales, easdem Abbatissam & Conventum ad solvendum decimas de bonis earum contra specialia privilegia Monasterio & Ordini præfatis de non solvendis decimis de bonis earum a Sede Apostolica, ut dicitur, concessa, indebite compellebant, dictusque Rector de quibusdam bonis, & possessionibus ipsius Monasterii consistentibus infra fines parrochiæ Ecclesiæ antedictæ, deberi sibi decimas prætendebant, conjunctim vel divisim, ex altra pro parte dictarum Abbatissæ & Conventus interjectæ, seu interjectarum ad Sedem eamdem, dilecto filio Magistro Dino Præposito Ecclesiæ Januen. Capellano nostro & Apostolici Palatii Auditori causarum commisimus audiendas, & fine debito terminandas: Non obstante quod causa, vel caucausæ hujusmodi de sui natura in Romana Curia tractandæ, & decidendæ non essent, cum potestate citandi Archiepiscopum, Vicarium, Officiales, & Rectorem prædictos extra dictam curiam, & ad partes, quotiens extiterit opportunum; dictusque Auditor Archiepiscopum, Vicarium, Officiales & Rectorem jam dictos per litteras suas ad partes easdem, ad instantiam ipsarum Abbatissæ & Conventus citari mandavit. Dissidium, inter Monast. & Episc. &c. Causa committitur Præposito Januen. terminãda.

§. III. Deinde vero ex petitionis tenore pro parte dictarum Abbatissæ & Conventus nobis oblatæ percepto, quod præfati Archiepiscopus & Rector occasione dictarum decimarum, dictusque Rector prætendens se habitatorem Tholosan. & asserens quod præfata Abbatissa & Conventus, cum auctoritate certarum litterarum Apostolicarum extra dioecesim dictam, contra privilegia civibus & habitatoribus Tholosan. ne per litteras Apostolicas extra eamdem Dioecesim trahi possent in causam, nisi de privilegiis ipsis in dictis litteris plena & expressa mentio haberetur, a dicta Sede, ut dicitur, indulta, procuraverat & fecerat, ut asseritur, in eamdem Abbatissam & singulas Moniales de dictis Conventu excommunicationis, & in ipsas conventum suspensionis, Rectoris prætensio. Moniales a parte vexatæ.

fioois, ac in Ecclesiam dicti Monasterii interdicti sententias promulgari & quod ipsi Archiepiscopus & Rector faciebant prædictas Abbatissam & Moniales excommunicatas publice nunciari, & participantes eisdem excommunicationum vinculis innodari, aliasque aggravationes fieri, adeo quod in dicta civitate consortium earum & participatio minime habebantur, ac etiam vendentes eis panem & vinum, & alia vitæ necessaria ministrantes non reperiebantur sed denegabantur eisdem, ita quod fame & victualium, & necessariorum carentia ipsæ Moniales quæ numerum centenum, ut fertur, excedunt, in eodem Monasterio inclusæ deficiebant, & vita peribant, seu ex tali vexatione, ac impressione hujusmodi, liti cedere cogebantur, nisi super his pie ac celeriter fuisset provisum eisdem per providentiam dictæ Sedis, nobis ex parte dictarum Abbatissæ & Conventus humiliter supplicato, ut providere ipsis super præmissis, de ipsius Sedis clementia & benignitate solita dignaremur.

Earum necessitatibus Pont. accurrit.

§. IV. Nos suadentibus rationabilibus causis, hujusmodi excommunicationum, suspensionis, & interdicti, sententias, usque ad festum beati Michaelis tunc proxime venturum, nunc præteritum, eas auctoritate Apostolica duximus relaxandas. Cum autem inter partes prædictas super præmissis apud Sedem eamdem lis pendere noscatur. Nos attendentes & auctoritate Apostolica declarantes, dictum Rectorem non debere gaudere de jure præfatis privilegiis concessis, ut præmittitur, civibus & habitatoribus Tholosan. prædictis, & nihilominus periculis animarum, aliisque damnis & scandalis plurimis, quæ ex præmissis processibus & sententiis provenerant, & provenire possent verisimiliter in futurum, quantum cum Deo possumus præcavere volentes, his & aliis certis ex causis rationabilibus moti, pariter & inducti, ipsarum Abbatissæ & Conventus devotis supplicationibus inclinati, prædictos omnes & singulos processus, sententias atque pœnas, in easdem Abbatissam & Conventum, ac earum Ecclesiam & Monasterium supradicta, occasione dictorum privilegiorum, eisdem civibus & habitatoribus Tholosan. ut præmittitur concessorum, factos, habitos, ac prælatos, & etiam promulgatos, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, suspendimus de gratia speciali. Nulli ergo nostræ suspensionis, &c.

Datum Avenione VI. Nonas Octobris anno XVII.

In eumdem modum dilectis filiis Petro Stephani de Osnille Cappellano nostro & Bertrando de Caimaco de Briva Tholosan. & Lemovicen. Diœc. prioribus & Joanni de Castro novo Cancellario Ecclesiæ Tholosan.

Provenire debet per nostræ provisioois auxilium, &c. usque de gratia speciali. Quocirca mandamus quatenus vos, vel duo, aut unus vestrum per vos, vel alium, seu alios, hujusmodi suspensionem nostram, ubi & quando expedire videritis, cum pro parte ipsarum Abbatissæ & Conventus fueritis requisiti, solemniter publicare curetis. Dat ut supra.

CLI.

Ut Præficiat Ecclesiæ Mylchonen. Fr. Vitum. Ex lib. curial. in append. ep. 44.

Archiepiscopo Strigonien.

Præfatio.

§. I. Licet ex suscepto a nobis Apostolatus Officio, menti nostræ instanter immineat vigilantia studiosa, ut de Ecclesiarum honoribus & profectibus sollicite cogitemus, & ut in illis exultent, exhibeamus quantum nobis dignatio cœlestis indulget, opem & operam efficaces; est tamen infitum cordi nostro, ut ipsis Ecclesiis, earumque populis, præsertim in orbis

bis terræ, Christianæ culturæ ignaris partibus finitimis constitutis, ut illucescat in eis splendor Evangelicæ veritatis, nec non Ecclesiæ ipsæ in suis bonis & juribus jam prostratis, salutis & prosperitatis, dextera Domini faciente virtutem, fælicia juvamenta recipiant, Apostolicæ cooperationis præsidium impendamus, quæ prout fida spes suggerit, possunt verisimiliter provenire, si Ecclesiæ tales committantur regendæ, ac etiam gubernandæ personis religione conspicuis & probatis, & virtutum titulis insignitis.

§. II. Nuper siquidem ad audientiam nostram relatio fide digna perduxit quod Episcopatus Mylchonen. in Regno Hungariæ, in finibus videlicet Tartatorum ex institutione ordinatus antiqua, a tempore quo dicti Tartari potenter dictum regnum seu partes Hungaras, proh dolor! intraverunt, fuit per eos fatales & sævos omnino destructus, & Ecclesia ipsius Episcopatus funditus extirpata, extinctis & defunctis successive deinde temporibus, Canonicis Ecclesiæ antedictæ, ac in extirpatione & destructione hujusmodi, usque ad hæc tempora Episcopatus ipse prostratus extitit, & existit, possessionibus, bonis & juribus Episcopatus & Ecclesiæ præfatorum a potentibus illarum partium occupatis, quodque per dilectum filium Vitum de Monte ferreo Ordinis Fr. Minorum, quem vita, moribus, scientia, fidelitate, & experientia fore ad id aptum, relatio perhibet supradicta, si de eo per clementiam Sedis Apostolicæ, Ecclesiæ provideatur præfatæ, prout devota spes suggerit, & nobis ex relatione innotuit prælibata, sub favoris præsidio carissimi in Christo filii nostri Caroli Regis ejusdem Hungariæ illustris, cujus idem Vitus Cappellanus existere perhibetur, prædictus Episcopatus ad statum pristinum reducetur, & recuperabuntur possessiones, bona, ac jura superius nominata. *Episcop. Mylch. destructus.* *F. Vitus commendatur.*

§. III. Nos igitur ut tanti boni copia ex persona ipsius Viti cum gratiæ cœlestis augmento provenire valeat, plenis & devotis affectibus cupientes, gerentes quoque de tuæ sinceritate fidei fiduciam in Domino specialem, fraternitati tuæ per Apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus si est ita, de dicto Vito, auctoritate Apostolica, Ecclesiæ provideas memoratæ, ipsumque Vitum eidem Ecclesiæ præficias in Episcopum & Pastorem, curam, &c. quam in temporalibus prout illas ab antiquo gesserunt sui Episcopi successive, plenarie committendo. Et subsequenter eidem Vito, si de illo ipsi Ecclesiæ provideris, ascitis & in hoc tibi assistentibus duobus vel tribus Antistibus Catholicis gratiam & communionem dictæ Sedis habentibus, munus consecrationis impendas, faciens sibi a suis subditis obedientiam & reverentiam exhiberi; contradictores per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, recepturus ab eo postmodum nostro & Ecclesiæ Romanæ nomine, fidelitatis debitæ solitum juramentum, &c. *Destinare*.

Datum Avenione IV. Nonas Octobris anno XVII.

CLII.

Præficitur Ecclesiæ Calven. Ex lib. 2. epist. 30.

Joanni Episcopo Calvensi.

§. I. PAstoralis officii nobis quamvis immeritis, &c. *salubriter gubernare.* Dudum siquidem bonæ memoriæ Henrico Episcopo Isernien. regimini Isernien. Ecclesiæ præsidente, nos cupientes ipsi Ecclesiæ, cum eam vacare contingeret, idoneam per Apostolicæ Sedis providentiam, præesse personam, provisionem ipsius Ecclesiæ ea vice dispositioni nostræ, ac Sedis ejusdem duximus specialiter reservandam, decernendo ex tunc irritum, &c. *Contingeret attentari.* Ac deinde præfato Henrico Episcopo in illis partibus *Vid. Constit. 101. hujus Pont. tom. 6. fol. 576.*

viam universæ carnis ingresso, dilecti filii Capitulum ejusdem Ecclesiæ, hujusmodi reservationis & decreti forsan ignari, te Ordinis Fratrum Minorum professorem, & in Sacerdotio constitutum, in Isernien. Episcopum, quamvis de facto, concorditer elegerunt, tuque hujusmodi reservationis & decreti, sicut asseritur, inscius, dictæ electioni, de tui Superioris licentia, ad dictorum Capituli instantiam, præstans assensum, obtinuisti electionem hujusmodi a Vener. Fratre nostro Archiepiscopo Capuano, loci Metropolitano, reservationem & decretum prædicta similiter ignorante, auctoritate Metropolitica confirmari, subsequenter te in Isernien. Episcopum consecrari. Verum quia electio & confirmatio supradictæ, utpote post & contra reservationem & decretum hujusmodi attentatæ, erant irritæ & inanes, tu nullius Ecclesiæ Episcopus remansisti.

§. II. Postmodum vero Ecclesia Calven. per obitum bonæ memoriæ Thadæi Episcopi Calven. qui in partibus illis diem clausit extremum, pastoris solatio destituta. Nos vacatione hujusmodi ipsius Calven. Ecclesiæ fide dignis relatibus intellecta, cupientes eidem Ecclesiæ Calven. per ipsius Sedis providentiam, personam utilem, & idoneam præsidere, provisionem ipsius Ecclesiæ Calven. dispositioni nostræ & Sedis ejusdem ea vice, modo simili duximus reservandam, & decrevimus ex tunc irritum & inane si secus, &c. contingeret attentari.

§. III. Ac deinde considerantes, quod nullus præter nos de ordinatione præfatæ Ecclesiæ Calven. post reservationem & decretum prædicta, ultimo per nos facta, se hac vice intromittere poterat, de præficiendo eidem Ecclesiæ Calven. personam utilem ac etiam fructuosam, ne longæ vacationis deploraret incommoda, cogitare cœpimus diligenter; & post deliberationem, quam cum Fratribus nostris habuimus diligentem, ad te de multiplicium virtutum meritis apud nos, fide digno testimonio commendatum, aciem dreximus nostræ mentis. Quibus omnibus attente discussis, de persona tua eidem Calven. Ecclesiæ, de Fratrum eorumdem consilio, auctoritate Apostolica, providemus, teque illi præficimus in Episcopum & Pastorem, curam & administrationem illius tibi tam in spiritualibus, quam in temporalibus plenarie committendo, &c. *Consequi uberius merearis*.

Datum Avenione Kal. Novembris anno XVII.

In eumdem modum Archiepiscopo Capuano & Roberto Regi Siciliæ illustri.

CLIII.

Præficitur Ecclesiæ Satrianen. Ex lib. curial. epist. 335.

Dilecto filio Francisco de Spoleto Electo Satrianen.

Pastoralis officii debitum exigit, &c. Ut supra. Dudum siquidem bonæ memoriæ Arduino Episcopo Satrian. regimini Satrianen. Ecclesiæ præsidente. Nos cupientes eidem Ecclesiæ, cum eam quovis modo vacare contingeret, nostræ operationis ministerio, idoneam præsidere personam, provisionem ejusdem Ecclesiæ cum vacaret, ordinationi & dispositioni nostræ ac Sedis Apostolicæ, ea vice duximus specialiter reservandam; decernendo ex tunc irritum, &c. Postmodum vero præfata Ecclesia, per obitum ejusdem Arduini Episcopi, qui in partibus illis diem clausit extremum, pastoris solatio destituta. Nos vacatione hujusmodi fide dignis relatibus intellecta, ad provisionem ipsius Ecclesiæ celerem & fælicem, ne longæ, &c. paternis, &c. cupientes, &c. in suis juribus manutenere, &c. post deliberationem, &c. Demum ad te Ordinis Fratrum Minorum in Sacerdotio constitutum, &c. direximus oculos mentis nostræ. Quibus omnibus attente discussis,

cussis, de persona tua nobis & dictis Fratribus nostris, consideratione præmissorum accepta, præfatæ Satrianen. Ecclesiæ, de dictorum, &c. providemus, teque illi præficimus, &c. plenarie committendo. In illo qui dat gratias, &c. quod præfata Ecclesia Satrianen. per tuæ industriæ ac circumspectionis fructuosum studium regatur utiliter, & prospere dirigatur, &c. Jugum igitur Domini tuis, &c. *Recipere incrementum*.

Datum Avenione IV. Nonas Decembris anno XVII.

In eumdem modum Archiepiscopo Comsan. & Roberto Siciliæ Regi illustri.

CLIV.

Præficitur Ecclesiæ Nicosiensi. Ibid. epist. 108.

Dilecto filio Ecclesiæ de Nabinallis electo Nicosien.

Militanti Ecclesiæ disponente Domino &c. *idoneos in pastores*. Dudum siquidem bonæ memoriæ Joanne Archiepiscopo Nicosiensi regimini Nicosiensis Ecclesiæ præsidente: nos intendentes eidem Ecclesiæ, cum vacaret, per Apostolicæ Sedis providentiam idoneam præesse personam, provisionem ipsius Ecclesiæ Nicosien. cum eam vacare contingeret, dispositioni nostræ & Sedis Apostolicæ ea vice duximus reservandam: decernentes ex tunc &c. Postmodum autem dicto Joanne Archiepiscopo in illis partibus viam universæ carnis ingresso, nos vacatione hujusmodi fide dignis relatibus intellecta, ad provisionem ejusdem Nicosiensis Ecclesiæ celerem & felicem, de qua nullus præter nos &c. reservatione & decreto hujusmodi obsistentibus, ne ipsa Nicosiensis Ecclesia longæ vacationis &c. talem præesse personam &c. post deliberationem quam super his &c. Demum ad te Ordinis Fratrum Minorum Professorem, in Sacerdotio constitutum, sacræ Theologiæ Magistrum, quem prout fide digna relatione percepimus, morum insignit honestas, spiritualium & temporalium providentia, pluraque alia virtutum dona commendant, direximus oculos mentis nostræ. Quibus omnibus diligenti meditatione pensatis, de persona tua nobis, & eisdem Fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, ipsi Nicosiensi Ecclesiæ, de dictorum Fratrum nostrorum consilio, auctoritate Apostolica, providemus, teque illi præficimus in Archiepiscopum & pastorem, curam &c. dictæ Ecclesiæ &c. committendo in illo qui dat gratias &c. salubria suscipiet incrementa. Jugum igitur Domini tuis &c. ejusdem Nicosien. Ecclesiæ curam sollicitam geras, gregem Dominicum &c. informando, ita quod dicta Nicosien. &c. gaudeat se commissam, ac bonæ famæ tuæ &c. retributionis æternæ præmium &c. valeas promereri.

Vide constitut. 5. Clem. V. tom. 6. fol. 451.

Datum Avenione XVI. Kalend. Decembris anno XVII.

In eumdem modum Hugoni Regi Cypri illustri.

CLV.

Ut faciat commutari domos inter Minores & Moniales sancti Gregorii Neapolitan. Ex lib. curial. in append. epist. 91.

Archiepiscopo Neapolitano.

§. I. Opus meritorium & veritatis exequimur, cum occurrimus periculis animarum, & præbemus materiam qualiter via, præsertim inter personas religiosas, scandalis præcludatur, sic quod eædem personæ, favente illo a quo bona cuncta procedunt, in honestatis & pacis pulchritudine

dine quiescentes, liberis & quietis mentibus, pensum exolvant Altissimo debitæ servitutis.

§. II. Sane petitio dilecti filii Geraldi Ministri Generalis Ordinis Fratrum Minorum nuper nobis exposita continebat, quod juxta Conventum sancti Laurentii de Neapoli Fratrum dicti Ordinis, est quoddam Monasterium Monialium dictum sancti Gregorii, Ordinis sancti Benedicti, sola carreria media inter Conventum & Monasterium prædicta, quod quidem Monasterium habet unam domum seu cameram a parte dicti Conventus ipsorum Fratrum, juxta ipsorum dormitorium, ad quam ipsæ Moniales veniunt per pontem, qui est supra carreriam quasi portale.

§. III. Quare dictus Minister pro utriusque Ordinis & Conventus honestate, nobis humiliter supplicavit, ut dictas Moniales ad dimittendum ipsis Fratribus domum illam, & ad recipiendum recompensationem bonam in domibus melioribus, a parte claustri & Conventus earum, per aliquem discretum induci, & etiam compelli facere dignaremur.

§. IV. Nos igitur attendentes petitionem hujusmodi rationi fore consonam, & de radice procedere honestatis, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, præfatas Moniales, auctoritate nostra, efficaciter ad præmissa faciendum inducas, & si opus fuerit, compellere non postponas, Contradictores per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Non obstante si iisdem Monialibus, vel quibusvis aliis communiter vel divisim a Sede indultum Apostolica sit, quod interdici &c. per litteras Apostolicas non facientes &c. de hujusmodi indulto mentionem.

Datum Avenion. VI. Idus Decembris anno XVII.

CLVI.

Ut recipiant domum in Anglia. Ex lib. 2. epist. 1126.

Dilectis filiis Ministro Generali, & Fratribus Ordinis Minorum.

§. I. Merita vestræ religionis, in qua virtutum Domino militatis, exposcunt, ut Apostolica Sedes benigno vos favore confoveat, & opportunis gratiis prosequatur. Cum itaque, sicut nobis pro parte carissimi in Christo filii nostri Eduardi Regis Angliæ illustris, & dilecti filii nobilis viri Joannis Comitis Cornubiæ, Fratris ejus, oblatæ petitionis series continebat, idem Rex cupiens terrena in cœlestia &c. pro ampliatione divini cultus ad Dei laudem & gloriam, ac ipsorum, nec non & pro claræ memoriæ Eduardi Regis Angliæ patris ipsorum, & progenitorum suorum animarum salute, quemdam locum in regno Angliæ, videlicet in Villa de Maydestan. Cantuar. diœcesi. situatum, cum ejusdem ædificiis & pertinentiis Ordini vestro, ac vobis duxerit concedendum, vosque locum ipsum absque permissione Sedis Apostolicæ recipere, ac Ecclesias, seu oratoria, domos, & officinas necessarias, constitutione felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri, de locis hujusmodi de novo non recipiendis absque dictæ Sedis licentia obsistente, construere nequeatis.

§. II. Nos eorumdem Regis & Comitis supplicationibus inclinati, vobis recipiendi locum hujusmodi, sine juris parochialis Ecclesiæ, & cujuslibet alterius præjudicio alieni, dummodo dicta Villa ad sustentationem duodecim Fratrum ipsius Ordinis fore sufficiens dignoscatur, ac construendi & habendi ibidem Ecclesiam, seu oratorium, ac domos, & officinas, ut in dicto loco Fratres vestri Ordinis perpetuo commorentur, prædicta & qualibet alia con-

constitutione contraria non obstante, tenore præsentium indulgemus. Volumus autem ut postquam dicti Fratres in loco præfato extiterint deputati, prædictus locus, privilegiis & libertatibus Ordini prædicto concessis, sicut alia loca dicti Ordinis, libere gaudere valeat & quiete. Nulli ergo &c. nostræ concessionis & voluntatis &c.

Datum Avenion. XVII. Kalend. Januarii anno XVII.

Anno Christi 1333. Joannis XXII. anno 17. & 18.

CLVII.

Ut recipiat locum in oppido Rethiniæ. Ex lib. curial. in append. epist. 86.

Dilecto filio Nicolao Ministro Fratrum Ordinis Minorum Boemiæ.

§. I. Sacræ religionis, in qua jugiter virtutum Domino devotum & fedulum famulatum, tu, & alii Fratres tui Ordinis impenditis, merita promerentur, ut in iis, quæ ad prosperitatis augmentum dicti Ordinis, pro cultu divini nominis ampliando, ac tibi & eisdem Fratribus, aliisque Christi fidelibus æternæ salutis præmio impetrando provenire valent, nos & Apostolicam Sedem reperias propitios, favorabiles ac etiam gratiosos.

§. II. Cum autem sicut ex tenore tuæ petitionis nobis porrectæ collegimus, cupias ut Fratres dicti Ordinis in oppido Rethiniæ Pragen. diœcef. locum construant, & in loco hujusmodi commorentur, nobis devote ac humiliter supplicasti, ut dictis Fratribus recipiendi dictum locum, & quod in eo ipsi Domino famulentur, licentiam elargiri, de benignitate Apostolica dignaremur.

§. III. Nos igitur cujuslibet meritoriæ actionis propositum volentes feliciter promovere, hujusmodi supplicationibus inclinati devotioni tuæ recipiendi locum in oppido antedicto, in quo quidem loco prædicti Fratres ipsius Ordinis Domino famulentur, constitutione felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri prohibente, ne recipiantur loca de novo a Fratribus &c. contraria non obstante; dummodo parochiali Ecclesiæ, vel alicui alii per hoc nullum præjudicium generetur, dictumque oppidum ad sustentationem duodecim Fratrum dicti Ordinis sufficiens fuerit, liberam licentiam, auctoritate præsentium, indulgemus. Volumus autem quod postquam dicti Fratres in loco præfato construendo extiterint deputati, privilegiis Ordini dicto concessis gaudeant & utantur. Nulli ergo &c. nostræ concessionis &c.

Datum Avenion. Idibus Januarii anno XVII.

CLVIII.

Ut recipiant domum in oppido Lubamen. Ex lib. 2. epist. 1150.

Dilectis filiis Ministro Generali & Fratribus Ordinis Minorum.

Sacræ vestræ religionis &c. ut in antecedenti. Cum itaque, fili Minister, tu ipsum Ordinem desiderans ex animo salubriter dilatare, nobis humiliter supplicas, ut recipiendi, ædificandi, & construendi de novo in oppido Lubamen. Misnen. diœcef. unum locum ad usum Fratrum prædictorum licentiam, auctoritate Apostolica, tibi & eisdem Fratribus concedere dignaremur, præsertim cum Consules & Commune dicti oppidi suppliciter hoc exposcunt: nos volentes tuum in hac parte laudabile propositum felicius con-

confovere, ac cupientes cultum divini nominis ubilibet adaugeri, hujusmodi supplicationibus inclinati, tibi, & eisdem Fratribus, recipiendi, & ædificandi locum prædictum in oppido antedicto, & in eodem construendi Ecclesiam &c. ut in antecedenti. Nulli ergo &c. nostræ concessionis &c.

Datum Avenion. VII. Kalend. Februarii anno XVII.

CLIX.

Præficitur Ecclesiæ Sarnen. Ibid. epist. 16.

Dilecto filio Francisco de Perusio electo Sarnen.

Vide constit. 17. Bonifac. VIII. tom. 6. fol. 429.

§. I. Apostolatus officium &c. *incrementa*. Dudum siquidem bonæ memoriæ Nicolao Episcopo Sarnen. regimini Sarnen. Ecclesiæ præsidente: Nos cupientes eidem Ecclesiæ, cum eam quovis modo vacare contingeret, nostræ operationis ministerio idoneam præsidere personam, provisionem ejusdem Ecclesiæ cum vacaret, ordinationi &c. reservandam: decernentes ex tunc &c. Postmodum autem eadem Ecclesia Sarnen. per obitum dicti Nicolai Episcopi, qui in partibus illis &c. destituta. Nos vacatione hujusmodi fide dignis &c. attendentes quod nullus &c. reservatione & decreto obsistentibus supradictis, post deliberationem quam &c. per quam dicta Ecclesia præservari valeat a noxiis, & in prosperis feliciter adaugeri, cum Fratribus nostris habuimus diligentem.

§. II. Demum ad te Ordinis Fratrum Minorum Professorem, in Sacerdotio constitutum, cui religionis &c. nec non & aliarum grandium virtutum merita, prout ex testimoniis &c. suffragantur, direximus aciem mentis nostræ. Quibus omnibus debita &c. de dictorum Fratrum nostrorum consilio, eidem Ecclesiæ Sarnen. &c. providemus, teque illi &c. curam &c. In illo qui dat gratias &c. quod præfata Sarnen. Ecclesia dextera tibi Domini assistente propitia, per tuæ industriæ &c. Jugum itaque Domini tuis &c. gregem Dominicum &c. exemplo operis informando, quod præfata Ecclesia &c. gaudeat se commissam, bonæque famæ tuæ odor &c. tuque præter æternæ &c.

Datum Avenione Idibus Martii anno XVII.

In eumdem modum Archiepiscopo Salernitan. & carissimo in Christo filio Roberto Regi Siciliæ illustri.

CLX.

Multa eis conferuntur privilegia. Ex lib. curial. in append. epist. 118.

Dilectis in Christo filiabus Abbatissæ & Conventui Monasterii sanctæ Claræ Condomien. Ordinis ejusdem Sanctæ.

§. I. Etsi pium & meritorium existere dignoscatur &c. *ab eis gravamina submovendo*. Ex tenore siquidem petitionis vestræ nobis oblatæ collegimus, quod Monasterium vestrum, quod antiquum fore, multaque favorabilia privilegia dignoscitur a multis prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus obtinere, propter guerrarum discrimina, quæ in illis partibus diu, continuato tempore, ipsius temporis faciente malitia, ingruerunt, & propter gravamina & exactiones nobis exposita, quibus vexatæ fuistis, & vexamini, ad tantam inopiam est deductum, quod oportet Moniales ipsius, propter paupertatem illius, de bonis parentum & consanguineorum suorum, ac eleemosynis fidelium sustentari, pro parte magna temporis annuatim, & quod vos sine favorabili & gratioso præsidio ejusdem Sedis cum quie-

Moniales vexatæ, & Monasterium oppressum.

quiete respirare nequitis, nec ad statum prosperum reduci potest Monasterium prælibatum. Quare nobis ut super præmissis, juxta clementiam & benignitatem ipsius Sedis dignaremur opportunæ provisionis suffragia impertiri, devote ac humiliter supplicastis.

§. II. Nos igitur tam divinæ pietatis intuitu, quam vestræ sacræ religionis obtentu, hujusmodi vestris supplicationibus inclinati, præsentium vobis auctoritate concedimus, ut illo exemptionis privilegio gaudeatis, quod Ordini Fratrum Minorum, ejusque Fratribus & personis a Sede Apostolica est concessum, & eodem exemptionis privilegio uti & gaudere plenarie valeatis, sepulturam quoque Ecclesiæ vestræ, sine alieni juris præjudicio, liberam esse decernimus, ut eorum devotioni & extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, dummodo excommunicati, vel interdicti, aut publici usurarii non fuerint, nullus obsistat, salvis tamen canonica justitia & parochiali jure illarum Ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur.

Pontif. egestati accurrit.

Concedit eis liberas secular. sepulturas.

§. III. Sane auctoritate indulgemus eadem, ut ad præstationem Decimarum de quibuscumque possessionibus, & aliis omnibus bonis vestris, quæ in præsentiarum habetis & justis modis, præstante Domino, acquisiveritis in futurum, sive decimalia dudum extiterint, sive non decimalia, vel alias, contribuendum in procurationibus quorumcumque Ordinariorum, ac etiam Legatorum & Nunciorum Sedis prædictæ, & quibuslibet talliis & collectis, & ad exhibendum pedagia, thelonia, & alias exactiones, quibusvis Regibus, Principibus, seu aliis personis secularibus minime teneamini, nec ad id compelli aliquatenus valeatis.

Simulque alia privilegia, & exemptiones.

§. IV. Ceterum auctoritate præfata districtius inhibemus, ne quis de Legatis, oblationibus, seu aliis quibuscumque eleemosynis vobis pia fidelium oblatis devotione, aliquid a vobis exigere, vel extorquere præsumat. Nulli ergo &c. nostrarum concessionum, & inhibitionis infringere &c.

Datum Avenion. II. Kalend. Aprilis anno XVII.

CLXI.

Instituitur Protector Clarissarum. Ex lib. secretorum fol. 134.

Dilecto filio Geraldo Ministro Generali Ordinis Fratrum Minorum.

Decens reputamus & pium, ut religiosis mulieribus, quæ carnis abdicatis illecebris, virginitatem suam filio Virginis dedicantes, eidem in castris claustralibus devotis student mentibus famulari, favorem Apostolicum, quantum cum Deo possumus, impendamus. Cum itaque Ordo Sororum sanctæ Claræ ad præsens sit protectoris, sibi deputati auctoritate Apostolica, solatio destitutus; nos eisdem Sororibus volentes paterna provisione consulere in hac parte, tibi de cujus circumspectione & fidelitate confidimus, officium protectoris hujusmodi, quousque aliter super hac parte ordinaverimus, tenore præsentium, commendamus fideliter exercendum.

Datum II. Kalend. Aprilis anno XVII.

CLXII.

CLXII.

Præficitur Eccleſiæ Sutrinæ. Ex lib. 1. epiſt. 401.

Dilecto filio Hugucioni de Peruſio Electo Sutrin.

Vide Conſt. 101 hujus Pont. tom. 6. fol. 176.

PAſtoralis officii debitum &c. *Salubriter gubernare*. Nuper ſiquidem Eccleſia Sutrina dictæ Romanæ Eccleſiæ immediate ſubjecta, paſtoris ſolatio deſtituta, pro eo quod dilectus filius Berengarius de ſancto Africano Clericus Vabren. diœceſ. tunc electus Sutrin. regimini. dictæ Eccleſiæ Sutrin. cui tunc præerat, apud Sedem Apoſtolicam ſponte ceſſit in manibus Venerabilis fratris noſtri Petri Epiſcopi Peneſtrin. de mandato noſtro facto ſibi oraculo vivæ vocis, ceſſionem hujuſmodi admittentis: nos ad proviſionem ipſius Eccleſiæ, ne diutius vacationis remaneret expoſita detrimentis, cum nullus de proviſione ipſius Eccleſiæ hac vice ſe intromittere poſſit, pro eo quod nos diu ante ceſſionem hujuſmodi, proviſiones omnium Eccleſiarum Cathedralium, quæ tunc apud dictam Sedem vacabant, & in antea vacare contingeret, diſpoſitioni noſtræ duximus reſervandas: decernendo ex tunc &c. ſollicitis ſtudiis intendentes ac cupientes talem illi præficere in paſtorem, qui ſciret & poſſet ei præeſſe ſalubriter & prodeſſe: poſt deliberationem, quam ſuper hoc habuimus cum Fratribus noſtris diligentem, demum ad te Fratrum Minorum Ordinem expreſſe profeſſum, & in Sacerdotio conſtitutum, virum utique litterarum ſcientia præditum, in ſpiritualibus providum & temporalibus circumſpectum, aliiſque multiplicium virtutum meritis, prout fide dignorum teſtimonio accepimus, inſignitum, direximus oculos noſtræ mentis. Quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua ipſi Eccleſiæ Sutrin. de ipſorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi in Epiſcopum præficimus & paſtorem, curam &c. plenarie committendo. In eo qui dat gratias & largitur prœmia confidentes, quod eadem Eccleſia Sutrin. Præſulis utilis fulta præſidio, ſub tuo felici regimine, gratia tibi ſavente divina, grata recipiet incrementa: quocirca diſcretioni tuæ, per Apoſtolica ſcripta mandamus &c. *Conſequi merearis*.

Datum Avenion. XIV. Kalend. Aprilis anno XVII.

CLXIII.

Præficitur Eccleſiæ Neocaſtren. Ibid. epiſt. 779.

Dilecto filio Joanni de Preſcoa electo Neocaſtren.

Vide Conſtit. 1. Bonifac. VIII. tom. 6. fol. 415.

AD univerſalis Eccleſiæ regimen. &c. *Proficiant incrementis*. Nuper ſiquidem Eccleſia Neocaſtren. per obitum bon. mem. Ambroſii Epiſcopi Neocaſtren. qui extra Romanam Curiam debitum naturæ perſolvit, paſtoris ſolatio deſtituta, nos vacatione hujuſmodi ipſius Eccleſiæ fide dignis relatibus intellecta, cupientes eidem Eccleſiæ per Apoſtolicæ Sedis providentiam utilem & idoneam præeſſe perſonam, proviſionem ejuſdem Eccleſiæ &c. reſervandam; decernentes ex tunc &c. Ac deinde ad proviſionem ipſius Eccleſiæ celerem & felicem, de qua nullus præter nos ſe poſt reſervationem & decretum præfata intromittere potuit, neque poteſt; ne longæ vacationis exponeretur incommodis, paternis & ſollicitis ſtudiis intendentes, ac cupientes talem eidem Eccleſiæ præeſſe perſonam &c. *Habuimus diligentem*. Demum ad te Ordinis Fratrum Minorum Profeſſorem, in

in Sacerdotio constitutum, cui de litterarum &c. aliisque virtutum meritis laudabilia testimonia perhibentur, convertimus oculos nostræ mentis; quibus omnibus attente discussis, de persona tua nobis, & eisdem Fratribus, ob hujusmodi tuorum exigentiam meritorum accepta præfatæ Neocastren. Ecclesiæ, de eorumdem Fratrum consilio, auctoritate Apostolica providemus, teque illi præficimus in Episcopum & pastorem curam &c. plenarie committendo; firma ducti fiducia, quod tuos actus & opera, illius, a quo bona cuncta procedunt, clementia dirigente, præfata Ecclesia Neocastren. per tuam curiosam solertiam, tuumque ministerium studiosum regetur utiliter & prospere dirigetur. Jugum itaque Domini &c. curam &c. gaudeas se commissam, tuque præter retributionis æternæ &c.

Datum Avenione III. Kalend. Augusti anno XVII.

CLXIV.

Ut recipiat domum in villa Bergæ. Ex lib. curial. in append. epist. 197.

Dilecto filio Geraldo Ministro Generali Ordinis Fratrum Minorum.

§. I. EX zelo tuæ devotionis & fidei prodire conspicimus, quod in Ordine tuo per novorum locorum adjectionem, cultum divini nominis desideras ampliare, & per hoc lucri fieri animas fidelium Jesu Christo. Nos quoque tecum in idipsum desiderabiliter occurrentes, hujusmodi tuum desiderium, utpote Dominico beneplacito consonum, titulo plenæ commendationis efferimus, illudque brachiis internæ caritatis amplectimur, & quantum cum Deo possumus, debito servato moderamine, promovemus.

§. II. Cum itaque nuper per te oblatæ nobis tuæ petitionis seriem, tua devota sinceritas nobis duxerit humiliter supplicandum, ut de speciali gratia, quod Fratres dicti Ordinis possent de novo locum construere cum Ecclesia, cœmeterio, & aliis necessariis officinis in Villa vocata Berga Urgellen. Diœc. & ibidem Domino serviendo morari, maxime cum carissimus in Christo filius Alphonsus Rex Aragonum Illustris, & venerabilis frater noster Episcopus Urgellen. ac dilecti filii Consules dictæ Villæ nobis super hoc supplicassent per litteras efficaces, concedere dignaremur: Nos hujusmodi supplicationibus annuentes, devotioni tuæ, quod dicti Fratres in eadem Villa, locum de novo recipere, & construere, cum Ecclesia, cœmeterio, & aliis necessariis officinis prædictis, & inibi Domino serviendo morarl valeant, si ad id locus hujusmodi sit competens, & in Villa præfata Conventus alicujus Ordinum Mendicantium non existat, dictaque Villa ad sustentationem duodecim Fratrum dicti Ordinis in loco præfato fore sufficiens dignoscatur, idque dicto Episcopo visum fuerit expedire. Constitutione fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. &c. *Licentiam elargimur*. Nulli ergo nostræ concessionis &c.

Datum Avenione Kal. Augusti anno XVII.

CLXV.

Præficitur Ecclesiæ Dulchinen. Ex libro I. anni 18. epist. 1127.

Dilecto filio Gratiæ de Aquila electo Dulchinen.

APostolatas officium nobis quamquam &c. *suscipiant incrementa*. Vacante siquidem nuper Ecclesia Dulchinen. pro eo quod nos venerabilem fratrem nostrum Thomam Catharen. tunc Dulchinen. Episcopum apud Se- *Vide Const. 17. Bonif. VIII. tom. 6. fol. 429.*

Sedem Apoſtolicam conſtitutum,a vinculo, quo ipſi Eccleſiæ Dulchinen. cui tunc præerat, tenebatur, de Fratrum noſtrorum conſilio & Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis, abſolventes ipſum, ad Catharen. Eccleſiam tunc vacantem duximus transferendum, præficiendo eum illi in Epiſcopum & paſtorem; Nos attendentes quod nullus præter nos de ordinatione ipſius Eccleſiæ Dulchinen. ſe hac vice intromittere poteſt, pro eo, quod diu ante hujuſmodi vacationem ejuſdem Eccleſiæ Dulchinen. proviſionem omnium Eccleſiarum &c. de præficiendo eidem Eccleſiæ Dulchinen. perſonam utilem, ne ulterioris vacationis &c. et poſt deliberationem quam de præficiendo præfatæ Eccleſiæ Dulchinen. perſonam talem, cum eiſdem Fratribus attentam habuimus. Demum ad te Ordinis Minorum profeſſorem, in ſacerdotio conſtitutum &c. direximus &c. Quibus omnibus debita &c. eidem Dulchinen. Eccleſiæ &c. auctoritate Apoſtolica providemus teque illi &c. curam &c. in eo,qui bonorum largitor eſt omnium,confidentes, quod dextera Domini tibi aſſiſtente propitia, eadem Dulchinen. Eccleſia ſub tuo fœlici regimine proſpere dirigetur & ſalutaria &c. Jugum igitur Domini &c. ejuſdem Dulchinen. Eccleſiæ curam ſollicitam geras, & gregem &c. informando. Ita quod dicta Dulchinen. Eccleſia gubernatori &c. gaudeat ſe commiſſam tuque præter æternæ &c.

Datum Avenione xvi. Kal. Septembris anno xviii.

CLXVI.

Præficitur Eccleſiæ Tutellen. Ibidem epiſt. 45.

Arnaldo de Claromonte Electo Tutellen.

PRidem Eccleſia Tutellen. per obitum bon. mem. Arnaldi Epiſcopi Tutellen. vacante, nos eidem Eccleſiæ, cujus proviſionem ea vice certis cauſis rationabilibus nobis duxeramus ſpecialiter reſervandam, volentes de Paſtore idoneo providere,& ad te,Ordinem Fratrum Minorum Profeſſorem, Baccallaurium in ſacræ Theologiæ facultate, dirigentes intuitum mentis noſtræ,de perſona tua nobis &Fratribus noſtris accepta,eidemEccleſię duximus, de Fratrum prædictorum conſilio,providendum, te illi præficientes in Epiſcopum & paſtorem. Quocirca diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus hujuſmodi onus impoſitum tibi ſuſcipiens reverenter, ad ejuſdem Eccleſiæ gubernationem providam, cures dirigere ſtudia mentis tuæ; ita quod ſub tuo fructuoſo regimine, aſſiſtente tibi divina gratia, votiva incrementa in ſpiritualibus & temporalibus ſuſcipiat, tuque proinde divinam & Apoſtolicæ Sedis gratiam uberius conſequi merearis.

Datum Idibus Septembris anno xviii.

CLXVII.

Præficitur Eccleſiæ Cambalien. Ibidem epiſt. 164.

Venerabili fratri Nicolao Archiepiſcopo Cambalien.

Vide Conſt. 92. huj. Pont. tom. 6. fol. 554.

MIlitanti Eccleſiæ diſponente Domino,licet immeriti &c. *dignoſcuntur.* Dudum ſiquidem Eccleſia Cambalien. per obitum bon. mem. Joannis Archiepiſcopi Cambalien. qui in partibus illis diem clauſit extremum, paſtoris ſolatio deſtituta; Nos vacatione hujuſmodi &c. cupientes,prout tenemur, dictam Eccleſiam a damnis & incommodis quæ ex longiori vacatione poſſet incurrere, præſervare, ac talem illi præeſſe Paſtorem, per quem eadem Ec-

Ecclesia salubriter dirigi valeat, ac etiam conservari, post deliberationem, quam de &c. Demum ad te Ordinis Fratrum Minorum professorem in sacerdotio constitutum, cui religionis zelus, litterarum scientia, vitæ munditia, & alia multiplicia dona virtutum suffragari dicuntur, direximus oculos mentis nostræ. Quibus omnibus debita &c. de persona tua eidem Cambalien. Ecclesiæ, de ipsorum Fratrum consilio, auctoritate Apostolica providemus, teque illi præficimus in Archiepiscopum & pastorem, curam &c. committendo: ac deinde per venerabilem fratrem nostrum Anibaldum Episcopum Tusculanum munus tibi consecrationis impendi, & subsequenter per dilectos filios nostros Neapoleonem sancti Adriani, ac Jacobum sancti Georgii ad Velum aureum Diaconos Cardinales pallium de corpore beati Petri sumptum, insigne videlicet plenitudinis Pontificalis officii, a te cum ea, qua decuit reverentia & instantia postulatum, tibi fecimus assignari, in illo qui dat gratias &c. confidentes &c. præfata Ecclesia per tuæ industriæ studium fructuosum, præservabitur a noxiis & adversis, ac salutaribus spiritualiter & temporaliter proficiet incrementis. Quocirca fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad &c. curam &c. quod eadem Ecclesia &c. gaudeat se commissam; tuque proinde præter retributionis &c. consequi merearis uberius.

Datum Avenione XIV. Kal. Octobris anno XVIII.

CLXVIII.

Præficitur Ecclesiæ Cephaluden. Ex lib. 2. epist. 9.

Roberto Campuli de Messana Electo Cephaluden.

APostolatus officium, quo universis orbis Ecclesiæ &c. *valeant incrementa*. Dudum siquidem quondam Rogerio electo Cephaluden. Ecclesiæ Cephaluden. regimini præsidente: Nos cupientes eidem Ecclesiæ, cum eam quovis modo & ubicumque vacare contingeret, Apostolicæ provisionis ministerio idoneam præesse personam, provisionem ipsius Ecclesiæ cum, ut præfertur, vacaret, dispositioni nostræ ac Sedis Apostolicæ duximus reservandam, decernentes ex tunc &c. Deinde vero præfata Ecclesia per obitum bon. mem. dicti Rogerii electi, qui in partibus illis diem clausit extremum, vacante, dilecti filii Capitulum ipsius Ecclesiæ, hujusmodi reservationis & decreti forsan ignari, dilectum filium Thomam de Butera Canonicum Syracusan. de facto in eorum Episcopum elegerunt, cujus electio per loci Metropolitanum similiter de facto extitit confirmata. Hujusmodi ergo electionis & confirmationis negotio ad notitiam nostram perlato; Nos attendentes easdem electionem & confirmationem, utpote post & contra reservationem & decretum jam dicta factas, fore irritas & inanes, de præficiendo personam utilem Ecclesiæ antedictæ, ne prolixioris vacationis dispendiis subjaceret, cogitare cœpimus diligenter; & post deliberationem quam cum Fratribus nostris super hoc attentam habuimus, demum in te Ordinis Fratrum Minorum professorem, in sacerdotio constitutum, cui religionis &c. direximus aciem nostræ mentis. Quibus omnibus debita &c. eidem Cephaluden. Ecclesiæ &c. auctoritate Apostolica providemus, teque illi præficimus &c. curam & administrationem &c. in eo qui dat gratias &c. confidentes, quod ejus tibi opitulante clementia, prædicta Ecclesia per tuum ministerium studiosum augmenta suscipiet commodi & honoris. Onus itaque regiminis Ecclesiæ prædictæ prompta devotione suscipiens, curam &c. quod dicta Ecclesia Pastori utili gaudeat se commissam, tuque proinde præter æternæ retri-

Vide Const. 17. Bonif. VIII. tom. 6. fol. 419.

butionis proemium, a oobis & eadem Sede assiduum benedictionis & gratiæ merearis percipere incrementum.

Datum Avenione 11. Idus Octobris anno XVIII.

CLXIX.

Præficitur Ecclesiæ Brundusinæ. Ibidem epist. 11.

Venerabili fratri Guillelmo Archiepiscopo Brundusin.

Vide Const. 19. huj. Pont. tom. 6. fol. 493.

§. I. Romani Pontificis quem Pastor ille cœlestis &c. *gratulentur*. Dudum siquidem Ecclesia Brundusina per obitum bon. mem. Bertrandi Archiepiscopi Brundusini, qui in partibus illis diem clausit extremum, Pastoris solatio destituta, a dilectis filiis Capitulo ejusdem Ecclesiæ Brundusinæ pro futuri substitutione Pastoris, insimul congregatis, vocatis omnibus, qui debuerunt, voluerunt, & potuerunt commode interesse, contigit duas electiones, unam videlicet de dilectis filiis Petro Decano Capuano, & alteram de Nicolao Caballerio Canonico ejusdem Brundusinæ Ecclesiæ, per formam scrutinii in discordia celebrari, quibus electionibus de se factis præfati Petrus & Nicolaus ad instantiam ipsorum eligentium illarum sibi præsentatis decretis, infra tempus debitum consenserunt, licet idem Petrus postmodum negotium electionis hujusmodi prosequi non curaverit.

§. II. Deinde præfato Nicolao ad Sedem Apostolicam pro prosecutione electionis suæ hujusmodi personaliter accedente, ac pro parte sua hujusmodi ejus electionis negotio in consistorio proposito coram nobis, in his omnibus pro parte dicti Nicolai statutis a jure temporibus observatis, & dilectis filiis Richardo de Comay Archidiacono, & Angelo Magistri Stephani Canonico præfatæ Ecclesiæ Brundusin. se electioni hujusmodi certis ex causis opponentibus; Nos negotium ipsum venerabili fratri nostro Guillelmo Episcopo Sabinen. audiendum commisimus, & nobis postmodum referendum. Coram quo cum esset inter Nicolaum & oppositores præfatos processum ad certos actus in negotio prælibato, tamdem præfatus Nicolaus volens præcavere dispendiis, quæ ex vacatione diutina eidem Ecclesiæ poterant provenire, omni juri, quod sibi ex electione hujusmodi quomodolibet competebat, in nostris manibus sponte cessit.

§. III. Nos igitur hujusmodi cessione admissa, de provisione celeri ejusdem Ecclesiæ Brundusinæ cogitare cœpimus diligenter, & post deliberationem, quam de præficiendo eidem Ecclesiæ personam utilem, ac etiam fructuosam, cum nostris Fratribus habuimus diligentem; demum attendentes tuarum virtutum multiplicium merita, quibus personam tuam Dominus illustravit, in te, tunc Episcopum Alben. convertimus aciem nostræ meotis. Intendentes igitur tam eidem Brundusinæ Ecclesiæ, quam gregi Dominico ejusdem salubriter & utiliter providere, ac sperantes, quod tu, qui Alben. Ecclesiæ laudabiliter hactenus præfuisti, eamdem Brundusinam Ecclesiam, divina tibi propitiante clementia, salubriter & utiliter gubernabis, te a vinculo, quo præfatæ Alben. Ecclesiæ, cui tunc præeras, tenebaris, de dictorum Fratrum consilio, & Apostolicæ potestatis plenitudine absolventes, te ad prædictam Brundusinam Ecclesiam transtulimus, teque illi præfecimus in Archiepiscopum & pastorem, curam & administrationem prædictas tibi tam in spiritualibus &c. liberamque tibi tribuendo licentiam ad eamdem Ecclesiam Brundusinam transeundi, & subsequenter pallium de corpore beati Petri sumptum, pro parte tua a nobis, cum ea qua decuit instantia, postulatum, per dilectos filios nostros Neapoleonem sancti Adriani, & Raymuo-

mundum sanctæ Mariæ Novæ, ac Joannem sancti Angeli Diaconos Cardinales, tibi fecimus exhiberi, firma spe, fiduciaque conceptis, quod, tibi cœlesti gratia suffragante, præfata Brundusina Ecclesia per tuæ providæ circumspectionis &c. defendetur a noxiis, & præservabitur ab adversis, ac in eisdem spiritualibus & temporalibus votivis, auctore Domino, proficiet incrementis. Quocirca fraternitati tuæ &c. *introducas*.

Datum Avenione VIII. Idus Decembris anno XVIII.

In eumdem modum venerabilibus fratribus universis Suffraganeis Ecclesiæ Brundusinæ, & Roberto Regi Siciliæ illustri.

ANNO CHRISTI 1334. JOANNIS XXII. ANNO 18. & 19.

CLXX.

Præficitur Ecclesiæ Milevitanæ. Ex lib. 1. epist. 264.

Dilecto filio Henrico de Cephaludo Electo Milevitan.

INter cetera quæ superna dispositione nobis imminent peragenda &c. *proficiant incrementis*. Dudum siquidem bon. mem. Alduino Episcopo Milevitan. Ecclesiæ Milevitan. regimini præsidente, Nos cupientes eidem Ecclesiæ cum eam vacare quovis modo contingeret, nostræ operationis ministerio idoneam præesse personam, provisionem ejusdem Ecclesiæ, cum vacaret, ordinationi & dispositioni nostræ, ac Sedis Apostolicæ ea vice duximus specialiter reservandam. Decernentes ex tunc &c. Postmodum vero præfata Ecclesia per obitum ejusdem Alduini Episcopi, qui in partibus illis diem clausit extremum, Pastoris solatio destituta: Nos vacatione hujusmodi fide dignis relatibus intellecta, ad provisionem ipsius Ecclesiæ celerem & fœlicem, de qua nullus præter nos se hac vice intromittere potest, reservatione & decreto obsistentibus supradictis, ne longæ vacationis incommoda deploraret, cogitare cœpimus diligenter; tandem post deliberationem, quam super his, infra nos primo, & deinde cum Fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Minorum professorem, in sacerdotio constitutum, cui religionis zelus, litterarum scientia, vitæ munditia, & alia multiplicia dona virtutum suffragari dicuntur, direximus aciem nostræ mentis. Quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua eidem Milevitan. Ecclesiæ, de ipsorum Fratrum consilio, auctoritate Apostolica providemus, teque illi præficimus in Episcopum & pastorem, curam & administrationem ipsius tibi, tam in temporalibus, quam in spiritualibus plenarie committendo; firma ducti fiducia quod tuos actus & opera, illius, a quo bona cuncta procedunt, clementia dirigente, præfata Ecclesia Milevitan. per tuam curiosam solertiam, tuumque ministerium studiosum regetur utiliter, & prospere dirigetur. Jugum igitur Domini &c. *merearis percipere incrementum*.

Vide Constit. 1. huj. Pont. tom. 6. fol. 479.

Datum Avenione IV. Idus Januarii anno XVIII.

CLXXI.

Præficitur Ecclesiæ Vencien. Ex lib. 2. epist. 29.

Arnaldo de Antifico Electo Vencien.

PAstoralis officii debitum, quo regimini universalis Ecclesiæ præsidemus &c. *salubriter gubernare*. Nuper siquidem vacante Ecclesia Vencien.

Vide Const. 101. huj. Pont. tom. 6. fol. 476.

cien. pro eo quod nos venerabilem fratrem nostrum Raymundum Nicien. tunc Vencien. Episcopum apud Sedem Apostolicam constitutum, a vinculo, quo ipsi Vencien. Ecclesiæ, cui tunc præerat, tenebatur, de Fratrum nostrorum consilio, & Apostolicæ potestatis plenitudine absolventes, ipsum ad Nicien. Ecclesiam tunc vacantem duximus transferendum, præficiendo eum in Episcopum & pastorem: Nos volentes eidem Vencien. Ecclesiæ, ne dispendia prolixæ vacationis incurreret, paterna sollicitudine præcavere, cum nullus præter nos hac vice de ipsius Vencien. Ecclesiæ provisione se intromittere possit, pro eo quod nos diu ante vacationem hujusmodi ipsius Vencien. Ecclesiæ, provisiones omnium Ecclesiarum &c. Decernentes ex tunc &c. Post deliberationem quam de præficiendo ipsi Vencien. Ecclesiæ personam utilem ac etiam fructuosam habuimus cum eisdem Fratribus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Minorum professorem, Pœnitentiarium nostrum, virum utique de religionis observantia comprobatum, litterarum scientia præditum, morum gravitate conspicuum, in spiritualibus providum, & in temporalibus circumspectum, & aliis virtutum meritis laudabiliter insignitum, direximus oculos mentis nostræ. Quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua ipsi Vencien. Ecclesiæ de Fratrum &c. præficimus in Episcopum & Pastorem, curam & administrationem &c. plenarie committendo; firma de te concepta fiducia, quod eadem Vencien. Ecclesia sub tuo fœlici regimine, gratia tibi assistente divina, prospere dirigetur, & salutaria suscipiet incrementa. Jugum itaque Domini tuis impositum humeris &c. quod ipsa Vencien. Ecclesia &c. gaudeat se commissam, tuque præter æternæ &c. nostram & Apostolicæ Sedis gratiam uberius exinde consequi merearis.

Datum Avenione XII. Idus Februarii anno XVIII.

In eumdem modum venerabili fratri Archiepiscopo Ebredunen.

CLXXII.

Ut possit secum ducere in Tartariam viginti sex Minoritas. Ex lib. 2. epist. 901.

Nicolao Archiepiscopo Cambalien.

§. I. Summis desideriis affectantes negotium fidei, pro reverentia illius qui nos creavit, redemit, & pascit, nedum pabulo verbi sui, sed alimonia corporali, pro salute nostra eunctorumque fidelium, tam favorabiliter, quam efficaciter promovere, ad ea libenter intendimus, & operam studiosam impendimus diligenter, per quæ negotium ipsum feliciter prosperetur, & salutiferum, dextera Domini faciente virtutem, suscipiat incrementum.

§. II. Cum itaque nos pridem aromatico virtutum tibi desuper concessarum odore percepto, te Ordinis Fratrum Minorum professorem, scientia, moribus, & vita præclarum, Ecclesiæ Cambalien. tunc Pastore carenti, de Fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio, duxerimus providendum, teque illi præfecerimus in Archiepiscopum & Pastorem, tuque cum nostræ benedictionis gratia, dictam Ecclesiam sponsam tuam adire, & lætificare debeas Deo gratis operibus & exemplis; & de nostro beneplacito partes illas infidelium nationum, in quibus ad veram Christianæ fidei lucem, eorum multitudo conversa est, ut gaudenter & veraciter accepimus, habeas peragrare: nos volentes ut in tam sancti operis officio, tibi non desint assistentes, & cooperantes virtuosi, fervidi, & maturi, quod per

per teipsum, & cum eis neophitos & conversos in observantia & perseverantia fidei prædictæ corrobores, & aliis in tenebris ambulantibus umbræ mortis, Evangelizes verbum Dominicum, dictæ veritatis videant claritatem, devotioni tuæ assumendi viginti Fratres Clericos & sex laicos, de tuo cujus alumnus existis, Ordine supradicto, eosque tecum ad Ecclesiam, & partes prælibatas ducendi, necnon retinendi eosdem in Ecclesia, & partibus memoratis, pro tempore omni, quod tibi fuerit opportunum, præhabito prius de dictis Fratribus testimonio laudabili, de vita, fama, & sufficientia eorumdem, a dilectis filiis Ministro Generali ejusdem Ordinis vel Custode, seu Guardiano Fratrum prædictorum, ac de licentia dilectorum filiorum Ministri Provincialis, vel sui Vicarii Generalis Ordinis antedicti expressa, vel alterius eorumdem, tenore præsentium concedimus potestatem. Volumus autem, quod ipsi, Minister Provincialis, vel ejus Vicarii teneantur bona fide tibi de ipsorum Fratrum vita, fama, & sufficientia hujusmodi testimonium perhibere. Tu ergo dictam Ecclesiam sic gubernes, teque tam per te, quam cum eisdem Fratribus in eodem negotio te gerere satagas fideliter & solerter, quod ex inde præmium æternæ retributionis acquiras, ac nostram & Sedis Apostolicæ benedictionem uberiorem & gratiam ampliorem consequi merearis. Datum Avenione Idibus Februarii anno XVIII.

CLXXIII.

Ut permittat ædificari domum Minorum in Oppido Braditz. Ibid. epist. 832.

EPISCOPO OLOMUCEN.

§. I. Magna lætitia fidelium cordibus affluenter innascitur, cum divinæ virtus omnipotentiæ, mira & miranda plerumque vere miracula Sanctorum meritis visibiliter operatur, unde fidelium ipsorum fidei firmitas dignæ zelo devotionis incenditur & igne accenditur caritatis, debitumque & meritorium opus efficitur, cum pro donis cœlestibus æternæ majestatis gloriæ temporaliter offerunt devotæ gratitudinis holocaustum. Ex tenore siquidem petitionis dilecti filii Nicolai Ministri Provincialis Ordinis Minorum in Boemia & Polonia, nobis oblatæ percepimus, quod olim circa moderna tempora in die festivitatis beati Francisci, Oppidum Braditz tuæ Diœces. per inimicos hostiliter vallatum extitit. Jamque dictis inimicis per muros transcendentibus, incolæ dicti oppidi resistere non valentes, ad ipsius beati Francisci patrocinium confugerunt, moxque misericors Deus præfatos inimicos taliter perterruit, quod nullus ipsorum arcum tendere, vel gladium evaginare potuit, sed quasi amentes, & cœci recesserunt ab inde.

Proemium.

S. Francisci miraculum.

Oppidani vovēt Cœnobium construere.

Minister pro licentia rogat.

§. II. Quoquidem viso miraculo, dilecti filii Judex & Scabini prædicti oppidi, cum aliis ejusdem oppidi incolis voverunt, ad honorem beati Francisci locum in dicto oppido construere, ac in eo Fratres Minores dicti Ordinis collocare; necnon carissimus in Christo filius noster Joannes Rex Boemiæ illustris ... prædictis suum beneplacitum præbuit, gratumque gerit, ut ipsi Fratres Minores collocentur in loco hujusmodi construendo. Quare nobis dictus Minister humiliter supplicavit, quod, ut hujusmodi votum executionem debitam & optatam suscipiat, dignaremur Apostolici favoris impertiri præsidium, & opportunam licentiam elargiri.

§. III. Nos igitur, si præmissa veritate nitantur, merito in Domino exultantes, & cupientes ejusdem Ordinis salubris, & felicis status, pro cultu divini niminis ampliando & salute Christicolarum, assiduum incrementum, hu-

Et Pontifex annuit, non obstan. constit. in contrarium.

hujusmodi etiam supplicationibus inclinati, fraternitati tuæ, per Apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus si prædicta inveneris ita esse, Fratribus dicti Ordinis recipiendi præfatum locum in eodem Oppido, & in eo construendi Ecclesiam, seu Oratorium, & alias necessarias officinas, & in ipso cœmeterium habendi; necnon in dicto loco Fratres dicti Ordinis deputandi ad morandum in illo, & Deo perpetuo serviendum, dummodo prædictum oppidum sit sufficiens ad sustentationem duodecim Fratrum Ordinis memorati, plenam & liberam licentiam, sine juris præjudicio alieni, Apostolica auctoritate concedas, fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri prohibente, ne loca de novo recipiantur a Fratribus Ordinum mendicantium absque licentia dictæ Sedis faciente plenam & expressam de prohibitione hujusmodi mentionem, & qualibet alia constitutione contraria non obstante.

Datum Avenione Kalend. Maii anno XVIII.

CLXXIV.

Præficitur Ecclesiæ Syrimiensi. Ex lib. 1. epist. 885.

Venerabili fratri Gregorio Episcopo Syrimien.

§. I. IN supremæ dignitatis specula, licet immeriti, disponente Domino constituti, curis continuis angimur, & pulsamur insultibus successivis, ut de personis talibus provideatur Ecclesiis Pastoribus destitutis, quarum industria & virtute eædem Ecclesiæ, ne longæ vacationis dispendia patiantur, in suis juribus, & libertatibus conserventur, reddatur tranquillior cleri status, & commodis salutis & gaudii plebs lætetur.

§. II. Olim siquidem bon. memor. Georgio Syrimien. Episcopo regimini Syrimien. Ecclesiæ præsidente; nos intendentes eidem Ecclesiæ Syrimien. cum eam vacare quovis modo contingeret, nostræ operationis ministerio idoneam præsidere personam, provisionem ejusdem Ecclesiæ, cum vacaret, ordinationi, ac dispositioni nostræ & Sedis Apostolicæ ea vice duximus specialiter reservandam. Decernentes ex tunc irritum, &c.

§. III. Postmodum vero præfata Ecclesia per obitum ejusdem Georgii Episcopi, qui in partibus illis diem clausit extremum, Pastoris solatio destituta. Nos vacatione hujusmodi fide dignis relatibus intellecta, ad provisionem ipsius Ecclesiæ celerem & felicem, de qua nullus præter nos se hac vice intromittere potest, reservatione & decreto obsistentibus supradictis, sollicite cogitantes, ac cupientes talem ipsi Ecclesiæ præesse Pontificem, de quo spes certa verisimiliter haberetur, quod salubriter præesse posset eidem Ecclesiæ ac prodesse, post deliberationem quam super his cum Fratribus nostris attentam habuimus; demum ad te Ordinis Fratrum Minorum Professorem, in Sacerdotio constitutum, quem litterarum scientia præditum, elegantia morum conspicuum, vitæ munditia nitidum, religionis zelo fervidum, honestate decorum, in spiritualibus providum, & temporalibus circumspectum, ac aliis multiplicibus virtutum meritis, prout ex testimoniis fide dignis accepimus, insignitum, direximus oculos mentis nostræ. Quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua eidem Syrimien. Ecclesiæ, de ipsorum Fratrum consilio, auctoritate Apostolica providemus, teque illi præficimus in Episcopum & Pastorem, curam & administrationem ipsius tibi, &c. & subsequenter per venerabilem fratrem nostrum Gaucelinum Episcopum Albanensem fecimus tibi munus consecrationis impendi, firmam spem fiduciamque tenentes, quod dirigente Domino actus

actus tuos, dicta Syrimien. Ecclesia per tuæ industriæ ac circumspectionis studium fructuosum, præservabitur a noxiis & adversis, ac spiritualiter & temporaliter proficiet incrementis. Quocirca fraternitati tuæ, per Apostolica scripta, mandamus, &c. *valeas promereri*.

Datum Avenione XVI. Kalend. Julii anno XVIII.

CLXXV.

Ut construat Monasterium Clarissarum Budæ. Ibid. epist. 929.

Carissimæ in Christo filiæ Elisabethæ Reginæ Hungariæ Illustri.

EXimiæ devotionis sinceritas, &c. *annuamus*. Cum itaque sicut ex porrectæ tuæ petitionis tenore collegimus, tu tamquam filia benedictionis & gratiæ, pio ducta proposito, terrena in cœlestia, & transitoria in æterna, felici cupiens commercio commutare, ad divini nominis, & beatæ Claræ laudem & gloriam, unum Monasterium cum Ecclesia, cœmeterio, domibus, & aliis officinis necessariis, in quo decens Conventus Monialium seu Sororum Ordinis dictæ Sanctæ commode valeat immorari, in oppido Budæ, loco utique populoso Vesprimien. Diœcesis, pro tuæ, ac progenitorum tuorum animarum salute, de bonis propriis fundare, construere, & ædificare proponas; nos hujusmodi pium propositum multipliciter in Domino commendantes, ac volentes tibi, ut illud exequi valeas, favorem Apostolicum impertiri, tuis supplicationibus inclinati, tibi ut hujusmodi Monasterium cum Ecclesia, cœmeterio, domibus, & aliis officinis necessariis, certo decenti Monialium seu Sororum collocandarum ibidem, postquam Monasterium ipsum constructum fuerit, numero inibi constituto, & dote sufficienti pro ipsis, & aliis personis ad servitium ipsarum necessariis, aliisque oneribus supportandis, assignata primitus ad loci Diœcesani arbitrium, in loco congruo & honesto fundare, construere, ac ædificare, licite valeas, jure tamen parrochialis Ecclesiæ dicti loci & cujuslibet alterius semper salvo in omnibus, præsentium tenore concedimus de gratia speciali. Nulli ergo, &c. nostræ concessionis, &c.

Vid. Const. 3. hujus Pontif. tom. 6. fol. 521.

Datum Avenion. Idibus Julii anno XVIII.

CLXXVI.

Ut informet circa unionem cujusdam Ecclesiæ Monasterio Clarissarum de Waterbech. Ex lib. anno 19. epist. 224.

Dilecto filio Icherio de Concoreto Archidiacono Londonien. nostro, & Apostolicæ Sedis in Anglia Nuncio.

PRo parte dilectarum in Christo filiarum Abbatissæ & Conventus Monasterii de Waterbeche Ordinis sanctæ Claræ Elien. Diœcesis, nobis extitit humiliter supplicatum, ut Ecclesiam de Bydinh. Lincolnien. Diœcesis quæ, ut asseritur, de earum patronatu existit, cujusque fructus, redditus, & proventus quindecim marcharum argenti, secundum taxationem decimæ, valorem annuum non excedunt, mensæ earumdem per te uniri & appropriari, auctoritate Apostolica, mandaremus. Nos igitur volentes de præmissis plenius informari, discretioni tuæ, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per Apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus, utrum dictæ Abbatissa & Conventus sine unione hujusmodi possint sustentari sufficienter, vel non, & an dicta Ecclesia de earum patronatu, ut præ-

præfertur, existat, ac de ipsius Ecclesiæ redditibus, auctoritate nostra diligentius te informes, & quæcumque super his, per informationem hujusmodi repereris, nobis per tuas patentes litteras, vel instrumentum publicum, harum seriem continentia, sub tuo sigillo quam citius fideliter referre, & intimare procures.

Datum Avenion. VII. Kalend. Octobris anno XIX.

CLXXVII.

Confirmantur Minoritæ in possessione Monasterii Montis sanctæ Mariæ. Ibid. epist. 223.

Dilecto filio Magistro Bernardo de Piano Sacristæ Ecclesiæ Magalonen. Cappellano nostro, Marchiæ Anconitanæ Rectori.

Minores in loci possessione per longum tempus.

Citantur ad Judicium a Monachis.

§. I. Ex tenore petitionis dilectorum filiorum Guardiani, & Fratrum Ordinis Minorum, loci de Monte sanctæ Mariæ, firmanæ Dioec. oblatæ nobis, nuper accepimus quod olim pro parte ipsorum nobis exposito, quod licet ipsi prædictum locum de Monte sanctæ Mariæ justo titulo acquisivissent, & recepissent, ipsumque per sexaginta annos & amplius tenuissent, & possedissent, ac inhabitassent pacifice & quiete, tamen dilecti filii Abbas, & Conventus Monasterii Farsen. Ordinis sancti Benedicti Sabinen. Dioecesi. falso asserentes, præfatum locum ad præfatum Monasterium pertinere, & quod ipsi Guardianus & Fratres locum ipsum indebite detinebant, eosdem Guardianum & Fratres ipsis Abbati & Conventui super dicto loco de justitia responsuros, coram dilecto filio Angelo de Reate Canonico Reatino, cui venerabilis Frater noster Episcopus Anagnin. asserens se conservatorem, eisdem Abbati & Conventui contra inferentes eis injurias, & jacturas super bonis & locis ad dictum Monasterium spectantibus, a Sede Apostolica, per ipsius Sedis sub certa forma litteras deputatum, & habere cognoscendi de his, judicialem indaginem quæ exigunt, specialem per easdem litteras potestatem commisisse dicebatur super hoc totaliter vices suas, prout sibi per dictas litteras competere asserebat, auctoritate litterarum & commissionis hujusmodi fecerat ad judicium evocare; & quod quamvis dictus Canonicus copiam litterarum & commissionis hujusmodi, & quorumdam aliorum jurium pro parte dicti Abbatis & Conventus coram eo in judicio in causa hujusmodi productorum, ab eisdem Guardiano & Fratribus postulatam, ipsis Guardiano & Fratribus fieri decrevisset, quia tamen dictus Canonicus ad recipiendum copiam hujusmodi & dicendum quidquid dicere vellent contra prædicta, eis assignaverat terminum peremptorium nimis brevem, infra quem hujusmodi termino satisfacere nequiverant, aliumque longiorem terminum, infra quem copiam præfatam habere valerent, assignare contra justitiam recusarat, super hoc humiliter requisitus. Pro parte dictorum Guardiani & Fratrum sentientium se exinde indebite aggravari, fuerat ad Sedem appellatum eamdem, & quod idem Canonicus, hujusmodi appellatione contempta, tulerat excommunicationis sententiam in eosdem.

Eis Judex tempus breve assignat.

Appellant ad Apostolic. Sedem.

Novi Judices constituuntur.

§. II. Nos ad instantiam dictorum Guardiani & Fratrum venerabili fratri nostro Angelo Episcopo Viterbiensi, Vicario nostro in urbe, ac dilectis filiis Abbati Monasterii sancti Laurentii de dicta urbe, ac Petro de Columna Canonico Lateranen. sub ea forma, nostris litteris dedimus in mandatis, ut ipsi vocatis, qui forent evocandi, & auditis hinc inde propositis, super præmissis quod justum esset, appellatione postposita, decernere procurarent, faciendo quod decernerent, per censuram Ecclesiasticam firmiter observari, prout in eisdem litteris dicitur plenius contineri.

§.III.

§. III. Denique cum per certos subdelegatos, quibus Episcopus Viterbien. Abbas Monasterii sancti Laurentii & Præpositus supradicti, super præmissis commiserant vices suas, donec illas ad se ducerent revocandas, fuisset ad nonnullos actus in hujusmodi causa processum, præfatus Episcopus Viterbien. commissionem hujusmodi minus debite revocavit; propter quod pro parte dictorum Guardiani & Fratrum sentientium ex his, & certis aliis gravaminibus, ab eodem Episcopo, ut dicebant, illatis eisdem, contra justitiam indebite se gravari, extitit, ut asseritur, ad nostram audientiam appellatum. *Gravati ab Episcop. Viterb.*

§. IV. Cum autem sicut eadem petitio subjungebat, Guardianus & Fratres ejusdem Ordinis Minorum, qui in dicto loco fuerunt pro tempore, locum ipsum, qui alias fuerat abolim Præpositura regularis beatæ Mariæ dicti Ordinis sancti Benedicti, præfato Monasterio Farfen. immediate subjecta, ex pura & libera donatione facta olim fel. rec. Nicolao Papæ III. prædecessori nostro, tunc Joanni sancti Nicolai in carcere Tulliano Diacono Cardinali, tunc temporis protectori ejusdem Ordinis Minorum, & procuratori Ecclesiæ Romanæ, qui tunc erat, recipientibus donationem hujusmodi pro ipsa Romana Ecclesia, & dictorum Guardiani & Fratrum habitatione, prout in instrumentis publicis inde confectis contineri dicitur, tenuerint & possederint a tempore supradicto, & ante tempus ipsum sine aliqua præscriptionis & temporis interruptione, & contradictione cujusquam, pacifice & quiete, licet, ut asseritur, Abbas & Conventus Monasterii Farfen. prædicti asserentes, præfatam donationem ex eo nullam fore, quod absque consensu dictæ Sedis, cui dictum Monasterium tam in capite, quam in membris, immediate dicitur esse subjectum, facta fuit, quam quidem subjectionem Guardianus & Fratres prædicti se asserunt penitus ignorasse, eosdem Guardianum & Fratres super dicto loco, ut præmittitur, molestaverint & perturbent; pro parte Guardiani & Fratrum ipsorum fuit nobis humiliter supplicatum, ut eorum quieti providere in hac parte de benignitate Apostolica dignaremur. *Locus libere donatus Minoritis.* *Donatio nullius roboris esse prætenditur.*

§. V. Nos itaque considerantes attente, quod propter causam hujusmodi, ejusque protractionem, Abbas & Conventus, & Guardianus & Fratres prædicti a divinis obsequiis, ad quæ sunt specialiter deputati, non modicum verisimiliter retrahuntur & finem litibus, ut utrimque parcatur laboribus & expensis, cupientes imponi, hujusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuæ, tenore præsentium, committimus & mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi & auditis hinc inde propositis, si tibi legitime constiterit, donationem hujusmodi de prædicto loco, eisdem Guardiano & Fratribus factam fore legitimam, illam, Apostolica auctoritate, confirmes. Alioquin locum ipsum eisdem Guardiano & Fratribus, sine præjudicio tamen Parrochialis Ecclesiæ, ac juris cujuslibet alieni, litteris, commissionibus, & processibus præfatis, ac fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri, aut alia quacumque constitutione contraria nequaquam obstantibus, dummodo in dicto loco duodecim Fratres dicti Ordinis Minorum inibi commorantes honeste & congrue sustentari valeant, de novo, auctoritate præfata, concedas, contradictores per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Testes autem qui fuerint nominati, si se &c. Non obstantibus si aliquibus communiter vel divisim ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. *Ob hanc caussam sunt a divinis celebrandis impediti.*

Datum Avenion. III. Nonas Octob. anno XIX.

BENEDICTUS XII.

Electus est XIII. *Kalend. Januarii anno* MCCCXXXIV.

ANNO CHRISTI 1335. BENEDICTI XII. ANNO I.

I.

Ut de novalibus decimas non solvant. Ex lib. I. ann. I. epist. 590.

Dilectis in Christo filiabus Abbatissæ & Sororibus Monasterii sancti Joannis Baptistæ de Moncellis Ordinis S. Claræ Beluacen. Diœcesis.

PIetatis opera, cujus observantiæ vos pro Christi gloria deputastis, adeo vobis Apostolicæ Sedis gratiam promerentur, ut ea quæ cum Deo & honestate possumus, vobis favore benevolo concedamus. Eapropter dilectæ in Christo filiæ, carissimorum in Christo filiorum nostrorum Philippi Regis & Joannæ consortis ejus Reginæ Franciæ illustrium, qui Monasterium vestrum de bonis propriis fundasse & dotasse dicuntur, ac vestris justis postulationibus inclinati, ut de novalibus quæ de novo vestris sumptibus excoli facitis, de quibus non fuerit alias decima persoluta, nec non de hortis vestris, aut animalium nutrimentis, nulli decimas solvere teneamini, nec aliquis ad id vos coarctare valeat, auctoritate vobis præsentium indulgemus. Nulli ergo &c. nostræ concessionis &c.

Datum Avenione VI. Kalend. Aprilis ann. I.

II.

Ne recipiant Moniales ultra numerum determinatum. Ibid. epist. 591.

EISDEM.

DEvotis carissimorum in Christo filiorum nostrorum Philippi Regis & Joannæ consortis ejus Reginæ Franciæ illustrium, qui Monasterium vestrum de bonis propriis fundasse, & dotasse dicuntur, ac vestris in hac parte nobis porrectis precibus inclinati, vobis auctoritate præsentium indulgemus, ne aliqua Monialis recipi possit in Monasterio antedicto ultra numerum ibidem canonice institutum, neque ad id a quoquam compelli possitis invite, nisi redditus ejusdem Monasterii adeo notabiliter excrescerent, quod dictus numerus Monialium Domino famulantium in dicto Monasterio, merito deberet augeri. Nos enim decernimus irritas & inanes interdicti, suspensionis, & excommunicationis sententias, si quas propter hoc in vos, & vestrum aliquas, aut prædictum vestrum Monasterium imposterum contigerit promulgari. Nulli ergo &c. nostræ concessionis, & constitutionis &c.

Datum ut supra.

III.

III.

Ut Fratres Minores eis possint ministrare Sacramenta. Ibid. epist. 592.

EISDEM.

Devotis cariſſimorum &c. ut in antecedenti, *Precibus inclinati*, auctoritate vobis præſentium indulgemus, ut Fratres Ordinis Minorum in eodem Monaſterio commorantes, vobis, & donatis Monaſterii antedicti, illis dumtaxat, quæ ſine retentione aliqua, ſe, & bona ſua dederunt eidem, quotiens fuerit opportunum, poſſint infra dictum Monaſterium Sacramenta Eccleſiaſtica miniſtrare, quacumque conſtitutione contraria non obſtante. Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis &c.
Datum ut ſupra.

IV.

Ne alienentur bona Monaſterii. Ibid. epiſt. 595.

EISDEM.

Ex virtutum veſtrarum meritis, per quæ divinis jugiter vacatis obſequiis invitamur, ut vos, & Monaſterium veſtrum, quod cariſſimi in Christo filii noſtri Philippus Rex, & Joanna ejus conſors Regina Franciæ illuſtres, de bonis propriis fundaſſe, & dotaſſe dicuntur, paternis affectibus proſequentes, ad illa libenter intendamus, quæ votis veſtris ſint placita, & ejuſdem Monaſterii reſpiciant incrementa. Hinc eſt, quod nos dictorum Regis & Reginæ nobis ſuper hoc humiliter ſupplicantium, ac veſtris ſupplicationibus inclinati, vobis, auctoritate præſentium, indulgemus, quod nulla perſona terras, ſeu quaſcumque poſſeſſiones dicti Monaſterii, aut beneficium aliquod eidem Monaſterio collatum, poſſit, vel audeat alienare, vel alicui alienæ perſonæ ſingulari concedere ad tenendum ſeu levandum, ſine conſenſu totius Conventus præfati Monaſterii, vel majoris aut ſanioris partis ipſius & aliis juris ſolemnitatibus. Nos enim, ſi aliquam donationem vel alienationem de prædictis de facto contingat fieri in futurum, eas auctoritate Apoſtolica caſſamus, & irritamus, ac nullius exiſtere volumus roboris vel momenti. Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis, caſſationis, irritationis, & voluntatis infringere &c.
Datum ut ſupra.

V.

Ut familiares Monaſterii in eo poſſint ſepeliri. Ibid. epiſt. 596.

EISDEM.

Ex virtutum veſtrarum meritis &c. ut in antecedenti, *ſupplicationibus inclinati*, ut corpora familiarium veſtrorum ejuſdem Monaſterii perpetuo oblatorum, & aliorum fidelium, qui voluerint & elegerint in cœmeterio dicti Monaſterii ſepeliri, dummodo excommunicati, vel interdicti, aut publici uſurarii non fuerint, libere poſſint inibi ſepeliri, quacumque conſtitutione contraria non obſtante, auctoritate vobis præſentium indulgemus, jure parochialium Eccleſiarum in omnibus ſemper ſalvo. Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis, infringere &c. Datum ut ſupra.

V I.

Oblatis prædicti Monaſterii varia conceduntur privilegia. Ibid. epiſt. 597.

Eisdem.

EX virtutum veſtrarum meritis &c. *Supplicationibus inclinati*, auctoritate vobis præſentium indulgemus, ut converſi & perpetuo oblati dicti Monaſterii, præſentes & poſteri, poſſint in Eccleſia dicti Monaſterii veſtri Eccleſiaſtica recipere Sacramenta, & ibidem habere liberam ſepulturam, abſque ſolutione portionis canonicæ parochialis Eccleſiæ loci de Pontibus, Beluacen. diœceſis, in quo ſituatum dictum Monaſterium exiſtit, ſacienda, quacumque conſtitutione contraria non obſtante. Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis &c.

Datum ut ſupra.

V I I.

Deputantur Judices conſervatores prædicti Monaſterii. Ibid. epiſt. 598.

Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopo Senonen. & Epiſcopo Melden. ac dilecto filio Abbati ſanctæ Genovefæ Pariſien.

Exordium. §. I. INter opera pietatis, ad quæ nos Apoſtolatus officium ſollicitat, illud eſſe credimus in oculis divinæ majeſtatis acceptum, ſi perſonas ſub obſervantia regulari degentes, et præſertim in fragilitate fœminei ſexus conſtitutas, quibus favor eſt plenius adhibendus, et quæ non habent alium præter Romanum Pontificem defenſorem, Apoſtolicæ Sedis remedio muniamus.

§. II. Cum itaque dilectæ in Chriſto filiæ Abbatiſſa et Conventus Monaſterii de Monçellis, Ordinis ſanctæ Claræ Beluacen. diœceſ. ſicut ipſæ nobis

Moniales a pleriſque moleſtatæ. inſinuare curarunt, a nonnullis Archiepiſcopis et Epiſcopis, ceteriſque Eccleſiarum et Monaſteriorum Prælatis, et Collegiis, ac Clericis, et Eccleſiaſticis perſonis, tam Religioſis, quam Secularibus, nec non Comitibus, Barnnibus, Nobilibus, militibus, communitatibus, et univerſitatibus civitatum, caſtrorum, et aliorum locorum, ac aliis ſingularibus perſonis partium diverſarum, ſuper bonis, juribus et libertatibus eorumdem, contra indulta privilegiorum Apoſtolicæ Sedis, eis, et eorum Ordini, a dicta Sede hactenus conceſſorum, multipliciter moleſtentur, eiſque multiplicia gravamina inferantur, ſeu ipſi eiſdem moleſtatoribus et injuriatoribus, præſtent auxilium, conſilium, vel ſavorem, nonnullæ quoque aliæ perſonæ Eccleſiaſticæ Seculares et Regulares, Comites, Barones, Nobiles, Milites, communia et univerſitates et ſingulares perſonæ, civitatum, caſtrorum, villarum

Recurrunt ad Apoſtolicam Sedem. et partium vicinarum, nonnulli etiam civitatis, et diœceſis, et pàrtium prædictarum, qui nomen Domini in vacuum recipere non formidant, eiſdem Abbatiſſæ et Conventui ſuper prædictis privilegiis, multiplices moleſtias, injurias inferant et jacturas. Quare eædem Abbatiſſa et Conventus, nobis humiliter ſupplicarunt, ut cum valde difficile reddatur eiſdem pro ſingulis querelis ad Apoſtolicam Sedem habere recurſum, providere ipſis ſuper hoc paterna diligentia curaremus.

Judices conſervatores inſtituūtur. §. III. Nos igitur adverſus moleſtatores & injuriatores hujuſmodi, illo volentes eis remedio ſubvenire, per quod ipſorum compeſcatur temeritas, & aliis aditus committendi ſimilia præcludatur, diſcretioni veſtræ per Apo-

Apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus vestrum, per vos, vel alium seu alios, etiamsi sint extra loca in quibus deputati estis conservatores, & Judices, praefatis Abbatissae & Conventui efficacis defensionis praesidio assistentes, non permittatis eas super praemissis, contra dictorum privilegiorum tenores, ab eisdem, & quibuscumque aliis indebite molestari, vel sibi gravamina, seu damna, vel injurias irrogari, facturi eisdem Abbatissae, & Conventui, cum ab eis, vel Procuratoribus suis, aut eorum aliquo fueritis requisiti, de praedictis, & aliis personis quibuslibet super praemissis omnibus, nec non de quibuslibet molestiis, injuriis, atque damnis, praesentibus & futuris, in illis videlicet, quae judicialem requirunt indaginem, summarie, & de plano, sine strepitu, & figura judicii, in aliis vero prout qualitas ipsorum exegerit, justitiae complementum, molestatores, praesumptores, et injuriatores hujusmodi, nec non contradictores quoslibet, et rebelles, cujuscumque dignitatis, status, Ordinis, vel conditionis extiterint, quandocumque et quotiescumque expedierit, auctoritate nostra, per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus tam felicis recordationis Bonifacii Papae VIII. praedecessoris nostri, in quibus cavetur &c. *legitimum extitisset*. Constitutione praedicta super conservatoribus et qualibet alia in contrarium edita non obstante, praesentibus post quinquennium minime valituris.

Datum Avenione VI. Kalend. Aprilis anno I.

VIII.

Ut confirmationis Sacramentum ab Episcopo Beluacen. vel alio Antistite possint accipere. Ibid. epist. 599.

Dilectis in Christo filiabus Abbatissae & Conventui Monasterii de Moncellis Ordinis sanctae Clarae Beluacen. dioecesis.

§. I. Sincerae devotionis affectus, quem carissimi in Christo filii nostri Philippus Rex et Joanna ejus consors Regina Franciae illustres, qui Monasterium vestrum de bonis propriis fundasse et dotasse dicuntur, ad nos et Romanam Ecclesiam habere noscuntur, nos excitant et inducunt, ut petitiones vestras, quae statum vestrum et Monasterii antedicti respiciunt, ad exauditionis gratiam favorabiliter admittamus.

§. II. Hinc est, quod nos dictorum Regis et Reginae, nobis super hoc humiliter supplicantium, ac vestris supplicationibus inclinati, ut quotiescumque vos, vel eas Sorores, quae vobis in eodem Monasterio succedent, seu vestrum aliquam contigerit, confirmatione vel alio Sacramento Ecclesiastico indigere, quae Episcopus Beluacen. qui est et erit pro tempore, in cujus dioecesi ipsum Monasterium existit, vobis non posset, propter suam absentiam, vel alia causa rationabili ministrare, liceat vobis ejusdem Episcopi, vel Vicariorum ejus petita licentia et obtenta, vel eis sine causa rationabili concedere recusantibus, ab alio Catholico antistite gratiam & communionem Apostolicae Sedis habente, hujusmodi confirmationem, vel alia sacramenta recipere, quacumque constitutione contraria non obstante, vobis, auctoritate praesentium, indulgemus. Nulli ergo &c. nostrae concessionis &c. Datum ut supra.

IX.

Concedit eis Regulam Alexandri IV. Ibidem epift. 601.

EISDEM.

§. I. ORdinem fanctæ Claræ tanto fupponit devota credulitas apud Altiffimum clariorem, quanto magis illum profitentes, verbo & opere profequentes, fe a mundi hujufmodi illecebris abdicantes, viam mandatorum currere fatagunt, per ipfam eorum cordibus mifericorditer dilatatis.

§. II. Hinc eft, quod nos cariffimorum in Chrifto filiorum noftrorum Philippi Regis, & Joannæ conforts ejus Reginæ Franciæ illuftrium, qui zelo piæ devotionis accenfi, Monafterium veftrum de Moncellis Beluacen. Diœc. de bonis propriis fundarunt, pariter & dotarunt, ac veftris in hac parte fupplicationibus inclinati, regulam per fœl. record. Alexandrum Papam IV. prædecefforem noftrum Ordini fanctæ Claræ conceffam, quam obfervaftis hactenus, & inviolabiliter proponitis perpetuis temporibus obfervare, vobis auctoritate Apoftolica, de fpeciali gratia, tenore præfentium, duximus concedendam. Nulli ergo &c. noftræ conceffionis &c.

Datum ut fupra.

X.

Ut tempore interdicti poffint celebrare divina. Ibidem epift. 602.

EISDEM.

DEvotionis veftræ finceritas promeretur, ut votis veftris in iis præfertim, quæ ad veftrarum animarum falutem cedere valeant, quantum cum Deo poffumus,favorabiliter annuamus. Hinc eft quod nos cariffimorum in Chrifto filiorum noftrorum Philippi Regis & Joannæ &c. *fupplicationibus inclinati*, auctoritate vobis præfentium indulgemus, ut generalis tempore interdicti in Ecclefia dicti Monafterii veftri, claufis januis, excommunicatis & interdictis exclufis, non pulfatis campanis, & fubmiffa voce, divina officia liceat vobis celebrare, & Miffam facere celebrari, dummodo vos caufam non dederitis interdicto, nec id vobis contigerit fpecialiter interdici. Nulli ergo &c. noftræ conceffionis &c. Datum ut fupra.

XI.

Conceduntur Indulgentiæ vifitantibus Ecclefiam. Ibidem epift. 603.

Univerfis Chrifti fidelibus præfentes litteras infpecturis.

Vide Conftit. 14. Joannis XXII. Tom. 6. fol. 500.

LIcet is de cujus munere venit &c. *divinæ gratiæ aptiores*. Cum itaque cariffimi in Chrifto filii noftri Philippus Rex & Joanna ejus confors Regina Franciæ illuftres Monafterium de Moncellis Ordinis fanctæ Claræ Beluacen. Diœcefis, in honorem beati Joannis Baptiftæ de bonis propriis conftrui & dotari fecerint, Abbatiffa & Sororibus Ordinis ejufdem fanctæ Claræ inibi inftitutis; Nos cupientes ut Ecclefia ejufdem Monafterii devoto populi frequentetur acceffu, omnibus vere pœnitentibus & confeffis,qui Ecclefiam ipfam in fingulis Nativitatis et Refurrectionis, ac Afcenfionis Domini, Pentecoftes, et quatuor beatæ Mariæ Virginis, beati Joannis Baptiftæ

ſtæ prædicti, in cujus honore dicta Eccleſia præfati Monaſterii eſt, ut præfertur, conſtructa, beati Franciſci, et ejuſdem ſanctæ Claræ feſtivitatibus, devote viſitaverint annuatim, centum dies, de omnipotentis Dei miſericordia, et beatorum Petri et Pauli Apoſtolorum, ejus auctoritate confiſi, de injunctis eis pœnitentiis, miſericorditer relaxamus. Datum ut ſupra.

XII.

Ut non ſolvant pedagia aut gabellas. Ibidem epiſt. 604.

Eiſdem Abbatiſſæ & Conventui.

PAupertati veſtræ, quam propter Deum voluntarie ſuſtinetis, ac quieti veſtræ paterna impoſterum ſollicitudine providere volentes, cariſſimorum in Chriſto filiorum noſtrorum Philippi Regis &c. *ſupplicationibus inclinati*, ut Religioſæ et Eccleſiaſticæ perſonæ, necnon quæcumque bona et res Monaſterii antedicti, vel ſi pro uſu ipſius Monaſterii deferantur, ab omni præſtatione pedagii, ſeu gabellæ, in terra vel aqua, perpetuo ſint libera & immunia, nec ad id a quoquam compelli poſſint invitæ, vobis auctoritate præſentium indulgemus. Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis &c. Datum ut ſupra.

XIII.

Ut Capellaniæ pertineant ad præſentationem Abbatiſſæ. Ibidem epiſt. 605.

Eisdem.

REligionis obſervantia, cui vos, mundanis relegatis illecebris, per ſemitas incedendo virtutum, pro Chriſti gloria deputaſtis, adeo vobis Apoſtolicæ Sedis gratiam promerentur, ut ea, quæ cum Deo & honeſtate poſſumus, vobis favore benevolo concedamus. Hinc eſt quod cariſſimorum in Chriſto filiorum noſtrorum Philippi Regis &c. *ſupplicationibus inclinati*, ut quæcumque Cappellaniæ, quæ de bonis dicti Monaſterii, in Eccleſia ipſius Monaſterii fundatæ ſeu inſtitutæ exiſtunt, & quæ fundabuntur ſeu inſtituentur etiam in futurum, ad præſentationem Abbatiſſæ dicti Monaſterii perpetuo pertineant, auctoritate vobis præſentium indulgemus. Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis &c. Datum ut ſupra.

XIV.

Ut gaudeant privilegiis & gratiis reliquis Clariſſis conceſſis. Ibid. epiſt. 606.

Eisdem.

ET pietatis debitum, & paternæ caritatis exquiri reputamus officium, ſi vobis, quæ partem optimam eligentes, devotum impenditis ſub paupertatis onere, Domino famulatum, Apoſtolici favoris ſuffragium impertimur. Ut igitur eo devotius offerre Domino laudis ſacrificium valeatis, quo erga vos Apoſtolicæ Sedis gratiam magis ſenſeritis affluentem, cariſſimorum in Chriſto filiorum noſtrorum Philippi Regis & Joannæ &c. *ſupplicationibus inclinati*, ut tam vos, quam illæ quæ in Monaſterio ipſo vobis ſuccedent, omnibus & ſingulis gratiis, privilegiis, libertatibus & indulgentiis generalibus & ſpecialibus, quæ Ordini ſanctæ Claræ ab Apoſtolica Sede noſcuntur eſſe conceſſa, in perpetuum uti & gaudere poſſitis, vobis auctoritate præſentium indulgemus. Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis &c. Datum ut ſupra.

XV.

XV.

Confirmat eis bonorum possessionem. Ibidem epist. 608.

EISDEM.

AD Monasterium vestrum, quod carissimi in Christo filii nostri Philippus Rex & Joanna &c. *supplicationibus inclinati*, vobis ut quascumque possessiones seu bona, quæ præfatum Monasterium juste tenet ad præsens, quæ secundum sanctiones canonicas in futurum tenebit ex concessione Sedis Apostolicæ, & ex dono Regis, & aliorum Principum, seu de datis vel oblatis a quibuscumque fidelibus Christianis, sive alio quocumque modo legitimo, justoque titulo acquiret præfato Monasterio, & personis ibidem degentibus tam præsentibus, quam futuris, tam in pratis, terris, vineis, nemoribus, & usibus nemorum, quam etiam ipsorum & planorum, itinerum semitarum, aquis, molendinis, ac quibuscumque aliis bonis, libera, firma & stabilia, sine juris præjudicio alieni, in perpetuum ex concessione Sedis prædictæ, tenere libere & licite valeatis, quibuscumque constitutionibus seu privilegiis super hoc in contrarium editis, nequaquam obstantibus, auctoritate præsentium, de speciali gratia indulgemus. Nulli ergo &c. nostræ concessionis &c. Datum ut supra.

XVI.

Ne quis injuriam inferat prædicto Monasterio. Ibidem epist. 634.

EISDEM.

SAcra vestra Religio, quæ in Monasterio vestro a vobis, & aliis personis in eo degentibus sub voto paupertatis voluntariæ jugiter colitur, sic a vobis mundanæ dissolutionis relegavit illecebras &c. *exhibeatis Domino servitutem*. Hinc est quod nos carissimorum in Christo filiorum nostrorum Philippi Regis & Joannæ &c. *supplicationibus inclinati*, vobis, ne quis infra clausuram dicti Monasterii vestri rapinam, seu furtum, aut incendium committere, personam seu personas lædere seu occidere forte præsumat, aut quamcumque aliam damnabilem violentiam inferre, auctoritate Apostolica, districtius tenore præsentium, inhibemus. Nulli esgo &c. nostræ concessionis &c. Datum ut supra.

XVII.

Ut Episcopus Beluacen. gratis eis ministret Sacramenta. Ibidem epist. 635.

EISDEM.

Ut sup. Const. 2. fol. 469.

SInceræ devotionis affectus &c. *ad exauditionis gratiam admittamus*. Hinc est quod dictorum Regis & Reginæ &c. *supplicationibus inclinati*. Diœcesano vestro Episcopo Beluacen. qui est, & erit pro tempore, auctoritate Apostolica, districtius inhibemus, ne pro consecratione Ecclesiæ dicti Monasterii, vel altarium ipsius Ecclesiæ, aut pro Oleo sancto, & aliis Sacramentis Ecclesiasticis, quibus multotiens, ut asseritis, indigetis, prætextu consuetudinis, vel alio modo possit, vel audeat aliquid petere, vel etiam extorquere, imo ipsa omnia & singula vobis libere & gratiose concedere teneatur; quodque si forsan vellet pro prædictis aliquid petere vel habe-

habere, possitis a quocumque Antistite gratiam & communionem Apostolicæ Sedis habente, prædicta petere & recipere, ac habere, quacumque constitutione contraria non obstante, vobis auctoritate præsentium indulgemus. Nulli ergo &c. nostræ concessionis ac inhibitionis &c. Datum ut supra.

XVIII.

Ne per censuras possint conveniri. Ibidem epist. 642.

EISDEM.

JUstis petentium desideriis &c. *postulationibus inclinati*, auctoritate vobis præsentium indulgemus, ne vos vel aliqua vestrum, contra formam exemptionis privilegiorum vobis & dicto Monasterio vestro a Sede Apostolica concessorum, conveniri minime valeatis. Nos enim decernimus irritas & inanes, interdicti, suspensionis & excommunicationis sententias, si quas contra formam exemptionis dictorum privilegiorum, in vos, vel vestrum aliquas, aut dictum Monasterium vestrum propterea imposterum contigerit promulgari. Nulli ergo &c. nostræ concessionis & constitutionis &c. Datum ut supra.

XIX.

Ut permittat construi Minoritarum domum in villa de Tuodio. Ibid. ep. 911.

Venerabili fratri Archiepiscopo Treviren.

§. I. SAcræ Religionis dilectorum filiorum Fratrum Ordinis Minorum promeretur honestas, ut petitiones ipsorum, illas præsertim quæ ampliationem Deo gratam, & dictis Fratribus, ac aliis Christi fidelibus salutarem Ordinis prædicti respiciunt, quantum cum Deo possumus, ad exauditionis votivæ gratiam favorabiliter admittamus.

§. II. Cum itaque, sicut ex tenore petitionis pro parte dilectorum filiorum Fratrum ejusdem Ordinis de Custodia Lotharingiæ nobis oblatæ collegimus, dilectus filius nobilis vir Ludovicus Comes, & dilecta in Christo filia nobilis mulier Margarita de Lotharingia Comitissa Delos & de Chineyo conjux ejus, eisdem Fratribus acquirendi seu obtinendi in villa sua de Yuodio tuæ Diœcesis, locum ubi dicti Fratres Ecclesiam & domos pro habitatione ipsorum necessarias construere valeant & habere, concesserunt libere, in quantum sua interest, per eorum patentes litteras plenam & liberam potestatem. Pro parte Fratrum prædictorum fuit nobis humiliter supplicatum, ut eis recipiendi locum hujusmodi in dicta Villa licentiam concedere dignaremur.

§. III. Nos itaque, qui statum prosperum & ampliationem hujusmodi dicti Ordinis plenis desideriis affectamus, præfatorum Comitis & Comitissæ, qui super hoc nobis per suas patentes litteras humiliter supplicarunt, & eorumdem Fratrum supplicationibus humiliter inclinati, fraternitati tuæ, de qua plenam in Domino fiduciam gerimus, per Apostolica scripta mandamus, & committimus, quatenus si est ita, & in dicta Villa expediat fieri, ac ibidem duodecim Fratres dicti Ordinis secundum eorum regulam, honeste & congrue vivere, ac perpetuo sustentari possint, eisdem Fratribus, auctoritate nostra, concedas hujusmodi licentiam postulatam, jure parrochialis Ecclesiæ, & cujuslibet alterius in omnibus semper salvo.

Datum Avenione VIII. Kal. Decembris anno 1.

XX.

Ut poſſint transferre domicilium ſuum intra muros Civitatis. Ex lib. 2. ann. 2. epiſt. 357.

Dilectis filiis Guardiano & Fratribus Ordinis Minorum Agennen.

§. I. SAcra veſtra Religio referta virtutum fœcunditate meretur, ut vos illa gratia favorabiliter proſequamur, quæ veſtris fore aſſeritur neceſſitatibus opportuna. Sane petitio pro parte veſtra nobis nuper exhibita continebat, quod locus veſter, quem extra muros civitatis Agennen. habetis ad præſens, juxta fluvium Garonæ ſituatus exiſtit, cujus fluvii impetus inundantis ibidem, dictum locum pro majori parte deſtruxit, & quod dicta civitas propter guerrarum diſcrimina, quæ in illis partibus frequenter ſuſcitantur, clauditur foſſatis & muris, quodque officiales cariſſimi in Chriſto filii noſtri Philippi Regis Franciæ illuſtris, necnon & cives civitatis ejuſdem dixerunt vobis, quod ſi guerra in prædictis partibus inciperet, ſtatim diruerent dictum locum. Quare nobis humiliter ſupplicaſtis, ut acquirendi legitime, & recipiendi alium locum aptum & congruum infra dictos muros civitatis ejuſdem, præſertim cum ad hoc, ut aſſeritis, venerabilis fratris noſtri Epiſcopi Agennen. & officialium dicti Regis, ac civium civitatis ejuſdem accedat aſſenſus, ibique Eccleſiam, clauſtrum, & alias officinas neceſſarias conſtruendi, voſque de ipſo loco priori ad dictum locum alium, per vos infra dictos muros, ut præmittitur, acquirendum transferendi, inibi Domino ſervituros, ipſumque locum priorem ad opus veſtrum, & pro ſecundo loco hujuſmodi acquirendo alienandi, & de eo diſponendi, prout vobis expedire videretur, licentiam largiremur.

§. II. Nos itaque volentes ſtatui veſtro, ut liberius & quietius poſſitis Domino famulari, providere ſalubriter in hac parte, dilecti filii Geraldi Generalis Miniſtri veſtri Ordinis, nobis ſuper hoc humiliter ſupplicantis, ac veſtris ſupplicationibus inclinati, faciendi præmiſſa omnia & ſingula, abſque tamen præjudicio parochialis Eccleſiæ dicti loci ſecundi, & juris cujuslibet alterius alieni; conſtitutione fel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri ſuper hoc in contrarium edita, & quacumque alia non obſtante, auctoritate vobis præſentium, plenam & liberam licentiam impertimur. Proviſo quod Eccleſia & cœmeterium ejuſdem prioris loci, in qua quidem Eccleſia per unum presbyterum faciatis in divinis officiis celebrandis deſerviri, ad clericos ſeu laicos ſicut hæreditas minime transferantur. Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis &c.

Datum Avenione XII. Kal. Aprilis anno II.

XXI.

Ut Fratres Montis-Falconis poſſint mutare domicilium. Ex lib. ſecr. ep. 205.

Venerabili fratri Bertrando Archiepiſcopo Ebredunen. Apoſtolicæ Sedis Nuncio.

§. I. TAm tua, quam quorumdam aliorum nobis inſinuatio patefecit, quod dilecti filii Guardianus & Fratres Ordinis Minorum caſtri Montis-Falconis Spoletan. Diœc. ex eo quia quædam porta prædicti caſtri, prope quam ab exteriori parte, domus eorum ſita eſt, ſæpe, cum eidem caſtro, ejuſque habitatoribus pericula imminent, clauditur, & clauſa, ſicut hactenus fieri

fieri consuevit, tenetur, adeo arctantur interdum, quod etiam pro quærendo & procurando victum suum nequeant exire libere, nec ad eos possint habitatores accedere supradicti, quodque honestum esset & expediens ut eadem domo, quæ in loco eminenti juxta fossata castri prædicti consistit, Romanæ Ecclesiæ perpetuo remanente, Guardiano & Fratribus antedictis assumendi locum alium opportunum infra castrum præfatum, ubi Ecclesiam & domum possent construere, licentia largiretur.

§ II. Nos igitur præmissis plenius intellectis, volentes eisdem Guardiano & Fratribus, de opportuno in hac parte remedio providere. Attendentes quoque quod pleniorem habere potes notitiam de prædictis, ut si honestum, & Ecclesiæ Romanæ prædictæ, præfatisque Guardiano & Fratribus, necnon & prælibatis hominibus & habitatoribus dicti castri expediens cognoveris, attentis circumstantiis circa hæc attendendis, dictam domum pro eadem Romana Ecclesia, viis,& modis justis & licitis retinere perpetuo, ipsisque Guardiano & Fratribus assumendi locum alium infra memoratum castrum, in quo Ecclesiam & domos opportunas possint construere: non obstante si locus assumendus hujusmodi ab aliis Ecclesiis dicti castri per spatium a Canonibus ordinatum & distinctum non distet, dummodo alias sine præjudicio Ecclesiarum ipsarum, & juris alterius cujuscumque id fiat, elargiri auctoritate nostra licentiam, quavis constitutione contraria non obstante, valeas, plenam fraternitati tuæ concedimus, tenore præsentium, facultatem.

Datum apud Pontem Sorgiæ Avenionen. Diœcesis XVIII. Kal. Augusti anno II.

XXII.

Ut in Monasterium Xativæ introducantur Clarissæ Valentiæ. Ibid. ep. 526.

Dilecto filio Geraldo Ministro Generali Ordinis Fratrum Minorum.

§. I. Significavit nobis carissimus in Christo filius noster Petrus Rex Aragonum illustris, quod quondam Saurina de Lauria consanguinea Regis ejusdem in extremis laborans, in testamento suo pro salute suæ animæ, ordinavit, quod de bonis suis in Villa Xativæ Valent. Diœc. construeretur quoddam Monasterium Monialium Ordinis sanctæ Claræ, & quod intentio fuit testatricis ejusdem, ut idem Rex fore asserit sibi certum, quod dictum Monasterium, postquam esset constructum, de Monialibus dicti Ordinis Monasterii Valentinen. & non de Monialibus alterius nationis, ordinaretur & poneretur collegium in eodem, quodque Provincialis tui Ordinis in Provincia Aragoniæ, sub cujus ministerio hujusmodi novum Monasterium consistere dicitur, illud ordinare seu collegiare proponit de Monialibus suæ propriæ nationis, contra intentionem & voluntatem testatricis ejusdem, se asserens hoc facere de tuo speciali mandato, propter quod idem Rex desiderans, quod intentio testatricis ipsius debitum sortiatur effectum, ad nos super hoc duxit humiliter recurrendum.

§. II. Quocirca discretioni tuæ per Apostolica scripta districte præcipiendo mandamus, quatenus si sufficientes & idoneæ personæ jam professæ, dictum Ordinem sanctæ Claræ, vel quæ de novo ejusdem Ordinis habitum velint suscipere, & illum debito tempore profiteri, dictumque novum Monasterinm introire ibidem Domino sub regulari habitu perpetuo servituræ, inveniantur in Regno Valentiæ, dictum Monasterium novum de ipsis personis, quas in isto principio omnibus aliis præponi volumus, una cum Abbatissa, quæ præsit eisdem, facias ordinari, ut pia ejusdem testatricis dispositio compleatur. Datum Avenione VI. Idus Novembris anno II.

XXIII.

Deputantur Judices conservatores Monasterii sancti Silvestri. Ex lib. 2. anno 3. epist. 507.

Dilectis filiis sancti Laurentii extra Muros Urbis, & sancti Gregorii in Clivo scauri Monasteriorum Abbatibus, ac Priori sæcularis Ecclesiæ sancti Marcelli de Urbe.

§. I. Militanti Ecclesiæ licet immeriti, disponente Domino præsidentes, circa curam Ecclesiarum & Monasteriorum omnium solertia reddimur indefessa solliciti, ut juxta debitum pastoralis officii, eorum occurramus dispendiis, & profectibus, divina cooperante clementia, salubriter intendamus.

§. II. Sane dilectarum in Christo filiarum Abbatissæ & Conventus Monasterii sancti Silvestri de Capite de Urbe Ordinis sanctæ Claræ conquestione percepimus, quod nonnulli Archiepiscopi, Episcopi, aliique Ecclesiarum Prælati, & Clerici, ac Ecclesiasticæ personæ, tam religiosæ, quam etiam seculares, necnon Duces, Marchiones, Comites, Barones, Nobiles, Milites, & laici, Communia civitatum, Universitates oppidorum, castrorum, villarum, & aliorum locorum, et aliæ singulares personæ, civitatum et Diœcesum, et aliarum partium diversarum, occuparunt, et occupari fecerunt, castra, villas et alia loca, terras, domos, possessiones, jura, et jurisdictiones, necnon fructus, census, redditus, et proventus dicti Monasterii, et nonnulla alia bona mobilia et immobilia, spiritualia et temporalia, ad Abbatissam, et Conventum, ac Monasterium præfata spectantia, et ea detinent indebite occupata, et detinentibus præstant auxilium, consilium, et favorem; nonnulli etiam civitatum et Diœcesum, et partium prædictarum, qui nomen Domini in vacuum recipere non formidant, eisdem Abbatissæ et Conventui, super prædictis castris, villis, et locis aliis, terris, domibus, possessionibus, juribus &c. earumdem, et quibuscumque aliis bonis mobilibus et immobilibus, spiritualibus et temporalibus, et aliis rebus ad easdem Abbatissam, et Conventum, ac Monasterium spectantibus, multiplices molestias, et injurias inferunt et jacturas. Quare dictæ Abbatissa et Conventus nobis humiliter supplicarunt &c. *ut supra in bulla* VII. *Benedicti XII. usque ad finem*.

Datum Avenione III. Kal. Januarii anno III.

Anno Christi 1337. Benedicti XII. anno 3.

XXIV.

Ut habitare possit intra claustra Monasterii Corporis Christi. Ex lib. 1. ann. 3. epist. 280.

Carissimæ in Christo filiæ Sanciæ Reginæ Siciliæ illustri.

Eximiæ tuæ devotionis sinceritas, quam ad nos, et Apostolicam Sedem gerere nosceris, promeretur, ut votis tuis, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Cum itaque, sicut porrecta nobis pro parte tua supplicatione didicimus, tu interpolatim frequentibus infirmitatibus prægraveris, ac pro recuperandæ salutis medela, morari desideres in Monasterio Sororum sancti Corporis Christi Neapolitan. Ordinis sanctæ Claræ, quod hactenus pia devotione fundasse diceris, et dotasse, in quo auxiliante Deo,

Deo, spiritualibus adjuta suffragiis, speras consequi sanitatem. Nos hujusmodi tuum desiderium, suadentibus præmissis rationabilibus causis, exauditione benigna prosequi volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, devotioni tuæ intrandi clausuram dicti Monasterii, et morandi cum decem honestis mulieribus dumtaxat, quas duxeris eligendas, infra clausuram prædictam, quousque de prædictis infirmitatibus, quæ per intervalla frequentia, sicut accepimus, te affligunt, te cognoveris liberatam, contrariis ipsius Ordinis statutis, vel consuetudinibus, seu privilegiis vel indulgentiis Apostolicis generalibus vel specialibus, sub quacumque forma vel expressione verborum, præfatis Ordini seu Monasterio, vel personis ipsius concessis, nequaquam obstantibus, auctoritate Apostolica, tenore præsentium indulgemus. Nulli ergo &c. nostræ concessionis &c.

Datum Avenione VI. Kal. Martii anno III.

XXV.

Ut admittere possit domum in Portico. Ex lib.2. epist.87.

Dilecto filio Ministro Generali Fratrum Ordinis Minorum.

§. I. AD ea favorem Apostolicum libenter impendimus, quæ divini cultus augmentum & profectum respiciunt animarum. Cum itaque dilectus filius nobilis vir Galterus Galiota, miles Neapolitan. sicut ex insinuatione sua nuper accepimus, fervore piæ devotionis accensus, ad laudem & gloriam Redemptoris, & beati Francisci confessoris, in quadam possessione sua in pertinentiis civitatis Neapolitanæ, loco Portici nuncupato vulgariter, situata, locum unum cum Ecclesia, sub ejusdem Confessoris vocabulo, & dormitorio ac refectorio, & omnibus aliis necessariis officinis, in quo competens Conventus Fratrum Ordinis tui commode commorari valeant, expensis propriis construere ac ædificare proponat.

§. II. Nos ejusdem Nobilis in hac parte supplicationibus inclinati, eidem Nobili construendi & ædificandi, tibique pro eisdem Fratribus recipiendi dictum locum, postquam constructus & ædificatus fuerit, ut præfertur, dummodo in eo Conventus duodecim Fratres dicti Ordinis commode morari valeant, ac etiam sustentari, & inibi ad obsequia divina, & animarum profectum continuo commorari, sine præjudicio parochialis Ecclesiæ, & juris cujuslibet alterius, felic. recordat. Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri & quibuscumque aliis constitutionibus Apostolicis contrariis nequaquam obstantibus, plenam & liberam licentiam, auctoritate Apostolica, tenore præsentium elargimur. Nulli ergo &c. nostræ concessionis &c.

Datum Avenione V. Idus Martii anno III.

XXVI.

Ut ædificare possit Monasterium in civitate Aquen. Ibid. epist.200.

Carissimæ in Christo filiæ Sanciæ Reginæ Siciliæ Illustri.

§. I. EXimiæ devotionis affectus &c. *gratiam admittamus*. Sane petitio pro parte tua nobis exhibita continebat, quod tu zelo ferventis devotionis accensa, ad laudem Dei & gloriosissimæ matris ejus, de expressa conscientia, & voluntate carissimi in Christo filii nostri Roberti Regis Siciliæ illustris viri tui, nobis etiam super hoc humiliter supplicantis, *Vide constit. 15. Clemen. V. tom. 6. fol.472.*

in

Sancia Monasterii Fundatrix.

in civitate Aquen. vel ejus territorio, quoddam Monasterium Monialium Ordinis fanctæ Claræ propriis fumptibus ædificare proponis, eique fufficientes dotes pro decenti collegio Monialium, inibi perpetuis temporibus fuftentando, de facultatibus propriis affignare. Quare nobis humiliter fupplicafti, ut conftruendi & ædificandi infra dictam civitatem, vel in ejus territorio, in certo loco, quem rationabiliter duxeris acquirendum, dictum Monafterium, cum oratorio, feu Ecclefia, aliifque neceffariis officinis, illudque dotandi, & eligendi & ponendi in eo decentem Monialium numerum, quæ ibi Domino perpetuo famulentur, tibi per noftras litteras facultatem concedere dignaremur.

Licentia conceditur.

§. II. Nos igitur tuum in hac parte pium laudabileque propofitum in Domino commendantes, ac volentes fuper hoc favorem benevolum impertiri, tuis, & dicti Regis in hac parte fupplicationibus inclinati, conftruendi, & ædificandi infra dictam civitatem, vel in ejus territorio, in certo loco decenti, quem rationabiliter duxeris acquirendum, dictum Monafterium, cum oratorio, feu Ecclefia, aliifque neceffariis officinis, illudque dotandi, ac eligendi, & ponendi in eo decentem Monialium numerum, quæ ibi Domino perpetuo famulentur, ut præfertur, quibufcumque ftatutis & confuetudinibus ac privilegiis dicti Ordinis, feu conftitutionibus Apoftolicis contrariis nequaquam obftantibus, jure parochialis Ecclefiæ loci, in quo hujufmodi Monafterium conftruendum & ædificandum duxeris, & cujuslibet alterius, femper falvo, devotioni tuæ, tenore præfentium, concedimus facultatem. Nulli ergo &c. noftræ conceffionis &c.

Datum Avenione II. Idus Maii anno III.

XXVII.

Ut non folvant Clariffæ Jadren. decimas. Ex lib. I. epift. 352.

Venerabili fratri Archiepifcopo Jadren.

Moniales paupertate gravantur.

§. I. EXhibita nobis Conventus Monafterii fancti Nicolai Jadrèn. ad præfens Abbatiffa carentis, Ordinis fanctæ Claræ petitio continebat, quod licet ipfæ tanta paupertate graventur, quod de proventibus poffeffionum fuarum, vix pro certa parte anni poffunt congrue fuftentari, quinimo pro magna parte temporis de eleemofynis fidelium, quas petunt, & peti faciunt, fuftentantur; tamen dilectus filius Bertrandus Rotundi collector decimarum per felicis recordationis Joannem Papam XXII. prædeceflorem noftrum in partibus ipfis impofitarum, fpecialiter deputatus, in dictum Monafterium, pro eo, quod quondam Francifca Abbatiffa dicti Monafterii, & Conventus prædictæ, hujufmodi decimas eis impofitas, in ftatutis terminis non folverunt, interdicti, nec non & in Abbatiffam eamdem & fingulas Moniales dicti Monafterii, excommunicationis fententias promulgavit, quodque ipfæ Abbatiffa & Conventus, propter ipfarum maximam pupertatem ad folvendum hujufmodi decimas, tempore aliorum Romanorum Pontificum compulfæ non fuerint, nec etiam fi ipfæ Conventus compellerentur, eas poffent folvere fine magno earum incommodo, propter maximam inopiam earumdem. Quare præfatæ Conventus, dicta Francifca interim fublata de medio, nobis humiliter fupplicarunt, ut ftatui earum paterne confulere, ac etiam neceffitatibus providere, de confueta Sedis Apoftolicæ clementia dignaremur.

Non teneātur decimas folvere.

§. II. Nos itaque ipfarum Conventus fupplicationibus annuentes, ac præfatas decimas eis pro tempore præterito impofitas, auctoritate præfentium,

tium, de speciali gratia remittentes eisdem, fraternitati tuæ per Apostolica scripta committimus, & mandamus, quatenus præfatas Moniales & Coventum ab omnibus sententiis per dictum Bertrandum, aut subcollectores suos in eas occasione hujusmodi decimæ non solutæ, prolatis auctoritate nostra, juxta Ecclesiæ formam absolvere, ac interdictum præfatum studeas relaxare, injuncto eis super hoc quod de jure fuerit injungendum, & nihilominus dictam Franciscam, si apparuerunt signa pœnitentiæ in eadem, absolvas a prædicta excommunicationis sententia, in eam propterea promulgata.

Datum Avenion. x. Kalend. Julii anno III.

XXVIII.

Præficitur Ecclesiæ Assisinatensi. Ibid. epist.20.

Dilecto filio Pastori de Serrescuderio electo Assisinat.

§. I. Regimini universalis Ecclesiæ &c. *præesse salubriter & prodesse*. Olim siquidem ex certis causis rationabilibus, videlicet II. Nonas Maii Pontificatus nostri anno II. provisiones omnium Cathedralium Ecclesiarum, in terris Romanæ Ecclesiæ immediate subjectis consistentium, tunc vacantium, & vacaturarum imposterum, dispositioni nostræ & Sedis Apostolicæ, usque ad biennium ex tunc in antea computandum, auctoritate Apostolica duximus reservandas, decernendo ex tunc irritum &c. *contingeret attentari*.

§. II. Interim autem Ecclesia Assisinat. in terra dictæ Romanæ Ecclesiæ immediate subjecta consistente, per obitum bonæ memoriæ Conradi Episcopi Assisinaten. qui in illis partibus debitum naturæ persolvit, pastoris solatio destituta, a dilectis filiis capitulo ipsius Ecclesiæ, hujusmodi reservationis & decreti forsan ignaris, contigit tres electiones, unam videlicet de dilectis filiis Gentili Abbate Monasterii de Partano Ordinis sancti Benedicti Nucerin. diœcesis, & aliam de Gualfredutio Colæ Oddatii Canonico Perusino, reliquam vero de Nicolazio Zuctii Ordinis Fratrum Minorum, per formam scrutinii, de facto in discordia celebrari.

§. III. Nos igitur attendentes, quod electiones hujusmodi, utpote post & contra reservationem & decretum prædicta factæ, viribus non subsistunt, ac de provisione ipsius Ecclesiæ Assisinat. ne prolixioris vacationis subjaceret incommodis, sollicite cogitantes, cum nullus præter nos hac vice de ordinatione ipsius Ecclesiæ Assisinat. se intromittere possit, reservatione & decreto obsistentibus supradictis, post deliberationem quam de præficiendo illi personam utilem, ac etiam fructuosam, cum nostris Fratribus habuimus diligentem, demum ad te dicti Ordinis Fratrum Minorum Professorem, sacræ Theologiæ Magistrum, & in Sacerdotio constitutum, in spiritualibus providum, & in temporalibus circumspectum, cui religionis honestas, vitæ munditia, maturitas morum, & alia multiplicia virtutum merita, prout ex fide dignis testimoniis accepimus, suffragantur, direximus aciem nostræ mentis. Quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua præfatæ Ecclesiæ Assisin. de dictorum Fratrum nostrorum consilio, auctoritate Apostolica providemus, teque illi præficimus in Episcopum & Pastorem, curam &c. ipsius Ecclesiæ Assisinat. tibi tam &c. firma concepta fiducia, quod, dirigente Domino actus tuos, præfata Ecclesia Assisinat. per tuæ circumspectionis & diligentiæ studium, dextera Domini tibi assistente propitia, regetur utiliter, & prospere dirigetur. Jugum itaque Domini tuis &c. prompta devotione suscipiens, curam &c. quod ipsa Ecclesia gubernatori provido & fru-

& fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque præter æternæ &c.

Datum Avenione Kalend. Octobris anno III.

XXIX.

Ut componant dissidia Monasterii Xativæ. Ex lib.2. epist.537.

Venerabili fratri Episcopo Segobricen. & dilectis filiis Præcentori Valentin. ac Petro canonico Segobricen. Ecclesiæ.

Legatum de Monaster. construen. §. I. OLim intimante nobis carissimo in Christo filio nostro Petro Rege Aragonum illustri, quod quondam Saurina de Lauria ipsius Regis consanguinea, in extremis laborans, in testamento suo, pro salute suæ animæ ordinarat, quod de bonis suis in Villa Xativæ Valentinæ diœcesis construeretur quoddam Monasterium Monialium Ordinis sanctæ Claræ, & quod ipsius testatricis intentio fuerat, ut idem Rex asserebat existere sibi certum, quod dictum Monasterium postquam esset constructum, de Monialibus Monasterii Valentini dicti Ordinis, & non de Monialibus alterius nationis ordinaretur, & poneretur Collegium in eodem, quodque Minister Provincialis Ordinis Fratrum Minorum in Provincia Aragoniæ, sub cujus ministerio hujusmodi novum Monasterium consistere dicebatur, illud ordinare seu collegiare proponebat de Monialibus suæ propriæ nationis, contra intentionem, seu voluntatem testatricis ejusdem, asserens se hoc facere de speciali mandato dilecti filii Geraldi Ministri Generalis Ordinis Fratrum Minorum præfati, propter quod eodem Rege desiderante, quod intentio ejusdem testatricis debitum sortiretur effectum, & ad nostrum remedium super hoc humiliter recurrente, nos præfato Ministro Generali dedimus per nostras litteras in mandatis, ut si sufficientes & idoneæ personæ jam professæ dictum Ordinem sanctæ Claræ, vel quæ de novo Ordinis sanctæ Claræ habitum vellent suscipere, ac illum debito tempore profiteri, dictum novum Monasterium introire, ibidem Domino, sub regulari habitu perpetuo servituræ invenirentur in Regno Valentiæ, prædictum novum Monasterium, de ipsis personis, quas in illo principio cunctis aliis præponi volumus, una cum Abbatissa, quæ præesset illis, faceret ordinari, ut pia testatricis præfatæ dispositio compleretur.

Provincial. Minister. intent. testatricis cogitat contraria.

Et Generalis aliud Monasterium construere. §. II. Postmodum autem, sicut ex insinuatione dicti Regis accepimus, dictus Minister Generalis disposuit, ut de duodecim Monialibus supradicti Monasterii Valentini præfati Ordinis sanctæ Claræ, & de decem aliis Monialibus Dertusen. colligeretur novum Monasterium prælibatum, sed præfatæ decem Moniales, cum primo ad portas ipsius novi Monasterii accessissent, quamdam Agnetem nomine de se ipsis in Abbatissam de facto eligere præsumpserunt, cui quidem Agneti ne se pro Abbatissa gereret Minister Generalis inhibuit memoratus, dictisque duodecim & decem Monialibus injunxit, ut ingrederentur & collegiarent novum Monasterium antedictum, ibique simul eligerent Abbatissam, quibus id complentibus, præfatæ duodecim Moniales requisiverunt & monuerunt alias decem Moniales prædictas, quod convenirent cum eis ad eligendum Abbatissam, prout Minister Generalis injunxerat antedictus; & cum ipsæ decem Moniales id efficere recusassent expresse, se Abbatissam habere dicentes, in earum contumaciam eædem duodecim Moniales de se ipsis quamdam nobilem, providam, & honestam, Beatricem nomine, juxta dispositionem ipsius Ministri Generalis, in Abbatissam unanimiter & canonice elegerunt. Quare dictus Rex nobis humi-

Deponitur electa Abbatiss. & schisma inter Moniales exurgit.

Rex a Pontifice remedium postulat.

militer supplicavit, ut dignaremur super præmissis, de Apostolica clementia providere.

§. III. Quia igitur ad regimen gregis Dominici canonicus ingressus exigitur, & debet absistere sacris canonibus obvius obex, ut ad curam pastoralem personæ legitimæ assumantur, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus vestrum, per vos, vel alium seu alios super prædictis & singulis, hujusmodi ordinationem nostram eidem Ministro Generali per supradictas nostras litteras demandatam, faciatis, auctoritate nostra, sublato appellationis obstaculo, firmiter observari: & quidquid contra ordinationem ipsam attentatum fuisse, vos invenire contigerit, illud, eadem auctoritate, revocare curetis, Contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo. Non obstante si aliquibus, communiter vel divisim a Sede Apostolica sit indultum &c. per litteras Apostolicas non facientes &c. mentionem. Quod oportune datur.

Datum Avenion. Kalend. Decembris anno III.

ANNO CHRISTI 1338. BENEDICTI XII. ANNO 4.

XXX.

Ut aliud Monasterium Clarissarum ædificare possit Neapoli. Ex lib. I. epist. 243.

Carissimæ in Christo filiæ Sanctæ Reginæ Siciliæ illustri.

§. I. Ferventis devotionis affectus, & fidei puritas, quibus erga Deum & Romanam Ecclesiam splendere dignosceris, nos inducunt, ut illa tibi favore benevolo concedamus, per quæ, sicut pie desideras, salutem animæ consequi, Deo propitio, merearis.

§. II. Exhibita siquidem nobis pro parte tua petitio continebat, quod tu de salute propria cogitans, ac cupiens terrena pro celestibus &c. commutare, habensque ad Ordinem sanctæ Claræ specialis devotionis affectum, in aliquo loco congruo, per te legitime acquisito, seu etiam acquirendo, sito prope castrum novum Neapolitanum, in quo habitas, unum Monasterium dicti Ordinis, cum Oratorio, seu Ecclesia, & aliis necessariis officinis, de bonis tuis propriis fundare cupis, pariter & dotare, in quo Abbatissa & Moniales, seu Sorores ejusdem Ordinis, sub decenti numero de Monasterio sanctæ Claræ dicti Ordinis Assisinat. assumendæ, ubi eadem Sancta mortua fuit, & adhuc nonnullæ Sorores consanguineæ dictæ Sanctæ existunt, instituantur, quæ ad ejusdem Sanctæ laudem & gloriam possint inibi Altissimo jugiter famulari, sibique reddere votum laudis. Quare pro parte tua fuit nobis humiliter supplicatum, ut tibi faciendi præmissa licentiam concedere dignaremur.

§. III. Nos igitur pium & laudabile tuum in hac parte propositum plurimum in Domino commendantes, ac volentes, ut illud adimplere libere valeas, tibi favorem Apostolicum impertiri, carissimi in Christo filii nostri Roberti Regis Siciliæ illustris Viri tui nobis in hac parte humiliter supplicantis, ac tuis supplicationibus inclinati, fundandi præfatum Monasterium in loco prædicto, cum Oratorio seu Ecclesia & officinis prædictis, in quo Abbatissa & Moniales seu Sorores dicti Monasterii Assisinat. assumendæ, ut præmittitur, instituantur, dote tamen sufficienti eidem novo Monasterio, ad loci Diœcesani arbitrium, per te, de bonis tuis primitus assignata, de-

votioni tuæ, auctoritate Apostolica, plenam & liberam, tenore præsentium licentiam elargimur. Nulli ergo &c. nostræ concessionis &c.

Datum Avenione XIV. Kalend. Aprilis anno IV.

XXXI.

Ut quatuor Clarissas secum habere possit. Ibid. epist. 242.

EIDEM.

§. I. SInceræ devotionis affectus &c. *favorabiliter annuamus*. Cum itaque, sicut petitio pro parte tua nobis exhibita continebat, felicis recordationis Joannes Papa XXII. prædecessor noster, tibi ut duas ex Sororibus cujuscumque Monasterii Ordinis sanctæ Claræ, posses continuo quando velles, in tua societate tenere, per suas litteras duxerit concedendum, dictæque duæ Sorores tibi non sufficiant, pro eo quod quando ipsæ volunt comedere, vel alios actus necessarios exercere, te solam remanere oportet, quodque quando te infirmari contingit, tu cum mulieribus Religiosis, cum quibus de divinis loqueris, libentius, quam cum aliis commoraris.

§. II. Nos carissimi in Christo filii nostri Roberti Siciliæ Regis illustris Viri tui nobis in hac parte humiliter supplicantis, ac tuis supplicationibus inclinati, ut alias duas Sorores cujuscumque Monasterii Ordinis prælibati, quas duxeris eligendas, una cum dictis duabus aliis Sororibus, in tua societate tenere valeas, quibuscumque statutis & consuetudinibus contrariis nequaquam obstantibus, devotioni tuæ, auctoritate Apostolica, tenore præsentium indulgemus. Nulli ergo &c. nostræ concessionis &c.

Datum Avenione XIII. Kalend. Aprilis anno IV.

XXXII.

Ut repellat injurias illatas Fratribus Provinciæ Daciæ. Ibid. epist. 355.

Venerabili fratri Archiepiscopo Nidrosien.

§. I. OFficii nostri debitum exigit, ut quibusvis poscentibus justitiæ complementum impendamus. Ex tenore siquidem querulosæ petitionis dilectorum filiorum Ministri Provincialis & Fratrum Ordinis Minorum Provinciæ Daciæ, juxta morem ipsius Ordinis nominatæ, nobis oblatæ, percepimus quod Venerabilis frater noster Petrus Archiepiscopus Upsalen. qui Ordinis Fratrum Prædicatorum existit, eosdem Fratres Minores persequitur toto posse, ipsisque gravamina plurima, una cum Saghfrido Decano, Laurentio Unga, Magistro Amero, Odlino & Jordano Canonicis Ecclesiæ Upsalen. intulit, & inferre continue non desistit. Nam idem Archiepiscopus certos homines, qui quemdam apostatam eorum de Ecclesia loci dictorum Fratrum Minorum in Scokolin. Upsalen. diœcesis per violentiam extrahendo, libertatem Ecclesiasticam & immunitatem eorum violantes, nec non illos, qui dictum apostatam excommunicatum scienter admiserunt ad divina officia, & communicaverunt eidem, punire atque corrigere, ipsisque Fratribus super his justitiam facere denegavit, & nihilominus subditis suis inhibuit, ne præfatis Fratribus eleemosynas erogarent; neve carissimus in Christo filius noster magnus Rex Svetiæ illustris, qui tunc coronari debebat, quique in loco prædicto ipsorum Fratrum Minorum in Scokolin. ubi habet claræ memoriæ Regem avum & Reginam aviam suam sepultos, disposuerat coronationis suæ recipere diadema, in eodem loco co-

Archiepiscopus Fratribus valde noxius.

Ejus referuntur molestiæ.

eorumdem Fratrum Minorum in Scokolin. coronari valeret, impedivit; locum etiam dictorum Fratrum Minorum, in Enecopia dictæ diœcesis sine aliqua justa causa canonico suppósuit interdicto; nec his contentus quoddam ædificium ipsorum Fratrum Minorum, tunc situm in civitate Upsalen. poni fecit sine aliqua causa rationabili in ruinam, dicta quoque Sacerdotum suorum prohibentium aliquos peccata sua eisdem Fratribus Minoribus confiteri nec posse nec debere, approbavit, & non desinit approbare, favet etiam in hoc Sacerdotibus antedictis, aliaque ipsis Fratribus Minoribus gravamina, & injurias plurimas irrogavit. Præfatus insuper Decanus, sub nomine Capituli ejusdem Ecclesiæ Upsalen. contra dictum Ordinem Minorum libellos diffamatorios edidit & per illas partes publice divulgavit, suo tamen sigillo tantummodo sigillatos; ipsi etiam Canonici dilectis filiis Guardiano & Fratribus loci eorum Upsalen. graves injurias & violentias intulerunt & familiares ipsorum Canonicorum, eis mandantibus & præcipientibus, & ratum habentibus, in nonnullos ipsorum Fratrum Minorum, ipsos spoliando rebus eorum, manus atrociter injecerunt, Dei timore postposito, temere violentas. Quare nobis ipsi Minister & Fratres Ordinis Minorum, ejusdem Provinciæ Daciæ humiliter supplicarunt, ut Adversus Archiepiscopum, Decanum, & Canonicos supradictos, providere eis super præmissis de opportunis remediis, ex Apostolica clementia dignaremur.

Etiam Decanus & Capitulum infensi.

Oppressi ad Apostolicam Sedem recurrunt.

§. II. Quocirca Fraternitati tuæ per Apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, & auditis simpliciter, & de plano sine strepitu, & figura judicii, hinc inde propositis, auctoritate nostra facias ipsis partibus super prædictis & singulis, & ab illis emergentibus, & dependentibus, ipsisque annexis justitiæ complementum; Contradictores, auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, per censuram Ecclesiasticam, appellatione cessante, compellas veritatis testimonium perhibere. Non obstantibus &c.

Archiep. Nidrosien. delegata cómissio.

Datum Avenione Kalend. Septembris anno IV.

ANNO CHRISTI 1339. BENEDICTI XII. ANNO 5.

XXXIII.

Ut permittat ædificari Monasterium Clarissarum in Huerde. Ex lib. communium epist. 116.

Archiepiscopo Colonien.

§. I. IN iis, quæ cultus divini & Religionis augmentum respiciunt, libenter Apostolici favoris præsidium impertimur. Sane dilectus filius nobilis vir Conradus de Marcha, Dominus de Huerde, & dilecta in Christo filia nobilis mulier Elisabetha de Clivo ejus uxor, tuæ Diœcesis nobis significare curarunt, quod ipsi cupientes terrena in cœlestia &c. commutare, quoddam Monasterium Monialium Ordinis sanctæ Claræ in dicto oppido de Huerde, dictæ Diœcesis, de bonis propriis fundare, & pro sustentatione quadraginta personarum, quæ in ipso degere debeant, dotem assignare proponant.

§. II. Nos igitur eorum pium propositum in hac parte, favore Apostolico prosequi cupientes, ipsorum supplicationibus inclinati, fraternitati tuæ, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per Apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus si bona, quæ dicti Nobiles, pro dotatione

dicti Monasterii dare proponunt, sufficiant pro numero supradicto, recepta prius per te donatione irrevocabili dictorum bonorum, ad opus Monasterii memorati, eis auctoritate nostra, sine juris alieni præjudicio, faciendi præmissa concedas liberam facultatem.

Datum Avenione iv. Kal. Martii anno v.

XXXIV.

Transfertur ab Assisiate ad Ebredunen. Ecclesiam. Ibidem epist. 23.

Venerabili fratri Pastori Episcopo olim Assisinaten. in Archiepiscopum Ebredunen. electo.

§. I. Romani Pontificis &c. *multimodis efferat incrementis*. Nuper siquidem Ecclesia Ebredunen. pastoris regimine destituta, pro eo quod dilectum filium Bertrandum tituli sancti Marci presbyterum Cardinalem a vinculo, quo tenebatur eidem Ebredunen. Ecclesiæ, cui tunc præerat, de Fratrum nostrorum consilio, & Apostolicæ potestatis plenitudine absolventes, ipsum in Cardinalem sanctæ Romanæ Ecclesiæ duximus assumendum: Nos attendentes, quod nullus præter nos, hac vice de ordinatione ipsius Ebredunen. Ecclesiæ &c. provisiones omnium Cathedralium &c. specialiter reservantes, decrevimus ex tunc irritum &c. contingeret attentari, & cupientes eidem Ebredunen. Ecclesiæ, ne ex vacatione diutina patiatur in spiritualibus & temporalibus detrimentum, idoneam præfidere personam, post deliberationem quam super hoc cum eisdem Fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te tunc Episcopum Assisinaten. consideratis muneribus gratiarum, quibus personam tuam Dominus earum largitor multipliciter illustravit, direximus oculos nostræ mentis.

§. II. Intendentes igitur tam eidem Ebredunen. Ecclesiæ, quam ejus gregi Dominico salubriter & utiliter providere, te a vinculo, quo tenebaris eidem Assisinaten. Ecclesiæ, cui tunc præeras, de prædictorum Fratrum consilio, & potestatis plenitudine hujusmodi absolventes, te ad præfatam Ebredunen. Ecclesiam transferimus, teque illi præficimus in Archiepiscopum & pastorem curam &c. committendo, liberamque tibi dando licentiam ad dictam Ebredunen. Ecclesiam transeundi, firma spe fiduciaque conceptis, quod præfata Ebredunen. Ecclesia per tuæ circumspectionis & industriæ studium fructuosum, gratia tibi assistente divina, regetur utiliter & prospere dirigetur, grataque in eisdem spiritualibus & temporalibus suscipiet incrementa. Quocirca fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus &c. *percipere incrementum*.

Datum Avenione vi. Kal. Februarii anno v.

XXXV.

Præficitur Ecclesiæ Assisinaten. Ibidem epist. 184.

Dilecto filio Nicolao Zucii de Assisio electo Assisinaten.

§. I. Regimini universalis Ecclesiæ &c. *temporalibus detrimentum*. Nuper siquidem vacante Ecclesia Assisinaten. ad eamdem Romanam Ecclesiam nullo medio pertinente, pro eo quod venerabilem Fratrem nostrum Pastorem Archiepiscopum Ebredunen. tunc Episcopum Assisinat. apud Sedem Apostolicam constitutum, a vinculo, quo tenebatur eidem Assisinaten. Ecclesiæ, cui tunc præerat, de Fratrum nostrorum consilio, & Apostolicæ

licæ plenitudine potestatis absolventes, ipsum ad Ebredunen. Ecclesiam tunc vacantem duximus transferendum, præficiendo eum eidem Ebredunen. Ecclesiæ in Archiepiscopum & Pastorem.

§. II. Nos attendentes, quod nullus præter nos de ipsius Ecclesiæ Assisinaten. ordinatione se hac vice intromittere potest, pro eo quod nos diu ante hujusmodi vacationem ejusdem Ecclesiæ Assisinaten. omnes Cathedrales Ecclesias apud dictam Sedem quocumque modo vacantes, & in antea vacaturas, ordinationi & dispositioni nostræ specialiter reservantes, decrevimus ex tunc irritum &c. attentari; ac ad provisionem ipsius Ecclesiæ Assisinaten. celerem & fœlicem, ne longæ vacationis prematur incommodis, paternis & sollicitis studiis intendentes, ac cupientes talem ipsi Assisinaten. Ecclesiæ præesse personam, quæ sciat, velit, & possit eam in suis manutenere juribus, ac etiam adaugere; post deliberationem, quam super his cum Fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Minorum professorem, in sacerdotio constitutum, litterarum scientia &c. in spiritualibus &c. & aliis multiplicium virtutum meritis, prout ex testimoniis fide dignis accepimus, insignitum, direximus oculos nostræ mentis, quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua nobis & eisdem Fratribus nostris, ob tuorum exigentiam meritorum accepta, præfatæ Assisinaten. Ecclesiæ providemus, teque illi præficimus in Episcopum & Pastorem, curam &c. committendo, in illo qui dat gratias &c. confidentes, quod præfata Assisinat. Ecclesia per tuæ industriæ, ac circumspectionis fructuosum studium, dextera tibi &c. dirigetur. Jugum igitur Domini &c. *uberius consequi merearis*.

Datum Avenione Idibus Martii anno v.

XXXVI.

Ut permittat ædificari in territorio Montis-Pessulani Monasterium Clarissarum. Ibidem epist. 63.

Venerabili fratri Episcopo Magalonen.

§. I. SUmma prudentia præditos, & cœlestis benedictionis rore perfusos illos infallibiliter credimus, & tenemus, qui ad opera salutis intenti, terrena pro cœlestibus, & transitoria pro æternis fœlici commutare commercio cupientes, in benedictionibus seminare nituntur in terris, per quæ vitam æternam de benedictionibus metere valeant in supernis; nosque hujusmodi pia vota fidelium libenter Apostolico favore prosequimur, & eis assensum benignum, quantum cum Deo possumus, impertimur. Præfatio.

§. II. Oblata siquidem nobis dilecti filii nobilis viri Infantis Ferdinandi de Majoricis, Baroniæ Montis-Pessulan. tuæ Diœcesis Domini petitio continebat, quod ipse in honorem Dei, ac Virginis gloriosæ Mariæ beatissimæ Matris ejus, & ob specialis devotionis affectum, quem gerit ad Ordinem sanctæ Claræ, ac in suorum etiam parentum ac progenitorum ejus remissionem omnium peccatorum, & ut divinus cultus etiam amplietur, in suis intendit propriis domibus sitis in territorio dicti loci Montis-Pessulan. unum Monasterium Sororum Ordinis prælibati, propriis sumptibus & expensis suis construere & dotare, deputando eidem Monasterio in bonis & possessionibus, perpetuum annuum redditum, librarum videlicet quingentarum Turonensium parvorum, in quo quidem Monasterio Abbatissa, quæ erit pro tempore, per electionem canonice assumatur, ita quod dictus Infans in vita sua, & deinde successores sui pro tempore certas, prout nobis placeret, Sorores institue- Fundator Monasterii recensetur.

Monasterii construendi licentia petitur.

stituere & substituere possent in Monasterio praelibato; jurepatronatus nihilominus, sibi, ac haeredibus suis et successoribus supradictis in eodem Monasterio retento perpetuo, et etiam reservato. Quare dictus Infans nobis humiliter supplicavit, ut sibi construendi et dotandi, modo et conditionibus supradictis, dictum Monasterium, auctoritate Apostolica, concedere licentiam dignaremur.

Et a Pontif. conceditur.

§. III. Nos igitur pium ejusdem Infantis propositum in hac parte favorabiliter prosequi cupientes, fraternitati tuae, de qua in his, et aliis plenam in Domino fiduciam obtinemus, per Apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus de praemissis omnibus et singulis, simpliciter et de plano, sine strepitu, et figura judicii, te informans, si inveneris ita esse, dote prius ut praemittitur, assignata, et etiam deputata, ac domibus sufficientibus factis pro eodem Monasterio, praefato Infanti construendi, et aedificandi dictum Monasterium, in eisdem suis domibus, jure parochialis Ecclesiae loci, in quo sunt dictae domus, et cujuslibet alterius alieni in omnibus semper salvo. Ita tamen quod idem Infans possit praesentare in vita sua usque ad decem mulieres in Sorores seu Moniales ejusdem Monasterii assumendas, praedicta auctoritate, concedas liberam facultatem.

Datum Avenione v. Idus Maii anno v.

XXXVII.

Ut multiplicentur Confessarii in Monasterio Corporis Christi. Ibid. ep. 263.

Dilecto filio Ministro Provinciali Fratrum Ordinis Minorum in Provincia Terrae-laboris.

§. I. Significante nobis carissima in Christo filia nostra Sancia Regina Siciliae illustri, accepimus, quod olim in fundatione Monasterii sancti Corporis Christi Neapolitani, Ordinis sanctae Clarae fundati canonice per eamdem, inter alia extitit ordinatum, quod Moniales ipsius Monasterii, quae paucae tunc erant numero, duos haberent tantummodo Confessores; & quod, divina favente gratia, dictum Monasterium adeo est in Monialium numero multipliciter augmentatum, quod ad earum confessiones audiendas, maxime quia singulis diebus Dominicis Moniales ipsae communicant Domino, non sufficiunt Confessores. Quare pro parte dictae Reginae, fuit nobis humiliter supplicatum, ut providere Abbatissae & Monialibus dicti Monasterii in hac parte, de benignitate Apostolica dignaremur.

§. II. Nos igitur ejusdem Reginae supplicationibus inclinati, discretioni tuae, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, addendi eisdem confessoribus, si necesse fuerit, duos alios confessores, planam & liberam, usque ad quinquennium concedimus, tenore praesentium, facultatem.

Datum Avenione xvii. Kal. Augusti anno v.

XXXVIII.

Praeficitur Ecclesiae Duratien. Ex lib. litter. commun. epist. 226.

Dilecto filio Petro de Gironsa electo Duratien.

§. I. Militanti Ecclesiae, disponente Domino &c. *prodesse*. Dudum siquidem Ecclesia Duratien. per obitum bon. mem. Matthaei Archiepiscopi Duratien. qui in illis partibus diem &c. Pastoris solatio &c. dilecti filii Ca-

Capitulum ipsius Ecclesiæ dilectum filium Augerium Gratiani Ordinis Fratrum Minorum in Archiepiscopum Duratien. per viam compromissi, concorditer elegerunt; cumque postmodum præfatus Augerius electioni hujusmodi de se factæ, de licentia sui Superioris consentiens, ad Sedem Apostolicam personaliter accessisset, & tam ipse, quam illi, qui eum elegerunt, per certos eorum procuratores, & nuncios speciales ad dictam Sedem propterea destinatos, nobis cum instantia supplicassent, ut electionem hujusmodi, illius nobis præsentato decreto, confirmare de benignitate Apostolica dignaremur, in his omnibus statutis a jure temporibus observatis: nos deliberatione cum Fratribus nostris super his habita diligenti, prædictam electionem ex certis rationabilibus causis, de ipsorum Fratrum consilio cassamus, eamque decernimus irritam & inanem: & tamen ad provisionem ipsius Ecclesiæ Duratien. celerem & felicem, de qua nullus præter nos hac vice &c. pro eo quod nos diu ante &c. omnes Archiepiscopales & Episcopales Ecclesias tunc per cassationes quorumlibet electorum ad illas, & eligendorum imposterum, quas per nos cassari contingeret, apud dictam Sedem tunc vacantes, & in antea vacaturas, dispositioni nostræ specialiter reservantes, decrevimus ex tunc irritum & inane si secus &c. attentari; paternis ac sollicitis studiis intendentes, post deliberationem quam ad præficiendum eidem Ecclesiæ personam utilem ac etiam fructuosam, cum eisdem Fratribus nostris &c. diligentem: demum ad te dicti Ordinis Minorum Professorem, in sacerdotio constitutum, cui de religionis zelo, litterarum &c. & aliis multiplicium virtutum meritis apud nos fide digna testimonia perhibentur, convertimus oculos nostræ mentis.

§. II. Quibus omnibus &c. pensatis, de persona tua nobis et eisdem Fratribus ob hujusmodi tuorum exigentiam meritorum accepta, dictæ Duratien. Ecclesiæ, de dictorum Fratrum &c. providemus, teque illi præficimus in Archiepiscopum et Pastorem, curam &c. committendo, ac deinde per venerabilem fratrem nostrum Anibaldum Episcopum Tusculan. tibi fecimus munus consecrationis impendi; in illo qui dat gratias &c. confidentes, quod eadem Duratien. Ecclesia sub tuo &c. dirigetur, et salubria suscipiet incrementa. Jugum igitur Domini &c. *uberius valeas promereri*.

Datum Avenione x. Kalend. Aprilis anno VI.

In eumdem modum universis suffraganeis, capitulo, et clero Ecclesiæ Duratien. & Roberto Regi Siciliæ illustri.

XXXIX.

Ut confirmet Pontificis auctoritate fundationem Monasterii Minorum in villa sanctæ Crucis. Ibid. epist. 107.

Venerabili Fratri Archiepiscopo Strigonien.

§. I. IN iis quæ divini cultus augmentum & animarum salutem respiciunt, libenter Apostolici favoris præsidium impertimur. Exhibita siquidem nobis pro parte dilecti filii nobilis viri Nicolai de Purin Domini Villæ de sancta Cruce Agrien. Diœcesis in regno Hungariæ constitutæ, petitio continebat, quod in eadem Villa, seu prope ipsam ad unam dietam, non sunt aliqui Religiosi, vel Sacerdotes alii, qui sciant prædicare populo verbum Dei, propter quod populus dictæ Villæ, in qua sunt quingentæ Curiæ vel plures, ac populus locorum circumstantium, in quibus sunt mille Vassalli Nicolai præfati, vel plures, præter alios subditos, raro audiunt verbum Dei, licet multum esset expediens fidei, et ipsorum animarum saluti, præfer-

Dominus de sancta Cruce vult Minoribus ædificare Cœnobium.

fertim cum ipſi populi habeant immediate juxta ſe Ruthenos, qui ſunt Schiſmatici, quodque Religioſi eidem Villæ viciniores, ad eam venire nequeunt temporibus magis ad informationem ipſius populi opportunis, propter montes aſperos poſitos inter populum, et Religioſos prædictos: et quod propterea idem Nobilis zelo fidei et animarum ſalute accenſus, ac cupiens terrena &c. commutare, pro dilectis filiis Fratribus Ordinis Minorum, ad quem ipſe gerit ſpecialis devotionis affectum, unam competentem Eccleſiam in Villa præfata, propriis ſumptibus, de loci Diœceſani licentia ædificavit, et dormitorium facit ædificari etiam in præſenti, ac multa paramenta eidem Eccleſiæ neceſſaria comparavit, necnon locum cum omnibus officinis ædificare, & aliis rebus neceſſariis munire, Domino præſtante, proponit. Quare pro parte dicti Nobilis nobis extitit humiliter ſupplicatum, ut dilecto filio Miniſtro dictorum Fratrum præfati regni recipiendi pro ordine ſuo prædicto Eccleſiam, dormitorium, et locum, prædicta, et in eis juxta ſui Ordinis inſtituta, Conventum inſtituendi et ordinandi, licentiam, auctoritate Apoſtolica, concedere dignaremur.

Licentiam petit.

Pontif. committit relatione Archiep. Strigon.

§. II. Nos igitur pium in hac parte ipſius Nobilis propoſitum in Domino commendantes, ac cupientes divinum cultum ferventi deſiderio adaugeri, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuæ, de qua in his, et aliis plenam in Domino fiduciam obtinemus, per Apoſtolica ſcripta committimus et mandamus, quatenus videas, et diligentius te informes, ſi locus præfatus cum Eccleſia et dormitorio prædicto, ſit pro eiſdem Fratribus accommodus, et ſi Eccleſia, dormitorium et alia neceſſaria pro eis ædificia facta inibi fuerint, ut præfertur, et ſi ita inveneris, vel ſi præfatus Nobilis ad hujuſmodi ædificia infra breve tempus complenda ſe efficaciter obliget, jure parrochialium Eccleſiarum dictæ Villæ et cujuslibet &c. ſemper ſalvo, præfato Miniſtro recipiendi dictum locum cum Eccleſia dormitorio, et officinis, et aliis ædificiis ſupradictis, pro ipſorum Fratrum dicti Ordinis uſibus qui inibi reſideant exhibituri perpetuum Domino famulatum, dummodo in eamdem Villa duodecim Fratres dicti Ordinis poſſint commode ſuſtentari, fel. record. Bonifacii Papæ VIII. &c. *non obſtante*, plenam et liberam, auctoritate prædicta, licentiam largiaris.

Datum Avenione Octavo Idus Septembris anno VI.

Anno Christi 1341. Benedicti XII. anno 7.

XL.

Inſtituitur urbis Vicarius. Ex lib. ſecret. anno 7. epiſt. 54.

Venerabili fratri Nicolao Epiſcopo Aſſiſinaten. noſtro in ſpiritualibus in urbe Vicario.

§. I. Inter curas multiplices, quas injunctum nobis deſuper officium Apoſtolicæ ſervitutis indicit, illa ſollicitat potiſſimum mentem noſtram, ut providere, quantum nobis ex alto permittitur, procuremus quod urbs Romana, in qua noſtri Sedem Apoſtolatus cœleſtis diſpenſatio ſtatuit, et firmavit Eccleſiæ fundamenta, pacis ubertate gaudeat, et ad ſalutaria dirigatur, fideleſque degentes ibidem, quorum nobis cura imminere ſpecialiter noſcitur, alimentis ſpiritualibus non fraudentur.

§. II. Sane cum, ſicut ad nos perlatum extitit, his diebus bon. memor. Joannes Epiſcopus Anagnin. noſter in eadem urbe in ſpiritualibus Vicarius, pridem fuerit in partibus illis viam univerſæ carnis ingreſſus, nos pro-

prospicere salubriter super his paternæ sollicitudinis studio cupientes, et ad te, quem litterarum scientia, puritate fidelitatis, maturitate discretionis, morum et probitatis honestate, aliisque virtutum meritis adjuvari confidimus, nostræ considerationis intuitum convertentes, te in urbe supradicta, ejusque suburbiis, et districtu, Vicarium nostrum in spiritualibus, usque ad nostrum beneplacitum, tenore præsentium, constituimus, ac etiam deputamus, visitandi Ecclesias, Monasteria, & loca Ecclesiastica, secularia, & regularia, quorumcumque Ordinum non exempta nec privilegiata, & tam Ecclesiarum, Monasteriorum, & locorum ipsorum, quam alias personas Ecclesiasticas, urbis, suburbiorum, & districtus prædictorum cujuscumque status, Ordinis, vel conditionis existant, necnon reformandi quæ in eis reformationis ministerio noveris indigere, ac earum, & cujuslibet ipsarum excessus, & crimina corrigendi, & puniendi, aliaque faciendi, & exercendi, auctoritate nostra, quæ ad hujusmodi Vicariatus officium pertinere noscuntur. Contradictores quoque per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendi. Non obstante si aliquibus communiter vel divisim &c. per litteras Apostolicas non facientes &c. mentionem, tibi facultatem plenariam concedentes. Quocirca fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus onus Vicariatus hujusmodi devote suscipiens, sic illud prudenter & fideliter studeas exercere, quod proinde divinam & nostram, dictæque Sedis gratiam valeas uberius promereri.

Datum Avenione XVII. Kalend. Maii anno VII.

XLI.

Præficitur Ecclesiæ Cajetan. Ex lib. commun. epist. 85.

Dilecto filio Antonio de Arlbandis de Valentia electo Gajetan.

§. I. AD universalis Ecclesiæ regimen &c. *proficiant incrementis*. Olim siquidem Ecclesia Gajetana eidem Romanæ Ecclesiæ immediate subjecta, per obitum bonæ memoriæ Francisci Episcopi Gajetani, qui in illis partibus debitum &c. Pastoris solatio destituta, dilecti filii Capitulum ipsius Ecclesiæ, vocatis omnibus qui debuerunt, voluerunt, & potuerunt commode interesse, die ad eligendum præfixa, ut moris est, convenientes in unum, ac deliberantes in ipsius electionis negotio per formam procedere compromissi, sex fide dignis videlicet, Mattheo Gattuli sanctæ Mariæ foris portam, Roberto Spatario sancti Nicolai, Guitano Pice sancti Joannis ad mare secularium prioribus, Joanni Archipresbytero Spinei Gajetan. civitatis et Diœcesis, Henrico Bono Canonico Salernitan. Ecclesiarum, et Bertrando Arraldi clerico Apten. providendi ea vice ipsi Ecclesiæ de Pastore, concesserunt unanimiter liberam potestatem, promittentes illum recipere & habere in eorum et Gajetan. Episcopum, quem dicti compromissarii de se ipsis vel aliis concorditer ducerent eligendum, dicti vero compromissarii, hujusmodi potestate recepta, secedentes in partem, post deliberationem quam inter se habuerunt super hujusmodi negotio diligentem, demum in te Ordinis Fratrum Minorum, sacræ Theologiæ professorem, in sacerdotio constitutum, vota sua concorditer direxerunt, ac subsequenter præfatus Archipresbyter ex potestate hujusmodi sibi et eisdem collegis suis, ut præmittitur, tradita, de ipsorum ibi præsentium mandato, vice sua et collegarum, necnon capituli prædictorum nomine, te in Episcopum Gajetanum elegit, ac electionem hujusmodi a dictis Capitulo concorditer acceptam, clero, et populo solemniter publicavit, tuque post consensum eidem electioni de

Vid. const. 1. Bonifac. VIII. tom. 6. fol. 415.

Superioris tui licentia, ipsius tibi præsentato decreto, ad instantiam dictorum Capituli,a te legitime præstitum,ad Sedem Apostolicam personaliter accessisti, et tam tu per te ipsum, quam dicti Capitulum per certos procuratores eorum, et nuncios idoneos ab eis propterea ad nos specialiter destinatos, confirmari per nos electionem præfatam,ipsius nobis præsentato decreto, humiliter postulastis, in his omnibus statutis a jure temporibus observatis.

§. II. Nos igitur electionem præfatam, tuæque personæ merita, per venerabilem fratrem Bertrandum Episcopum Ostien. et dilectos filios nostros Talayrandum tituli sancti Petri ad Vincula presbyterum, ac Joannem sancti Angeli Diaconum Cardinales examinari fecimus diligenter, et facta nobis super his ab eisdem Episcopo et Cardinalibus relatione plenaria et fideli, quia invenimus electionem eamdem de te persona idonea, de religionis zelo, vitæ munditia &c. aliisque virtutum meritis multiplicibus laudabiliter insignita, canonice celebratam, eam de Fratrum nostrorum consilio, auctoritate Apostolica confirmamus, teque ipsi Gajetanæ Ecclesiæ præficimus in Episcopum et Pastorem, curam &c. committendo, firma spe fiduciaque conceptis, quod præfata Gajetana Ecclesia per tuæ diligentiæ studium, tuamque industriam circumspectam, gratia tibi suffragante divina, salutis et prosperitatis suscipiet incrementa. Jugum itaque Domini tuis &c. *valeas uberius promereri*.

Datum Avenione VIII. Kalend. Junii anno VII.

In eumdem modum Capitulo, Clero, et populo civitatis et diœcesis Gajetanæ. Et carissimo in Christo filio Roberto Regi Siciliæ illustri.

XLII.

Transfertur ab Apten. ad Petragoricen. Ecclesiam. Ibid. epist. 415.

Venerabili fratri Guillelmo Episcopo Petragoricen.

§. I. Creditæ nobis dispensationis urgemur officio &c. *successibus gratulentur*. Olim siquidem bon. mem. Raymundo Episcopo Petragoricen. Ecclesiæ Petragoricen. regimini præsidente; nos cupientes ipsi Ecclesiæ, cum eam vacare contigerit, per Apostolicæ Sedis providentiam utilem et idoneam præesse personam, provisionem ipsius Ecclesiæ ea vice ordinationi, et dispositioni nostræ duximus specialiter reservandam, decernentes, ex tunc irritum &c. attentari. Postmodum vero præfata Ecclesia per obitum dicti Raymundi Episcopi, qui in partibus &c. Pastoris solatio destituta. Nos considerantes quod nullus præter nos &c. se intromittere potest, reservatione &c. obsistentibus &c. ac ad provisionem ipsius celerem et felicem, ne longioris vacationis detrimenta sentiret, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam ad præficiendum ipsi Ecclesiæ personam utilem ac etiam fructuosam, quæ sciret, vellet, et posset, eam præservare a noxiis, et adversis, et in suis manutenere juribus, ac etiam adaugere, cum Fratribus nostris habuimus diligentem; demum ad te tunc Apten. Episcopum, consideratis grandium virtutum meritis, quibus personam tuam Altissimus insignivit, et quod Apten. Ecclesiæ laudabiliter hactenus præfuisti, convertimus oculos nostræ mentis.

§. II. Intendentes itaque tam dictæ Petragoricen. Ecclesiæ, quam gregi Dominico ejusdem salubriter et utiliter providere, te a vinculo, quo ipsi Apten. Ecclesiæ, cui tunc præeras, tenebaris, de Fratrum &c. et Apostolicæ potestatis plenitudine absolventes, te ad præfatam Petragoricen. Ecclesiam transferimus, teque ipsi præficimus in Episcopum et Pastorem, curam &c.

ram &c. committendo, liberamque tibi dando licentiam ad præfatam Petragoricen. Ecclesiam transferendi, firma spe fiduciaque conceptis, quod, dirigente Domino actus tuos, præfata Petragoricen. Ecclesia per tuæ industriæ &c. regetur &c. grataque in eisdem &c. auctore Domino suscipiet incrementa. Quocirca fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus &c. *percipere incrementum*.

Datum Avenione Kalend. Octobris anno VII.

In eumdem modum venerabili Fratri Archiepiscopo Burdegallensi &c. carissimo in Christo filio Philippo Regi Franciæ illustri.

CLEMENS VI.

Electus est anno Christi MCCCXLII. *Nonis Maii*.

Anno Christi 1342. Clementis VI. anno 1.

I.

Transfertur a Dulcinen. ad Polen. Ecclesiam. Ex libr. 6. ann. 1. fol. 120.

Venerabili fratri Gratiæ Episcopo Polen.

§. I. Romana Ecclesia, quæ super universas alias orbis Ecclesias obtinet divina institutione, primatum, circa singulas maternæ diligentiæ curas sedulo cogitans, earum profectibus solerter intendit, studens Ecclesiarum ipsarum præsertim Cathedralium commoda, interdum per simplicis provisionis officium, quandoque vero per ministerium translationis accommodæ, prout personarum &c. qualitas exigit, ac ipsarum Ecclesiarum persuadet utilitas, procurare.

§. II. Dudum siquidem felicis recordationis Benedictus Papa XII. prædecessor noster ex certis rationabilibus causis, provisiones omnium &c. Cathedralium, tunc apud Sedem &c. vacantium &c. dispositioni suæ &c. reservavit, decernens ex tunc irritum &c. attentari. Postmodum vero Ecclesia Polen. per obitum bonæ memoriæ Sergii Episcopi Polen. qui apud dictam Sedem diem &c. pastoris solatio destituta, ac deinde dicto prædecessore sublato de medio, nos ad apicem &c. ad provisionem ipsius Ecclesiæ Polen. adhuc præmisso modo vacantis, de qua idem prædecessor morte præventus minime ordinavit, utilem & felicem, paternis & sollicitis studiis cogitantes, post deliberationem quam &c. ipsi Polen. Ecclesiæ, ne prolixioris &c. incommoda pateretur, personam utilem ac etiam fructuosam cum Fratribus &c. demum ad te tunc Episcopum Dulcinen. considerantes grandium virtutum merita, quibus personam tuam Altissimus insignivit, & quod tu, sicut fide dignorum habet assertio, regimini Dulcinen. Ecclesiæ hactenus laudabiliter præfuisti, convertimus oculos nostræ mentis.

§. III. Intendentes itaque tam dictæ Polen. Ecclesiæ, quam gregi &c. providere, te a vinculo quo eidem Dulcinen. Ecclesiæ, cui tu præeras, tenebaris, de dictorum Fratrum &c. absolventes, te ad dictam &c. transferimus, teque illi &c. curam &c. plenarie committendo, liberamque tibi tribuendo licentiam ad dictam Polen. Ecclesiam transeundi, in illo qui dat gratias &c. confidentes, quod præfata Polen. Ecclesia per tuæ &c. prospere dirigetur, grataque in eisdem &c. suscipiet incrementa. Quocirca fraternitati tuæ &c. mandamus, quatenus ad dictam &c. accedens, curam &c.

ſic geras ſollicite &c. quod ipſa Eccleſia Polen.&c. gaudeatſe commiſſam, ac bonæ famæ tuæ odor ex laudabilibus tuis actibus latius diffundatur, ac tu præter æternæ retributionis præmium, noſtræ, ac Sedis prædictæ benedictionis & gratiæ merearis continuum incrementum percipere.

Datum Avenione 11. Kalend. Junii anno 1.

In eumdem modum Venerabili fratri Patriarchæ Aquilegien. & Capitulo ac Clero civitatis & diœceſis Polen.

II.

Præficitur Eccleſiæ Monopolitanæ. Ex lib.3. epiſt.17.

Dilecto filio Marco Leonis de Arcaldo electo Monopolitan.

SUpremæ dignitatis faſtigio &c. *multimodis efferant incrementis*. Nuper ſiquidem Eccleſia Monopolitan. dictæ Romanæ Eccleſiæ immediate ſubjecta, per obitum bon. mem. Dionyſii Epiſcopi Monopolitani, qui in partibus illis debitum naturæ perſolvit, paſtoris ſolatio deſtituta, dilecti filii Capitulum ejuſdem Eccleſiæ, vocatis omnibus, qui voluerunt, debuerunt, & potuerunt commode intereſſe, die ad eligendum præfixa, ut moris eſt, convenientes in unum, ac in hujuſmodi electionis negotio deliberantes per viam ſcrutinii procedere, quatuor de dictis Capitulo, videlicet, dilectis filiis Arrico de Conto, Roberto Magiſtro Angeli, Rogerio de Lacu & Petro madii Canonicis ejuſdem Eccleſiæ, ut ſua ſeorſum primo, & deinde ſingulorum de dictis Capitulo tunc ibidem præſentium, ſecreto & ſigillatim vota diligentius ſcrutarentur, & illa in ſcriptis redacta publicarent, illico in communi poteſtatem unanimiter contulerunt, qui hujuſmodi poteſtate recepta, ſecedentes in partem, ſuis primo ſeorſim, & deinde ſingulorum de dictis Capitulo votis diligentius perſcrutatis, & eis in ſcriptis redactis, mox in communi vota publicarunt, & collatione inter eos zeli & meriti habita, compertum extitit in te Ordinis Fratrum Minorum profeſſorem, in Sacerdotio conſtitutum, omnes & ſingulos de dictis Capitulo, vota ſua concorditer direxiſſe, ac ſubſequenter præfatus Rogerius, vice ſua & collegarum ſuorum, ac de ipſorum, & dictorum Capituli mandato, & auctoritate, te, in Epiſcopum Monopolitanum elegit, & electionem hujuſmodi a dictis Capitulo concorditer acceptatam, Clero & populo ſolemniter publicavit, tuque poſtmodum ad dictorum Capituli inſtantiam hujuſmodi electioni de te factæ, obtenta tui ſuperioris licentia, conſentiens, ad Sedem Apoſtolicam perſonaliter acceſſiſti, & demum tam tu per te ipſum, quam præfati Capitulum per eorum certos procuratores, & nuncios idoneos, ab ipſis ad hoc ad Sedem eamdem ſpecialiter deſtinatos, felicis recordationis Benedicto Papæ XII. prædeceſſori noſtro tunc viventi, humiliter ſupplicaſtis, ut electionem ipſam confirmare, de benignitate Apoſtolica, dignaretur, in his omnibus ſtatutis a jure temporibus obſervatis, idemque prædeceſſor electionem ipſam per Venerabilem fratrem Bertrandum Epiſcopum Oſtienſem ac dilectos filios noſtros Thalayrandum tituli ſancti Petri ad vincula Presbyterum, & Joannem ſancti Angeli Diaconum Cardinales, examinari fecit diligenter. Qui poſtmodum ſuper hoc eidem prædeceſſori relationem fecerunt plenariam & fidelem. Ac ſubſequenter dicto prædeceſſore ſicut Domino placuit, rebus humanis exempto, nos ad apicem &c. perſonæ tuæ merita per dilectum filium noſtrum Guillelmum tituli SS. Quatuor Coronatorum Presbyterum Cardinalem fecimus diligenter examinari; & facta nobis ſuper hoc per eum relatione plenaria et fideli, quia prædictam electionem in-

invenimus de te Viro utique vitæ laudabilis, litterarum &c. & aliis virtutum meritis commendato, canonice celebratam, eam de Fratrum nostrorum consilio, auctoritate Apostolica confirmamus, teque ipsi Monopolitan. Ecclesiæ in Episcopum præficimus et pastorem curam &c. committendo, firma concepta fiducia quod dirigente &c. dicta Ecclesia Monopolitan. per tuæ circumspectionis &c. præservabitur a noxiis et adversis, et ad incrementa spiritualiter et temporaliter dirigetur. Jugum igitur Domini tuis &c. dictæ Monopolitan. Ecclesiæ regimen sic exercere studeas &c. quod eadem &c. sponso utili et fructuoso &c. gaudeat se commissam, tuque proinde præmium retributionis æternæ, ac nostram &c. consequi merearis.

Datum Avenione II. Kalend. Junii anno I.

In eumdem modum Capitulo, et Clero civitatis et diœcesis Monopolitan. et Roberto Regi Siciliæ illustri.

III.

Præficitur Ecclesiæ Cervien. Ibid. epist. 14.

Dilecto filio Guadagno de Majolo electo Cervien.

Regimini universalis Ecclesiæ &c. *auctore Domino augmentare*. Dudum siquidem felicis recordationis Benedictus Papa XII. prædecessor noster, videlicet &c. provisiones omnium Ecclesiarum Cathedralium, in terris Ecclesiæ Romanæ immediate subjectis consistentium &c. dispositioni et ordinationi suæ &c. specialiter reservavit, decernens ex tunc irritum &c. Postmodum vero biennio prædicto durante, Cervien. Ecclesia, quæ in terra ipsi Romanæ Ecclesiæ immediate subjecta consistit, per obitum bonæ memoræ Superantii Episcopi Cerviensis, qui in partibus illis &c. pastoris solatio destituta: nos attendentes quod nullus &c. ipsius Ecclesiæ, de qua dictus prædecessor, dum vixit, minime ordinavit, præter nos &c. reservatione et decreto obsistentibus &c. ad provisionem ipsam celerem &c. ne dicta Ecclesia prolixioris &c. deploraret, paternis &c. intendentes, et cupientes talem ipsi Ecclesiæ præsidere personam, quæ sciret &c. prodesse; post deliberationem quam super his &c. Demum ad te Ordinis Fratrum Minorum in Sacerdotio constitutum, cui de religionis zelo, litterarum &c. nec non aliis multiplicium virtutum et probitatis meritis, apud nos fide digna testimonia perhibentur, convertimus oculos &c. Quibus omnibus &c. de persona tua nobis et eisdem Fratribus nostris, ob exigentiam hujusmodi tuorum meritorum accepta, ipsi Cervien. Ecclesiæ de dictorum &c. providemus, teque illi præficimus in Episcopum & pastorem curam &c. plenarie committendo in illo qui dat gratias &c. confidentes quod præfata Cervien. Ecclesia per tuæ industriæ &c. dextera Domini tibi &c. prospere dirigetur. Jugum igitur Domini &c. *uberius consequi merearis*.

Datum Avenione VI. Kalend. Julii anno I.

In eumdem modum Venerabili fratri Archiepiscopo Ravennaten. Et Capitulo, ac Clero civitatis et diœcesis Cervien.

IV.

IV.

Fit Patriarcha Hieroſolymitanus. Ibid. epiſt. 21.

Venerabili fratri Eliæ olim Archiepiſcopo Nicoſien. in Patriarcham Hieroſolymitanum electo.

ROmana Eccleſia, quæ ſuper univerſas &c. *perſuadet utilitas procurare*. Olim ſiquidem Eccleſia Hieroſolymitana, per obitum bonæ memoriæ Petri Patriarchæ Hieroſolymitani, qui extra Romanam Curiam debitum naturæ perſolvit, paſtoris ſolatio deſtituta: nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem ejuſdem Eccleſiæ celerem et felicem, ne ipſa Eccleſia longæ vacationis ſubjaceret incommodis, paternis et ſollicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam utilem, ac etiam fructuoſam, cum noſtris Fratribus habuimus diligentem, demum ad te tunc Archiepiſcopum Nicoſien. conſideratis grandium virtutum meritis, quibus perſonam tuam Altiſſimus inſignivit, et quod, ſicut habet fide dignorum aſſertio, regimini Nicoſien. Eccleſiæ hactenus laudabiliter præfuiſti, convertimus oculos noſtræ mentis. Intendentes itaque dictæ Hieroſolymitan. Eccleſiæ ſalubriter et utiliter providere, te a vinculo, quo eidem Nicoſien. Eccleſiæ, cui tunc præeras, tenebaris, de Fratrum prædictorum conſilio, & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine abſolventes, te ad dictam Hieroſolymitanam Eccleſiam transferimus, teque illi in Patriarcham præficimus & paſtorem, curam &c. ipſius Hieroſolymitanæ Eccleſiæ &c. plenarie committendo, liberamque tibi tribuendo licentiam ad dictam Hieroſolymitanam Eccleſiam tranſeundi; in illo qui dat gratias &c. confidentes, quod præfata Hieroſolymitana Eccleſia per tuæ induſtriæ &c. proſpere dirigetur, grataque &c. ſuſcipiet incrementa. Quocirca fraternitati tuæ &c. *continuum recipere incrementum*.

Datum Avenione IV. Idus Julii anno I.

In eumdem modum Priori et Capitulo Sepulcri Dominiei Hieroſolymitan. Peruſii * reſidentibus.

* *Forte* Perge.

V.

Fit adminiſtrator Eccleſiæ Nicoſien. Ibid. epiſt. 20.

Eidem.

Exordium.

§. I. CUm Eccleſiarum omnium ſollicitudo ſedula nobis quamquam immeritis, ſuperna ſit diſpoſitione commiſſa, illo nos regente qui cœlum, terramque regit, de ſtatu Eccleſiarum ipſarum et Prælatorum prudenter diſponimus, cum oportet, prout conſideratis exacte perſonis et locis, temporibus, et cauſis, eorumque circumſtantiis univerſis, cum perpenſi etiam maturitate conſilii, hoc in Deo conſpicimus rationabiliter expedire.

Abſolvitur a vinculo Eccleſiæ Nicoſien.

§. II. Sane Eccleſia Nicoſien. ad præſens vacante, pro eo quod nos hodie, te, tunc Nicoſien. Archiepiſcopum, apud Sedem Apoſtolicam conſtitutum a vinculo, quo ipſi Eccleſiæ Nicoſien. cui tunc præeras, tenebaris, de Fratrum &c. & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine abſolventes, te ad Eccleſiam Hieroſolymitanam tunc vacantem duximus transferendum, præficiendo te illi in Patriarcham et Paſtorem, nos conſiderantes, quod tu de bonis ad menſam Patriarchalem tuam ſpectantibus, quæ in ultra-marinis partibus conſiſtere dignoſcuntur, quæque per impios Sarracenos, blaſphemos nominis Chriſtiani detinentur indebite occupata, deſtitutus exiſtis, tibi-

Iterum ei in ſpirit. & tempor. ejuſdem Eccleſiæ commiſſum regimen.

tibique propterea paterno compatientes affectu, dignumque plurimum atque congrum æstimantes, ut pro tuis necessariis, decentis provisionis suffragia ex providentia Sedis Apostolicæ consequaris, ne quod absit, necessariorum defectus Patriarchalis præeminentiam dignitatis, qua præditus fore dignosceris, inhonoret, ac diligentius attendentes, quod eidem Nicosien. Ecclesiæ sic vacanti, cujus regimini hactenus, sicut fide dignorum habet assertio, laudabiliter præfuisti, per tuæ circumspectionis industriam in spiritualibus, et temporalibus esse poteris plurimum fructuosus, prædictam Ecclesiam Nicosien. de dictorum Fratrum consilio, tibi auctoritate Apostolica commendamus, per te, dum vixeris, gubernandam, administrationem plenam, generalem & liberam ejusdem Ecclesiæ, ac bonorum & jurium ipsius tibi tam in spiritualibus, quam in temporalibus plenarie committendo, ut dictam Ecclesiam Nicosien. tuæ gubernationi & administrationi commissam, spiritualiter & temporaliter, juxta datam tibi a Deo prudentiam, regas, dirigas, & augmentes, ac de fructibus, redditibus & proventibus, juribus, & obventionibus universis ad mensam Archiepiscopalem Nicosien. spectantibus, Ordines, & disponas, prout veri Archiepiscopi Nicosien. qui fuerunt pro tempore, de illis ordinare ac disponere potuerunt, ac etiam debuerunt; alienatione quorumlibet bonorum immobilium ejusdem Ecclesiæ Nicosien. tibi penitus interdicta.

§. III. Tu igitur circa ejusdem Nicosien. Ecclesiæ regimen & gubernationem sollicite, ac fideliter exercendas, te sic exhibeas studiosum, quod præfata Nicosien. Ecclesia, divina tibi favente clementia, sub gubernatione tua provida & salubri, votivis continue in spiritualibus & temporalibus amplietur commodis, & salutaribus proficiat incrementis, nosque tuæ circumspectionis & diligentiæ fructuosum studium in hac parte dignis possimus in Domino laudibus commendare. *Ipsi eadem Ecclesia commendatur.*

Datum Avenione IV. Idus Julii anno I.

In eumdem modum Capitulo &c. Nicosien. & Hugoni Regi Cypri illustri.

VI.

Præficitur Ecclesiæ Langonen. Ibid. epist. 120.

Dilecto filio Amedeo de Alba Electo Langonen.

§. I. IN supremæ dignitatis specula &c. *plebs lætetur*. Dudum siquidem felicis recordationis Joannes Papa XXII. prædecessor noster in sui Apostolatus primordiis, provisiones omnium Ecclesiarum Cathedralium tunc &c. vacaturarum per translationes per eum factas & imposterum faciendas de Prælatis earum, ubilibet constitutarum, ad alias Cathedrales Ecclesias tunc vacantes, & in futurum etiam vacaturas, dispositioni & ordinationi suæ, donec ipsum Christi dignatio regimini universalis Ecclesiæ præsidere concederet, reservavit; decernens ex tunc irritum &c. Ac deinde dicto prædecessore primo, & subsequenter piæ memoriæ Benedicto Papa XII prædecessore nostro, & ipsius Joannis immediate successore, de hac luce subtractis, ac nonnullis ex hujusmodi Ecclesiis, tempore obitus dicti Joannis prædecessoris vacantibus: nos ad apicem &c. cum a nonnullis in dubium verteretur, an de hujusmodi Ecclesiis quæ tempore obitus dicti prædecessoris Joannis vacabant, posset per alium, quam per Romanum Pontificem ordinari, ad cujuslibet ambiguitatis scrupulum in hac parte tollendum, per litteras nostras declaravimus, Ecclesias ipsas fore per reservationem & decretum dicti Joannis prædecessoris affectas, nec ea vice potuisse, vel posse per alium, quam per Romanum Pontificem quoquo modo disponi, de-

Vid. constit. 13. Bened. XI. tom. 6. fol. 416.

decernentes irritum &c. attentatum forſan eſſet hactenus, vel contingeret impoſterum attentari.

§. II. Cum autem Eccleſia Langonen. ex eo jam dudum fuerit paſtoris regimine deſtituta, quod dictus Joannes prædeceſſor bonæ memoriæ Bernardum Archiepiſcopum Colocen. tunc Langonen. Epiſcopum extra Romanam Curiam exiſtentem a vinculo, quo ipſi Langonen. Eccleſiæ, cui tunc præerat, tenebatur, de Fratrum ſuorum conſilio, & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine abſolvit, ipſumque tranſtulit ad Eccleſiam Colocen. tunc vacantem, præficiendo eum ipſi Colocen. Eccleſiæ, in Archiepiſcopum & Paſtorem. Et diu poſtmodum Venerabilis frater noſter Henricus Patriarcha Conſtantinopolitanus, hujuſmodi reſervationis et declarationis forſan ignarus, et credens proviſionem ipſius Eccleſiæ Langonen. infra Patriarchatum prædictum conſiſtentis, ad eum per lapſum temporis a jure ſtatuti, ea vice devolutam fore; de te Ordinis Fratrum Minorum Profeſſorem, ipſi Langonen. Eccleſiæ, licet de facto providerit, tu immediate audita reſervatione &c. & declaratione noſtra prædictis, tui ſuperioris ſuper hoc obtenta licentia, ad Apoſtolicam Sedem accedens, negotium vacationis ipſius Langonen. Eccleſiæ, et proviſionis tuæ hujuſmodi, in conſiſtorio coram nobis diligenter exponi feciſti; nos itaque proviſionem tuam hujuſmodi, et quidquid exinde ſequutum extiterat, reputantes, prout erant, irrita et inania, et conſiderantes, quod nullus de ipſa Eccleſia Langonen. de qua ſic vacante Joannes et Benedictus prædeceſſores præfati, dum vixerunt, minime ordinarunt, præter nos, hac vice, diſponere potuit, neque poteſt, reſervatione, declaratione, et decretis obſiſtentibus ſupradictis, ac ad proviſionem ipſius Langonen. Eccleſiæ celerem &c. ne prolixioris &c. paternis &c. intendentes, poſt deliberationem quam de præficiendo eidem Langonen. Eccleſiæ perſonam utilem &c. habuimus cum &c. diligentem; demum ad te in Sacerdotio conſtitutum, cui de religionis zelo, litterarum, &c. & aliis virtutum meritis laudabilia teſtimonia perhibentur, direximus oculos mentis noſtræ. Quibus omnibus debita &c. de perſona tua ipſi Langonen. Eccleſiæ de prædictorum &c. auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi &c. in Epiſcopum &c. Paſtorem, curam &c. ipſius Langonen. Eccleſiæ tibi tam &c. committendo; in illo qui dat &c. confidentes, quod dicta Langonen. Eccleſia ſub tuo &c. gratia tibi &c. grata ſuſcipiet incrementa. Quocirca diſcretioni tuæ &c. *uberius conſequi merearis*.

Datum apud Villam novam Avenion. diœceſis XVI. Kalend. Auguſti anno 1.

In eumdem modum Archiepiſcopo Colocen. Et Capitulo Eccleſiæ Langonen.

VII.

Transfertur a Suanen. ad Mutinen. Eccleſiam. Ex lib. 6. fol. 162.

Venerabili fratri Alamanno Epiſcopo Mutinen.

Vide Conſtit. 19. Joannis XXII. tom. 6. fol. 493.

§. I. ROmani Pontificis &c. *ſucceſſibus gratulentur*. Dudum ſiquidem felicis recordationis Benedictus Papa XII. &c. in ſui &c. omnes Cathedrales &c. tunc. &c. vacantes quovis modo et vacaturas in antea apud eam, diſpoſitioni ſuæ, donec miſerationis &c. Eccleſiæ regimini præſidere concederet, reſervavit, decernens ex tunc irritum &c. contingeret attentari. Et deinde dicto prædeceſſore, ſicut Domino placuit, de hac luce ſubtracto: nos ad apicem ſummi &c. cum a nonnullis in dubium &c. An de hujuſmodi Ec-

Ecclesiis Cathedralibus, aliisque beneficiis Ecclesiasticis, quæ tempore obitus Prædecessoris ejusdem vacabant, potuisset vel posset per alium quam per Romanum Pontificem ordinari, ad cujuslibet &c. tollendum, per nostras litteras declaravimus, Cathedrales Ecclesias &c. fore per hujusmodi reservationem &c. affecta; nec ea vice potuisse &c. quam per Romanum Pontificem quoquomodo disponi, decernendo ex tunc irritum &c. quidquid in contrarium &c. contingeret in posterum attentari.

§. II. Cum itaque Mutinen. Ecclesia ex eo apud dictam Sedem ad præsens vacare noscatur, quod idem Prædecessor Venerabilem fratrem nostrum Bonifacium Cumanum tunc Mutinen. Episcopum apud Sedem Apostolicam constitutum, a vinculo, quo eidem Mutinen. &c. tenebatur, de Fratrum suorum consilio, de quorum numero tunc eramus, et Apostolicæ plenitudine potestatis absolvens, ipsum ad Cuman. Ecclesiam tunc vacantem transtulit, præficiendo ipsum eidem Cuman. Ecclesiæ in Episcopum et Pastorem: Nos ad provisionem dictæ Mutinen. Ecclesiæ, de qua idem prædecessor minime ordinavit, ne prolixioris vacationis &c. detrimentis, sollicite intendentes, cum nullus præter nos de ordinatione ipsius Mutinen. Ecclesiæ sic vacantis hac vice disponere possit, reservatione &c. obsistentibus &c. Post deliberationem, quam ad præficiendum præfatæ Mutinen. Ecclesiæ personam utilem, et cujus providentia &c. posset &c. adaugeri, habuimus cum nostris Fratribus diligentem; demum ad te tunc Suanen. Episcopum multiplicium &c. prout fide dignorum habet assertio, insignitum, et in executione Pontificalis officii jam expertum, direximus oculos nostræ mentis.

§. III. Intendentes igitur tam eidem Mutinen. Ecclesiæ, quam gregi Dominico ejusdem &c. providere, te a vinculo, quo ipsi Suanen. Ecclesiæ, cui tunc præeras, tenebaris, de ipsorum Fratrum consilio et Apostolicæ &c. absolventes, te ad præfatam Ecclesiam Mutinen. transferimus, præficiendo te ipsi Mutinen. Ecclesiæ in Episcopum et Pastorem curam &c. committendo, liberamque tibi dando &c. Mutinen. Ecclesiam transeundi, firma concepta fiducia, quod eadem Mutinen. Ecclesia gratia tibi &c. per te, qui regimini dictæ Suanen. Ecclesiæ diceris laudabiliter præfuisse, grata honoris et commodi suscipiat incrementa.

§. IV. Quocirca fraternitati tuæ &c. mandamus, quatenus ad eamdem Mutinen. &c. accedens, curam &c. sic exercere studeas &c. gregem Dominicum ipsius tuæ &c. informando, quod ipsa gubernatori &c. gaudeat se commissam, tuque proinde præter æternæ retributionis &c. nostram &c. gratiam valeas uberius promereri.

Datum Avenione xv. Kalend. Augusti anno 1.

In eumdem modum Venerabili fratri Archiepiscopo Ravennaten. Et Capitulo, ac Clero civitatis et diœcesis Mutinen.

VIII.

Ut concedat licentiam Minoritis ædificandi domum Gandiæ. Ex tomo 9. epist. 73.

Venerabili fratri Episcopo Valentin.

§. I. Sacræ Religionis, in qua dilecti filii Minister Generalis, et Fratres Ordinis Minorum, calcatis illecebris, cum adjectione voluntariæ paupertatis, virtutum Domino in humilitatis spiritu, devotum et sedulum impendunt famulatum, merita rationabiliter promerentur, ut Apostolica Sedes, ipsos Ministrum et Fratres, ac eorum Ordinem favoribus benignis con- *Ordinis Minorũ merita.*

confoveat, et spiritualibus gratiis prosequatur, in illis præsertim per quæ cultus divini nominis augeatur, dictique Minister et Fratres Prædicationis verbo salubris, piæque vitæ studio sibi ipsis, et aliis fidelibus valeant proficere ad salutem.

Petrus Infans Aragon. petit Minorit's Cœnob. ædificandi licentiam.

§. II. Sane petitio pro parte dilecti filii nobilis Viri Infantis Petri, claræ memoriæ Jacobi Regis Aragonum nati, Rippacurciæ et Montanearum Comitis, nobis exhibita continebat, quod ipse, ac dilecta in Christo filia, nobilis mulier Joanna ejus consors, nec non dilecti filii Universitas loci de Gandia tuæ Diœcesis, ad præfatum Ordinem gerentes specialis devotionis affectum, ædificare cupiunt in loco de Gandia prædicto, Ecclesiam seu Oratorium, domos, & alias necessarias officinas, in quibus Fratres ejusdem Ordinis devotum obsequium reddentes Domino, perpetuo valeant immorari. Quare pro parte dicti Infantis Petri nobis extitit humiliter supplicatum, ut Infanti Petro, Joannæ, ac Universitati, ædificandi, ac Ministro & Fratribus præfatis recipiendi dictum locum, & in eo manendi, prout in aliis locis Ordinis ejusdem, Ministro & Fratribus, auctoritate Apostolica, licentiam concedere dignaremur.

Commissio data Episcop. Valent.

§. III. Nos igitur Infantis Petri, ac Joannæ, ac Universitatis prædictorum devotæ in hac parte intentionis affectum laudabilem, ac honestum desiderium merito in Domino commendantes, ac volentes promptius ad ea intendere, illaque Ministro & Fratribus prædictis benignius indulgere, per quæ cultus augeatur divinus, quæve Ministri, & Fratrum prædictorum, & aliorum fidelium animarum spirituale afferant incrementum, hujusmodi devotis supplicationibus inclinati, fraternitati tuæ, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per Apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus si est ita, & hoc videris expedire, Infanti Petro, Joannæ, ac Universitati ædificandi, ac Ministro & Fratribus memoratis recipiendi dictum locum, cum domibus, Ecclesia seu Oratorio, & officinis aliis supradictis, & in eo, ut præfertur, morandi; dummodo in eo duodecim Fratres dicti Ordinis, inibi pro tempore moraturi, decenter & congrue valeant sustentari, absque præjudicio juris parochialis Ecclesiæ dicti loci, & cujuslibet alterius alieni, constitutione felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. &c. nequaquam obstante, prædictis Fratribus, auctoritate Apostolica, concedas plenam & liberam facultatem.

Datum apud Villam novam Avenion. diœcesis VIII. Idus Augusti anno I.

IX.

Subvenitur indigentiæ Monasterii Clarissarum de Pogeto. Ibid. epist. 98.

Venerabili fratri Bertrando Episcopo Ostien.

§. I. Sub Regulari habitu vacantibus studio piæ vitæ gratiam Apostolicæ Sedis, quantum cum Deo possumus, impartimur, ne inopia nimis afflicti, ab Observantia mandatorum Domini occasionem habeant deviandi.

§. II. Exhibita siquidem nobis tua petitio continebat, quod olim auctoritate litterarum felicis recordationis Joannis Papæ XXII. prædecessoris nostri, tibi tunc sancti Marcelli Presbytero Cardinali, post promotionem tuam ad Cardinalatus honorem libera facultate concessa, unum Monasterium Monialium, in loco ad hoc apto construendi, de bonis propriis & dotandi, & postquam constructum & dotatum existeret, assumendi & collocandi in eo Moniales de Ordinibus approbatis, vel aliquem de dictis Ordi-

dinibus, de novo instituendi ibidem, prout tibi expediens videretur.

§. III. Tu auctoritate hujusmodi litterarum, Monasterium cum Capella, domibus, officinis, & aliis opportunis in loco patrimoniali tuo de Pogeto Caturcen. Diœcesf. ad laudem divini nominis & honorem beati Marcelli Papæ & Martyris, propriis sumptibus & expensis construi fecisti, de bonis tuis certam dotem assignando eidem pro sustentatione Abbatissæ, Monialium, seu Sororum, & eis servientium, & aliorum quæ forent ibidem ad cultum divini nominis opportuna, quodque tu Abbatissa computata, numerum viginti quatuor Sororum Ordinis sanctæ Claræ, sub cura Ordinis Fratrum Minorum viventium, præter Fratres Minores, qui ibidem existere debeant, & alias personas ad earum, & dicti Monasterii servitium opportunas, in eodem Monasterio statuisti, ac etiam ordinasti, prout in patentibus litteris inde confectis, tuo sigillo munitis plenius continetur.

§. IV. Verum cum dictum Monasterium, ut tua petitio subjungebat, pro tanto numero Sororum & personarum nondum sufficientes redditus & proventus habere noscatur, pro parte tua fuit nobis humiliter supplicatum, ut providere super hoc eis salubriter, de benignitate Apostolica, dignaremur.

§. V. Nos itaque hujusmodi supplicationibus inclinati, ut ex decimis, quæ a laicis in dicta Caturcen. diœcesi, a tempore cujus initii memoria hominum non existat, possessæ sunt, ac etiam possidentur, usque ad valorem annuum trecentarum librarum bonæ monetæ Caturcen. redimere, ac redemptas Abbatissæ, Sororibus, Monialibus, & Monasterio supradictis in perpetuum assignare valeas, quodque eis liceat hujusmodi decimas, postquam ipsis assignatæ fuerint, habere perpetuo, & licite retinere, quacumque constitntione contraria non obstante, tibi, & eis, auctoritate Apostolica, tenore præsentium indulgemus. Nulli ergo &c. nostræ concessionis &c.

Datum Avenione x. Kalend. Octobris anno 1.

X.

Conceditur Indulgentia visitantibus Ecclesiam Clarissarum de Denneyo. Ex tomo 5. epist. 1391.

Universis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis.

§. I. Splendor paternæ gloriæ, qui sua mundum illuminat ineffabili claritate, pia vota fidelium de clementissima ipsius majestate sperantium, tunc præcipue benigno favore prosequitur, cum devota ipsorum humilitas sanctorum precibus & meritis adjuvatur.

§. II. Cum itaque dilecta in Christo filia nobilis mulier Maria de S. Paulo Comitissa Pembarchiæ, in manerio suo de Denneye Elien. diœcesis quoddam Monasterium Sororum Ordinis sanctæ Claræ, de misericordia beatæ Mariæ nuncupatum, de bonis propriis fundaverit & construi fecerit, ac sufficienter dotaverit, & in eo collocaverit Abbatissam & Sorores Ordinis antedicti, sub clausura perpetua Domino famulantes: nos cupientes, ut erga dictum Monasterium, augeatur fidelium devotio, de Omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus actoritate confisi, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui dictum Monasterium, & ejus Ecclesiam in singulis Domini nostri Jesu Christi, & beatæ Mariæ Virginis, ac sanctorum Apostolorum, & sanctæ Claræ Festivitatibus, causa devotionis visitaverint, annuatim, singulis videlicet ipsarum Festivitatum diebus, quibus Ecclesiam & Monasterium prædicta visitaverint, vel qui eis

eis benefecerint, ut præfertur, centum dies de injunctis eis pœnitentiis misericorditer relaxamus &c.

Datum Avenione VIII. Kalend. Novembris anno I.

X I.

Præficitur Ecclesiæ Milevitanæ. Ex tomo 3. epist. 53.

Dilecto filio Nicolao Boneti, electo Milevitan.

Vide Constit. 25. Clem. V. Tomo 6. fol. 464.

§. I. REgimini universalis Ecclesiæ &c. *utiliter prodesse*. Dudum siquidem fœl. record. Joannes Papa XXII. prædecessor noster, dum ageret in humanis, XVI. Kal. Februarii, Pontificatus &c. provisiones &c. Ecclesiarum &c. in Regno Siciliæ consistentium tunc vacantium &c. dispositioni suæ &c. reservavit, decernens ex tunc irritum &c. contingeret attentari.

§. II. Postmodum vero Ecclesia Milevitan. in Regno prædicto consistente per obitum bon. mem. Henrici Episcopi Milevitan. qui in partibus illis, piæ mem. Benedicto Papa XII. prædecessore nostro in humanis agente, diem &c. pastoris solatio destituta, & deinde dicto Benedicto prædecessore, sicut Domino placuit, rebus humanis exempto: Nos ad apicem &c. vacatione ipsius Ecclesiæ fide dignis relatibus intellecta, de provisione ipsius Ecclesiæ, de qua idem Benedictus dum vixit, minime ordinavit, & de qua nullus præter nos &c. reservatione & decreto obsistentibus supradictis, ne ipsa Ecclesia ulterioris vacationis remaneret exposita detrimentis, cogitare cœpimus diligenter; & demum post deliberationem, quam ad præficiendum ipsi Ecclesiæ personam utilem cum nostris Fratribus habuimus diligentem; ad te Ordinis Fratrum Minorum professorem, in sacerdotio constitutum, sacræ Theologiæ Magistrum, cui de religionis zelo, gravitate morum, honestate vitæ, prudentia spiritualium, & temporalium providentia, & aliis multiplicium virtutum meritis, apud nos fide digna testimonia perhibentur, convertimus aciem nostræ mentis. Quibus omnibus attente pensatis, de persona tua, ipsi Milevitanæ Ecclesiæ, de dictorum &c. providemus, teque illi præficimus in Episcopum & pastorem, curam &c. plenarie committendo. In illo qui dat gratias &c. confidentes, quod præfata Milevitana Ecclesia per tuæ industriæ &c. dextera tibi Domini assistente &c. prospere dirigetur. Jugum igitur Domini &c. *uberius consequi merearis*.

Datum Avenione V. Kal. Decembris anno I.

In eumdem modum Archiepiscopo Panormitano, & Capitulo ac Clero Civitatis & Diœcesis Milevitan.

X I I.

Præficitur Ecclesiæ Strungulen. Ibidem epist. 64.

Dilecto filio Thomasio de Rosa, electo Strungulen.

Vide Constit. 1. Joan XX. Tom. 6. fol. 479.

§. I. INter cetera quæ superna dispositione, nobis imminent peragenda &c. *valeant incrementis*. Dudum siquidem fœl. rec. Benedictus Papa XII. prædecessor noster in sui Apostolatus primordiis, omnes Cathedrales Ecclesias, tunc apud Sedem Apostolicam, quocumque modo vacantes &c. provisioni & ordinationi suæ, donec ipsum miserationis divinæ clementia universalis Ecclesiæ regimini concederet præsidere, reservans, decrevit ex tunc irritum &c. contingeret attentari: ac deinde dicto Præde-

decessore, sicut Domino placuit, rebus humanis exempto, & nonnullis ex hujusmodi Cathedralibus Ecclesiis tempore obitus dicti Prædecessoris taliter reservatis, vacantibus: Nos ad apicem Apostolatus assumpti, cum a nonnullis in dubium verteretur, an de hujusmodi Ecclesiis, quæ tempore obitus dicti Prædecessoris, ut præfertur, vacabant, posset, post dicti Prædecessoris obitum, per alium, quam per Romanum Pontificem ordinari, ad cujuscumque ambiguitatis scrupulum in hac parte tollendum, per nostras litteras declaravimus, Ecclesias ipsas fore per reservationem & decretum dicti Prædecessoris affectas, nec ea vice de illis potuisse vel posse, per alium, quam per Romanum Pontificem quoquomodo disponi; decernendo ex tunc irritum & inane quidquid in contrarium, a quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter attentatum forsan esset hactenus, vel contingeret in posterum attentari.

§. II. Cumque Ecclesia Strungulen. ex eo vacasse dicitur, quod dilectus filius Petrus Vicedecanus Ecclesiæ Casinen. tunc Episcopus Strungulen. regimini & administrationi dictæ Ecclesiæ, ac Episcopali dignitati apud Sedem Apostolicam, ex certis causis, libere ac sponte cessit in manibus venerabilis fratris nostri Gaucelini Episcopi Albanen. de speciali mandato per ipsum Prædecessorem tunc viventem, facto sibi oraculo vivæ vocis, cessionem hujusmodi admittentis: Nos vacatione ipsius Strungulen. Ecclesiæ fide dignis relatibus intellecta, de provisione illius, de qua dictus Prædecessor, dum vixit, minime ordinavit, & nullus præter nos hac vice, de ea se intromittere potest, reservatione, & declaratione ac decretis obsistentibus supradictis, sollicite cogitantes, & cupientes illi personam talem præfici, per quam posset ipsa Strungulen. Ecclesia salubriter gubernari; post deliberationem, quam super hoc habuimus cum nostris Fratribus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Minorum professorem, & in sacerdotio constitutum, de religionis zelo, litterarum scientia, honestate morum & vitæ, ac aliis multiplicium virtutum meritis, nobis & dictis Fratribus nostris, fide dignorum testimonio laudabiliter commendatum, direximus oculos nostræ mentis. Quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua ipsi Strungulen. Ecclesiæ, de dictorum Fratrum consilio, Apostolica auctoritate providemus, teque illi præficimus in Episcopum & Pastorem, curam &c. plenarie committendo. In illo qui dat gratias &c. confidentes, quod eadem Strungulen. Ecclesia per tuæ industriæ studium in eisdem spiritualibus & temporalibus votivis, auctore Domino, proficiet incrementis. Jugum itaque Domini &c. *uberius consequaris*.

Datum Avenione Idibus Novembris anno I.

In eumdem modum Archiepiscopo sanctæ Severinæ, & Capitulo & Clero Civitatis Strungulen. necnon Roberto Regi Siciliæ illustri.

XIII.

Præficitur Ecclesiæ Ajacen. Ibidem epist. 81.

Dilecto filio Manfredo de Calcinaria, electo Ajacen.

§. I. IN supremæ dignitatis specula &c. *plebs lætetur*. Nuper siquidem ad Apostolatus nostri notitiam, fide digna relatione deducto, quod olim Ecclesia Ajacen. in qua Canonici aliqui non existunt, per obitum bonæ memoriæ Vitalis Episcopi Ajacen. qui in partibus illis diem &c. pastoris regimine destituta, dilecti filii universi Presbyteri & Clerici Civitatis & Diœc. Ajacen. ad quos de antiqua ac approbata, ac hactenus pacifice observata con- *Vide Constit. 13. Bened. XI. Tom. 6. fol. 446.*

conſuetudine, electio Epiſcopi Ajacen. cum pro tempore imminet facienda, pertinet, ad electionem Epiſcopi Ajacen. ceſſante omni impedimento legitimo, procedere; ac venerabilis frater noſter .... Archiepiſcopus Piſanus, loci Metropolitanus, dictæ vacationis non ignarus, de paſtore ipſi Ajacen. Eccleſiæ jure metropolitico providere, quamvis potuiſſent infra legitima tempora, non curarunt, ſicque prædicta Eccleſia ſeptennio & amplius vacaviſſe, & adhuc vacare dignoſcitur.

§. II. Nos de proviſione ipſius Eccleſiæ ſic vacantis, celeri & fœlici, ne prolixioris vacationis incommodis ſubjaceret, paternis & ſollicitis ſtudiis cogitantes, tamdem poſt deliberationem, quam ſuper hoc cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Minorum profeſſorem, in ſacerdotio conſtitutum, cui de religionis zelo, litterarum &c. ac aliis multiplicium virtutum meritis apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, & quem prædicti Presbyteri & Clerici nobis, per eorum patentes litteras multipliciter commendarunt, aſſerentes te fore utilem & idoneum, ac etiam fructuoſum ad regimen Eccleſiæ antedictæ, direximus oculos mentis noſtræ. Quibus omnibus attente penſatis, de perſona tua ipſi Ajacen. Eccleſiæ, de dictorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus &c. curam &c. committendo. In illo qui dat gratias &c. confidentes, quod præfata Eccleſia per tuæ induſtriæ, ac circumſpectionis fructuoſum ſtudium, dextera Domini tibi &c. proſpere dirigetur. Jugum igitur Domini tuis &c. *uberius conſequi merearis*.

Datum Avenione Idibus Novembris anno I.

In eumdem modum Archiepiſcopo Piſano & Clero Ajacen. Diœc.

XIV.

Ut ingredi poſſit Monaſterium Pinaroli. Ex tomo 5. epiſt. 1460.

Dilectæ in Chriſto filiæ nobili mulieri Sebeliæ dilecti filii nobilis viri Jacobi de Sabaudia, Principis Achayæ uxori &c.

Devotionis tuæ ſinceritas promeretur, ut quæ a nobis ſuppliciter poſtulas, affectu tibi benevolo concedamus. Hinc eſt, quod nos tuis ſupplicationibus inclinati, ut cum quatuor honeſtis mulieribus Monaſterium Monialium beati Jacobi de Pinarolio Ordinis ſanctæ Claræ Taurinen. Diœc. per progenitores viri tui fundatum, ut aſſeris, & dotatum, ad quod ſpecialis geris devotionis affectum, quibuſcumque Monaſterii & Ordinis prædictorum ſtatutis & conſuetudinibus, & quibuslibet conſtitutionibus contrariis non obſtantibus, libere ingredi, ibique comedere, bibere, & pernoctare valeas dummodo dilectarum in Chriſto filiarum Abbatiſſæ & Conventus dicti Monaſterii ad id accedat aſſenſus, tenore tibi præſentium indulgemus. Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis &c.

Datum Avenione XVI. Kal. Decembris anno I.

XV.

Præficitur Eccleſiæ Cephaluden. Ex tomo 3. epiſt. 70.

Venerabili fratri Galgano Epiſcopo Cephaluden.

§. I. Romani Pontificis, quem Paſtor ille cœleſtis &c. *multimodis efferat incrementis*. Dudum ſiquidem fœl. record. Joannes Papa XXII. prædeceſſor noſter, videlicet XVI. Kal. Februarii, Pontificatus ſui anno X. proviſiones omnium Cathedralium Eccleſiarum in Regno Siciliæ con-

consistentium, tunc ubicumque vacantium, & in posterum vacaturarum, certis ex causis, dispositioni & ordinationi suæ, ac Sedis Apostolicæ reservavit: decernens ex tunc irritum &c. contigerit attentari.

§. II. Postmodum vero Ecclesia Cephaluden. in Regno consistens prædicto, per obitum bon. mem. Roberti Episcopi Cephaluden. qui in partibus illis, dum adhuc fœl. record. Benedictus Papa XII. prædecessor noster ageret in humanis, decessit, Pastoris solatio destituta, dilecti filii Capitulum ipsius Ecclesiæ, reservationis & decreti prædictorum forsan ignari, Petrum de Calatagirono Ordinis Fratrum Minorum de facto in Cephaluden. Episcopum elegerunt, idemque Petrus eorumdem reservationis & decreti, similiter, ut dicitur, inscius, eidem electioni de facto consentiens, electionem ipsam per dilectos filios Capitulum Ecclesiæ Messanen. dictæ Ecclesiæ Cephaluden. Metropolitan. tunc pastore carentis, præfatorum reservationis & decreti similiter fortassis ignaros, obtinuit confirmari, ac deinde certificatus de reservatione prædicta, hujusmodi electionis & confirmationis prætextu in eamdem Cephaluden. Ecclesiam se intrusit, illamque occupavit, & ex tunc detinuit, prout adhuc detinet occupatam, se administrationi spiritualium & temporalium ejusdem Cephaluden. Ecclesiæ, non absque animæ suæ periculo, ingerendo, & demum eodem Benedicto prædecessore de hac luce subtracto; Nos ad apicem summi Apostolatus assumpti, vacatione, electione, confirmatione, & occupatione ac detentione hujusmodi fide dignis relatibus intellectis, reputantes electionem & confirmationem prædictas, prout sunt, irritas & inanes, & attendentes, quod nullus præter nos hac vice de provisione ipsius Cephaluden. Ecclesiæ, de qua dictus Benedictus prædecessor, dum vixit, minime ordinavit, se intromittere potuit, neque potest, reservatione & decreto obsistentibus supradictis, post deliberationem, quam de præficiendo eidem Ecclesiæ personam utilem ac etiam fructuosam habuimus cum nostris Fratribus diligentem; demum ad te tunc Episcopum Alerien. consideratis grandium virtutum meritis, nobis & eisdem Fratribus non ignotis, quibus personam tuam Dominus illustravit, convertimus oculos nostræ mentis.

§. III. Intendentes igitur tam eidem Cephaluden. Ecclesiæ, quam gregi Dominico ipsius salubriter & utiliter providere, ac sperantes quod tu, qui regimini Alerien. Ecclesiæ hactenus laudabiliter præfuisti, præfatam Cephaluden. Ecclesiam, divina tibi propitiante clementia, salubriter & utiliter gubernabis, te a vinculo, quo præfatæ Alerien. Ecclesiæ, cui tunc præeras, tenebaris, de dictorum Fratrum consilio, & Apostolicæ potestatis plenitudine absolventes, te ad eamdem Cephaluden. Ecclesiam transferimus, teque illi præficimus in Episcopum & pastorem, curam &c. ipsius Cephaluden. Ecclesiæ tibi tam &c. plenarie committendo &c. *proficiet incrementis*. Quocirca fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad prædictam Cephaluden. Ecclesiam &c. *exinde uberius promerearis*.

Datum Avenione XII. Kal. Decembris anno I.

XVI.

Ut concedat facultatem ædificandi Monasterium in villa de Maceriis. Ex tomo 5. epist. 1634.

Venerabili fratri Archiepiscopo Remen.

§. I. Piis desideriis gratum nos decet præstare consensum, & ea quæ augmentum religionis, cultusque divini respiciunt, ut votivum consequantur effectum, effectu prosequi gratioso.

§. II.

§. II. Petitio siquidem dilecti filii nobilis viri Ludovici Comitis Flandriæ, nobis nuper exhibita continebat, quod ipse de salute propria cogitans, & pie desiderans transitoria in æterna, fœlici commercio, commutare, gerensque ad Ordinem Fratrum Minorum specialis devotionis affectum, in quadam Cappella in Villa sua de Maceriis, tuæ Diœcesis, per progenitores ejusdem Comitis ab olim fundata, & circa eam unum locum pro Fratribus dicti Ordinis, cum necessariis officinis proponit construere de bonis propriis & fundare. Quare nobis idem Comes humiliter supplicavit, ut sibi fundandi & construendi locum prædictum, ut prædicitur, licentiam concedere, de benignitate Apostolica, dignaremur.

§. III. Nos itaque hujusmodi pium & laudabile propositum ejusdem Comitis in Domino commendantes, ac de circumspectione tua gerentes in Domino fiduciam specialem, ipsius Comitis supplicationibus inclinati, fraternitati tuæ per Apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus eidem Comiti, si hoc videris expedire, fundandi & construendi, ut præfertur, dictum locum in prædicta Cappella, & circa eam pro dictis Fratribus, cum hujusmodi necessariis officinis, dummodo locus ipse sufficiens ad sustentationem duodecim Fratrum Ordinis prædicti existat, dictisque Fratribus locum hujusmodi postmodum recipiendi, & perpetuo retinendi, jure parochialis Ecclesiæ, & cujuslibet alterius in omnibus semper salvis, ac fœlicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri, & qualibet alia, constitutionibus in contrarium editis, nequaquam obstantibus, specialem licentiam, auctoritate Apostolica, concedas.

Datum Avenione XI. Kal. Decembris anno I.

XVII.

Ut regat Monasterium sanctæ Mariæ Magdalenæ Neapolitanum. Ibidem epist. 1521.

Dilecto filio Ministro Provinciali Fratrum Ordinis Minorum Terræ-Laboris.

I. Proœmium.

§. I. ANimarum salutem supra omnia diligentes, provisionis nostræ cupimus prævenire subsidio, ut Christi fideles, & præsertim religiosæ personæ, quæ se divinis obsequiis perpetuo dedicarunt, ea, per quæ ipsis salus hujusmodi provenire valeat, operentur, & ut loca personarum ipsarum continuum, auctore Domino, suscipiant incrementum, libenter submovemus obstacula, quæ possent talia impedire.

Sancia Monasterii fundatrix.

§. II. Sane carissimæ in Christo filiæ nostræ Sanciæ Reginæ Siciliæ illustris, petitio nobis exhibita continebat, quod ipsa zelo piæ devotionis accensa, pro animæ suæ salute, ac divini cultus, ac religionis augmento, in Civitate Neapolitan. quoddam Monasterium Sororum sub sancti Augustini regula, & vocabulo beatæ Mariæ Magdalenæ, in quo pœnitentes peccatrices possent famulari Domino, & pœnitentiam agere de commissis, fundavit, in quo jam trecentæ & quadraginta Sorores, Abbatissa computata in eis, receptæ fore noscuntur, devote Altissimo sub regulari habitu famulantes, quibus ipsa Regina in necessariis providet, & providere intendit etiam in futurum, quarum aliquæ dictam regulam, necnon castitatem, paupertatem, obedientiam & clausuram perpetuam fuerunt expresse professæ. Quare præfata Regina nobis humiliter supplicavit, ut curam & regimen in spiritualibus Monasterii & personarum ipsius, quæ quidem Monasterium & personas, ac familiam ipsius Monasterii, hodie ad ipsius Reginæ supplicationis instantiam

Eximuntur Moniales ab Ordinarii jurisdictione.

tiam ab omni jurisdictione venerabilis fratris nostri Archiepiscopi, & dilectorum filiorum Capituli Neapolitan. certis modo & forma, duximus auctoritate Apostolica perpetuo eximenda, tibi & successoribus tuis in perpetuum committere, auctoritate Apostolica, dignaremur.

§. III. Nos igitur bonum statum Monasterii, necnon salutem animarum personarum ipsius totis desideriis affectantes, ac volentes illud per Apostolicæ Sedis providentiam, salubriter dirigi atque regi, ejusdem Reginæ supplicationibus inclinati, curam & regimen personarum, quoad administrationem Sacramentorum Ecclesiasticorum, ac visitationem, correctionem, & reformationem Monasterii & personarum eorumdem, tam in capite, quam in membris, tibi & successoribus tuis Ministris Provincialibus Fratrum tui Ordinis Terræ laboris, qui erunt pro tempore, auctoritate prædicta, tenore præsentium duximus committenda, tibi nihilominus & successoribus antedictis, absolvendi & removendi Abbatissam dicti Monasterii, cum causa legitima id exposcet, cum consilio majoris partis dilectarum in Christo filiarum Conventus dicti Monasterii, necnon electionem, quæ de subroganda, vel alias eligenda, si canonice de persona idonea celebrata fuerit, cum maturo consilio confirmandi, concedentes auctoritate prædicta plenam & liberam potestatem; ac statuentes auctoritate prædicta, quod singulis annis in Capitulo Provinciali Fratrum prædictorum, unus Frater dicti Ordinis Minorum idoneus & devotus pro Guardiano in ipso Monasterio deputetur, cui tam Abbatissa & Conventus præfatæ dicti Monasterii, quam Fratres ejusdem Ordinis Minorum in dicto Monasterio, pro audiendis Sororum & personarum ipsius confessionibus, deputandi, in ministratione Sacramentorum hujusmodi, debeant obedire, quodque Fratres ipsi possint Sororibus & familiæ dicti Monasterii ministrare, quotiens opus fuerit, Ecclesiastica Sacramenta omnia, Viennen. Concilii, & qualibet alia constitutione contraria non obstante, & quod cum Guardianum ipsum ejusdem Monasterii mori continget, tu, & successores prædicti seu Vicarius partium Terræ laboris ejusdem Ordinis Fratrum Minorum, si in cis Minister Provincialis non fuerit, possitis eidem Monasterio de Vicario usque ad proximum tunc sequens Provinciale celebrandum Capitulum, de discretorum Fratrum dicti Ordinis consilio, providere, qui ejusdem Guardiani usque ad dictum sequens Capitulum vices gerat. Nulli ergo &c. nostræ commissionis, concessionis, & constitutionis infringere &c.

Et Reginini FF. supponitur.

Recensentur ea, quæ FF. debent in Monasterio facere.

Datum Avenione XI. Kal. Decembris anno I.

XVIII.

Revocat quædam male statuta circa Monasterium Corporis Christi Neapolitan. Ibidem epist. 1480.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

§. I. Sacrosancta mater Ecclesia de cunctorum fidelium cura sollicita, circa salutem animarum ipsarum sedulo vigilat & intendit, ac libenter periculis obviat eorumdem, super iis, ex quibus pericula ipsa provenire prospicit, salubriter providendo.

§. II. Exhibita siquidem nobis carissimæ in Christo filiæ nostræ Sanciæ Reginæ Siciliæ illustris petitio continebat, quod olim ipsa tempore juventutis suæ, in quo Monasterium sancti Corporis Christi Neapolitan. Ordinis sanctæ Claræ de licentia Sedis Apostolicæ fecit construi, illudque de bonis suis dotavit, ac in eo certum numerum Fratrum Ordinis Minorum, præter Ab-

Abbatissam & Sorores dicti Ordinis sanctæ Claræ instituit, ac etiam collocavit, de statu & professione personarum dicti Ordinis Minorum non informata plenarie nec instructa, in ordinatione quam fecit in fundatione & dotatione ipsius Monasterii, inter cetera ordinavit, quod Fratres Minores in ipso Monasterio pro tempore commorantes, una cum Sororibus ejusdem Monasterii, pro victu & vestitu, super dictis bonis certos haberent redditus annuatim, quæ quidem ordinatio, & alia circa hujusmodi fundationem & dotationem præfati Monasterii per ipsam Reginam statuta, fuerunt auctoritate Apostolica, ex certa scientia confirmata.

§. III. Verum, quia sicut habet assertio plurium in sacra pagina Magistrorum, ordinatio & confirmatio hujusmodi, quatenus assignationem redditUum annuatim ipsis Fratribus Minoribus factam, concernere dignoscuntur, regulæ & professioni dictorum Fratrum expresse repugnant, & in ipsorum Fratrum redundant periculum animarum, præfata Regina nobis humiliter supplicavit, ut statui salutis animarum dictorum Fratrum, super his providere, & quæ in hac parte minus debite sunt statuta, revocare, auctoritate Apostolica, dignaremur.

§. IV. Nos igitur devotionem sinceram, & conscientiæ puritatem ipsius Reginæ dignis in Domino laudibus commendantes, ac volentes ipsorum Fratrum statui, & animarum saluti paterne consulere, in hac parte ipsius Reginæ supplicationibus inclinati, hujusmodi assignationem annuorum redituum, per eamdem Reginam in fundatione & dotatione dicti Monasterii, vel alias per eam Fratribus ipsis factam, & quæcumque alia in ordinatione ac confirmatione prædictis contenta, non consona Fratribus & Religioni prædictis, seu eorum professioni & regulæ repugnantia, auctoritate Apostolica revocamus, cassamus, & etiam annullamus, eisdem ordinatione & confirmatione, quoad omnia alia & singula in eis contenta, in suo pleno robore, ac firmitate etiam duraturis. Nulli ergo &c. nostræ revocationis, cassationis & annullationis infringere &c.

Datum Avenione XI. Kal. Decembris anno I.

XIX.

Fit Patriarcha Antiochenus. Ex tomo 6. fol. 193.

Dilecto filio Geraldo electo Antiocheno.

§. I. Romana Ecclesia, quæ super universas alias orbis Ecclesias obtinet, divina institutione, primatum &c. *salubriter gubernare*. Dudum siquidem fel. record. Joannes Papa XXII. prædecessor noster, in sui Apostolatus primordio, provisiones omnium Patriarchalium, et aliarum Cathedralium Ecclesiarum tunc vacantium, et vacaturarum per privationes de Prælatis earum, per eum, seu auctoritate sua tunc factas, et imposterum faciendas, dispositioni et ordinationi suæ, donec ipsum Christi dignatio regimini universalis Ecclesiæ præsidere concederet, reservavit, decernens ex tunc irritum &c. attentari. Ac deinde dicto prædecessore primo, et subsequenter piæ memoriæ Benedicto Papa XII. similiter prædecessore nostro, et ipsius Joannis immediato successore, de hac luce subtractis, ac nonnullis ex hujusmodi Ecclesiis tempore obitus dicti Joannis prædecessoris vacantibus. Nos ad apicem summi Apostolatus assumpti, cum a nonnullis in dubium verteretur, an de hujusmodi Ecclesiis, quæ tempore obitus, dicti Joannis prædecessoris vacabant, posset post dicti Joannis prædecessoris obitum, per alium, quam per Romanum Pontificem ordinari: ad cujuslibet am-

ambiguitatis scrupulum in hac parte tollendum, per litteras nostras declaravimus, Ecclesias ipsas fore per reservationem et decretum dicti Joannis prædecessoris affecta, nec ea vice potuisse de illis, vel posse per alium, quam per Romanum Pontificem quoquomodo disponi, decernentes irritum et inane quidquid in contrarium a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter attentatum forsan est hactenus, vel in posterum contingeret attentari.

§. II. Cum autem Ecclesia Antiochena, ex eo jam dudum Pastoris regimine fuerit destituta, quod dictus Joannes prædecessor bonæ memoriæ Isnardum Archiepiscopum Theban. tunc Patriarcham Antiochenum, ex certis causis Patriarchali dignitate amovit; nos considerantes, quod nullus de ipsa Antiochena Ecclesia, de qua sic vacante, Joannes et Benedictus præfati, dum vixerunt, minime ordinarunt, præter nos hac vice disponere potuit, neque potest, reservatione, declaratione, ac decretis obsistentibus supradictis, ac ad provisionem ipsius Ecclesiæ celerem et felicem, ne prolixioris vacationis subjaceret incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de præficiendo eidem Ecclesiæ personam utilem ac etiam fructuosam, quæ sciret, vellet &c. gubernare, cum Fratribus nostris habuimus diligentem, ad te tunc Ministrum Generalem Ordinis Fratrum Minorum in sacerdotio constitutum, sacræ Theologiæ Magistrum, cui religionis zelus, vitæ munditia, morum maturitas, et aliarum grandium virtutum merita, prout ex fide dignis testimoniis accepimus, laudabiliter suffragantur, direximus aciem nostræ mentis. Quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua, nobis, et eisdem Fratribus nostris, ob hujusmodi tuorum exigentiam meritorum accepta, præfatæ Antiochenæ Ecclesiæ de Fratrum &c. prædictorum, auctoritate Apostolica providemus, teque illi in Patriarcham præficimus et Pastorem, curam et administrationem ipsius Ecclesiæ tibi tam in &c. plenarie committendo; in illo qui dat gratias &c. confidentes quod præfata Antiochena Ecclesia per tuæ industriæ &c. prospere dirigetur, grataque in eisdem spiritualibus &c. suscipiet incrementa, auctore Domino. Jugum igitur Domini tuis &c. *consequi merearis*.

Datum Avenione v. Kalend. Decembris anno 1.

XX.

Fit Episcopus Tirasonen. Ex tomo 1. epist. 194.

Dilecto filio Sancio de Agerbio electo Tirasonen.

§. I. Pastoralis officii debitum &c. *salubriter gubernare*. Dudum siquidem bon. mem. Bertrando Episcopo Tirasonen. regimini &c. præsidente; nos cupientes eidem Ecclesiæ, cum eam quovis modo vacare contingeret, nostræ operationis ministerio, secundum cor nostrum idoneam præsidere personam, provisionem ejusdem Ecclesiæ, ordinationi &c. nostræ &c. duximus specialiter reservandam: decernendo ex tunc irritum &c. contingeret attentari.

Vide const. 101. Joannis XXII. tom. 6. fol. 576.

§. II. Postmodum vero præfata Ecclesia per obitum ejusdem Bertrandi, qui in illis partibus &c. persolvit, Pastoris solatio destituta: nos vacatione hujusmodi, fide dignis relatibus intellecta, ad provisionem ipsius Ecclesiæ &c. ne longæ &c. detrimenta, paternis et sollicitis studiis intendentes, et cupientes talem &c. præesse personam, quæ sciret, vellet, et posset, ipsam in suis &c., et etiam adaugere, post deliberationem, quam &c. cum no-

nostris &c. habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Minorum professorem, in sacerdotio constitutum, litterarum scientia præditum, vitæ &c. ac aliis multiplicium virtutum meritis, prout ex, &c. accepimus, laudabiliter insignitum, direximus oculos nostræ mentis. Quibus omnibus attente discussis, de persona tua præfatæ Tirasonen. Ecclesiæ de dictorum &c., auctoritate &c. providemus, teque illi præficimus in Episcopum et Pastorem, curam et administrationem ejusdem &c. plenarie committendo; in illo qui dat gratias &c. confidentes, quod præfata Tirasonen. Ecclesia per tuæ &c. studium, gratia tibi &c. prospere dirigetur, augmentaque suscipiet commodi et honoris. Quocirca discretioni tuæ mandamus, quatenus impositum tibi onus a Domino suscipiens reverenter, curam &c. sic exercere studeas &c. quod eadem Ecclesia gubernatori provido &c. gaudeat se commissam, tuque præter æternæ &c. nostram &c. gratiam exinde uberius consequi merearis.

Datum Avenione Nonis Decemb. anno I.

In eumdem modum venerabili Fratri Archiepiscopo Cæsaraugustano, ac Capitulo et Clero civitatis et Diœcesis Tirasonen. Et carissimo in Christo filio Petro Regi Aragonum illustri.

XXI.

Ut possit ad placitum Reginæ Sanciæ Guardianum Monasterii Clarissarum instituere & amovere. Ex lib. 3. epist. 1331.

Dilecto filio Ministro Generali Ordinis Fratrum Minorum.

§. I. Carissimæ in Christo filiæ nostræ Sanciæ Reginæ Siciliæ illustris, devota sinceritas promeretur, ut quæ suppliciter a nobis postulat, affectu tibi benevolo concedamus. Cum itaque, sicut ex oblata nobis pro parte dictæ Reginæ petitione percepimus, in Monasterio sancti Corporis Christi Neapolitan. Ordinis sanctæ Claræ quædam sit ordinatio per ipsam Reginam in fundatione dicti Monasterii facta, et per Sedem Apostolicam, ex certa scientia confirmata, qua cavetur quod Guardianus Fratrum dicti tui Ordinis, in Monasterio ipso morantium, assumi et fieri debeat semper in Capitulo Generali Fratrum Ordinis antedicti, et hoc cedere possit in magnum dispendium Fratrum et Monasterii prædictorum, pro parte dictæ Reginæ nobis fuit humiliter supplicatum, ut non obstantibus ordinatione et confirmatione præfatis, ad instantiam suam, et quotiens sibi placuerit, Guardianum in dicto Monasterio ponere, et positum amovere, tibi auctoritate Apostolica, de speciali gratia concedere dignaremur.

§. II. Nos igitur ejusdem Reginæ supplicationibus inclinati, ut liceat tibi in dicto Monasterio, ordinatione et confirmatione præfatis, ac quibuscumque aliis statutis et consuetudinibus Monasterii et Ordinis prædictorum, contrariis nequaquam obstantibus, ad ipsius Sanciæ instantiam, et quotiens sibi placuerit, & ad id causa rationabilis suadebit, Guardianum in dicto Monasterio ponere, & positum amovere, auctoritate prædicta, tenore præsentium, de gratia concedimus speciali. Nulli ergo &c. nostræ concessionis &c.

Datum Avenione XVIII. Kalend. Decemb. anno I.

XXII.

XXII.

Transfertur ex Balneoregien. ad Acerrarum Ecclesiam. Ex tom. 3. epist. 94.

Venerabili fratri Matthaeo Episcopo Acerrarum.

CReditæ nobis dispensationis urgemur officio &c. *Pastor idoneus deputetur*. Nuper siquidem te tunc Balneoregien. ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinen. & venerabili fratre nostro Joanne Balneoregien. tunc Acerrarum Ecclesiarum regiminibus præsidentibus. Nos considerantes quod tu Acerrarum, & Joannes præfatus Balneoregien. Ecclesiis antedictis præesse utilius poteratis, te ab eo, quo Balneoregien. & Joannem prædictum ab eo, quo Acerrarum Ecclesiis præfatis vinculis tenebamini, ut te ad Acerrarum, & Joannem prædictum ad Balneoregien. Ecclesias præfatas transferremus, de Fratrum nostrorum consilio, & Apostolicæ potestatis plenitudine, duximus absolvendos. Ac deinde ex jugo servitutis Apostolicæ, quo sumus universis Ecclesiis obligati, attendentes sollicite, quod si prædictæ Ecclesiæ Acerrarum provisio differretur, multis Ecclesia ipsa subjaceret periculis, & gravia in spiritualibus & temporalibus detrimenta subiret, & considerantes munera gratiarum, quibus personam tuam Dominus earum largitor multipliciter illustravit, ac propterea firma ducti fiducia, quod per tuæ circumspectionis industriam prædicta Acerrarum Ecclesia in utrisque, Deo propitio, laudanda suscipiet incrementa, deliberatione cum eisdem Fratribus nostris super hoc habita diligenti, te ad dictam Ecclesiam Acerrarum, de ipsorum Fratrum nostrorum consilio, Apostolica auctoritate transferimus, teque illi præficimus in Episcopum & Pastorem, curam &c. ac liberam tibi tribuentes licentiam ad dictam Acerrarum Ecclesiam transeundi, firma spe &c. quod præfata Ecclesia Acerrarum per tuæ &c. gratia tibi assistente &c. prospere dirigetur, grataque in eisdem &c. auctore Domino, suscipiet incrementa. Quocirca fraternitati tuæ &c. *uberius consequi merearis*.

Datum Avenione x. Kalend. Januar. anno 1.

In eumdem modum Archiepiscopo Neapolitano, & Capitulo, ac Clero civitatis & Diœcesis Acerrarum.

XXIII.

Ut in Monasterio Gerunden. numerus Monialium non excedat quinquagesimum. Ex tomo 5. epist. 1541.

Venerabili fratri Episcopo Gerunden.

§. I. SInceræ divotionis & religionis affectus, quem dilectæ in Christo filiæ Abbatissa & Conventus Monasterii sanctæ Claræ Gerunden. Ordinis ejusdem Sanctæ, ad Deum ac Romanam gerunt Ecclesiam, non indigne meretur, ut in iis, quæ a nobis pie postulant, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus.

§ II. Oblata siquidem nobis nuper pro parte ipsarum Abbatissæ & Conventus petitio continebat, quod dudum ipsæ Abbatissa & Conventus attendentes tenuitatem redditaum & proventuum ejusdem Monasterii; & ne propter multitudinem, eas super receptione Monialium rogantium Regum, Prin-

Principum, & Baronum, nobilium & ignobilium personarum, quarum precibus & mandatis, quasi quotidie sunt oppressæ, quorumque precamina præcise non audent aliquatenus refutare. Et ne etiam amplius in talibus imposterum aggraventur, & ex aliis causis rationabilibus, habita inter se super his deliberatione matura, statuerunt numerum quinquaginta Monialium futuris temporibus virtutum Domino famulantium, in Monasterio prælibato. Nos itaque ipsarum Abbatissæ & Conventus in hac parte supplicationibus inclinati, fraternitati tuæ, de cujus circumspectionis industria plenam in Domino fiduciam obtinemus, per Apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus si est ita, & hujusmodi numerus sit sufficiens, juxta præfati Monasterii suppetentiam facultatum, numerum prædictum, ut præmittitur, statutum, Apostolica auctoritate confirmes: eisdem Abbatissæ & Conventui nihilominus auctoritate eadem districtius inhibendo, ne deinceps ad receptionem alicujus seu aliquarum in Moniales præfati Monasterii, contra confirmationem & inhibitionem hujusmodi procedere quoquomodo præsumant. Nos enim irritum & inane decernimus, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Datum Avenione II. Nonas Januar. anno 1.

XXIV.

Ut possint recipere domum in civitate Ducali. Ibid. epist. 1621.

Dilectis filiis Ministro & Fratribus Ordinis Minorum Provinciæ Romanæ secundum vos vulgariter appellatæ.

Vult Pontif. favoribus Ordinē prosequi.

§. I. Devotæ vestræ religionis sinceritas, qua vos, & alii Fratres Ordinis vestri, calcatis illecebris, cum adjectione voluntariæ paupertatis, in humilitatis spiritu virtutum Domino impenditis devotum & sedulum famulatum, merita rationabiliter promerentur, ut vos, ac Ordinem vestrum benignis consoveamus favoribus, & spiritualibus gratiis prosequamur, præsertim in illis per quæ cultus augetur divinus, vosque prædicationis verbo salubris, piæque vitæ studio, vobis ipsis, & aliis fidelibus ad animarum salutem proficere valeatis.

Robertus Rex Villam quamdā construit.

Incolæ Minores habere cupiunt.

§. II. Ex tenore siquidem petitionis pro parte vestra nobis nuper exhibitæ percepimus, quod carissimus in Christo filius noster Robertus Rex Siciliæ, tunc Dux Calabriæ, existens in confinibus regni sui, quamdam Villam situatam in diœcesi Reatina, mandavit & fecit construi & ædificari, quam sub nomine seu vocabulo civitatem Ducalem censuit imposterum appellandam, quodque, quia idem Rex ad incrementum Villæ prædictæ intentionem continue semper habuerat, & affectionem etiam singularem, Villa ipsa adeo facta est populosa, quod ob hoc amodo ipsa viris religiosis indiget, qui habitatores ejusdem instruant prædicationis verbo pariter & exemplo, & quod eidem Regi pro parte hominum dictæ Villæ cum multa extitit instantia intimatum, quod, cum ipsi ad Ordinem vestrum specialem devotionem & affectum præcipuum haberent, nobis efficaciter supplicaret, quod infra ejusdem Villæ Ducalis murorum ambitum, pro construendo ibidem novum locum, cum Ecclesia seu Oratorio & habitationibus, & aliis congruentibus officinis, possetis recipere, vobis impertiri specialem licentiam dignaremur.

Pontif. construendi Cœnobium facultatem largitur.

§. III. Nos igitur prædictorum hominum in hac parte, piæ & devotæ intentionis affectum, & honestum desiderium merito commendantes, ac volentes promptius ad ea intendere, illaque vobis benignius indulgere, per quæ cultus augeatur divinus, quæve vobis & aliorum fidelium animarum sa-

salutis efferant incrementum, ejusdem Regis, ac vestris in hac parte devotis supplicationibus inclinati, recipiendi in dicta Villa dictum locum, & inibi Ecclesiam seu Oratorium construendi cum domibus, & aliis necessariis officinis, ac in eo perpetuo commorandi, dummodo in eo duodecim Fratres dicti Ordinis perpetuo moraturi, decenter & congrue valeant sustentari, si tamen alius locus dicti Ordinis notabiliter propinquus ibidem non existat, absque tamen Parochial. Ecclesiæ, et cujuslibet alterius juris prejudicio, felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. &c. *nequaquam obstantibus*, auctoritate Apostolica, vobis tenore præsentium, licentiam concedimus specialem. Nulli ergo &c. nostræ concessionis &c.

Datum Avenione II. nonas Januarii anno 1.

XXV.

Recipiuntur sub proprietate & protectione sancti Petri & Roman. Pontif. Ibid. epist. 1518.

Dilectis in Christo filiabus Abbatissæ & Conventui Sororum Minorum inclusarum Monasterii Misericordiæ beatæ Mariæ Virginis de Deneye Elien. Diœces.

§. I. Romana Ecclesia quarumlibet aliarum, ac Monasteriorum et locorum Ecclesiasticorum omnium, divina disponente clementia, singulari Custodiæ deputata, de illarum cura et commodis solerti vigilantia, curisque continuis angitur, ac utilitatibus, et bonis quibuslibet intento studio et opere studioso intendit, et instantia propulsatur eadem, singula cum pro ipsorum commodis apud eam insistitur, singulariter intuens, protegensque sincere, aliis munificentiæ suæ aperiendo dexteram, et eorum petitionibus alias favorem benevolum impendendo, alia nonnumquam sincerius et spiritualius prosequens, illa sub ejus protectione recipit, firmitate roborat, privilegiis munit, et variis gratiis intuetur.

§. II. Procedit igitur, quod nos ad Monasterium vestrum, ejusque personas, de quibus odor bonæ famæ, conversationis honestæ, vitæ laudabilis, et aliarum virtutum multiplicium, testimonio fide dignorum, progreditur, nostræ mentis oculos intento studio dirigentes, vosque, ac prædictum Monasterium intendentes speciali titulo decorare, vos, ac illud, nec non et personas omnes deinceps in eodem divinis obsequiis, sub regulari habitu mancipandas, domos quoque infra septa ipsius Monasterii constructas & construendas, & loca qualibet illius, cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, ac juribus, & pertinentiis eorumdem, in jus & proprietatem beati Petri & Apostolicæ Sedis recipimus, ab omni prorsus jurisdictione, potestate, ac dominio tam Episcopi Elien. in cujus Diœcesi Monasterium prædictum consistit, & Archiepiscopi Cantuarien. Metropolitani ejusdem, & Capitulorum suorum, quam cujuslibet alterius Prælati, ac personæ, tam Ecclesiasticæ, quam Secularis, totaliter, perpetuo, ex certa scientia eximentes, ac decernentes vos, et quæ de cetero vobis in Monasterio prædicto succedent, nec non domos, loca, & bona prædicta soli dumtaxat immediate Romano Pontifici & ipsi Ecclesiæ subjacere. Ad indicium autem perceptæ a Sede prædicta hujusmodi libertatis, nobis & successoribus nostris unam libram ceræ, annis singulis persolvetis. Decernimus quoque ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ receptionis, exemptionis, & constitutionis infringere &c.

Datum Avenione XV. Kalend. Februarii anno 1.

XXVI.

XXVI.

Præficitur Eccleſiæ Sipontinæ. Ex tomo 6. fol. 177.

Dilecto filio Petro electo Sipontin.

§. I. IN ſupremæ dignitatis ſpecula &c. *plebs lætetur*. Dudum ſiquidem bon. mem. Saſſo Archiepiſcopo Sipontino regimini Sipontin. Eccleſiæ præſidente, nos cupientes eidem Eccleſiæ, cum eam quovis modo vacare contingeret, noſtræ operationis miniſterio ſecundum cor noſtrum, idoneam præſidere perſonam, proviſionem ejuſdem Eccleſiæ cum vacaret, ordinationi & diſpoſitioni noſtræ, ac Sedis Apoſtolicæ, ea vice, duximus ſpecialiter reſervandam: decernendo ex tunc irritum & inane &c. contingeret attentari.

§. II. Poſtmodum vero præfata Eccleſia Sipontina, per obitum ejuſdem Saſſi, qui in partibus illis diem &c. paſtoris ſolatio deſtituta, dilecti filii Capitulum ejuſdem Eccleſiæ hujuſmodi reſervationis & decreti forſan ignari, vocatis omnibus, qui debuerunt, voluerunt, & potuerunt commode intereſſe, die ad eligendum præfixa, ut moris eſt, convenientes in unum, ac deliberantes in hujuſmodi negotio fore per formam ſcrutinii procedendum, dilectum filium Leonem Archidiaconum Eccleſiæ ſancti Angeli, de Monte Gargano Sipontin. Diœceſ. in eorum Archiepiſcopum unanimiter elegerunt, ipſeque reſervationis & decreti hujuſmodi forſan ſimiliter inſcius, ad inſtantiam Capituli prædictorum, hujuſmodi electioni de ſe factæ conſenſit: deinde vero vacatione & electione prædictis ad noſtram notitiam, fide digna relatione, deductis, nos electionem ipſam utpote poſt & contra reſervationem & decretum prædicta factam, reputavimus, prout erat, irritam & inanem, & demum ad proviſionem ipſius Eccleſiæ celerem & felicem, & de qua nullus præter nos ſe ea vice intromittere poterat, reſervatione & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne prolixæ vacationis exponeretur incommodis, paternis &c. intendentes, poſt deliberationem quam, de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam utilem, ac etiam fructuoſam, cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Minorum Profeſſorem, & in Sacerdotio &c. litterarum ſcientia &c. & aliis multiplicibus virtutum meritis, apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis. Quibus omnibus debita &c. de perſona tua præfatæ Sipontin. Eccleſiæ de dictorum &c. auctoritate Apoſtolica providimus, teque illi præfecimus in Archiepiſcopum et Paſtorem, curam &c. plenarie committendo, et ſubſequenter conſecrationis munus tibi noſtris manibus duximus impendendum; in illo qui dat gratias &c. confidentes, quod, gratia tibi aſſiſtente divina, eadem Eccleſia, ſub tuo felici regimine præſervabitur a noxiis et adverſis, ac ſalutaribus, auctore Domino, proficiet incrementis. Quocirca diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus &c. *Uberius conſequi merearis*.

Datum Avenione v. Idus Februarii anno 1.

XXVII.

XXVII.

Ut possit ædificare Monasterium Clarissarum Iseroni. Ex tom.5. epist.1472.

Dilecto filio nobili viro Humberto Dalphino Viennen.

§.I. Eximia tuarum nobilitatis, et devotionis merita, quibus in sinceritate mentis et fidei, æterno Regi placere desideras, et Romanam Ecclesiam revereris, non immerito promerentur, ut personam tuam sinceris affectibus prosequentes, desideriis tuis, quæ tuæ salutis commodum, et divini cultus augmentum respiciunt, opportunis favoribus annuamus.

§.II. Ex tenore siquidem petitionis tuæ nobis nuper oblatæ, percepimus, quod tu pio devotionis et sinceritatis fervore succensus, nec non de salute propria cogitans, cupiensque æterna in cœlestia, et transitoria in æterna felici commercio commutare, ob præcipuæ devotionis fervorem, et sinceræ dilectionis affectum, quos ad Ordinem sanctæ Claræ, quem continuum suscipere desideras incrementum, et ad personas ejusdem Ordinis gessisti hactenus, et etiam adhuc geris, unum Monasterium apud Iseronum Castrum tuum, Gratianopolitan. Diœcef. cum Ecclesia, cœmeterio, domibus, et aliis necessariis officinis pro Monialibus sive Sororibus prædicti Ordinis, ac Fratribus Minoribus pro earum regimine ac gubernatione necessariis, seorsum moraturis, ibidem fundare, et ædificare, ac de bonis propriis sufficienter dotare proponis. Quare nobis humiliter supplicasti, ut præmissa, faciendi tibi licentiam concedere dignaremur.

§.III. Nos itaque tuis in hac parte supplicationibus favorabiliter annuentes, devotioni tuæ fundandi, et ædificandi, dotandique prædictum Monasterium, cum Ecclesia, cœmeterio, domibus et officinis prædictis in castro prædicto, de bonis tuis propriis, ut præfertur, plenam et liberam tibi, auctoritate præsentium, licentiam elargimur jure parochialis Ecclesiæ, et cujuslibet alterius in omnibus semper salvo. Nulli ergo &c. nostræ concessionis &c.

Datum Avenione III. Idus Februarii anno 1.

XXVIII.

Ut confirmet permutationem factam inter Archiepiscopum Toletanum & Clarissas de Gualdafajara. Ex tomo 9. epist.264.

Venerabili fratri Episcopo Seguntino.

§.I. Petitio pro parte Venerabilis fratris nostri Ægidii Archiepiscopi Toletani, et dilectarum in Christo filiarum Abbatissæ et Conventus Monasterii sanctæ Claræ de Gualdafajara Ordinis ejusdem Sanctæ Toletan. Diœcef. nobis exhibita continebat, quod dudum bon. mem. Joannes Patriarcha Alexandrinus, olim Archiepiscopus Toletan. dum Ecclesiæ Toletan. regimini præsideret ad ipsius Ecclesiæ honores & profectus aspirans, ac ejusdem Ecclesiæ utilitates affectans, pro Villa seu loco de Alcolea, cum terminis ac universis juribus & pertinentiis suis dictæ Diœcesis, cum prædictis Abbatissa & Conventu, ad quas Villa seu locus hujusmodi pertinebat, prout pertinet, quibusque licet, ut asseritur, habere proprium in communi, ex indulto Sedis Apostolicæ speciali, quædam loca quæ *Tende*, & quemdam alium locum qui *Carrale* in illis partibus vulgariter appellantur,

Vid. Bullam 142. Joannis XXII. sup. fol. 439.

conſiſtentia in dicto loco de Gualdafajara præfatæ Diœceſis, & decimam de minuto in dicto loco de Gualdalfajara, ipſumque loci Archipresbyteratum, certis locis exceptis, ad menſam Archiepiſcopalem Toletan. ſpectantia, ac certa caſalia ad menſam Archiepiſcopalem ſpectantia, cum omnibus juribus ac pertinentiis eorumdem, de conſilio & conſenſu dilectorum filiorum Decani & Capituli Eccleſiæ antedictæ,permutare promiſit, ſi ad permutationem hujuſmodi beneplacitum accederet Sedis Apoſtolicæ. Interim tamen partes ipſæ ſpeciali ſtipulatione ſeu conventione ad invicem promiſerunt, ſeque obligarunt contra prædicta ſe aliqua ratione, vel cauſa in aliquo non venire. Et licet hujuſmodi permutationis contractus proprium non ſortiatur effectum, donec beneplacitum accederet antedictum, tamen ne dictus locus de Alcolea quorumdam tyrannorum, qui ad hoc anhelabant, perveniret ad manus, ex tunc dictus Joannes Abbatiſſæ & Conventui Tendarion. & Curralis, ac decimæ, ipſæ vero Abbatiſſa & Conventus Joanni præfato Villæ ſeu loci de Alcolea prædictorum corporalem poſſeſſionem tradere curaverunt. Et quod poſtmodum bon. mem. Eximino Archiepiſcopo Toletan. proximo ejuſdem Joannis ſucceſſore, ac Abbatiſſa & Conventu prædictis ſupplicantibus felicis recordationis Joanni Papæ XXII. prædeceſſori noſtro, ut eidem permutationi, quod pro ſecuritate ipſarum partium robur haberet ſolidæ firmitatis, ſuum præbere aſſenſum, ipſamque permutationem ex certa ſcientia confirmare, auctoritate Apoſtolica, dignaretur: præfatus prædeceſſor Venerabili fratri noſtro Epiſcopo Conchen. per litteras ſuas commiſit & mandavit, ut permutationem prædictam, nec non conditiones & qualitates ipſius diligenter examinaret, & ſi per examinationem & informationem hujuſmodi, reperiret hujuſmodi permutationem faciendam, fore factam abſque læſione menſæ, vel Monaſterii prædictorum, ſeu alicujus partium earumdem, permutationi hujuſmodi,auctoritate prædicti Prædeceſſoris,præſtaret aſſenſum, & auctoritate prædicta confirmaret eamdem, reſervatis in iis, quæ rationabiliter exiſterent obſervanda.

§. II. Cum autem ſicut eorumdem Ægidii Archiepiſcopi & Abbatiſſæ ac Conventus petitio ſubjungebat, quia idem Eximinus Archiepiſcopus fuit morte præventus, nequiverit dicta confirmatio obtineri; & poſtmodum Ægidius Archiepiſcopus, de conſilio & aſſenſu Decani & Capituli prædictorum, ac Abbatiſſa et Conventus prælibati convenerunt, quod loco dictarum decimarum de Minuto, Abbatiſſa et Conventus prædictæ in redditibus Judaiſmi de Alcala dictæ Diœceſis,ad dictam Archiepiſcopalem menſam ſpectantibus, quatuor millium morapetinorum, uſualis monetæ dicti regni Caſtellæ quantitatem habeant annuatim, et fructus dictæ decimæ remaneant Archiepiſcopali menſæ prædictæ, ſi ad permutationem hujuſmodi accedat beneplacitum dictæ Sedis, prout in publico inſtrumento inde confecto dicitur plenius contineri; præfati Ægidius Archiepiſcopus et Abbatiſſa et Conventus nobis humiliter ſupplicarunt, ut eidem permutationi ad utilitatem & honorem utriuſque partis, ut aſſeritur, factæ, quod pro ſecuritate ipſarum partium robur habeat ſolidæ firmitatis, noſtrum præbentes aſſenſum, ipſam permutationem, auctoritate Apoſtolica, confirmare, ex certa ſcientia dignaremur.

§. III. Nos igitur eorumdem Ægidii Archiepiſcopi ac Abbatiſſæ & Conventus ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuæ, de qua plenam in Domino fiduciam gerimus, per Apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, quatenus ſi inveneris dictam permutationem eſſe ſine læſione menſæ utriuſque partis, permutationem ipſam, auctoritate Apoſtolica confirmare procures.

Datum Avenione xv. Kalend. Martii anno 1.

XXIX.

XXIX.

Præficitur Ecclesiæ Pectenen. Ibid. epist. 171.

Venerabili fratri Amancio Episcopo Pectenen.

INter cetera quæ superna dispositione nobis imminent &c. *proficere valeant incrementis*. Nuper siquidem Ecclesia Pectenen. per obitum bonæ memoriæ Guillelmi Episcopi Pectenen. qui apud Sedem Apostolicam diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, nos ad provisionem ipsius Ecclesiæ Pectenen. ne ex provisione longinqua posset incurrere detrimenta, sollicite cogitantes, cum nullus præter nos hac vice, de provisione ipsius Pectenen. Ecclesiæ se intromittere possit, pro eo quod nos diu ante vacationem hujusmodi ipsius Ecclesiæ Pectenen. provisiones omnium Ecclesiarum Cathedralium, tunc apud dictam Sedem quocumque modo vacantium, & in antea vacaturarum, dispositioni &c. duximus specialiter reservandas; decernentes ex tunc irritum & inane si secus &c. contingeret attentari, post deliberationem, quam de præficiendo eidem Pectenen. Ecclesiæ, personam utilem, ac etiam fructuosam, cum nostris Fratribus habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Minorum Professorem, & in Sacerdotio constitutum, cui de religionis zelo &c. ac aliis virtutum meritis, nobis laudabilia testimonia perhibentur, direximus oculos nostræ mentis. Quibus omnibus debita &c. de persona tua ipsi Pectenen. Ecclesiæ, de prædictorum Fratrum consilio, auctoritate Apostolica duximus providendum, teque ipsi Ecclesiæ præfecimus in Episcopum & Pastorem, curam & administrationem illius &c. plenarie committendo, & consequenter tibi munus consecrationis nostris manibus duximus impendendum, in illo qui dat gratias &c. confidentes, quod eadem Ecclesia Pectenen. per tuæ providentiæ studium, in spiritualibus & temporalibus, auctore Domino, proficiet incrementis. Jugum itaque Domini tuis &c. *exinde uberius consequaris*.

Datum Avenione XIII. Kalend. Martii anno I.

XXX.

Ut uniat Ecclesiam Parochialem Monasterio Clarissarum de Deneyo. Ex tomo 5. epist. 1409.

Venerabili fratri Episcopo Lincolnien.

§. I. PRudentes virgines, quæ mundanis relegatis illecebris, se pararunt lampadibus accensis obviam ire sponso, & ei desponsari perpetuo devoverunt, libenter prosequimur favoribus gratiosis, earumque petitionibus in iis præsertim, per quæ ipsarum possit provideri necessitatibus, nostrum assensum benevolum impartimur.

§. II. Sane pro parte dilectarum in Christo filiarum Abbatissæ & Sororum Monasterii de Deneyo, Ordinis sanctæ Claræ Elien. Diœcesis. nobis fuit humiliter supplicatum, ut ad hoc quod ipsæ nullam in necessariis penuriam patiantur, parochialem Ecclesiam de Grantesdene, tuæ diœcesis, de patronatu earumdem existentem, cujus fructus, redditus, & proventus, quadraginta librarum sterlingarum secundum taxationem decimæ, valorem annuum, sicut asseritur, non excedunt, eis, & earum Monasterio in perpetuum appropriare, unire, & connectere dignaremur.

§. III. Nos igitur volentes hujusmodi earum precibus favorabiliter an-

annuere, & quantum cum Deo poſſumus, in hac parte ipſarum Abbatiſſæ & Sororum neceſſitatibus providere, fraternitati tuæ, de qua plenam in Domino fiduciam gerimus, per Apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, quatenus ſi eſt ita, dictam Eccleſiam, cum omnibus juribus, et pertinentiis ſuis Abbatiſſæ, Sororibus, et Monaſterio prædictis, auctoritate Apoſtolica, in perpetuum ex nunc unias, incorpores, et connectas, reſervata tamen de ipſius Eccleſiæ redditibus et proventibus, perpetuo Vicario inibi ſerrvituro, ad præſentationem dictarum Abbatiſſæ et Sororum, per te et ſucceſſores tuos Epiſcopos Lincolien. qui erunt pro tempore, in earum Eccleſiam inſtituendo, congrua portione, ex qua idem Vicarius commode ſuſtentari valeat, ac Epiſcopalia jura ſolvere, aliaque ſibi onera incumbentia ſupportare, jure tamen alieno in omnibus ſemper ſalvo, ita quod cedente vel decedente Rectore dictæ Eccleſiæ, qui nunc eſt, liceat præfatis Abbatiſſæ et Sororibus, auctoritate propria corporalem poſſeſſionem dictæ Eccleſiæ apprehendere et tenere, cujuſcumque licentia minime requiſita, contradictores auctoritate noſtra, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Non obſtantibus &c. *litteris mentio ſpecialis*. Nos enim irritum decernimus et inane ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis actoritate, ſcienter vel ignoranter contingeret attentari.

Datum Avenione VI. Kalend. Aprilis anno I.

XXXI.

Præficitur Eccleſiæ Lauden. Ex tomo 6. fol. 183.

Dilecto filio Lucæ de Caſtillo electo Lauden.

PAſtoralis officii debitum exigit &c. *ſuſcipiant incrementa*. Nuper ſiquidem Lauden. Eccleſia, per obitum bon. mem. Leonis Epiſcopi Lauden. qui in partibus illis &c. paſtoris ſolatio deſtituta: nos hujuſmodi vacatione ipſius Eccleſiæ, fide dignis relatibus intellecta, cupientes eidem Eccleſiæ, noſtræ cooperationis miniſterio, ſecundum cor noſtrum, idoneam probatamque præſidere perſonam, proviſionem ejuſdem Eccleſiæ ea vice ordinationi &c. duximus ſpecialiter reſervandam; decernentes ex tunc irritum &c. contingeret attentari. Ac demum ad proviſionem ipſius Eccleſiæ celerem et felicem, de qua nullus præter nos &c. poſt reſervationem et decretum hujuſmodi ſe intromittere poteſt, paternis et ſollicitis ſtudiis, ne ipſa longæ vacationis &c. intendentes, poſt deliberationem, quam ad præficiendum eidem Eccleſiæ perſonam hujuſmodi, cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Minorum Profeſſorem, Pœnitentiarium noſtrum, in Sacerdotio conſtitutum, litterarum &c. morum &c. in ſpiritualibus providum, et in temporalibus circumſpectum, ac aliis multiplicium virtutum meritis, prout etiam ex fide dignis teſtimoniis accepimus, inſignitum, direximus oculos noſtræ mentis. Quibus omnibus debita &c. de perſona tua nobis et eiſdem Fratribus noſtris, ob hujuſmodi tuorum exigentiam meritorum accepta, præfatæ Lauden. Eccleſiæ providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum et Paſtorem, curam &c. plenarie committendo; in illo qui dat gratias &c. confidentes, quod præfata Eccleſia per tuæ &c. dextera Domini tibi aſſiſtente propitia &c. proſpere dirigetur; jugum igitur Domini tuis &c. *uberius valeas promereri*.

Datum Avenione II. Kalend. Aprilis anno I.

In eumdem modum Archiepiſcopo Mediolan. et Capitulo, ac Clero Civitatis et Diœceſis Lauden.

XXXII.

Ut gaudeant privilegiis Minoribus concessis. Ibid. epist. 1464.

Dilectis in Christo filiabus Abbatissæ & Sororibus Monasterii sanctæ Claræ de Mannasca Ordinis ejusdem Sanctæ Sistaricien. Diœcesis.

DEvotionis vestræ precibus inclinati, ut privilegiis et indulgentiis Ordini Fratrum Minorum a Sede Apostolica concessis, competentibus vobis, uti possitis, auctoritate vobis præsentium indulgemus. Nulli ergo &c. nostræ concessionis &c.

Datum 11. Aprilis anno 1.

XXXIII.

Subjiciuntur regimini Minorum. Ibid. epist. 1464.

Eisdem.

CUm sicut ex parte vestra fuit propositum coram nobis, vos inclusæ corpore in castris claustralibus, mente tamen libera devote Domino famulantes..... Generali Ordinis et Provinciali Fratrum Minorum Ministris in Provincia, desideretis pro vestra salute committi: nos pium vestrum propositum in Domino commendantes, devotionis vestræ precibus inclinati, vos et vestrum Monasterium, auctoritate præsentium, Generali et Provinciali Ministris committimus supradictis; eadem auctoritate nihilominus statuentes, ut sub magisterio et doctrina Ministrorum Generalis et Provincialis Fratrum Minorum Provinciæ dicti Ordinis, qui pro tempore fuerint, de cetero maneatis, illis gaudentes privilegiis, quæ Ordini prædicto Fratrum ipsorum ab Apostolica Sede concessa sunt, vel imposterum concedentur, ipsique Generalis et Provincialis Ministri animarum vestrarum sollicitudinem gerentes & curam, eidem Monasterio per se, vel per alios Fratres sui Ordinis, quos ad hoc viderint idoneos, quotiens expedierit, officium visitationis impendant, corrigendo & reformando ibidem tam in capite, quam in membris, quæ correctionis seu reformationis officio noverint indigere, & nihilominus instituant et destituant, mutent et ordinent, prout secundum Deum viderint expedire: electio tamen Abbatissæ libere pertineat ad Conventum. Confessiones autem vestras audiant, et ministrent vobis Ecclesiastica Sacramenta. Et ne, pro eo quod in Monasterio vestro ipsius Ordinis Fratres residere continue non verentur, pro defectu Sacerdotis possit periculum imminere, prædicti Generalis et Provincialis Ministri ad confessiones in necessitatis articulo audiendas, ac ministranda Sacramenta prædicta, nec non divina officia celebranda, vobis deputent aliquos discretos & providos Cappellanos. Ad hæc vobis liceat redditus et proventus, ac possessiones recipere, ac ea libere retinere, non obstant. contraria consuetudine, seu statuto vestri Ordinis, confirmatione Sedis Apostolicæ, aut quacumque firmitate alia roboratis. Nulli ergo &c. nostræ concessionis ac constitutionis &c.

Datum Avenione 11. nonas Aprilis anno 1.

XXXIV.

Ut possint hereditare. Ibid. epist. 1466.

Eisdem.

Devotionis vestræ precibus inclinati, auctoritate vobis præsentium indulgemus, ut possessiones, ac alia bona mobilia & immobilia, quæ liberas personas Sororum vestrarum, mundi relicta vanitate, ad Monasterium vestrum convolantium, & professionem facientium in eodem, jure successionis, vel alio justo titulo, si remansissent in seculo, contigissent, & libere potuissent aliis erogare, exceptis rebus feudalibus exigere, petere, ac retinere libere valeatis. Nulli ergo &c. nostræ concessionis &c. Datum ut supra.

XXXV.

Ne de legatis quidpiam solvant. Ibid. epist. 1467.

Eisdem.

Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, & vota, quæ a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Eapropter, dilectæ in Domino filiæ, vestris supplicationibus inclinati, auctoritate præsentium, districtius inhibemus, ne quis de legatis, oblationibus, seu quibuscumque eleemosynis, vobis pia fidelium devotione oblatis, aliquid a vobis exigere, vel extorquere præsumat. Nulli ergo &c. nostræ inhibitionis &c. Datum ut supra.

XXXVI.

Indulgentiæ pro visitantibus Ecclesiam. Ibid. epist. 1468.

Eisdem.

Vid. Constit. 24. Joann. XXII. tom. 4. fol. 100.

Licet is, de cujus munere venit &c. *divinæ gratiæ aptiores*. Cupientes igitur ut Ecclesia vestra congruis honoribus frequentetur, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui Ecclesiam ipsam in festivitatibus beatæ Claræ Virginis, & sanctorum Francisci & Antonii Confessorum, qui in ipsa Ecclesia sunt præcipui ac solemnes, venerabiliter visitaverint annuatim, de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, quadraginta dies de injuncta eis pœnitentia, misericorditer relaxamus. Datum ut supra.

XXXVII.

Ne solvant procurationes aut alia onera. Ibid. epist. 1469.

Eisdem.

Paupertati vestræ, quam voluntarie propter Deum sustinetis, ac quieti paterna imposterum sollicitudine providere volentes, auctoritate vobis præsentium indulgemus, ut vos ad præstationem procurationum Legatorum Sedis Apostolicæ, vel Nunciorum ipsius, aut exactionum vel collectarum, seu subsidiorum quorumcumque minime teneamini, nec ad ea solvenda per litteras dictæ Sedis, seu Legatorum, Rectorum, vel Nunciorum ejus-

ejusdem, cujuscumque tenoris existant, aut cujuscumque auctoritate, compelli minime valeatis. Nos enim decernimus irritas & inanes, interdicti, suspensionis, & excommunicationis sententias, si quas propter hæc, in vos, vel in vestrum aliquas, aut Monasterium vestrum imposterum contigerit promulgari. Nulli ergo &c. nostræ concessionis & constitutionis &c.

Datum ut supra.

XXXVIII.

Aliæ conceduntur Indulgentiæ. Ibid. epist. 1482.

EISDEM.

Licet is de cujus munere venit &c. Cupientes igitur, ut Ecclesia Monasterii vestri, in qua, sicut asseritur, multæ Sanctorum reliquiæ reconditæ fore dicuntur, condignis honoribus frequentetur, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui ad dictam Ecclesiam in Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, & Nativitatis beatæ Mariæ Virginis, & sancti Francisci, ac sanctæ Claræ festivitatibus, & per octo dies festivitates ipsas immediate sequentes, devote accesserint annuatim, de Omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, auctoritate confisi, unum annum & quadraginta dies, de injuncta sibi pœnitentia misericorditer relaxamus. Datum ut supra.

Vide Constit. 24. Joann XXII. tom. 6. fol. 300.

XXXIX.

Deputantur Judices conservatores prædicti Monasterii. Ibid. epist. 1854.

Venerabili fratri Episcopo Sistaricen. ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, Præpositis, Archipresbyteris, & aliis Ecclesiarum Prælatis, per Sistaricen. Civitatem & Diœces. constitutis, ad quos præsentes litteræ pervenerint, salutem.

§. I. Non absque dolore cordis & plurima turbatione didicimus, quod ita in plerisque partibus Ecclesiastica censura dissolvitur, & canonicæ sententiæ severitas enervatur, ut viri religiosi, & maxime qui per Sedis Apostolicæ privilegia, majori dotati sunt libertate, passim a malefactoribus suis injuriam sustinent & rapinas, dum vix invenitur, qui congrua illis protectione subveniant, & pro fovenda pauperum innocentia, se murum defensionis opponant.

§. II. Specialiter autem dilectæ in Christo filiæ Abbatissa & Sorores Monasterii sanctæ Claræ de Mannasca Ordinis ejusdem Sanctæ, Sistaricen. Diœces. tam de frequentibus injuriis, quam de ipso quotidiano defectu justitiæ conquerentes, Universitatem vestram litteris petierunt Apostolicis exhortari, ut ita videlicet eis in tribulationibus suis, contra malefactores earum prompta debeatis magnanimitate consurgere, quod ab angustiis quas sustinent & pressuris, vestro possint præsidio respirare. Ideoque Universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus atque præcipimus, quatenus illos, qui possessiones, vel res, seu domos prædictorum Sororum irreverenter invaserint, aut ea injuste detinuerint, quæ prædictis Sororibus ex testamento decedentium relinquuntur, seu in ipsas Sorores, vel ipsarum aliquam contra Apostolicæ Sedis indulta, sententiam excommunicationis aut interdicti præsumpserint promulgare, vel decimas de nutrimentis animalium suo-

suorum, spretis Apostolicæ Sedis privilegiis, extorquere, si de his vobis manifeste constiterit, canonica monitione præmissa, si laici fuerint, publice, candelis accensis, singuli vestrum in Ecclesiis suis excommunicationis sententia percellatis: si vero Clerici, vel Canonici, Regulares seu Monachi extiterint, appellatione remota, ab officio & beneficio suspendatis, neutram relaxaturi sententiam, donec prædictis Sororibus plenarie satisfaciant, & tam Laici quam Clerici seculares, qui pro violenta manuum injectione in Sorores easdem, vel ipsarum aliquam, anathematis vinculo fuerint innodati, cum Diœcesani Episcopi litteris, ad Sedem Apostolicam venientes, ab eodem vinculo mereantur absolvi.

Datum Avenione II. Nonas Aprilis anno I.

XL.

Conceditur eis amplum privilegium. Ibid. epist. 1767.

Dilectis in Christo filiabus Abbatissæ Monasterii sanctæ Claræ de Mannasca Ordinis ejusdem Sanctæ Sistaricen. Diœces. ejusque Sororibus tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum.

Exordium.

§. I. Religiosam vitam eligentibus Apostolicum convenit adesse præsidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus, aut eas a proposito revocet, aut robur, quod absit, sacræ religionis enervet.

Monast. suscipitur sub protectione Sedis Apostolicæ. In quo Regula S. Benedicti observanda.

§. II. Eapropter, dilectæ in Christo filiæ, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & Monasterium sanctæ Claræ de Mannasca, in quo divino estis obsequio mancipatæ, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut Ordo monasticus, qui secundum Deum & beati Benedicti regulam, atque institutionem Monialium inclusarum sancti Damiani Assisinatis, formulam vitæ vestræ a felicis recordationis Gregorio Papa prædecessore nostro Ordini vestro traditam, cum adhuc esset in minori officio constitutus, in eodem loco institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur.

Loca recensentur, quæ sunt de jure Monaster.

§. III. Præterea quascumque possessiones, quæcumque bona idem Monasterium in præsentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum, concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis, & eis quæ vobis successerint, & illibata permaneant; in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis, locum ipsum in quo præfatum Monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis, cum terris, pratis, vineis, nemoribus, usuagiis, & pascuis, in bosco, & plano, in aquis & molendinis, in viis, & semitis, & omnibus aliis libertatibus & immunitatibus suis.

Possunt recipere Puellas a seculo fugient.

§. IV. Liceat quoque vobis personas liberas & absolutas a seculo fugientes ad conversionem recipere, & eas absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli Sororum vestrarum, post factam in Monasterio vestro professionem, fas sit de eodem loco discedere, discedentem vero nullus audeat retinere. Pro consecrationibus vero Altarium, vel Ecclesiæ vestræ, sive pro oleo sancto, vel quolibet Ecclesiastico sacramento, nullus a vobis sub obtentu consuetudinis, vel alio modo quidquam audeat extorquere, sed hæc omnia gratis vobis Episcopus Diœcesanus impendat: alioquin liceat vobis ea, vestra auctoritate, recipere a quocumque malueritis Catholico Antistite, gratiam & communionem Apostolicæ Sedis habente.

Alia privilegia.

Quod

Quod si Sedes Diœcesani Episcopi forte vacaverit, interim omnia Ecclesiastica Sacramenta a vicinis Episcopis accipere libere, & absque contradictione possitis, sic tamen ut ex hoc imposterum proprio Episcopo nullum præjudicium generetur.

§. V. Quia vero interdum Diœcesani Episcopi copiam non habetis, si quem Episcopum Romanæ Sedis, ut diximus, gratiam & communionem habentem, & de quo plenam notitiam habeatis, per vos transire contigerit, ab eo benedictiones Monialium, vasorum & vestium, ac consecrationes altarium, auctoritate Sedis Apostolicæ, recipere valeatis. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis, clausis janüis, excommunicatis & interdictis exclusis, non pulsatis campanis, divina officia celebrare, dummodo causam non dederitis interdicto. Obeunte vero te nunc ejusdem loci Abbatissa, vel earum aliqua quæ tibi successerit, nulla ibi, qualibet subreptionis astutia seu violentia, præponatur, nisi quam Sorores communi consensu vel earum major pars consilii sanioris, secundum Deum, & beati Benedicti regulam providerint eligendam.

§. VI. Paci quoque & tranquillitati vestræ paterna imposterum sollicitudine providere volentes, auctoritate Apostolica prohibemus, ut infra clausuras locorum vestrorum, nullus rapinam, seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temere capere, vel interficere, seu violentiam audeat exercere. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatum Monasterium temere perturbare, aut eis possessiones auferre, vel ablatas retinere vel minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur earum, pro quarum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva Sedis Apostolicæ auctoritate; si qua igitur in futurum Ecclesiastica, secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se Divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore & sanguine Domini nostri Jesu Christi Redemptoris aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem prœmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

Ego Clemens Catholicæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

Et ego Gocius tit. S. Priscæ Presbyter Cardinalis subscripsi.
Et ego Bertrandus tit. S. Martini Presbyter Cardinalis subscripsi.
Et ego Bernardus tit. S. Cyriaci in Thermis Presbyter Cardinalis subscripsi.
Et ego Guido tit. S. Cæciliæ Presbyter Cardinalis subscripsi.
Ego Ademarus tit. S. Anastasiæ Presbyter Cardinalis subscripsi.
Ego P. tit. S. Susannæ Presbyter Cardinalis.
Ego Bernardus Ostien. Episcopus subscripsi.
Ego Gaucelinus Albanensis Episcopus subscripsi.
Ego Joannes Portuen. Et S. Rufinæ Episcopus subscripsi.
Ego Petrus Sabinensis Episcopus.
Ego Gallardus S. Luciæ in Silice Diaconus Cardinalis subscripsi.
Ego Joannes S. Angeli Diacon. Cardinalis.
Ego H. S. Eustachii Diacon. Cardinalis.

Ego Guillelmus S. Mariæ in Cosmedin. Diacon. Cardinalis.
Ego Nicolaus S. Mariæ in Via lata Diacon. Cardinalis.

Datum Avenione per manum Petri Episcopi Penestrin. sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarii II. Nonas Aprilis Indictione XI. Incarnationis Dominicæ anno MCCCXLIII. Pontificatus vero Domini Clementis Papæ VI. anno I.

XLI.

Ut possit ingredi Monasterium Xativæ. Ibid. epist. 1713.

Dilectæ in Christo filiæ nobili mulieri Margaritæ Comitissæ Terræ-novæ.

Devotionis tuæ sinceritas promeretur, ut quæ a nobis suppliciter postulas, affectu tibi benevolo concedamus. Hinc est quod nos tuis supplicationibus inclinati, ut cum sex honestis matronis Monasterium Monialium inclusarum Ordinis sanctæ Claræ de Xativa Valentin. Diœcesis, per dilectum filium nobilem virum Nicolaum de Jamvilla Comitem Terrænovæ Virum tuum, & per te, ac quondam Saurinam genitricem tuam, de bonis vestris olim fundatum, dotatum pariter, & constructum, ex causa devotionis, visitationis, & consolationis, quibuscumque ipsorum Monasterii & Ordinis statutis & consuetudinibus, ac quibuslibet constitutionibus contrariis nequaquam obstantibus, quotiescumque ad illud ex causa præmissa te declinare continget, libere ingredi, & comedere, nec non & cum duabus honestis secularibus mulieribus ibidem licite pernoctare possis, dummodo Abbatissæ ipsius Monasterii ad id accedat assensus, devotioni tuæ, tenore præsentium, indulgemus. Nulli ergo &c. nostræ concessionis &c.

Datum Avenione XIV. Kalend. Maii anno I.

XLII.

Ut transferant suum Monasterium. Ex tomo 6. anno 2. epist. 659.

Dilectis filiis Guardiano & Fratribus Ordinis Minorum de sancto Æmiliano Burdegallen. Diœces.

§. I. Devotionis vestræ sinceritas promeretur, ut votis vestris, iis præsertim quæ ad animarum vestrarum salutem & divini cultus augmentum cedere valeant, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus.

Monasteriũ propter bella dirutum.

§. II. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, quod dudum propter guerram, quæ inter carissimos in Christo filios nostros Franciæ, & Angliæ Reges illustres in partibus illis fuit, locus & Ecclesia vestri, qui erant extra muros Villæ de sancto Æmiliano Burdegallen. diœc. siti, claustro vestro ejusdem loci dumtaxat excepto, ne ab illa parte dicta Villa per hostes expugnari & capi valeret per hostes ejusdem Villæ, dirutum penitus extitit & destructum, in vestrum damnum non modicum & jacturam. Quare fuit nobis pro parte vestra humiliter supplicatum, ut providere vobis super hoc paterna diligentia curaremus.

Licentia impartitur ut transferatur.

§. III. Nos igitur indemnitati vestræ pio compatientes affectu, ut divina per vos inibi officia resumantur, & Deo fideliter serviatur, vestris in hac parte supplicationibus inclinati, ut infra muros prædictos in loco congruo

gruo & decenti,cum tota materia loci & Ecclesiæ prædictorum,vos transferre, ac de novo Ecclesiam & officinas necessarias fundare & construere, absque tamen Parrochialis Ecclesiæ, & cujuslibet alterius alieni juris præjudicio, libere valeatis, fel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri & quacumque alia constitutione contraria non obstante, plenam & liberam vobis,auctoritate præsentium,licentiam elargimur.Nulli ergo &c.nostræ concessionis &c.

Datum Avenione VI. Idus Junii anno II.

XLIII.

Præficitur Ecclesiæ Maranen. Ex tomo 5. epist. 14.

Dilecto filio Bonaventuræ Benevenuti de Fabriano electo Maranen.

§. I. PAstoralis officii debitum &c. *salubriter gubernare*. Nuper siquidem Ecclesia Maranen. ex eo Pastoris regimine destituta, quod nos venerabilem Fratrem nostrum Vincentium Pacten. olim Maranen. Episcopum apud Sedem Apostolicam constitutum, a vinculo, quo tenebatur eidem Maranen. Ecclesiæ, cui tunc præerat, de Fratrum &c. & Apostolicæ potestatis plenitudine absolventes, ipsum ad Pacten. Ecclesiam tunc vacantem duximus transferendum, præficiendo eum ipsi Pacten. Ecclesiæ in Episcopum & Pastorem. *Vid. const. 101. Joannis XXII. tom. 6. fol. 576.*

§. II. Nos volentes eidem Maranen. Ecclesiæ, ne dispendia longæ vacationis incurreret, paterna sollicitudine præcavere, cum nullus præter nos hac vice de ipsius Ecclesiæ Maranen. ordinatione se intromittere potuerit, pro eo quod nos diu ante vacationem hujusmodi ipsius Ecclesiæ Maranen. provisiones omnium Ecclesiarum Cathedralium, tunc apud Sedem Apostolicam quoquomodo vacantium, & in antea vacaturarum,dispositioni &c. reservandas. Decernendo ex tunc irritum &c. contingeret attentari, post deliberationem, quam de præficiendo eidem Maranen. Ecclesiæ personam utilem &c. habuimus cum nostris Fratribus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Minorum professorem, & in Sacerdotio &c. cui de religionis zelo, litterarum scientia, honestate morum ac vitæ, aliisque virtutum meritis, apud nos laudabilia testimonia perhibentur, direximus oculos nostræ mentis. Quibus omnibus &c. pensatis, de persona tua ipsi Maranen. Ecclesiæ, de prædictorum &c. auctoritate &c. providemus, teque illi præficimus in Episcopum & Pastorem &c. *uberius consequi merearis*.

Datum Avenione V. Idus Junii anno II.

XLIV.

Præficitur Ecclesiæ Sagonen. Ibid. epist. 11.

Dilecto filio Bernardo de Monteto electo Sagonen.

MIlitanti Ecclesiæ disponente Domino &c. *Pastores*. Dudum siquidem Ecclesia Sagonen. per obitum bon. mem. Pagani Episcopi Sagonen. qui in partibus illis diem &c. Pastoris solatio destituta: nos vacatione hujusmodi &c. intellecta, ad provisionem ipsius Ecclesiæ Sagonen. ne prolixæ vacationis remaneret exposita detrimentis, sollicitis studiis intendentes, post deliberationem quam super hoc habuimus diligentem cum nostris Fratribus; demum ad te Ordinis Minorum professorem, in sacerdotio &c. cui de religionis zelo, litterarum &c. aliisque multiplicium virtutum meritis, *Vid. constitut. 5. Clem. V. tom. 6. fol. 451.*

apud nos &c. perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis. Quibus omnibus &c. penſatis, de perſona tua, ipſi Eccleſiæ Sagonen. de prædictorum &c. auctoritate &c. providemus, teque ipſi &c. in Epiſcopum & Paſtorem curam &c. tam in ſpiritualibus &c. plenarie committendo &c. *uberius conſequi merearis*.

Datum Avenione v. Idus Junii anno II.

XLV.

Præficitur Eccleſiæ Potentinæ. Ibid. epiſt. 8.

Dilecto filio Guillelmo de Turre de Adria electo Potentin.

Vid. Conſtit. 15. Clem. V. tom. 6. fol. 464.

Regimini univerſalis Eccleſiæ &c. *prodeſſe*. Dudum ſiquidem fel. record. Joannes XXII. prædeceſſor noſter, videlicet XVI. Kalend. Februarii Pontificatus ſui anno X. proviſiones omnium Eccleſiarum Cathedralium in Regno Siciliæ conſiſtentium, tunc vacantium &c. diſpoſitioni &c. reſervavit, decernens ex tunc irritum &c. contingeret attentari. Poſtmodum vero præfato prædeceſſore ſublato de medio, & piæ memoriæ Benedicto Papa XII. prædeceſſore noſtro, & ejuſdem Joannis immediate ſucceſſore ad apicem &c. aſſumpto, Eccleſia Potentin. in Regno conſiſtente prædicto, per obitum bon. memor. Guillelmi Epiſcopi Potentin. qui, dicto Benedicto in humanis agente, in partibus illis diem &c. Paſtoris ſolatio deſtituta, dilecti filii Capitulum ipſius Eccleſiæ reſervationis &c. forſan ignari, dilectum filium Petrum de Madio Archidiaconum ejuſdem Eccleſiæ in Potentin. Epiſcopum, quamvis de facto elegiſſe dicuntur, qui reſervationis & decreti prædictorum, ut fertur, inſcius, ad ipſorum Capituli inſtantiam, hujuſmodi electioni præſtans aſſenſum, electionem ipſam a bon. mem. Petro Archiepiſcopo Acheruntino. Metropolitan. loci, petiit auctoritate metropolitica confirmari. Subſequenter autem dicto Benedicto, ſicut Domino placuit, rebus humanis exempto, & nobis, gratia divina favente, aſſumptis ad apicem dignitatis Apoſtolicæ, ac hujuſmodi electionis negotio ad noſtram deducto notitiam: nos electionem ipſam et quidquid ex ea ſecutum eſt, reputantes, prout erant, irrita et inania, ac ad proviſionem ipſius Eccleſiæ celerem et felicem, cum nullus de proviſione ipſius Eccleſiæ, de qua ſic vacante idem Benedictus, dum vixit, minime ordinavit, præter nos ſe hac vice intromittere poſſet, reſervatione et decreto obſiſtentibus ſupradictis, paternis &c. intendentes, poſt deliberationem, quam ad præficiendum eidem Eccleſiæ Potentin. perſonam utilem &c. cum Fratribus &c. diligentem: demum ad te Ordinis Minorum profeſſorem, in ſacerdotio &c. cui de religionis zelo &c. prudentia ſpiritualium, et temporalium providentia, et aliis multiplicium &c. apud nos fide digna &c. convertimus oculos noſtræ mentis. Quibus omnibus debita &c. penſatis, de perſona tua ipſi Potentin. Eccleſiæ, de Fratrum &c. auctoritate &c. providemus, teque illi &c. in Epiſcopum et Paſtorem, curam &c. tam in ſpiritualibus &c. plenarie committendo &c. *uberius conſequi merearis*.

Datum Avenione XVI. Kalend. Julii anno II.

In eumdem modum Joanni electo Acheruntino et Capitulo ac Clero Civitatis et Diœceſis Potentin. Et cariſſimæ in Chriſto filiæ Joannæ Reginæ Siciliæ illuſtri.

XLVI.

XLVI.

Ut conferat possessionem Episcopatus Lauden. fratri Lucæ de Castello. Ex libr. secretorum epist. 131.

Dilecto filio Guillelmo tituli sanctorum Quatuor Coronatorum presbytero Cardinali Apostolicæ Sedis Legato.

§. I. EXposuit nobis dilectus filius Lucas electus Lauden. quod licet ipse, quem dudum Ecclesiæ Lauden. tunc vacanti per obitum bon. memor. Leonis Episcopi Lauden. de Fratrum nostrorum consilio præfecimus in Episcopum et Pastorem, litteras Apostolicas inde confectas, ac procuratores suos ad eamdem Lauden. Ecclesiam destinavit, et per venerabilem Fratrem nostrum Joannem Archiepiscopum Mediolan. loci Metropolitanum prædicti procuratores fuerint nomine ipsius electi admissi; tamen dilecti filii Capitulum ejusdem Ecclesiæ asserentes se, antequam nos providissemus de persona dicti electi præfatæ Lauden. Ecclesiæ, dilectum filium Guillelmum Præpositum domus de Vicobaldono, Ordinis Humiliatorum Mediolan. Dioec. in suum et ejusdem Ecclesiæ Episcopum elegisse, ac electionem hujusmodi per te, auctoritate officii Legationis tibi commissæ, confirmatam fuisse, quodque idem Præpositus, prætextu electionis et confirmationis ipsorum, possessionem Episcopatus Lauden. erat adeptus, litteras provisionis nostræ prædictæ, ac procuratores dicti Lucæ electi admittere recusarunt. Quare idem electus nobis humiliter supplicavit, ut providere sibi & Ecclesiæ Lauden. prædictæ de opportuno remedio, paterna diligentia, curaremus.

§. II. Nos igitur attendentes, quod nullus præter nos de provisione Lauden. Ecclesiæ supradictæ se potuit intromittere illa vice, pro eo quod dudum fel. record. Benedictus Papa XII. prædecessor noster, videlicet quarto Nonas Januarii anno Pontificatus sui tertio, certis motus considerationibus, omnes Ecclesias Cathedrales Provinciæ Mediolanen. tunc vacantes vel vacaturas in antea &c. reservans, decrevit ex tunc irritum et inane si secus &c. contingeret super his attentari. Nosque postmodum eodem prædecessore, sicut Domino placuit, rebus humanis exempto, ad apicem &c. assumpti, omnes Cathedrales Ecclesias, ceteraque beneficia Ecclesiastica, tunc vacantia: et in antea vacatura, ubicumque consistentia, quæ per eumdem prædecessorem generaliter vel specialiter fuerunt suæ dispositioni et provisioni reservata, de quibus ipse non providerat, dum viveret, provisioni et dispositioni nostræ, cum similis interpositione decreti, scilicet Nonis Ma ii ante benedictionis et coronationis nostræ solemnia, duximus, auctoritate Apostolica reservanda. Discretioni tuæ per &c. mandamus, quatenus non obstantibus electione hujusmodi de dicto Præposito, post dictas reservationes de facto præsumpta, et iis quæ secuta sunt per eamdem, quæ quidem nullius momenti existunt, reservationibus et decretis obsistentibus supradictis, eumdem Lucam electum, vel ejus procuratores et ministros, ipsius nomine, ad præfatam Lauden. Ecclesiam, infra dictam Mediolanen. Provinciam consistentem, ejusque administrationem plenam et liberam, a dictis Capitulo et aliis quorum interest, amoto exinde dicto Præposito, recipi, ut moris est, facias et admitti, eisque de redditibus et proventibus ipsius Ecclesiæ integraliter responderi. Contradictores quoslibet et rebelles per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo.

Datum Avenione VIII. Idus Julii anno II.

Eodem modo ad Archiepiscopum Mediolanen.

XLVII.

XLVII.

Ut non velentur velo nigro Moniales laicæ. Ex tomo 2. epiſt. 102.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. Perſonas ſub regulari obſervantia Domino famulantes, paternæ complectentes in Domino caritate, ac dilectione præcipua diligentes, petitionibus earum in iis præſertim, quæ pacem & tranquilitatem earumdem reſpiciunt, libenter annuimus, & quæ credebantur propter hæc pro quiete ipſarum inſtituta, quæve docente facti experientia in contrarium redundare noſcuntur, Apoſtolicæ proviſionis remedio ſummovemus.

Sollicitudo Pontificia erga regulares perſonas.

§. II. Sane oblata nobis pro parte dilectarum filiarum Abbatiſſæ & Conventus Monaſterii Sancti Corporis Chriſti Neapolitan. Ordinis ſanctæ Claræ petitio continebat, quod olim ad ſupplicationem cariſſimæ in Chriſto filiæ noſtræ Sanciæ Reginæ Siciliæ illuſtris, credentis id ad bonum cedere, fuit auctoritate Apoſtolica ordinatum, ut Moniales laicæ dicti Monaſterii velarentur velo nigro, & benedicerentur, ſicut Moniales dicti Monaſterii litteratæ. Cum autem, ſicut ejuſdem petitio ſubjungebat, ex præmiſſis interdum turbatio & ſcandalum oriantur, ex eo quod ipſæ laicæ ſic velatæ ac benedictæ, credentes propter hoc litteratis Monialibus eſſe pares, debita & conſueta ſervitia facere in Monaſterio prædicto contemnant: Nobis pro parte dictarum Abbatiſſæ & Conventus extitit humiliter ſupplicatum, ut providere tranquilitati & paci earum in hac parte, de opportuno remedio dignaremur.

In Monaſt. exoriuntur turbationes.

§. III. Nos igitur cupientes hujuſmodi ſcandalis & turbationibus obviare, ipſius Reginæ etiam ſuper hoc humiliter ſupplicantis, ac dictarum Abbatiſſæ & Conventus ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium ſtatuimus, ut Moniales laicæ, ſeu converſæ dicti Monaſterii de cetero non velentur velo nigro, nec benedictionis munus impendatur eiſdem, prædicta ordinatione ac conſtitutionibus, ſeu privilegiis Apoſtolicis, nec non ſtatutis & conſuetutinibus Monaſterii & Ordinis prædictorum contrariis non obſtantibus quibuſcumque. Nulli ergo, &c. noſtræ conſtitutionis, &c.

Ne converſæ velo nigro utantur, neve benedict. accipiant.

Datum apud Villam novam Avenion. Diœceſ. VII. Kalend. Auguſti anno II.

XLVIII.

Ut abſolvi poſſint a caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis. Ex tomo 6. epiſt. 97.

Dilectis in Chriſto Filiabus Abbatiſſæ & Conventui Monaſterii ſanctæ Mariæ Magdalenæ Neapolitan. Ordinis ſancti Auguſtini.

§. I. Religionis veſtræ meretur honeſtas, ut illa vos gratia favorabiliter proſequamur, per quam perſonis veſtri Monaſterii evagationis auferatur materia, & ipſarum animarum profectibus ſalubriter conſulatur.

§. II. Hinc eſt, quod nos cariſſimæ in Chriſto filiæ noſtræ Sanciæ Reginæ Siciliæ illuſtris, veſtriſque ſupplicationibus inclinati, ut Guardianus veſtri Monaſterii in Sacerdotio conſtitutus, qui nunc eſt, & erit pro tempore, vos, & veſtrum ſingulas, quotiens fuerit opportunum, veſtris, & veſtrarum ſingularum confeſſionibus diligenter auditis, pro commiſſis etiam in caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, ſi qui, quod abſit, incurrerint, abſolvere valeat, injuncta vobis pœnitentia ſalutari, & aliis, quæ de jure fuerint in-

injungenda, super quibus ipsius Guardiani conscientiam oneramus, vobis auctoritate Apostolica, tenore præsentium indulgemus. Nulli ergo, &c. nostræ concessionis, &c.

Datum Apud Villam novam Avenion. Diœc. VII. Kal. Aug. anno II.

XLIX.

Similiter his indultum. Ibid. epist. 98.

Dilectis in Christo filiabus Abbatissæ & Conventui Monasterii Sancti Corporis Christi Neapolitan. Ordinis sanctæ Claræ.

Religionis vestræ promeretur honestas, &c. *ut supra*. Nulli ergo, &c. Datum ut supra.

L.

Atque istis itidem concessum. Ibid. epist. 99.

Dilectis in Christo filiabus Abbatissæ & Conventui Monasterii sanctæ Crucis Neapolitan. Ordinis sanctæ Claræ.

Religionis vestræ promeretur integritas, ut illa vos, &c. ut supra. Datum ut supra.

LI.

Ut caritative subveniant structuræ Monasterii sanctæ Claræ Colonien. Ex tomo 3. epist. 1098:

Universis Christi fidelibus, &c.

Ecclesiarum & Monasteriorum fabricis manum porrigere, pium apud Deum, & meritorium reputantes, frequenter Christifideles ad impendendum Ecclesiis ipsis hujusmodi auxilium, nostris monemus litteris & hortamur, & ut ad id eo fortius animentur, quo magis ex hoc animarum commodum speraverint adipisci, nonnumquam pro iis temporalibus suffragiis spiritualia eis munera, videlicet remissiones, & indulgentias elargimur. Cum itaque ex parte dilectarum in Christo filiarum Isabellæ Abbatissæ, & Philippæ de Gelria Monialis, ac Conventus Monasterii sanctæ Claræ Colonien. Ordinis ejusdem sanctæ, seu sancti Damiani, nobis fuerit insinuando monstratum, quod cum ipsa Abbatissa & Philippa præfatum Monasterium, jam sunt septem anni vel circa, de redditibus eis per dilectum filium nobilem Virum Raynaldum Comitem Gelriæ earumdem Abbatissæ & Philippæ Germanum ad vitam concessis, construi facere inceperint, & continue construi faciant, cumEcclesia & aliis officinis, ipsæque hoc anno propter subitam inundationem aquarum, damnificatæ fuerint in dictis redditibus ad valorem quatuor millium Florenorum auri, & ob hoc opus hujusmodi, prout asserunt, continuare non possint, propter quod, pro feliciori ac faciliori consummatione dicti operis fidelium caritativa subsidia sint eis quamplurimum opportuna. Nos cupientes, &c.

Datum apud Villam novam Avenion. Diœc. 13. Kal. Octobr. anno II.

LII.

LII.

Ut possint recipere ancillas in obsequium Monasterii. Ex tomo 3. epist. 1089

Dilectis in Christo filiabus Abbatissæ & Conventui Monasterii sanctæ Crucis prope Neapolim Ordinis sanctæ Claræ.

SAcræ Religionis, in qua mundanis abdicatis illecebris, virtutum Domino in humilitatis spiritu devotum & sedulum famulatum impenditis, promeretur honestas, ut super illis, quæ vobis commoditatis incrementum afferre valeant, gratiosum Apostolici favoris præsidium libenter præbeamus. Hinc est, quod nos vestris & carissimæ in Chisto filiæ Sanciæ Reginæ Siciliæ illustris nobis supplicantis humiliter, in hac parte supplicationibus inclinati, ut vos nunc & imposterum quotiens opus fuerit, in dicto Monasterio, quod præfata Regina construxit, pro tranquilitate vestra sex probas mulieres in servitiales dicti Monasterii juxta regulam vestram, valeatis recipere, & tenere, fœl. record. Benedicti Papæ XII. &c. *Præsentium indulgemus*. Nulli ergo, &c. nostræ concessionis, &c.

Datum apud Villam novam Aven. Diœcef. XII. Kal. Octob. anno II.

LIII.

Ut fundare possit Monasterium Clarissarum Arestani. Ibid. epist. 1217.

Dilecto filio nobili Viro Petro Judici Arboreæ in Sardinia Arboren. Diœc.

§. I. IN iis quæ animarum salutem respiciunt, libenter Apostolici favoris auxilium impertimur. Sane petitio tua nobis exhibita continebat, quod tu ad laudem Dei, ac pro tuæ ac progenitorum tuorum animarum salute, quoddam Monasterium Monialium Ordinis sanctæ Claræ in quodam loco & Civitate Arestani vulgariter nuncupato, Arboren. Diœcef. de novo fundare ac dotare disponis, quodque nonnulla bona male ablata incerta, ad quorum restitutionem teneris, convertere desideras tam in sumptibus pro fundatione, quam in dotatione hujusmodi faciendis: quare nobis humiliter supplicasti, ut tibi pro satisfactione restitutionis dictorum bonorum, convertendi bona hujusmodi in præmissis licentiam concedere dignaremur.

§. II. Nos itaque tuum in hac parte propositum in Domino commendantes, tibi ut satisfacto prius plenarie de bonis prædictis illi, vel illis, cui, vel quibus hujusmodi bona debentur, si eos, vel eum scire vel invenire poteris, reliqua si quæ sint; si vero nullum de prædictis poteris invenire, omnia bona præmissa in fundationem, & dotationem prædictas convertere valeas, tenore præsentium, auctoritate Apostolica, concedimus de gratia speciali. Nulli ergo, &c. nostræ concessionis, &c.

Datum apud Villam novam Aven. Diœcef. X. Kalend. Octobris anno II.

LIV.

Confirmat bullam quamdam Joannis XXII. Ex tomo 3. epist. 1284:

Ad perpetuam rei memoriam.

TEnorem quarumdam litterarum fœl. record. Joannis Papæ XXII. Prædecessoris nostri in Regiftro ipsius Prædecessoris repertum, ad dilectarum in Christo filiarum Abbatissæ & Conventus Monasterii sanctæ Claræ

Claræ Caturcen. Ordinis ejusdem Sanctæ de registro ipso de verbo ad verbum transcribi & præsentibus annotari fecimus, qui talis est: *Joannes Episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis Generali & Provincialibus Ministris Ordinis Fratrum Minorum, salutem & Apostolicam benedictionem. Tenorem quarumdam litterarum fel. record. Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris nostri in ejus registro repertum; &c. ut in Bulla 27. regesti Joannis XXII. usque ad* Kalend. Octobr. Pontificatus nostri anno II. Ceterum ut earumdem litterarum dicti Joannis Prædecessoris tenor prædictus, sic insertus omnimodam rei seu facti certitudinem faciat, Apostolica auctoritate decernimus, ut illud idem robur, eamque vim, eumdemque vigorem dictus tenor per omnia habeat, quem haberent originales litteræ supradictæ, & eadem prorsus eidem tenori fides adhibeatur, quandocumque & ubicumque sive in judicio vel alibi ubi fuerit exhibitus vel ostensus, & eidem stetur firmiter in omnibus, sicut eisdem originalibus litteris staretur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Per hoc autem nullum jus alicui, seu aliquibus de novo acquiri volumus, sed antiquum tantummodo conservari. Nulli ergo, &c. voluntatis infringere, &c. *Vide in regesto. tom. 6. fol. 502.*

Datum Avenione XII. Kalend. Novembris anno II.

LV.

Ut possit ingredi Ordinem sanctæ Claræ, & infrà annum profiteri. Ibid. epist. 1200.

Carissimæ in Christo Filiæ Sanciæ Reginæ Siciliæ Illustri:

§. I. PRæcelsa tuæ magnitudinis merita diversarum virtutum radiis præbentia claritatem, nos inducunt ut te veluti Apostolicæ Sedis filiam prædilectam, in iis quæ devote postulas, favorabiliter prosequamur.

§. II. Cum itaque, sicut oblata nobis pro parte tua petitio continebat, tu in aliquem de Monasteriis MonialiumOrdinis sanctæ Claræ per te fundatis proponas ingredi, & regularem habitum assumere in eodem, ac te in illo divinis obsequiis perpetuo mancipare, & etiam infra annum post tuum ingressum hujusmodi, etiam dictum Ordinem, & ejusdem Ordinis regulam profiteri, nobis humiliter supplicasti, ut tibi super his Apostolicum dignaremur impertiri assensum.

§. III. Nos itaque tuis piis desideriis volentes annuere favorabiliter in hac parte, tuis supplicationibus inclinati, tibi ut etiam in Monasterio dicti Ordinis quod ingressa fueris, possis etiam infra annum post ingressum hujusmodi, dictum Ordinem & ejus regulam profiteri expresse, quibuscumque constitutionibus Apostolis, & statutis, & consuetudinibus Monasterii & Ordinis prædictorum contrariis, juramento, confirmatione Apostolicæ Sedis vel quacumque firmitate alia roboratis, nequaquam obstantibus, devotioni tuæ, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, indulgemus. Nulli ergo, &c. nostræ concessionis, &c.

Datum Avenione XVIII. Kal. Decembris anno II.

LVI.

Ut ingredi possit Monasterium Clarissarum Penitbeghien. Ibid epist. 1770.

Dilectæ in Christo filiæ nobili mulieri Mariæ Comitissæ Namurcen.

DEvotionis tuæ sinceritas promeretur, ut quæ a nobis suppliciter postulas, affectu tibi benevolo concedamus. Hinc est quod nos tuis devotis supplicationibus inclinati, ut cum octo mulieribus honestis Monasterium

Monialium inclusarum de Penitheghien. Ordinis sanctæ Claræ Tornac. Dioec. sub districtu & dominio dilecti filii nobilis Viri Guillelmi Comitis Namurcen. nati tui, ab ipsius progenitoribus, ut asseritur, fundatum, ac etiam constructum, ad quod habes specialis devotionis affectum, quibuscumque ipsorum Monasterii & Ordinis statutis & consuetudinibus, ac quibuslibet constitutionibus contrariis nequaquam obstantibus, causa devotionis visitandi dilectam in Christo filiam Margaritam Monialem dicti Monasterii natam tuam, totiens quotiens expedierit, libere ingredi valeas, dummodo ejus, quæ dicto Monasterio præest, vel pro tempore præfuerit, ad id accedat assensus, & tu dictæque personæ ibidem non comedatis, vel etiam pernoctetis, tenore tibi præsentium indulgemus. Nulli ergo, &c. nostræ concessionis, &c.

Datum Avenione xv. Kal. Decembris anno II.

LVII.

Confirmatur quoddam privilegium circa bonorum dispositionem ei a Regina Joanna concessum. Ex libro 3. ann.2. epist.1189.

Carissimæ in Christo filiæ Sanciæ Reginæ Siciliæ Illustri.

Reginæ celebrantur virtutes.

§.I. PErsonam tuam verbo & exemplo bonorum operum relucentem, quæ sic se supernæ constituit beatitudinis amatricem, quod illa quærere studio piæ vitæ non desinit, & quærendi præbet aliis materiam per exemplum, quæ ad divini cultus & religionis augmentum cedere dignoscuntur, paternæ caritatis benevolentiam præcipue diligentes, eo pleniori affectu tua pia vota prosequimur, quo te circa Dei beneplacita studiosius intendente, amabiles per continuatæ tuæ laudabilis operationis ministerium fructus in agro religionis Christianæ succrescunt.

Ejus petitionis tenor.

§.II. Oblata siquidem nobis tua petitio continebat, quod deliberatione in mente tua præhabita, disposuisti aliquam religionem alicujus regulæ approbatæ intrare, & quia aliqua Monasteria ædificari fecisti, quæ nondum secundum tuam voluntatem plene dotata existunt, ac quædam pia & laudabilia facere disposuisti, multaque legata, & fidei commissa, præcipue ad pias causas in tuo testamento ordinasti, & ordinare disponis, quæ non sunt adimpleta, & executioni mandata, & ut prædicta possis habilius adimplere, obtinuisti gratiose a carissima in Christo filia nostra Joanna Regina Siciliæ illustri, quod te religionem intrante, executores tui testamenti deputati seu deputandi, ante professionem religionis prædictæ, possint & valeant, etiam post professionem a te in religione, quam ingressa fueris, emittendam, tenere omnes terras, provisiones & jura, quæ tu nunc habes, & esses habitura, & tu nunc tenes, & imposterum tenere posses, si ad religionem minime convolares, fructusque, redditus, & proventus provenientes ex eis in vita tua percipere, & perceptos expendere in executionem tui testamenti, dotatione ipsorum Monasteriorum, & aliis laudabilibus seu piis operibus, prout ipsa disposuisti, & ante professionem præfatam duxeris disponendum, sicut in patentibus litteris inde confectis, ejusdem Joannæ Reginæ Siciliæ sigillo munitis, quarum tenorem de verbo ad verbum præsentibus inseri fecimus, plenius continetur. Quare nobis humiliter supplicasti, ut præmissis Apostolicæ firmitatis robur adjicere, præfatamque concessionem & privilegium, ex certa scientia confirmare, de benignitate Apostolica dignaremur.

Privilegium a Regina Joanna obtentum.

Cujus petitur confirmatio.

§.III. Nos itaque tuis supplicationibus inclinati, præmissam concessionem

nem ab eadem Joanna Regina, ut præfertur, tibi factam, non obstante si religioni, seu conditioni, quam te intrare contigerit, in aliquo forsitan refragaretur, auctoritate Apostolica, ex certa scientia confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnem solemnitatem, & omnia alia necessaria, si qua forsitan defuissent, & quomodocumque deessent in præmissa concessione, de Apostolicæ plenitudine potestatis. Tenor autem dictarum litterarum tibi concessarum ab ipsa Joanna Regina talis est. Et obtinetur;

§. IV. *Joanna Dei gratia Regina Hierusalem & Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ, Provinciæ & Folcarquerii, ac Pedemontis Comitissa, universis præsens privilegium inspecturis, tam præsentibus quam futuris. Officium filialis reverentiæ admonet, & caritatis affectus signanter inducit, ut inclitæ Dominæ, Dominæ Sanciæ Hierusalem & Siciliæ Reginæ, reverendæ Dominæ Matris nostræ, potestatis nostræ præsidium commoda studiose promoveat, ejusque votis, honestisque supplicationibus, pronius & suavius inclinetur. Hujus itaque considerationis intuitu, & affectionem internam, placidamque benevolentiam, quam eadem Regina Mater nostra erga nos gessit, a tempore quo nos in lucem natura produxerat, circa educationem nostram curam gerendo sollicitam, & plures labores domesticæ subeundo, in considerationis examine deducentes, & hujusmodi beneficia placida, debita gratitudine recensentes, ad ipsius Dominæ Reginæ matris nostræ devotæ supplicationis instantiam noviter nobis factæ, ejus in hac parte votis, quæ præcipue causam piam, honestamque respiciunt, promptis affectibus annuentes, eidem Reginæ matri nostræ, ac executoribus, & distributoribus sui ultimi testamenti, seu ultimæ voluntatis, seu quibuscumque aliis ad hæc per ipsam jam deputatis & quocumque tempore deputandis, prout jam ordinavit, & providit, seu ordinabit & providebit inantea, hujus privilegii serie de nostra certa scientia, motu libero gratiæ specialis, & plenitudine Dominicæ potestatis, benigne concedimus, & plenius indulgemus, quod dicti executores & distributores ejusdem sui ultimi testamenti, seu ultimæ voluntatis, ac quivis alii deputati jam, & in antea, ut prædicitur, deputandi per eam, prout jam, sicut prædicitur, providit, elegit, & ordinavit, seu de cetero providendum, ordinandum, eligendumve duxerit, postquam scilicet religionem quamcumque ingredietur, seu religionis habitum assumpserit cujuscumque, possint & valeant libere, & sine quovis contradictionis obstaculo, omnium civitatum, Terrarum, Castrorum, Casalium, ac quorumvis aliorum bonorum feudalium, cum feudatariis hominibus, Vassallis, Juribus, Jurisdictionibus & pertinentiis eorum omnibus, ac provisionum animarum, & aliorum jurium quorumcumque, quas & quæ habet & obtinet ipsa Regina a nostra Curia, seu alio modo quocumque in dicto Regno nostro Siciliæ, quavis ratione seu causa, & erit imposterum quomodolibet habitura, quamdiu scilicet in habitu viduali permanserit, & ad religionem forsitan non volaret, per se, vel alios, nostra ulteriori non requisita seu obtenta licentia, adipisci possessionem, auctoritate propria, corporalem, illamque, & quodlibet eorumdem tenere, & possidere, & ex Civitatibus, Terris, Castris, Casalibus, bonis, provisionibus, & juribus ipsis, dictæ Dominæ Reginæ matris nostræ vita durante, percipere fructus, redditus, & proventus, omnemque pecuniam exigere, & habere, ac convertere in executionem dicti sui ultimi testamenti, seu ultimæ voluntatis, dotatione Monasteriorum, & aliis laudabilibus, seu piis operibus & caussis aliis, prout præfata Regina mater nostra jam disposuit, providit, mandavit, & ordinavit, & deinceps jusserit, ordinaverit, disposuerit, & providerit quandocumque in termino, vel in ultima voluntate; sic equidem quod ipsi distributores, seu deputati, & deputandi per præfatam Reginam, post ejus re-* Litteræ quæ confirmantur.

religionis ingreſſum, illam juriſdictionem ac facultatem, ac merum & mixtum imperium habeant in Civitatibus, Caſtris, Terris, Caſalibus, & bonis eiſdem, quas nunc ex conceſſione avita Regia & noſtra, ipſa Regina dignoſcitur obtinere, ac in præmiſſis, & circa præmiſſa & ea facienda quilibet eorum in ſolidum plenam habeat poteſtatem, volentes & de noſtra certa ſcientia, & Dominica poteſtate decernentes & declarantes expreſſe, quod præſens noſtra conceſſio, & indulti gratia valeant & procedant in eo caſu, ac omni jure, & modo, quibus melius & efficacius, & plenius procedere, & valere poſſunt; ita quod ex emergentis caſus eventu, præmiſſa ſeu præmiſſorum aliquod, nulli cavillationi ſeu hæſitationi ſubjaceant, ſed ea, & quodlibet eorumdem, ſic valida, firmaque permaneant ſucceſſivis temporibus, quod omnem impugnationem cujuſvis contingentis dubitationis evitent, & per conſequens, juxta prædictorum ſanum ſenſum & rationabilem intellectum, ipſa noſtra conceſſio efficax & incommutabilis remaneat & realis, nullaque in contrarium juriſdictio, interpretatio, vel ſubtilitas quomodolibet admittatur, per quas, & quod poſſit illi quomodolibet derogari, quodque liceat dictis executoribus & aliis deputandis per præfatam Reginam, ſicut præmittitur, officiales, commiſſarios, & alios ordinare circa præmiſſorum geſtionem, & executionem, conjunctim vel diviſim, eos amovere, & alios illis idoneos ſubrogare, prout, quando, & quotiens, eis videbitur expedire, cum juriſdictione & poteſtate, quas illi duxerint committendas; illorum rationes & computa audire, liquida exigere, & eos de geſtis officiis quietare. Et quia firmæ noſtræ intentionis exiſtit, quod præfata Regina nullum in his recipiat diminutionis incommodum, aut diſpendii detrimentum, omnem donationem & conceſſionem de prædictis Civitatibus, Terris, Caſtris, bonis & juribus, ſeu altero eorumdem, ſi quam de cetero, cujus, & quavis cauſa, forſitan faceremus, quamdiu ſcilicet præmiſſorum executio prætacta duraverit, ex nunc prout ex tunc, de ipſa noſtra certa ſcientia judicamus & declaramus expreſſe proceſſiſſe & procedere per erroris & oblivionis eventum, illaſque vacuamus, & annullamus, ac nullas & irritas decernimus, nulliuſque volumus eſſe efficaciæ, ſeu vigoris, legibus, juribus, & conſtitutionibus quibuſcumque præmiſſis, vel præmiſſorum forte alicui contrariis non obſtantibus in hac parte, quem hoc caſu de ipſa noſtra certa ſcientia tollimus, & viribus & efficacia vacuamus. Privilegiis, litteris, indultis, & conceſſionibus aliis quibuſcumque conceſſis & indultis ipſi Reginæ matri noſtræ, tam per claræ memoriæ Dominum avum noſtrum Hieruſalem & Siciliæ Regem illuſtrem, virum ſuum, quam nos in ſui robore & efficacia duraturis, nec vigore præſentis privilegii aliquam immutationem ſeu diſpendium quomodolibet ſubituris; præmiſſa autem omnia concedenda, indulgenda, declaranda, & demandanda duximus de adminiſtratorum & gubernatorum noſtrorum conſilio pariter & aſſenſu. In cujus rei teſtimonium & cautelam præſens privilegium duplicatum exinde fieri, & pendenti Excellentiæ noſtræ ſigillo juſſimus communiri, Datum Neapoli per manus Arnulphi Cumani de Neapoli Juris civilis profeſſoris, Viceprotbonotarii Regni Siciliæ, anno Domini MCCCXLIII. *die* II. *Septembris*, XII. *Indictionis*, *Regnorum noſtrorum anno* I.

Nulli ergo &c. noſtræ confirmationis & ſuppletionis &c. Datum Avenione XI. Kalen. Decembris anno II.

LVIII.

LVIII.

Ut post professionem solemnem exire possit cum duabus Monialibus. Ibidem epist: 1298.

EIDEM.

PRæcelsa magnitudinis tuæ merita &c. *favorabiliter prosequamur*. Tuis itaque supplicationibus inclinati, tibi postquam ad aliquam religionem transieris, ut proponis, & professa fueris in aliquo Monasterio alicujus regulæ approbatæ, tibi liceat cum duabus Monialibus ejusdem Monasterii, quas assumere volueris pro tempore, ac ipsis duabus Monialibus te dumtaxat sociantibus, clausuram & claustrum ipsius Monasterii in quo intraveris, absque alicujus transgressionis noxa, vel nota, exire, & Monasteria per te ædificata & ordinata, ac alia pia loca visitare, & opera misericordiæ ac alia, laudabilia facere & complere, quotiens, & quando tibi videbitur expedire, felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri, & quacumque alia constitutionibus in contrarium editis nequaquam obstantibus, tibi auctoritate Apostolica, tenore præsentium, liberam concedimus facultatem, tecum & cum dictis duabus super præmissis misericorditer dispensantes. Nulli ergo &c. nostræ concessionis & dispensationis &c.

Datum Avenione xi. Kalend. Decembris anno II.

LIX.

Ut Moniales Aquen. gaudeant indulgentiis & gratiis concessis Fratribus Ordinis Minorum & Sororibus sanctæ Claræ. Ex lib. 3. epist. 1327.

Carissimæ in Christo filiæ Sanciæ Reginæ Siciliæ illustri.

§. I. CLaris tuæ celsitudinis meritis, sic tibi favorem et gratiam Sedis Apostolicæ vendicasti, ut sibi redundent ad gaudium ea, quæ tibi concedit, quæ conguere perpenderit desideriis mentis tuæ.

§. II. Cum itaque, sicut pro parte tua nobis fuit expositum, de licentia Sedis Apostolicæ, Monasterium quoddam Sororum Ordinis sanctæ Claræ sub vocabulo sanctæ Nativitatis Christi in civitate Aquen. pia intentione construi feceris, ad ampliationem Ordinis ejusdem Sanctæ, ut ibi Sororum ejusdem Ordinis copiosus numerus ad obsequendum Altissimo collocandus, de acquisitis et assignatis sibi per te possessionibus et redditibus sustentetur: nos devotis tuis supplicationibus benignius annuentes, ut idem Monasterium, et prædictæ Sorores, quæ nunc sunt, et in posterum inibi fuerint collocatæ, necnon omnes, et singuli ad ipsum Monasterium cum veneratione debita confluentes, omnibus indulgentiis Ordinibus Fratrum Minorum, et Sororum sanctæ Claræ suis vicibus, et diebus, quavis auctoritate concessis, potiantur et gaudeant, auctoritate tibi præsentium indulgemus. Nulli ergo &c. nostræ concessionis &c.

Datum Avenione v. Kalend. Decemb. anno II.

LX.

Similiter concessum pro Sororibus sanctæ Crucis Neapolitan. Ibid. ep. 1328.

EIDEM.

CLaris tuæ celsitudunis meritis sic tibi favorem &c. ut supra. Cum itaque &c. Monasterium quoddam Sororum Ordinis sanctæ Claræ, sub vocabulo sanctæ Crucis in civitate Neapolitana, pia intentione construi feceris,

ris, ad ampliationem Ordinis ejusdem Sanctæ, ibique Sororum ejusdem Ordinis copiosum numerum ad obsequendum Altissimo collocaveris. Nos devotis &c. Nulli ergo &c. Datum ut supra.

Anno Christi 1344. Clementis VI. anno 2. & 3.

LXI.

Ut possit ædificare Monasterium Clarissarum Bruxellis. Ex lib. 6. epist. 334.

Dilecto filio nobili viro Guillelmo de Dunenuorde Domino de Osterhout Leodien. Diœcesis.

§. I. Piis desideriis devotorum gratum nos decet præstare consensum, et ea quæ augmentum religionis cultusque divini respiciunt, ut votivum consequantur effectum, favore prosequi gratioso.

§. II. Sane petitio tua nobis exhibita continebat, quod tu cupiens terrena in cœlestia, et transitoria in æterna, felici commercio, commutare, pro tuæ et progenitorum tuorum animarum salute, in fundo proprio per te acquisito, videlicet infra libertatem Oppidi Bruxellen. in loco dicto Opbruxella, Cameracen. Diœcesis, quoddam Monasterium Sororum Ordinis sanctæ Claræ, cum officinis necessariis, sumptibus propriis construi facere, illudque usque ad valorem sexcentorum florenorum auri vel circa, annui et perpetui reditus sive census, de bonis propriis dotare proponis ad opus Abbatissæ, et Sororum dicti Ordinis in dicto Monasterio ponendarum. Quare nobis humiliter supplicasti, ut tibi faciendi præmissa, et postquam hujusmodi Monasterium fundatum fuerit et dotatum, possint hac prima vice Abbatissa et Sorores dicti Ordinis idoneæ ad nominationem tuam in dicto Monasterio includendæ, secundum dicti Ordinis statuta, collocari, auctoritate Apostolica, licentiam liberam largiremur.

§. III. Nos igitur his piis votis in hac parte favorabiliter annuere intendentes, tibi, dote prædicta per te ante omnia ipsi novo construendo Monasterio assignata pro Abbatissæ et Sororum instituendarum inibi sustentatione, et aliis oneribus supportandis, faciendi præmissa postulata per te, sine parrochialis Ecclesiæ, et cujuslibet alterius juris præjudicio, plenam et liberam, auctoritate Apostolica, tenore præsentium licentiam elargimur. Nulli ergo &c.

Datum Avenione xv. Kalend. Februar. anno II.

LXII.

Ut detur gradus Magisterii fratri Guillelmo Farinerii. Ex libro secretorum epist. 653.

Venerabili fratri Archiepiscopo Tholosano.

§. I. Fide dignorum nobis relatio patefecit, quod dilectus filius Guillelmus Farinerii de Ordine Fratrum Minorum, Aquitaniæ Provinciæ Fratrum eorumdem Provincialis Minister, adeo in facultate Theologica studendo et legendo, gratia sibi assistente divina, profecit, quod ad recipiendum Magisterii honorem in eadem facultate idoneus reputetur.

§. II. Nos igitur domum Domini Viris insignitis virtutibus, et in opere potentibus et sermone, qui resistere valeant ascendentibus ex adverso, ad divini nominis laudem et gloriam, ipsiusque domus decorem, cupientes, Domino dirigente, fulciri, et nolentes quod eidem Guillelmo honor sibi ex suis

suis laboribus hujusmodi debitus differatur ulterius, cum bonorum laborum gloriosus debeat esse fructus, fraternitati tuæ per Apostolica scripta committimus, et mandamus, quatenus per te, vel per personam idoneam a te super hoc deputandam, præfatum Guillelmum sub dilecto filio Jordano Curti, Ordinis prædicti Minorum, ejusdem facultatis Theologicæ Professore, ad statum et honorem supradicti Magisterii, servata solemnitate debita, promovere procures.

Datum Avenione IX. Kalend. Februarii anno II.

LXIII.

Ut fundari possit Monasterium Clarissarum Civitellæ, & gaudere privilegiis Minorum. Ex libro 6. epist. 377.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. Speciosus forma, et plenus gratia fons virtutum, sanctæ sponsus Ecclesiæ Dominus Jesus Christus &c. *introire*. Exhibita siquidem nobis venerabilis Fratris nostri Guillelmi Archiepiscopi Brundusini petitio continebat, quod ipse cupiens terrena in cœlestia &c. commutare, pro suæ ac progenitorum, et successorum, ac benefactorum suorum animarum salute, necnon divini cultus et religionis augmento, in Castro Civitellæ Aprutin. Diœcesis de quo traxit originem, et quod est locus nobilis et insignis, quoddam Monasterium Sororum Ordinis sanctæ Claræ de Diœcesani loci licentia, in fundo proprio acquisito per eum, propriis sumptibus jam construi fecit cum Ecclesia et aliis officinis necessariis, et jam pro magna parte dotavit, et ornamenta Ecclesiastica ad cultum divinum pro illo etiam præparavit, et adhuc dotem ipsam in tantum augmentare intendit, quod viginti quinque Sorores, Abbatissa computata in eis, possint ex illis congrue sustentari. Quare præfatus Archiepiscopus nobis humiliter supplicavit, ut cum nondum aliquæ in dicto Monasterio Sorores collocatæ existant, fundationem, constructionem, et dotationem prædictas ex certa scientia confirmare, auctoritate Apostolica dignaremur, sibique hac prima vice in ipso Monasterio Abbatissam et Sorores dicti Ordinis usque ad numerum prælibatum ponendi, et in eo numerum ipsum servandum ibidem statuendi, et residuum dotis hujusmodi assignandi, auctoritate prædicta licentiam liberam largiremur. *Vid. constit. 91. Joannis XXII. tom. 4. fol. 533.*

§. II. Nos igitur cupientes ut Monasterium ipsum, auctore Domino, continuum suscipiat incrementum, ac propterea volentes pium opus hujusmodi præsidiis et favoribus Apostolicis confovere, hujusmodi supplicationibus inclinati, fundationem, constructionem, et dotationem hujusmodi ratas et gratas habentes, illas, auctoritate Apostolica, sine Parrochialis Ecclesiæ et juris præjudicio alieni, ex certa scientia confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus; et nihilominus eidem Archiepiscopo ponendi hac prima vice in ipso Monasterio Abbatissam et Sorores dicti Ordinis usque ad numerum prælibatum, et in eo numerum ipsum ibidem observandum perpetuo, auctoritate Apostolica statuendi: ac eidem Monasterio residuum dotis hujusmodi assignandi auctoritate prædicta, tenore præsentium, licentiam et auctoritatem concedimus specialem, auctoritate præfata etiam statuentes, ut præfatum Monasterium ac Abbatissa et Sorores ponendæ in eo, postquam ibidem positæ fuerint, et earum posteræ in perpetuum omnibus et singulis privilegiis, indulgentiis, et gratiis eidem Ordini et locis ipsius ut plurimum ab Apostolica Sede concessis, uti perpetuo libere valeant et gaudere. Nulli ergo &c. nostræ confirmationis, concessionis, et constitutionis &c. Datum Avenione IV. Kalend. Februar. anno II.

LXIV.

LXIV.

Ut promoveatur ad gradum Magisterii Rogerius de Palhariis. Ex lib. epist.841.

Dilecto filio Cancellario Ecclesiæ Parisien.

Ut supra constit. 61. hujus Pontif.

HAbet fide dignorum assertio, quod dilectus filius Rogerius de Palhariis Ordinis Fratrum Minorum, in sacræ Theologiæ facultate Baccallarius adeo in facultate ipsa laudabiliter, divina sibi suffragante gratia, profecit &c.usque *fulciri*, discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus dictum Rogerium, si eum ad hujusmodi Magisterii honorem idoneum fore repereris, ad ejusdem Magisterii statum, non obstante quod aliqui Baccalarii in facultate prædicta, in Ordine recipiendi Magisterium hujusmodi præcedant, eumdem, studeas promovere. Nos enim Baccallariis ipsis nullum per hoc volumus præjudicium generari, quin ipsi ad ejusdem Magisterii honorem post promotionem hujusmodi, ordine debito valeant promoveri.

Datum apud Villam novam Avenion. Dioec. III. Kal. Martii anno II.

LXV.

Præficitur Ecclesiæ Treventinæ. Ex libro 1. epist.199.

Dilecto filio Jordano Curti electo Treventin.

§. I. QUam sit onusta periculis &c. *fœlicibus proficiant incrementis*. Dudum siquidem bon. memor. Attimbono Episcopo Treventino regimini Treventinæ Ecclesiæ præsidente, nos intendentes eidem Ecclesiæ per Apostolicæ Sedis providentiam, idoneam præesse personam, provisionem ipsius Ecclesiæ Treventin. cum eam vacare contingeret, dispositioni nostræ & Sedis prædictæ duximus specialiter reservandam, decernentes ex tunc irritum &c. contingeret attentari.

§. II. Postmodum vero præfata Ecclesia per obitum ejusdem Attimboni, qui nuper extra Romanam Curiam diem clausit extremum, Pastoris solatio destituta, nos vacatione hujusmodi fide dignis relatibus intellecta, ad provisionem ipsius Ecclesiæ celerem & felicem, de qua nullus &c. reservatione &c. obsistentibus; ne ipsa Treventin. Ecclesia longæ vacationis incommodis exponatur, paternis & sollicitis &c. & cupientes eidem talem præesse personam, quæ sciret, vellet, & posset eam præservare a noxiis & adversis, ac in suis manutenere juribus, & etiam adaugere; post deliberationem, quam super his &c. diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Minorum Professorem, in sacra Theologia Magistrum, in Sacerdotio constitutum, morum honestate decorum; in spiritualibus providum, & in temporalibus circumspectum, & aliis multiplicibus virtutum meritis, prout fide dignorum assertione percepimus, insignitum, direximus oculos nostræ mentis. Quibus omnibus &c. pensatis, de persona tua eidem Ecclesiæ Treventinæ, de dictorum Fratrum nostrorum consilio, auctoritate Apostolica providemus, teque illi præficimus in Episcopum & Pastorem, curam &c. ejusdem Treventin. Ecclesiæ tibi tam &c. plenarie committendo &c. *gratiam uberius valeas promereri*.

Datum apud Villam novam Avenion. Dioec. III. Kal. Martii anno II.

LXVI.

LXVI.

Transfertur a Brundusina ad Beneventanam Ecclesiam. Ex lib.5. epist.41.

Venerabili fratri Guillelmo Archiepiscopo Beneventano.

§. I. ROmana Ecclesia, quæ super universas orbis Ecclesias obtinet, divina institutione, primatum &c. *salubriter gubernare*. Olim siquidem bon. memor. Arnaldo Archiepiscopo Beneventano regimini Beneventanæ Ecclesiæ præsidente, nos cupientes eidem Ecclesiæ, cum ipsam quovis modo vacare contingeret, per Apostolicæ Sedis providentiam utilem & idoneam, secundum cor nostrum præsidere personam, provisionem ipsius Ecclesiæ dispositioni & ordinationi nostræ, ac Sedis ejusdem, ea vice duximus reservandam; decernentes ex tunc irritum &c. contingeret attentari. *Vide in Regest. tom.6. fol.582.*

§. II. Postmodum vero præfata Ecclesia per obitum ejusdem Arnaldi Archiepiscopi, qui nuper in partibus illis diem clausit extremum, Pastoris solatio destituta: nos vacatione hujusmodi fide dignis relatibus intellecta, de ipsius Ecclesiæ Beneventan. quam specialiter brachiis internæ caritatis amplectimur, ordinatione celeri & felici, de qua nullus &c. se intromittere poterat, reservatione &c. obsistentibus supradictis; ne ipsa Ecclesia longæ vacationis deploraret incommoda, cogitare cœpimus diligenter, & tandem post cogitationes multiplices, quas primo infra mentis nostræ præcordia, & tractatus varios, quos deinde cum Fratribus nostris habuimus, ad præficiendum talem eidem Ecclesiæ Beneventan. personam, quæ sciret, vellet, & posset eam præservare a noxiis & adversis, ac in suis manutere juribus, & etiam adaugere; in te tunc Archiepiscopum Brundusinum, consideratis grandium virtutum meritis, & donis multiplicium gratiarum, quibus personam tuam Altissimus insignivit, & quod tu, qui regimini Brundusinæ Ecclesiæ hactenus utiliter præfuisti, teque alias exercuisti laudabiliter & prudenter in officio Pastorali, dictam Beneventan. Ecclesiam scies & poteris, auctore Domino, utiliter regere ac feliciter gubernare, nostrum animum duximus dirigendum. Intendentes itaque tam præfatæ Beneventan. Ecclesiæ, quam gregi Dominico ejusdem salubriter providere, te a vinculo quo tenebaris eidem Brundusin. Ecclesiæ, cui tunc præeras, de ipsorum Fratrum consilio, & Apostolicæ plenitudine potestatis absolventes, te ad prædictam Ecclesiam Beneventan. transtulimus, teque illi præfecimus in Archiepiscopum & Pastorem curam &c. ipsius Beneventan. Ecclesiæ tibi tam in &c. plenarie committendo, liberamque tibi dando licentiam ad præfatam Beneventan. Ecclesiam transeundi. Et subsequenter pallium de corpore beati Petri sumptum insigne videlicet plenitudinis Pontificalis officii, a nobis pro parte tua, cum ea qua decuit instantia, postulatum, per dilectos filios nostros Raymundum sanctæ Mariæ novæ, & Galhiardum sanctæ Luciæ in Silice Diaconos Cardinales tibi fecimus exhiberi. In illo qui dat gratias &c. confidentes, & credentes firmiter ex maturis tuorum fructibus studiorum, quod prælibata Beneventan. Ecclesia per tuæ diligentiæ studium fructuosum, Deo propitio, regetur feliciter & salubriter dirigetur. Quocirca fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, &c. *uberius consequi merearis.*

Datum apud Villam novam Avenion. Diœc. v. Nonas Martii anno II.

LXVII.

Præficitur Ecclesiæ Larinen. Ex lib. 1. epist. 1.

Dilecto filio Andreæ de Valle-Regia electo Larinen.

Vide Constit. 5. Clem. V. Tomo 6. fol. 451.

§. I. Militanti Ecclesiæ disponente Domino &c. *pastores*. Dudum siquidem bon. memor. Dalphino Episcopo Larinen. regimini Larinen. Ecclesiæ præsidente, nos intendentes eidem Ecclesiæ, cum vacaret, per Apostolicæ Sedis providentiam, idoneam præesse personam, provisionem ipsius Ecclesiæ Larinen. dispositioni nostræ, ac Sedis Apostolicæ duximus reservandam, decernentes ex tunc irritum &c. contingeret attentari.

§. II. Postmodum vero præfata Ecclesia, per obitum ejusdem Dalphini, qui nuper extra Romanam Curiam diem clausit extremum, pastoris solatio destituta; nos vacatione hujusmodi fide dignis relatibus intellecta, attendentes quod nullus &c. de ipsius Ecclesiæ ordinatione se intromittere potest, reservatione & decreto hujusmodi obsistentibus, ne ipsa Larinen. Ecclesia longæ vacationis exponeretur incommodis, paternis & sollicitis studiis intendentes, & cupientes eidem Ecclesiæ talem præesse personam, quæ sciret, vellet, & posset eam præservare a noxiis & adversis, ac in suis manutenere juribus, ac etiam adaugere, post deliberationem, quam super his cum Fratribus &c. demum ad te Ordinis Fratrum Minorum professorem, in Sacerdotio constitutum, litterarum scientia præditum, morum vitæ honestate decorum, in spiritualibus providum, & aliis multiplicium virtutum meritis, prout testimonio fide dignorum accepimus, insignitum, direximus oculos nostræ mentis. Quibus omnibus diligenti meditatione pensatis, de persona tua eidem Larinen. Ecclesiæ, de dictorum Fratrum &c. providemus, teque illi præficimus in Episcopum & Pastorem, curam &c. tibi tam &c. plenarie committendo &c. *gratiam uberius valeas promereri*.

Datum Avenione v. Xalend. Junii anno III.

In eumdem modum Archiepiscopo Beneventano, & Capitulo ac Clero Civitatis & Diœcesis Larinen. & Reginæ Joannæ Siciliæ illustri.

LXVIII.

Præficitur Ecclesiæ Civitaten. Ex libro 4. epist. 61.

Dilecto filio Bernardo Rubei electo Civitaten.

Vide Constit. 17. Clem. V. Tom. 6. fol. 466

§. I. Inter sollicitudines varias &c. *intendamus*. Dudum siquidem bon. memor. Laurentio Civitaten. Ecclesiæ, quæ ad dictam Romanam Ecclesiam nullo medio pertinet, præsidente, nos intendentes eidem Ecclesiæ, cum vacaret, per Apostolicæ Sedis providentiam idoneam præesse personam, provisionem ipsius Ecclesiæ Civitaten. dispositioni nostræ & Sedis Apostolicæ, ea vice duximus specialiter reservandam: decernentes ex tunc irritum &c. contingeret attentari.

§. II. Postmodum autem Ecclesia Civitaten. præfata, per obitum ipsius Laurentii, qui extra Romanam Curiam decessit, vacante, nos vacatione hujusmodi fide dignis relatibus intellecta, ad provisionem ejusdem Civitaten. Ecclesiæ celerem &c. de qua nullus &c. intromittere potest, reservatione &c. obsistentibus, ne ipsa Ecclesia Civitaten. longæ &c. exponatur, paternis & sollicitis studiis intendentes, accupientes eidem Ecclesiæ talem præesse personam, quæ sciret &c. eam præservare a noxiis &c. & in suis manu-

nutenere juribus, & etiam adaugere: post deliberationem, quam super his cum Fratribus &c. habuimus &c. Demum ad te Ordinis Fratrum Minorum professorem, in Sacerdotio constitutum, litterarum &c. in spiritualibus providum &c. & aliis multiplicibus virtutum meritis, prout testimonio fide dignorum accepimus, insignitum, direximus oculos nostræ mentis. Quibus omnibus diligenti meditatione pensatis, de persona tua ipsi Civitaten. Ecclesiæ, de dictorum Fratrum &c. providemus, teque illi præficimus in Episcopum & Pastorem, curam &c. dictæ Civitaten. Ecclesiæ tibi &c. plenarie committendo &c. *gratiam uberius valeas promereri*.

Datum Avenione XVIII. Kalend. Julii anno III.

In eumdem modum Petro Regi Aragonum illustri.

LXIX.

Præficitur Ecclesiæ Milopotamen. Ibid. epist. 36.

Venerabili fratri Nicolao Episcopo Milopotamen.

§. I. In supremæ dignitatis specula &c. *plebs lætetur*. Dudum siquidem ad audientiam nostram quorumdam relatione falso deducto, quod Brumacen. Ecclesia tunc Pastoris erat solatio destituta; nos cupientes eidem Ecclesiæ de idoneo providere pastore, ad te Ordinis Fratrum Minorum professorem, in Sacerdotio constitutum, nostræ mentis oculos dirigentes, te, de Fratrum nostrorum consilio, in Brumacen. Episcopum præfecimus & pastorem, & deinde tibi, per Venerabilem fratrem nostrum Joannem Episcopum Portuen. apud Sedem Apostolicam munus fecimus consecrationis impendi. *Vide Constit. 11. Bened. XI. Tom. 6. fol. 446.*

§. II. Verum quia postmodum compertum extitit, præfatam Brumacen. Ecclesiam tempore præfectionis tuæ hujusmodi, non vacare, nullius Ecclesiæ Antistes remansisti: interim vero Ecclesia Milopotamen. vacante, pro eo quod nos Venerabilem fratrem nostrum Michaelem Clugien. tunc Milopotamen. Episcopum, licet absentem, a vinculo quo tenebatur, eidem Milopotamen. Ecclesiæ, cui tunc præerat, absolventes, de dictorum Fratrum nostrorum consilio, & Apostolicæ potestatis plenitudine absolventes, ipsum ad Clugien. Ecclesiam tunc vacantem duximus transferendum, præficiendo ipsum eidem Clugien. Ecclesiæ in Episcopum & Pastorem: nos attendentes, quod nullus præter nos hac vice de ordinatione ipsius Milopotam. Ecclesiæ se intromittere potest, pro eo quod nos diu ante vacationem hujusmodi ejusdem Milopotam. Ecclesiæ, provisiones omnium Ecclesiarum Cathedralium per translationes per nos tunc factas, ac in posterum faciendas, de Prælatis earum ubilibet constitutis, ad alias Ecclesias tunc vacantes, & in antea vacaturas, dispositioni nostræ specialiter reservantes, decrevimus ex tunc irritum & inane, si secus &c. contingeret attentari; ac cupientes eidem Milopotamen. Ecclesiæ, ne ex vacatione diuturna patiatur in spiritualibus & temporalibus detrimentum, idoneam præsidere personam, post deliberationem, quam super hoc cum eisdem Fratribus nostris habuimus diligentem: demum ad te, consideratis muneribus gratiarum, quibus personam tuam Dominus earum largitor, prout fide dignorum testimonio percepimus, multipliciter insignivit, direximus oculos nostræ mentis. Intendentes igitur tam eidem Milopotamen. Ecclesiæ, quam ejus gregi Dominico salubriter & utiliter providere, de persona tua, de dictorum Fratrum nostrorum consilio, auctoritate Apostolica eidem Milopotamen. Ecclesiæ providemus, teque illi præficimus in Episcopum & Pastorem, curam &c. Milo-

lopotamen. Ecclesiæ tibi &c. plenarie committendo, firma concepta fiducia, quod dirigente Domino actus tuos, præfata Ecclesia Milopotamen. per tuum ministerium studiosum multiplicia honoris & commodi suscipiet incrementa; Quocirca fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus &c. *assiduum percipere incrementum*.

Datum Avenione IX. Kalend. Julii anno III.

LXX.

Ut duas possit habere ancillas. Ex libro 3. epist. 154.

Dilectæ in Christo filiæ Blanchæ natæ inclitæ memoriæ Philippi Regis Franciæ, Moniali Monasterii Humilitatis beatæ Mariæ de Longocampo, Ordinis sanctæ Claræ, Parisien. diœces.

DEvotionis tuæ sinceritas promeretur, ut quæ a nobis suppliciter postulas, affectu tibi benevolo concedamus. Hinc est quod nos tuis in hac parte devotis supplicationibus inclinati, ut duas honestas mulieres, pro tibi per eas necessariis obsequiis impendendis, infra clausuram Monasterii Humilitatis beatæ Mariæ de Longocampo Ordinis sanctæ Claræ Parisien. Diœcesf. cujus Monialis existis, quibuscumque constitutionibus nec non statutis & consuetudinibus Monasterii & Ordinis prædictorum contrariis nequaquam obstantibus, libere introducere, & eas tam de die, quam de nocte, quanto tempore pro hujusmodi obsequiis indigueris, licite retinere valeas, tibi auctoritate Apostolica, tenore præsentium indulgemus. Nulli ergo &c. nostræ concessionis &c.

Datum Avenione v. Kalend. Julii anno III.

LXXI.

Ut possit ingredi Monasterium a se constructum Campi regis. Ibid. ep. 561.

Agneti Reginæ Hungariæ illustri.

DEvotionis tuæ sinceritas promeretur, ut quæ a nobis suppliciter postulas, affectu &c. concedamus. Hinc est, quod nos tuis supplicationibus inclinati, ut cum sex matronis honestis Monasterium de Campo regis, Sororum inclusarum Ordinis sanctæ Claræ Constantien. Diœcesf. quod te construi fecisse, ac de bonis propriis dotasse asseris, quando, & quotiescumque, causa devotionis visitare volueris, quibuscumque Monasterii & Ordinis prædictorum statutis & consuetudinibus, ac quibuslibet constitutionibus Apostolicis contrariis nequaquam obstantibus, ingredi & infra ipsarum clausuram loqui & conversari sine aliquo intermedio, & comedere & bibere, & interesse divinis officiis cum eisdem, ac omnia & singula ipsarum habitacula visitare, & nihilominus, ut domum quam inhabitas eidem Monasterio contiguam, possis sub clausura dicti Monasterii & eidem clausuræ adjungi facere, ac exinde tu cum dictis sex matronis, ad easdem Sorores liberum habere ingressum, dummodo illarum, quæ dicto Monasterio præfuerint, & etiam ad quos ipsarum Custodia pertinet, vel pertinebit imposterum, ad id accedat assensus, tenore tibi præsentium indulgemus. Nulli ergo &c. nostræ concessionis &c.

Datum apud Villam novam Avenion. Diœcesf. XI. Kalend. Augusti anno III.

LXXII.

LXXII.

Præficitur Ecclesiæ Nanocien. Ex lib. epist. 31.

Iterio de Nobinalis Electo Nanocien.

INter sollicitudines varias quibus assidue premimur, illa potissime pulsat, & excitat mentem nostram, ut status Ecclesiarum omnium curæ nostræ, divina providentia, commissarum, spiritualiter & temporaliter augeatur, quodque illis, quæ suis destitutæ pastoribus vacationis incommoda deplorare noscuntur, tales ministros præficere studeamus, per quorum regimen Ecclesiæ ipsæ salubriter & utiliter valeant gubernari. Nuper siquidem Ecclesia Nanocien. ex eo vacante, quod nos Ven. fratrem nostrum Lambertinum Brixien. tunc Nanocien. Episcopum apud Sedem Apostolicam constitutum, a vinculo, quo ipsi Nanocien. Ecclesiæ, cui tunc præerat, tenebatur, de Fratrum nostrorum consilio, & Apostolicæ potestatis plenitudine absolventes, ipsum ad Brixien. Ecclesiam tunc vacantem, duximus transferendum, præficiendo eum ipsi Brixiensi Ecclesiæ in Episcopum & Pastorem; nos attendentes, quod nullus præter &c. de ordinatione ipsius Nanocien. Ecclesiæ se intromittere potest, pro eo quod nos diu ante vacationem hujusmodi, provisiones omnium Ecclesiarum Cathedralium tunc apud dictam Sedem quocumque modo vacantium & vacaturarum imposterum apud eam, dispositioni nostræ reservantes, decrevimus irritum & inane &c. contingeret attentari, ac cupientes eidem Nanocien. Ecclesiæ, ne vacatione diuturna, patiatur in spiritualibus & temporalibus detrimentum, idoneam præsidere personam, post deliberationem, quam super hoc cum eisdem Fratribus nostris habuimus diligentem, demum de te Ordinis Fratrum Minorum professorem, in sacerdotio constitutum, litterarum scientia præditum, vitæ &c. in spiritualibus providum &c. & aliis multiplicium virtutum meritis, prout ex testimoniis fide dignis accepimus, insignitum direximus oculos nostræ mentis. Quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua ipsi Nanocien. Ecclesiæ de dictorum Fratrum nostrorum consilio, auctoritate Apostolica providemus, teque illi præficimus iu Episcopum & Pastorem, curam &c. dictæ Nanocien. Ecclesiæ tibi &c. plenarie committendo, &c. *uberius promereri*.

Datum Avenione III. Nonas Novembris anno III.

LXXIII.

Præficitur Ecclesiæ Calven. Ex lib. I. epist. 29.

Dilecto filio Joanni de Aprino Electo Calven.

§. I. DUm ad universas orbis Ecclesias juxta pastoralis officii debitum &c. *jugiter prosperentur*. Olim siquidem bon. mem. Stephano Episcopo Calven. regimini Calven. Ecclesiæ præsidente, nos cupientes eidem Ecclesiæ cum eam quovis modo, & ubicumque vacare contingeret, per Apostolicæ Sedis providentiam, idoneam præsidere personam; provisionem ipsius Ecclesiæ ea vice ordinationi & dispositioni nostræ duximus reservandas, decernendo ex tunc irritum &c. contingeret attentari. *Vid. Const. 14. Joan. XXII. Tom. 6. fo. 507.*

§. II. Postmodum vero præfata Ecclesia per obitum ejusdem Stephani Episcopi, qui nuper in partibus illis diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, nos vacatione hujusmodi prædictæ Ecclesiæ fide dignis relatibus intellecta, attendentes, quod nullus præter &c. de ordinatione ipsius Ecclesiæ se intromittere hac vice potuit, neque potest, reservatione & decreto obsi-

obsistentibus supradictis, ac ad provisionem ipsius Ecclesiæ celerem &c. ne prolixæ vacationis subjaceret incommodis, paternis & sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de præficiendo eidem Ecclesiæ personam utilem, per quam dicta Ecclesia præservari valeat a noxiis, & in prosperis feciliter adaugeri, cum Fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Minorum professorem, in sacerdotio constitutum, quem de religionis zelo laudabilem, litterarum scientia præditum, vitæ ac morum honestate decorum, in spiritualibus providum, & in temporalibus circumspectum, ac aliis virtutum donis fidedignorum testimonio percepimus laudabiliter insignitum, convertimus oculos nostræ mentis. Quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua nobis & dictis Fratribus accepta, ob præmissorum tuorum meritorum exigentiam, eidem Calven. Ecclesiæ, de Fratrum &c. providemus, teque illi præficimus in Episcopum & Pastorem, &c. *& gratiam valeas uberius promereri*.

Datum apud Villam novam Avenion. Diœc. II. Kalend. Decembris anno. III.

In eumdem modum Archiepiscopo Capuano, & Capitulo ac Clero Civitatis Diœc. Calveu. ac Carissimæ in Christo filiæ Joannæ Reginæ Siciliæ illustri.

LXXIV.

Ut possint eligere Confessarios. Ex par. 2. libri 2. epist. 583.

Dilectæ in Christo filiæ, Claræ sorori Monasterii sanctæ Crucis Neapol. Ord. sanctæ Claræ, olim Sanciæ Reginæ Siciliæ.

EXimiæ tuæ devotionis sinceritas, qua nos & Sedem Apostolicam revereris digne nos excitat & inducit, ut illa tibi favorabiliter concedamus, per quæ, sicut pie desideras, tuæ salutem animæ, Deo propitio, consequaris. Hinc est quod nos tuis supplicationibus inclinati, ut postquam tu in Monasterio sanctæ Crucis Neapolitan. Ordinis sanctæ Claræ, in quo nuper regularem ipsius Ordinis habitum recepisti, professionem emiseris, & etiam ante dum in probatione fueris, dilectis filiis Ministro Provinciali Terræ laboris, ac Guardiano Fratrum in dicto Monasterio commorantium Ordinis Minorum, & dilecta in Christo filia Abbatissa ipsius Monasterii, aliisque Superioribus tuis super hoc minime requisitis, nec non constitutionibus ejusdem Monasterii & Ordinum, ac aliis quibuscumque contrariis non obstantibus, unum vel plures, semel, & pluries, idoneos & discretos in tuos possis eligere & assumere Confessores, qui auctoritate Apostolica, quotiens tibi fuerit opportunum, confessione tua diligenter audita, pro commissis debitam tibi absolutionem impendant & injungant pœnitentiam salutarem, & alia quæ de jure fuerint injungenda, devotioni tuæ tenore præsentium indulgemus. Nulli ergo &c. nostræ concessionis, &c.

Datum Avenione XIX. Kal. Januarii anno III.

LXXV.

Confirmantur quæ Sancia Regina ante susceptum habitum sanctæ Claræ disposuit circa suorum bonorum administrationem Ibid. epist. 608:

Ad perpetuam rei memoriam.

Congruit Sanciæ petitionibus annuere.

§. I. SInceræ devotionis affectus, quem dilecta in Chisto filia Clara Soror Monasterii sanctæ Crucis Neapolitan. Ordinis sanctæ Claræ, olim Sancia Regina Siciliæ ad Sedem Apostolicam semper gessit, & ad nos & Se-

& Sedem eamdem gerere dignoſcitur, promeretur, ut petitionibus ſuis, illis præſertim, quæ divini cultus augmentum, & aliorum piorum operum executionem contingunt, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus.

§. II. Sane petitio ejuſdem Claræ nobis nuper exhibita continebat, quod ipſa dudum ante ſuum religionis ingreſſum, & aſſumptum per eam habitum regularem, aſſerens coram dilecto filio Joanne Carocello de Napoli, publico Notario, & teſtibus pluribus fide dignis ad prædicta convocatis ſpecialiter & rogatis, quod ipſa divino flamine inſpirante, ſe volebat per caritatis officium, & alia pia opera divinis obſequiis deputare, & divinæ majeſtatis ſervitiis famulari, ut nullis mundanis volueretur affectibus, ſed ejus mens libere & pure Domino famularetur, præcogitavit attente de rebus ſuis diſponere, & quid de illis fieret provide ordinare, & propterea conſiſa affinitatis vinculo, & interni amoris zelo, quibus jungitur atque afficitur ad dilectos filios nobiles viros Carolum Duracii Ducem, & Montis ſancti Angeli Dominum, & Ludovicum de Duracio Fratrem, ejus nepotes, ac dilectam in Chriſto filiam nobilem mulierem Agnetem Duciſſam Duracii, genitricem ipſorum, Sororem, ſuos cariſſimos, ſperans propterea bona & negotia ſua cetera tenerrime, & diligentius pertractari, &c. ut infra in ipſo inſtrumento uſque ad *plena, generali, libera & omnimoda facultate*, prout præmiſſa & plura alia in quodam publico inſtrumento exinde confecto, ac ſcripto, & ſignato per præfatum Joannem Notarium, nec non dilectum filium Nicolaum Serarii de Salerno, per Regnum Siciliæ præfatum ubilibet, auctoritate Regia, Judicem, ac teſtium præfatorum proprium nominum ſubſcriptionibus & conſignationibus roborato, coram nobis exhibito & oſtenſo, cujus tenorem de verbo ad verbum præſentibus inſeri fecimus, plenius & ſerioſius continetur. *Ut ante ingreſſũ in Monaſteria de bonis diſponeret.*

§. III. Quare præfata Clara olim Sancia nobis humiliter ſupplicavit, ut cum præmiſſa & omnia alia contenta in inſtrumento, prædicto favoris cauſam, & dotationis Monaſteriorum per eam hactenus fundatorum, & executionis aliorum piorum operum compendium reſpicere dignoſcantur, conſtitutionem & ordinationem dictorum adminiſtratorum, gubernatorum, ſeu procuratorum, ac poteſtatis conceſſiones per eamdem factas, ac omnia & ſingula in eodem inſtrumento, ut præfertur, contenta, Apoſtolicæ confirmationis munimine roborare, de benignitate Apoſtolica dignaremur. *Confirmatur inſtrumentum.*

§IV: Nos itaque ipſius Claræ devotis in hac parte ſupplicationibus favorabiliter annuentes, conſtitutionem & ordinationem, ac poteſtatis conceſſionem præfatas & alia omnia & ſingula in præfato inſtrumento, ut præmittitur, contenta, rata & grata habentes, illa auctoritate Apoſtolica, ex certa ſcientia confirmamus & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Tenor autem inſtrumenti prædicti cum Judicis & teſtium præfatorum ſubſcriptionibus antedictis talis eſt.

§. V. *In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Anno Dominicæ Nativitatis ejuſdem* MCCCXLIV. *Regnante Sereniſſima Domina Domina Joanna Dei gratia Regina Hieruſalem & Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ, Provinciæ, & Forcalquerii ac Pedemontis Comitiſſa; Regnorum vero ejus anno primo feliciter. Amen. Die* XVIII *menſis Januarii,* XII. *Indictionis, Neapoli. Nos Nicolaus Serarius de Salerno Reginalis Cancellariæ Notarius, ubique per regnum Siciliæ, auctoritate regia, ad contractus Judex, Joanes Carocellus de Neapoli per idem regnum publicus dicta regia auctoritate, Notarius, & ſubſcripti teſtes ad hoc ſpecialiter vocati & rogati, præſenti ſcripto procurationis publico notum facimus & teſtamur, quod præſcripto die*

die, nobis constitutis in præsentia inclitæ Dominæ Dom. Sanciæ Dei gratia Hierusalem & Siciliæ Reginæ, ipsa Domina Regina asseruit coram nobis, divino flamine inspirante, se velle per caritatis officium, & alia pia opera divinis obsequiis deputare, & divinæ majestatis servitiis famulari, ut nullis mundanis affectibus involuatur, sed ejus mens pure & libere Domino famuletur, præcogitavit attente de rebus suis disponere, & quid de illis fiat proinde ordinare, & propterea confisa affinitatis vinculo, & interni amoris zelo, quibus jungitur, atque afficitur ad spectabiles & illustres Dominos Dominos Carolum Duracii Ducem, & Montis sancti Angeli Dominum, nec non Ludovicum de Duracio Fratrem, ejus nepotes, ac spectabilem & illustrem Dominam Dominam Agnetem Ducissam Duracii genitricem ipsorum, Sororem, suos carissimos, sperans propterea bona & negotia sua cetera tenerrime & diligentius pertractari, ipsos licet absentes, tamquam præsentes, confisa etiam de fide, circumspectione & industria, ac legalitate Ven. in Christo Patris Philippi Cavallicen. Episcopi Vicecancellarii; nec non Magnificorum virorum Dominorum Goffridi de Marczano, Ammirati Regni Siciliæ Squillacii, Hugonis de Baucio, Comitatum Provinciæ & Forqualquerii, Senescalli Avellini Comitum, eos etiam absentes tamquam præsentes, & Adenulphi Cumani de Neapoli dicti regni Viceprotonotarii, Roberti de Pontiaco Vicariæ curiam ejusdem regni tenentis, juris civilis Professores, Ægidii de Bavania, Guillelmi de sancto Petro de Randacio, Bartholomæi de Bisento, & Joannis de Ariano militum, magnæ reginalis Curiæ magistrorum rationalium, ipsos scilicet præsentes, & onus præsentis procurationis, & gubernationis in se suscipientes sponte, & præfatos omnes alios absentes, tamquam præsentes, ut prædicitur, prædicto die, & in nostri præsentia fecit, constituit, & ordinavit suos veros, legitimos, generales & speciales actores, factores, administratores & gubernatores, procuratores, negotiorum gestores, & nuntios speciales, seu quocumque alio nomine melius & commodius de jure censeri, seu nuncupari possunt, ad gubernandum, administrandum, faciendum, tractandum, ordinandum, disponendum, & procurandum, omnes Civitates, terras, castra, villas, casalia, & quævis alia bona feudalia, etiamsi de mero dominio fore noscantur, nec non provisiones, & stabilitiones, annuas sibi concessas super quibuscumque fiscalibus functionibus & juribus aliis, & insuper possessiones, domos, viridaria, & terras alias Burgensaticas ubicumque consistant, tam quæ ad præsens obtinet & habet ubilibet in Regno Siciliæ, quavis ratione seu causa, quam quæ erit per se, vel alios ejus nomine, seu dispositione & ordinatione ipsius inantea quomodolibet habitura, & alia quævis bona mobilia seseque moventia, actiones & jura quæcumque, tam quæ sibi nunc competunt, quam quæ sibi modo præmisso poterunt inantea quoquomodo competere, tam in personam suam directe, quam in dictis distributoribus, gubernatoribus, procuratoribus suis, ejus vice & nomine, seu dispositione & ordinatione ipsius quoquomodo; ita quidem quod prædicti omnes, seu duo vel plures ex eis quos Ven. Pater Frater Guillelmus Scalen. Episcopus, dictæ Reginæ Confessor, Ordinis Minorum, & Frater Robertus de Mileto duxerint eligendos, seu assumendos, vel retinendos suis vicibus, quibus Fratribus Guillelmo & Roberto eligendi assumendi & retinendi dictos duos ad præmissa & subscripta, & alia dependentia & emergentia ex eisdem & quælibet eorumdem, dicta Domina Regina Sancia plenam potestatem tribuit, ac concessit expeditam ac liberam facultatem, atque licentiam ut possint & valeant facere, exequi & expedire ac libere & sine impedimento quocumque juris vel facti etiamsi esset expediens quod fieret in præsenti instrumento expressa mentio, ac alias specialis; prædictas Civitates, terras, Castra, Casalia, Villas, & bona feudalia tam feu-

feudalia tam feudatariis hominibus, Vassalis, ac terras, possessiones, & bona burgensatica cum juribus & pertinentiis omnibus eorumdem, conjunctim, vel divisim, per se, vel alios, prout eis melius & commodius videbitur expedire, administrare, gubernare, regere, ordinare, & procurare, ac administrari, gubernari, regi, ordinari & procurari facere per illos semotim vel conjunctim, quos ad hoc duxerint deputandos, qui deputandi possint & valeant redditus & proventus atque fructus, jura & obventiones omnes & singulas, exigere, recolligere, & recipere, & fructus seu jura non existentes in pecunia vendere, & omnem pecuniam recipiendam per illos, seu quemvis illorum assignent, seu assignari faciant thesaurariis ipsius Dominæ Reginæ, qui sunt nunc statuti & erunt in antea statuendi, dans, & concedens dicta Domina Regina præfatis distributoribus, actoribus, factoribus, administratoribus, gubernatoribus, negotiorum gestoribus, procuratoribus & specialibus nuntiis in præmissis & circa præmissa, ac aliis dependentibus & emergentibus ex eisdem, & etiam infrascriptis, plenam generalem & liberam & omnimodam facultatem & potestatem & speciale mandatum. Volens & expresse ordinans dicta Domina Regina quod prædicti omnes, seu duo ex eis, seu plures per præfatos Fratres Guillelmum & Robertum, ut præmittitur, eligendi, possint in Civitatibus, terris, castris, casalibus, Villis, & bonis feudalibus & burgensaticis, seu etiam singulis conjunctim vel divisim, prout melius, aptius, utilius, & habilius eis videbitur, constituere, creare, & ordinare, seu facere unum, seu plures Justitiarios, Capitaneos, Balivos, Vicarios, Commissarios, Oeconomos, Procuratores, & actores seu officiales alios, quocumque alio nomine censeantur, ac etiam Inquisitores in contingentibus casibus, tam contra officiales amotos, & etiam in officiis præsidentes, quam etiam qui futuro tempore statuerint post amotionem eorum cum gagiis competentibus, seu consuetis, prout officiorum & agendorum natura & causarum qualitas patitur, fierique poterit bono modo, cum plenaria potestate meri & mixti imperii, et jurisdictionis alterius cujuscumque, nec non judices, Assessores, Notarios, Erarios cum eisdem statuendis, et ordinandis, dictisque officialibus arbitrales litteras, prout dantur aliis officialibus habentibus jurisdictionem meri, et mixti imperii concedendum; & insuper ad ordinandum unum vel plures Auditores, seu rationales, qui prædictorum officialium & aliorum quorumlibet præteritorum rationes & computa, acta, cautelas, & gesta & alia quæcumque jura producenda per ipsos de actis, administratis, & gestis per eos, dispungant, audiant, & examinent, quæstionis defectus & dubia notent in orationibus eorumdem. Et deinde præfatis duobus vel pluribus, ut prædicitur, eligendis relatione de omnibus facta, ipsi eligendi componant de illis cum officialibus supradictis qui computaverint de gestis officiis eorumdem. Ita tamen quod omnis pecunia recipienda exinde & de aliis fructibus eorumdem & proventibus, ac obventionibus, juribus, & rebus quibuscumque & bonis, assignetur prædictis thesaurariis seu aliis qui ad hæc erunt, ut prædicitur, deputati, & in antea deputandi, volens, dans, & concedens ipsa Domina Regina dictis taliter eligendis duobus, vel pluribus potestatem & auctoritatem plenariam faciendi, & fieri faciendi singulis officialibus, de computis & gestis officiis eorumdem, prout & quando videbitur expedire, absolutiones, quietationes, apodixas, finales remissiones, & pactum de ulterius non petendo, cum illis clausulis & reservationibus consuetis in forma Curiæ, quas viderint expedire, puniendi officiales ipsos, tam præteritos, quam præsentes & futuros, juxta merita inquisitionum, prout servatur in talibus, de consuetudine, vel de ritu. Et insuper ad emendum, vendendum, alienandum, permutandum, seu quocumque alio nomine transferen-

ferendum omnia bona feudalia & burgensatica mobilia, stabilia et sese moventia, tam quæ ad præsens sunt ipsius Dominæ Reginæ, quam quæ pertinebunt, ipsis administratoribus, gubernatoribus, distributoribus, et eligendis modo præmisso, ac pertinere & obvenire poterunt in futurum, ex persona ipsius Dominæ Reginæ, seu quocumque alio jure, modo, ordinatione, ratione, seu causa, illorumque possessionem corporalem & vacuam in alios transferendi, & dandi litteras opportunas commissionum, & alias dictis officialibus concedendum, faciendum fieri cautelas publicas & privatas de præmissis & subscriptis & quolibet eorumdem, cum omnibus obligationibus, renuntiationibus, sacramentis, pactis, conventionibus, & aliis solemnitatibus, quas contractuum natura exiget & requiret, & pro cautela partium fuerit opportunum, ad sapientum consilium faciendas. Prætium præterea conventum, solvendum, & recipi faciendum, & exigendum per ipsos thesaurarios, & statuendas litteras justitiæ & gratiæ hominibus & Vassalis præfatarum Civitatum, terrarum, castrorum, casalium, & locorum aliorum, & aliis confluentibus & petentibus, concedendi et faciendi, prout agendorum qualitas exigit, et eis videbitur expedire. Nec non dans et concedens prædicta Domina Regina prædictis suis administratoribus, procuratoribus, vel duobus ex eis eligendis, ut superius est expressum, plenariam et liberam potestatem, homagium, seu sacramentum fidelitatis & assecurationis a suis feudatariis hominibus et Vassalis præsentibus et futuris, et etiam obventuris recipiendi et exigendi, et etiam debitum homagium et ligium, fidelitatis sacramentum, ac cujuslibet alterius generis juramentum, inclitæ Dominæ Dominæ Joannæ Dei gratia Hierusalem et Siciliæ Reginæ, et ejus hæredibus et successoribus præstandi pro Civitatibus, terris castris, casalibus, et quibuscumque aliis bonis feudalibus, quæ nunc habet, et erit inantea quomodolibet habitura, ipsa, vel dicti administratores et gubernatores pro ea, seu de ejus ordinatione seu dispositione, si, et quotiens fuerit opportunum, servitia, ad hoamenta et subventiones alias præstandi, feudatarios suos summovendi, sumonitos negligentes discutiendi bonis feudalibus, quæ ab ipsa tenent, et qui sibi servire tenentur, eos etiam compellendi ad præstationem ad hoamentorum et servitorum debitorum suis vicibus pro bonis feudalibus, quæ tenent seu tenebunt, ipsaque, et quaslibet alias pecuniæ quantitates quomodocumque et qualitercumque obventuras et proventuras recipiendi, per thesaurarios, seu alios qui in talibus per ipsos administratores et gubernatores, seu præfatos eligendos deputabuntur et eligentur, prout et quando eis videbitur expedire. Volens & mandans & ordinans ex nunc ipsa Domina Regina, quod nullus ex prædictis gubernatoribus, administratoribus, distributoribus, procuratoribus, & eligendis per prædictos Fratres Guillelmum & Robertum, possint seu valeant recipere & exigere aliquam rerum & pecuniæ quantitatem, sed omnis pecunia & rerum quantitas recipiatur per thesaurarios supradictos, & alios qui erunt per dictos eligendos successive tempore deputandos, & quod prædicti thesaurarii & alii deputandi de solutis apodixam faciendi plenam habeant potestatem. Voluit insuper, ordinavit & mandavit, quod omnia & singula agenda, facienda, & ordinanda, tam circa creationem Officialium, quam aliorum commissorum eis & incumbentium ipsis successive tempore agendorum, ac alibi dependentium & emergentium ex eisdem, quocumque modo processerit, sive fuerit, statuantur, ordinentur & fiant cum consilio prædictorum fratrum Guillelmi & Roberti, quibus ipsa Domina Regina super his & aliis emergentibus, duxit signanter & specialiter inhærendum, cum ipsi de conscientia ipsius Dominæ Reginæ & voluntate, sicut ipsa Domina coram nobis asseruit, & testata est, sint plenius informa-

ti,

ti. Volens & expresse ordinans & mandans ipsa Domina Regina quod quidquid in præmissis, & circa præmissa, ac aliis emergentibus & dependentibus ex eisdem, prædicti distributores & executores, negociorum gestores, procuratores, & nuntii, seu alter eorum, dictique duo vel plures eligendi, modo præmisso, egerint, & ordinaverint, sive fecerint absque consilio prædictorum fratrum Guillelmi & Roberti, nullius momenti vel roboris censeatur, ac pro nullo, casso, & irrito habeatur. Voluit tamen & specialiter ordinavit dicta Domina Regina, quod habeantur duo sigilla, unum magnum, & quod ex eo sigillentur litteræ justitiæ, atque gratiæ, & aliæ litteræ, quæ ex eo sigillari consueverunt, & aliud sigillum parvum pecuniæ, quod ipsa Regina habere consuevit, quod quidem sigillum apponatur in litteris pecuniæ, & etiam magnum, si, & quando fuerit opportunum, & prout fieri extitit consuetum, & quod prædicta duo sigilla custodiantur, & serventur per prædictos fratres Guillelmum Confessorem ejus & fratrem Robertum de Mileto, & quod prædictæ litteræ per eos, seu de eorum mandato sigillentur, eo ipso quod litteræ sigillandæ prædicto sigillo, seu sigillis fuerint sigillatæ, juris & de jure vera habeatur præsumptio, quod in omnibus & singulis contentis in prædictis litteris sigillatis sigillo seu sigillis prædictis, sint facta, statuta, & ordinata, de consilio & expressa voluntate prædictorum, nec possit aliquid dici in contrarium, vel quoquomodo opponi, propter quod, defectu consensus eorum, litteræ ipsæ in totum vel in parte valeant infringi, vel modo aliquo annullari, nec requiratur de cetero quod in ipsis litteris fiat mentio de consilio & voluntate ipsorum, cum sufficere voluit appositionem dictorum sigillorum, prout superius est expressum. Dicta tamen prælibata Regina a prædictis reservavit expresse, & in quibus prædicti, vel eorum aliquid tamquam Ecclesiasticæ vel religiosæ personæ non possent rationabiliter consentire, in quibus eorum consensus intervenisse minime præsumatur, sed de voluntate & consensu prædictorum gubernatorum, vel aliquorum ex eis, qui ad hoc, ut superius est expressum, fuerint deputati, ex sola appositione prædictorum sigillorum acta, facta, statuta, & ordinata, præsumptione juris, & de jure veraciter censeantur, & præfata Domina Regina ex nunc in nostri præsentia, omnem jurisdictionem civilem, & criminalem, ac merum & mixtum imperium, omnemque aliam facultatem, concessionem, potestatem, beneficium, & gratiam, indulta, & concessa sibi, tam per claræ memoriæ Dominum Robertum Dei gratia Hierusalem, & Siciliæ Regem illustrem, quam per inclitam Dominam Joannam eorumdem regnorum Reginam, filiam ejus carissimam, in præfatos distributores, gubernatores, administratores, & procuratores, eligendos alios prædictos, quocumque nomine censeantur, præfatosque Justitiarios, Capitaneos, & Officiales alios, prout ad omnes insimul, & unumquemque eorum spectaverit, & pertinere poterit, & opus fuerit, dedit, transtulit, & concessit, ipsæque potestas, jurisdictio, facultas, & beneficium translatæ in eo habeantur, & intelligantur penitus concessa. Insuper ordinavit & voluit ac mandavit ipsa Domina Regina quod si producente facultatis eventu, ea vivente, alter prædictorum fratrum Guillelmi & Roberti in fata decederet, alius qui superesset solus amborum vices gerat, & habeat potestatem, & omnimodam facultatem, ut ipse solus omnia & singula supradicta, & subscripta faciat, ac si ambo viverent & superessent, & si forte ambo ipsi in fata decederent ipsa Domina Regina vivente, reservavit sibi ipsa Domina Regina solemniter & expresse, quod ipsa possit & valeat eorum loco alios ordinare, eisque ad hoc surrogare, post mortem vero ipsius Dominæ Reginæ prædicti distributores, administratores, gubernatores, procuratores, & eligendi super-

perviventes ac præsentes habeant prædictorum omnium potestatem & facultatem, ac faciant omnia & singula supradicta. Voluit præterea præfata Domina Regina, ac ordinavit & mandavit expresse ex speciali fiducia, qaam habet in distributoribus, gubernatoribus, executoribus, & procuratoribus supradictis, quod illi qui administraverint, & gesserint negotia supradicta, non teneantur, nec debeant de gestis & administratis per eos aliquatenus computare, nec ad reddendam rationem aliquam quomodolibet compellantur, sed stetur eorum fidei & conscientiæ, de administratis & gestis pariter per eosdem nullo alio computu vel examine ab eis exinde requisito, cum pecuniam aliquam non recipiant, pro qua deberent rationabiliter computare, nec negligentia, aut culpa, vel aliquid aliud eis impingi, imputari, vel adscribi, nisi solus dolus, ubi forsitan rationabiliter appareret, & specialiter cum prædicta omnia & singula habeant facere, & administrare de conscientia & consilio prædictorum fratrum Guillelmi & Roberti, quibus ipsa Domina commisit totaliter vices suas. Et demum præfata Regina confirmavit omnes officiales statutos per eam ad omnia officia, in quibus sunt statuti, juxta tenorem commissionum eorum, ac voluit & ordinavit, quod prædicti administratores, & gubernatores, ac procuratores eos ad officia ipsa confirment juxta seriem litterarum, quas habent. Acta, lecta, & publicata fuerunt præfata omnia per me præfatum Notarium cum auctoritate prædicti Judicis, in præsentia ipsius Excellentiæ Reginalis, ac Domini Petri eleemosynarii Reginolis Capellæ Magistri, Magistri Nicolai de Alisia Secretarii Reginalis, & magnæ Reginalis Curiæ Magistri rationalis, Domini Joannis de civitate Theatina militis, magnæ & Vicariæ Curiarum appellationum Judicis, Abbatis Perroti Marchisan. de Salerno Clerici Cappellæ Reginalis, & Judicis Bartholomæi de Teramo jurisperiti dictæ Reginæ Sanciæ Cameræ Reginalis, testium ad hoc vocatorum & specialiter rogatorum. In quorum omnium cautelam atque fidem, factum est exinde per me præfatum Notarium hoc præsens publicum instrumentum, signo & subscriptione nominum qui supra, Judicis, & Notarii, & præscriptorum testium subscriptionibus roboratum. Quod scripsi ego Joannes Carocellus de Neapoli, publicus per jam dictum regnum Siciliæ, dicta Regia auctoritate, Notarius, qui præmissis omnibus vocutus & rogatus interfui, ipsumque meo solita & consueto signo signavi, ac abrasi, & emendavi superius, ubi legitur: Si de mero demanio fore, *& alibi ubi legitur*, atque licentia Imperii & jurisdictionis arbitrales litteras prout modo processerint, sive fient; *& abrasum & emendatum est per me præfatum Notarium, non vitio, non dola, nec fraude, sed quia scribendo casualiter erravi. Præterea præfata Domina Regina voluit, ac statuit, & ordinavit expresse de certa sua scientia, lege & constitutione quacumque contraria non obstante, quibus ipsa expresse voluit nullatenus præscriptis refragari; ad hoc ut præmissa & singula eorum valeant & procedant, in omni eo casu, in quo melius & aptius de jure valere possint, & nulli cavillationi seu hæsitationi subjaceant, sive per nominatum, sive per innominatum contractum, directe, sive per obliquum; promittens dicta Domina Regina Sancia, ac fide jubens sub hypotheca omnium bonorum suorum mobilium, & stabilium, feudalium, & burgensaticarum, præsentium, & futurorum, habitorum, & habendorum, de rata habenda, quidquid actum, gestum, procuratum, & factum fuerit per dictos suos procuratores & administratores in prædictis, & quolibet prædictorum, & numquam per se vel alios, suo nomine, dicere, facere, opponere, vel venire contra eos in judicio, vel extra, seu aliter quoquo modo, me prædicta Notario tamquam persona publica, pro dictis procuratoribus absentibus promissio-*

missionem & fidejussionem prædictas, apud dictos Judicem & testes, ipsorum nomine solemnster & legitime stipulante, dictisque procuratoribus præsentibus stipulantibus similiter coram nobis promissionem & fidejussionem prædictas pro se, & heredibus eorumdem, proindeque per me præfatum Notarium facta sunt tria publica consimilia instrumenta, ad cautelam omnium prædictorum, ac abrasi similiter ubi legitur, habendorum, *abrasum & emendatum est non vitio sed errore, ut superius est expressum. Ego qui supra Nicolaus Sexarius de Salerno per Regnum Siciliæ Regia auctoritate Judex subscripsi. Ego qui supra Nicolaus de Alisia magnæ Reginalis Curiæ Magister rationalis, testis subscripsi. Ego qui supra Petrus Eleemosynarius Reginalis & Magister Cappellæ præmissis interfui & subscripsi. Ego qui supra Laurentius de Cava Thesaurarius Reginalis prædictis interfui, & me subscripsi. Ego Bartholomæus de Terramo Reginalis rationalis qui supra testis prædicta fateor, me subscripsi, & signum feci. Ego Abbas Perrotus Marchisan. de Salerno qui supra præmissis interfui & me subscripsi. Ego Joannes de civitate Theatin. miles magnæ & Vicariæ Curiæ appellationum Judex, prædictis rogatus interfui & me subscripsi.*

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis &c. Datum Avenione XIX. Kalend. Januarii anno III.

LXXVI.

Confirmatur diploma a Joanna Regina in favorem Sanciæ Reginæ concessum. Ibid. epist. 668.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. EXimiæ devotionis sinceritas &c. ut in præcedenti, *ad exauditionis gratiam admittamus*. Petitio siquidem ejusdem Claræ, olim Sanciæ, nobis nuper exhibita continebat, quod dudum ante ipsius Claræ religionis ingressum, & assumptum ipsius religionis habitum regularem, carissima in Christo filia Joanna Regina Siciliæ illustris, habens ad ipsam Claram, olim Sanciam Reginam, benevolentiæ specialis affectum, conformando vota sua super his dispositioni & beneplacitis claræ memoriæ Roberti Regis Siciliæ avi sui, & ejusdem olim Sanciæ Reginæ viri, in suo ultimo per eum condito legitime testamento expressius præfatæ tunc Sanciæ quascumque donationes & concessiones factas & indultas eidem, tam per ipsum Robertum Regem avum suum dum viveret, quam per eam, de quibuscumque terris, castris, casalibus, & bonis feudalibus, tam de regni demanio, ex certa ipsius Joannæ Reginæ scientia, ac lege, constitutione, & ordinatione, quo alienationem demaniorum prohibet fieri, & quod demanio existant, non obstantibus quoquo modo quas in ea parte de ipsa certa scientia sustulit, ac juribus & efficacia vacuaverat, quam de ipsis Roberti Regis avi sui, & suas manus suis vicibus rationabiliter devolutis, nec non de quibusvis terris, castris, casalibus, & bonis, specialiter vel generaliter in suis casibus ad manus regalis Curiæ, sive ipsius Joannæ Reginæ legitime devolvendis, sive in excambium dictarum terrarum demanii, sive in assecutionem provisionum, quas præfata olim Sancia habebat ab ipsa regali, & ejusdem Joannæ Reginæ Curia, quocumque modo concessis; & insuper omnes & singulas provisiones & stabilitiones, jura & indulta, concessionesque alias eidem olim Sanciæ Reginæ factas, super quibuscumque causis, rebus atque negotiis, tam per ipsum Robertum Regem, dum viveret, quam per

Vide Constit. 53. Joan. XXII. to. 6. fol. 521.

Joanna Regina Sanciæ dispositiones confirmat

per eamdem Joannam Reginam postmodum, sub quacumque forma, & expressione verborum, ac litteras, privilegia & indulta proinde concessa, cujuscumque continentiæ seu tenoris existerent, eorumque substantiam & effectum, etiamsi foret expediens, quod fieret de illis in suis litteris expressa mentio, ac etiam specialis per speciale privilegium, de certa ipsius Joannæ Reginæ scientia, motu libero, gratiæ specialis & Dominica potestate, ac de consilio & assensu omnium gubernatorum & administratorum suorum, ratificavit & approbavit, ac specialis confirmationis suæ præsidio communivit, illaque rata & firma esse decrevit, & obtinere incommutabilem firmitatem, juxta illorum mentem & seriem, de prædicta ipsius certa scientia declaravit, reservato per eamdem Reginam sibi, suisque hæredibus & successoribus specialiter & expresse, quod dato prius præfatæ Claræ, olim Sanciæ Reginæ, pro illis ex prædictis castris, terris, seu civitatibus quæ de mero demanio regio existunt, competenti & æquivalenti ex cambio de aliis bonis, quæ de mero demanio non existunt, eidem Joannæ Reginæ, suisque hæredibus & successoribus antedictis sit licitum bona ipsa demanialia ad sui demanium revocare, prout hæc & alia circa illa in quibusdam patentibus litteris exinde confectis, præfatæ Joannæ Reginæ sigillo munitis, quarum tenorem de verbo ad verbum præsentibus inseri fecimus, plenius & seriosius continetur. Quare præfata Clara, olim Sancia Regina, nobis humiliter supplicavit, ut ratificationem, approbationem, & confirmationem hujusmodi, ac aliis per eamdem Joannam Reginam super his factis & contentis in litteris antedictis, Apostolicæ confirmationis robur adjicere, de benignitate Apostolica dignaremur.

Eadē Sancia petit, & obtinet a Pontifice confirmationem.

§. II. Nos itaque ipsius Claræ olim Sanciæ devotis in hac parte supplicationibus annuentes, ratificationem, approbationem, & confirmationem hujusmodi, & alia in litteris præfatis contenta, rata & grata habentes, illa, auctoritate Apostolica, ex certa scientia confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Tenor autem datarum litterarum talis est.

Litterarum tenor.

§. III. *Joanna Dei gratia Regina Hierusalem, & Siciliæ, Ducatus Apuliæ & Principatus Capuæ, Provinciæ, & Forqualquerii, ac Pedemontis Comitissa, universis præsens privilegium inspecturis, tam præsentibus quam futuris. Officium filialis reverentiæ admonet, & caritatis affectus signanter ter inducit, ut inclitæ Dominæ Sanciæ Dei gratia Hierusalem & Siciliæ Reginæ, reverendæ Dominæ matris nostræ, potestatis nostræ præsidium commoda studiose promoveat, & ejus augmenta, eum solerti attentione producat. Hinc itaque considerationis instinctum, ac habentes ad ipsam Reginam matrem nostram specialis benevolentiæ zelum, quo interne movemur ejus compendia promovere, confirmando in hac parte utique vota nostra dispositioni & beneplacitis claræ memoriæ Domini avi nostri Hierusalem & Siciliæ Regis illustris, in suo ultimo per eum condito legitimo testamento, præfatæ Reginæ matri nostræ quascumque donationes & concessiones factas & indultas sibi, tam per ipsum Dominum Avum nostrum dum viveret, quam per nos, de quibuscumque terris, castris, atque casalibus, & bonis feudalibus tam de regni demanio, ex certa nostra scientia, ac lege, consuetudine, & ordinatione, quæ alienationem demaniorum fieri prohibet, & quod demanio existant, non obstantibus quoquomodo, quas in hac parte de ipsa certa scientia nostra tollimus, ac viribus & efficacia vacuamus, quam ad ipsius Domini Avi nostri, & nostras manus suis vicibus rationabiliter devolutis, nec non de quibusvis terris, castris, atque casalibus & bonis specialiter vel generaliter in suis casibus ad manus regalis Curiæ, seu nostras legitime devolvendis, sive in excambium ipsarum terrarum demanii, sive in assecutionem provisionum, quas babe-*

habebat & habet ab ipsa regali curia & nostra, sea aliter quocumque modo concessis. Et insuper omnes & singulas provisiones, ac stabilitiones, jura & indulta, & concessiones alias factas ipsi Dominæ matri nostræ, super quibuscumque causis, rebus, atque negotiis, tam per ipsum Dominum Avum nostrum, quam nos postmodum sab qaacumque forma, & expressione verborum, eorumque litteras, privilegia, & indulta proinde concessa, cujuscumque sint continentiæ seu tenoris, eorumque substantiam & effectum, etiamsi foret expediens, quod fieret de illis præsentibus expressa mentio, ac etiam specialis bujusmodi privilegii serie, de certa nostra scientia, motu libero gratiæ specialis & Dominica potestate, de consilio & assensu omnium gubernatoram & administratorum nostrorum, ratificamus & approbamus, ac specialis nostræ confirmationis præsidio communimus, illaqae rata & firma esse decernimus, & obtinere incommutabilem firmitatem, juxta illorum mentem & seriem, de ipsa certa nostra sciencia declaramus: volentes & de ipsa certa nostra scientia decernentes expresse qaod bujusmodi nostræ ratificatio, approbatio, & confirmatio ac decretum & declaratio eidem Reginæ matri nostræ perpetuo efficaciter & incommutabiliter sint reales, illaque efficaciam, vigorem, & effectum realem babeant, ac etiam efficacem, ac si omnia ipsa donationes, concessiones, dationes, privilegia, indulta & litteræ essent de verbo ad verbum, ne specioliter & expresse contenta & declarata præsentibus, & seriosius annotata, & ad eorum quodlibet accessisset nostra confirmatio specialis, & pro majori efficacia & robore præmissorum, volumas & sancimus expresse, de eadem certa nostra scientia, at jam dictis nostris confirmationi, ratificationi, & approbationi, ac declarationi & decreto nulla in contrarinm jurisdictio, interpretatio, vel subtilitas quomodolibet admittatur, per quas ipsis donationibns, concessionibus, dationibus, privilegiis, indultis, & litteris, ac præsentibns nostris confirmationi & approbationi, ac declarationi & decreto, seu eorum alicui, quocumque colore sive prætextu, possit quomodolibet derogari, cum existat nostræ firmæ concedentis intentio, a cajus mente non juste receditur, quod ipsæ donationes, concessiones, dationes, privilegia, indulta & litteræ, & præsentes nostræ confirmatio ratificatio & approbatio ac declaratio, & decretum, valida, rataque permaneant, & successivis temporibus inconcussam obtineant roboris firmitatem, eujusvis obviantis, & turbinis repalsiva, lege, capitulis, constitutione qaivaseumqae contrariis, quæ in boc casu, de ipsa nostra certa scientia tollimus, & viribus & efficacia vacuamus, bis non obstantibus aliquatenus in adversum, ut ex bis erga dictam Dominam matrem nostram in virtuosis actionibus nostræ sinceritatis affectio signonter vigeat, ac firmo laudabilique primordio, præmissis omnibus, præsidialis adjectio assistentis firmitatis accedat. Et qaia inter prædicta bona feudalia concessa prædictæ Reginæ aliqua castra, terræ, seu civitates, de mero nostro demanio esse censentur, sicque nobis nostrisque bæredibus & successoribus reservamas specialiter & expresse, quod dato prius Reginæ præfatæ competenti & æquivalenti ex cambio de aliis bonis, quæ de mero demanio non existant, licitum sit nobis, nostrisque bæredibus & successoribus bona ipsa demanialia ad nostrum demanium revocare. In cujus rei fidem, perpetuamque memoriam, & dictæ Reginæ cautelam præsens privilegium exinde fieri, & pendenti Excellentiæ nostræ sigillo jussimus communiri. Datum Neapoli per manus Arnulpbi Cumani de Neapoli, juris civilis professoris, Viceprotonotarii Regni Siciliæ, anno Domini MCCCXLIV. *die* XI. *Januarii*, XII. *Indictionis regnorum nostrorum anno* I.

Nulli ergo &c. nostræ confirmationis &c. Datum Avenione XIX. Kalend. Januarii anno III.

LXXVII.

LXXVII.

Unitur Monasterio de Pogeto Ordinis sanctæ Claræ Ecclesia parochialis sancti Martini. Ibidem epist. 507.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

§. I. Pia religiosarum personarum vota, quæ laudibus divinis ferventer invigilant, & virtutum cultui sine intermissione desudant, aure benigna suscipere, & promptis delectamur affectibus adimplere.

Cardinalis Bertrandus Monast. Fundator.

§. II. Sane pro parte dilectarum in Christo filiarum Abbatissæ & Sororum Monasterii sancti Marcelli de Pogeto, prope castrum novum de vallibus, Ordinis sanctæ Claræ Caturcen. Diœcesf. quibus ex speciali concessione Sedis Apostolicæ bona licet in communi habere, nobis exhibita petitio continebat, quod olim Venerabilis frater noster Bertrandus Episcopus Ostien. tunc titul. sancti Marcelli Presbyter Cardinalis, de salute propria cogitans, & extremum peregrinationis suæ diem operibus misericordiæ prævenire desiderans, auctoritate quarumdam litterarum felicis recordationis Joannis Papæ XXII. prædecessoris nostri, eidem super hoc specialiter concessarum, Monasterium sancti Marcelli præfatum, in patrimoniali suo hospitio sito infra parochialem Ecclesiam sancti Martini de Castro novo de Vallibus prædicto construxit, atque pro sustentatione ipsarum Abbatissæ & Sororum ipsius Monasterii, & certorum numero servientium deputatorum ad earumdem servitium, dotavit de patrimonialibus bonis suis, quodque in eodem Monasterio ex devotione nobilium, & aliarum personarum illarum partium etiam cupientium filias suas, & puellas alias inibi conditori omnium famulari, Sororum adeo numerus excrevit, quod ipsorum bonorum in hujusmodi dotem datorum, & aliorum etiam per dictum Episcopum postea pro eis acquisitorum, ad sustentationem congruam dictarum Abbatissæ, Sororum, & aliorum præmissorum in eodem Monasterio morantium, facultates sufficere minime dignoscuntur. Quare nobis pro parte dictarum Abbatissæ & Sororum extitit humiliter supplicatum, ut eidem Monasterio ad supportationem expensarum & onerum ipsi Monasterio incumbentium, parochialem Ecclesiam sancti Martini de Castro novo præfatam, quam præfatus Episcopus Ostien. ex concessione & dispensatione Sedis Apostolicæ noscitur obtinere, & quam Ecclesiam idem Episcopus, cum ejus annexis seu dependentibus, ac omnibus juribus & pertinentiis suis libere intendebat dimittere, præfato Monasterio unire, incorporare, & annectere, auctoritate Apostolica, dignaremur.

Facultat. ad sustentationem Monialium non sufficiunt.

Unitur Monasterio Ecclesia sancti Martini.

§. III. Nos igitur præfati Episcopi super hoc nobis humiliter supplicantis, & ipsarum Abbatissæ & Sororum in hac parte supplicationibus inclinati, præfatam parochialem Ecclesiam sancti Martini, cum annexis & dependentibus ab eadem, ac omnibus juribus & pertinentiis suis Monasterio prædicto sancti Marcelli, auctoritate præfata, in perpetuum incorporamus, annectimus, & unimus. Volentes quod dictus Episcopus Ecclesiam ipsam sancti Martini, cum dictis annexis & dependentibus ab eadem, quam, ut præfertur, obtinet, ex nunc realiter, prout ad id se sponte obtulit, dimittere teneatur. Et insuper ex nunc in dicta Ecclesia perpetuam Vicariam ac perpetuum Vicarium, eadem auctoritate, perpetuo esse statuimus, & etiam ordinamus; decernentes quod, postquam eidem Vicariæ per nos hac vice de Vicario provisum fuerit, ejusdem Vicariæ collatio, ac Vicarii ipsius institutio, cum eam vacare continget, ex tunc imposterum spectet ad loci Ordina-

narium, ad quem dictæ Ecclesiæ collatio, ut asseritur, alias pertinebat; & ut per eumdem Vicarium animarum cura, quæ eidem Ecclesiæ, ejusque dependentibus, & annexis prædictis imminet, exerceatur debite, & deserviatur in ea laudabiliter in divinis, ac etiam omnium controversiarum & litigiorum, quæ inter Vicarium dictæ Ecclesiæ, qui erit pro tempore, & Abbatissam & Sorores præfatas quomodolibet verti possent, vitentur anfractus, & cesset omnis materia quæstionis, medietatem omnium fructuum, redditnum, & proventuum, jurium, & obventionum dictæ Ecclesiæ sancti Martini annexarum, & dependentium prædictarum, qui per Rectorem Ecclesiæ supradictæ sancti Martini consueverunt percipi, & haberi, & percipiuntur etiam per eum ratione ipsius Ecclesiæ de præsenti, prædictæ Vicariæ per ejus Vicarium in antea percipiendam assignamus, & etiam deputamus pro ejusdem Vicarii congrua portione, ex qua dictus Vicarius valeat sustentari, Episcopalia jura solvere, aliaque eisdem Vicariæ & Ecclesiæ, ac annexis, & dependentibus ab illa, onera sibi incumbenti supportare, alia medietate fructuum, redditunm, proventuum, jurium, & obventionum, præfatorum, ad præfatum Monasterium libera remanente, pro ipsius Monasterii necessitatibus, & oneribus facilius supportandis, cujus quidem medietatis ipsa Abbatissa & Sorores præfati Monasterii per se, vel alium, seu alios, earum nomine possessionem ex nunc apprehendere, tenere, & in proprios usus convertere libere valeant, diœcesani loci & cujuscumque alterius licentia minime requisita: non obstantibus si aliqui super provisionibus sibi faciendis de hujusmodi Ecclesiis, cum annexis seu dependentibus, vel aliis beneficiis Ecclesiasticis in illis partibus speciales vel generales Apostolicæ Sedis vel Legatorum ejus litteras impetrarint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem, & decretum, vel alias quomodolibet sit processum, quas litteras & processus habitos per eosdem, ad præfatam parochialem Ecclesiam, cum dictis annexis volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem Ecclesiarum & beneficiorum aliorum, præjudicium generari, seu quibuscumque privilegiis, indulgentiis, & litteris Apostolicis generalibus vel specialibus, quoruoicumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus de verbo &c. specialis. Nos enim irritum decernimus & inane, si secus super præmissis a quoquam, quavis &c. contigerit attentari. Nulli ergo &c. nostræ incorporationis, annexionis, unionis, voluntatis, ordinationis, et constitutionis infringere &c.

Conditiones servanda.

Datum Avenione II. Nonas Januarii anno III.

LXXVIII.

Ut possint suppellectilem locupletem applicare Ecclesiæ Minorum de Guigant. Ibid. epist. 595.

Dilecto filio nobili viro Carolo, Duci Britanniæ, & dilectæ in Christo filiæ nobili mulieri Joannæ ejus uxori.

Sinceræ devotionis affectus, quem ad nos & Romanam geritis Ecclesiam, promeretur, ut petitionibus vestris, illis præsertim, quas ex devotionis fervore prodire conspicimus, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Hinc est quod nos vestris supplicationibus inclinati, ut vos et vestrum quilibet, qui in domo Fratrum Minorum de Guigant, Trecoren. Diœces. sepulturam vestram, ut asseritis, elegistis, possitis cruces, candela-

bra argentea vel aurea, pannos deauratos, vel de ferico, reliquias, et custodias, pro ipsis, et alia ornamenta Ecclesiastica quæcumque pro animarum vestrarum salute, ibi offerre, ut ibidem perpetuo remaneant, ita quod per Fratres præfatos alienari non possint, quibuscumque statutis et consuetudinibus dicti Ordinis,& quibusvis aliis constitutionibus Apostolicis.in contrarium editis nequaquam obstant. devotioni vestræ, Apostolica auctoritate, tenore præsentium concedimus, de gratia speciali. Nulli ergo &c. nostræ concessionis et constitutionis &c.

Datum apud Villam novam Avenion. Diœcef. IX. Kalend. Martii anno III.

LXXIX.

Præficitur Ecclesiæ Laquedonen. Ex lib. I. epist. 65.

Dilecto filio Francisco de Martiis electo Laquedonen.

Vide Constit. 88. Joann. XXII. tom. 6. fol. 551.

§. I. Angit nos cura pastoralis officii, summi nobis pastoris dispositione commissi &c. *viros idoneos in pastores*. Dudum siquidem bon. memor. Nicolao Episcopo Laquedonen. regimini Laquedonen. Ecclesiæ præsidente; nos intendentes eidem Ecclesiæ, cum eam quovis modo vacare contingeret, per Apostolicæ Sedis providentiam idoneam præesse personam, provisionem ipsius Ecclesiæ ea vice dispositioni nostræ, ac Sedis Apostolicæ reservantes, decrevimus ex tunc irritum &c. contingeret attentari.

§. II. Postmodum autem dicta Ecclesia, per obitum dicti Nicolai qui in partibus illis diem clausit extremum, vacante, nos vacatione hujusmodi fide dignis relatibus intellecta, attendentes, quod de dicta Ecclesia nullus præter nos &c. reservatione &c. obsistentibus antedictis, et ad provisionem ipsius Ecclesiæ celerem et felicem, ne longæ vacationis detrimenta subiret, paternis et sollicitis studiis intendentes, ac cupientes eidem Ecclesiæ talem præsidere personam, quæ sciret, vellet, et posset eam in suis manutenere juribus, et etiam adaugere, post deliberationem quam super his &c. habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Minorum professorem, in Sacerdotio constitutum, cui de religionis zelo, vitæ &c. providentia spiritualium, apud nos fide digna testimonia perhibentur, convertimus oculos nostræ mentis. Quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua eidem Ecclesiæ,de dictorum &c. auctoritate &c. providemus, teque illi præficimus in Episcopum et pastorem, curam &c. plenarie committendo, firma concepta fiducia, quod virtutibus tibi divinitus traditis insignitus, eamdem Ecclesiam, dante Domino, salubri regimine gubernabis, ipsaque tuo munita præsidio optatis affluet incrementis.

§.III. Quocirca discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus impositum tibi onus a Domino devote suscipiens, sic curam et administrationem prædictas diligenter gerere studeas, ac salubriter et utiliter prosequaris, quod eadem Ecclesia tua vigilantia, votivis amplietur commodis, et in omnibus, diuina cooperante clementia, prospere dirigatur, tuque proinde nostram et dictæ Sedis gratiam tamquam benedictionis et obedientiæ filius, uberius consequi merearis.

Datum apud Villam novam Avenion. diœc. VII. Kal. Martii anno III. In eumdem modum Archiepiscopo Consan. et Capitulo ac Clero Civitatis et Diœc. Laquedonen. ac Joannæ Reginæ Siciliæ illustri.

LXXX.

LXXX.

Ut transferri possint domus Castri Cellini. Ex 2. par. lib. 2. epist. 681.

Dilectis filiis Guardiano & Fratribus Ordinis Minorum Castri de Cellino Pennen. Diœcesis.

§. I. Quanto vester Ordo inter alios Ordines insigni gratia meritorum prærogativa virtutum, ac honestatis eminentia, tamquam religionis speculum, & exemplar, conspectiori rutilat claritate, tanto vobis libentius illa concedimus, per quæ sublatis impedimentis quibuslibet, ad divini nominis laudem & gloriam, cum quiete animi possitis in observantia mandatorum Domini gloriari.

§. II. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat, quod locus vester, quem in Castro Cellini Pennen. Diœces. obtinetis, a prima sui fundatione constructus extitit in quodam loco pendenti & de terra nimis mobili, quodque propter lamas, quæ ob pluvias occurrerunt hactenus, & frequenter occurrunt, & potissime propter quamdam lamam valde magni spatii, quæ ibi fuit, non est diu, magna pars horti vestri est destructa, muri tam ædificii quam Ecclesiæ & aliarum domorum vestrarum sunt aperti, ita quod non nisi subveniatur vobis de remedio opportuno, metu ruinæ cogimini derelinquere locum ipsum. Quare nobis humiliter supplicastis, ut vobis mutandi dictum locum in alia parte dicti Castri, in qua tute & absque mortis periculo possitis, prout desideratis, debitum Domino reddere famulatum, licentiam concedere dignaremur.

§. III. Nos igitur vestris supplicationibus inclinati, ut locum ipsum in alia parte dicti Castri, in loco decenti & honesto, ubi tute & absque mortis periculo debitum possitis Domino reddere famulatum, mutare licite valeatis, sine juris præjudicio parochialis Ecclesiæ & cujuslibet alterius alieni, fel. recor. Bonifacii Papæ VIII. &c. *nequaquam obstantibus*, vobis plenam & liberam, auctoritate præsentium, licentiam elargimur; proviso quod Ecclesia & cœmeterium dicti vestri prioris loci ad Clericos alios, seu Laicos, sicut hæreditas minime transferatur, sed in dicta Ecclesia unus Presbyter pro divinis inibi celebrandis officiis deputetur.

Nulli ergo, &c. nostræ concessionis &c. Datum Avenion. Kalend. Aprilis anno III.

LXXXI.

Ut ædificari possit domus Minorum in civitate Insulæ viridis. Ibid. ep. 742.

Dilectis filiis Ministro Generali & Fratribus Ordinis Minorum.

§. I. Ex munere cœlestis gratiæ, illud Ordini vestro & vobis demum inesse credimus, quod ubique locorum in quibus degitis, fideles populos doctrina verbi pariter & exempli ad salutis gratiam evocetis. Est igitur & esse debet nobis & Apostolicæ Sedi cura sollicita, loca vestra per orbem terrarum longe lateque diffundere, ut quanto ipsa diffusius propagamus, tanto peramplius, prout in gratiarum omnium largitore confidimus, majorem semper operum vestrorum fragrantiam, ad ædificationem Christifidelium sentiamus.

§. II. Hinc est, quod nos diligentius attendentes, quod carissimus in Christo filius noster Alphonsus Rex Castellæ & Legionis illustris, qui tam-

quam Christianissimus Princeps, Christique prupugnator & pugil egregius, Civitatem Insulæ viridis per eumdem Regem de manibus inimicorum ipsius Christi, Professorum fidei Christianæ, istis proxime lapsis temporibus, Deo auctore, potenter eripuit, Civitatem eamdem, sicut ipse suæ devotæ supplicationis serie nobis exhibitæ nuper fecit exponi, cupiat fidelibus populis irrigare, ac inibi fideles ipsos continue succrescere, & in eadem Civitate cultum divini nominis adaugeri, & propterea in eadem Fratres vestri Ordinis collocari. Nos hujusmodi Regis pium laudabileque propositum in Domino commendantes, ipsius Regis ac vestris supplicationibus inclinati, recipiendi locum in Civitate prædicta, ad opus & usum Fratrum vestri Ordinis, ac construendi & ædificandi inibi Ecclesiam seu Oratorium cum cœmeterio ac domibus, & aliis necessariis officinis, sine juris præjudicio parochialis Ecclesiæ, & cujuslibet alterius alieni, fel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri & aliis Apostolicis in contrarium editis constitutionibus non obstantibus quibuscumque, plenam & liberam vobis, auctoritate Apostolica, licentiam elargimur. Nulli ergo &c. nostræ concessionis &c.

Datum Avenion. XII. Kalend. Maii anno III.

LXXXII.

Ut informet circa translationem Monasterii de Casseriis ab Ordine sancti Benedicti ad sanctæ Claræ. Ibid. epist. 546.

Venerabili Fratri Guillelmo Episcopo Montis-alban.

Exordium. §. I. Circumspecta Sedis Apostolicæ providentia, illa quæ per eam ordinata sunt, proinde in melius sæpe commutat, præsertim cum ad laudem Dei & gloriam, circa divini cultus augmentum, & animarum salutem exinde ampliora existimat commoda proventura.

§. II. Sane dudum pro parte dilecti filii nobilis viri Arnaldi Vicecomitis, & dilectæ in Christo filiæ nobilis mulieris Margaritæ uxoris suæ, Vicecomitissæ Caramanii, exposito fel. record. Joanni Papæ XXII. prædecessori
Monasterii fundatorum petitio. nostro, quod Arnaldus & Margarita prædicti pro ipsius prædecessoris, ac ipsorum Arnaldi & Margaritæ aliorumque fidelium animarum salute offerre Deo acceptum obsequium cupientes, in Castro, seu loco suo de Casseriis sancti Papuli Diœcesis ferventi devotione desiderabant fundare unum Monasterium Monialium, cum Ecclesia, claustro, domibus, officinis, & septis competentibus, ac etiam opportunis, in quo essent Abbatissa & XXX. Monialium numerus in eodem, Abbatissa inclusa, quodque pro dotatione ipsius Monasterii ad sustentationem earumdem Abbatissæ ac Monialium, & servitorum aliorum necessariorum ibidem, dare disponebant de suis bonis propriis
Redditus annui assignati. eidem Monasterio CCCC. libras nudas Turonen. parvorum reddituum, ad venerabilis Fratris nostri Archiepiscopi Tholosan. arbitrium assignandas, prædecessor præfatus fundandi in Castro seu loco prædicto præfatum Monasterium, ut præfertur, absque tamen parrochialis Ecclesiæ dicti Castri, seu loci, & cujuslibet alterius præjudicio, dote tamen prius per eosdem Arnal-
Cautio idonea præstanda. dum & Margaritam sufficienti pro Monasterio, Abbatissa, Monialibus, & servitoribus, sicut præmissum est, assignata. Et insuper per præfatos Arnaldum & Margaritam memorato Archiepiscopo, cautione idonea præstita, de sufficientibus ædificiis pro prædictis omnibus in prædicto Monasterio fa-
Monialium numerus præscriptus. ciendis, duxit præfatis Arnaldo & Margaritæ plenam & liberam licentiam concedendam. Et nihilominus statuit prædecessor præfatus, auctoritate præfata, & etiam ordinavit, quod in eodem Monasterio essent Abbatissa & XXX.

Mo-

Monialium numerus, eadem Abbatissa numero hujusmodi computata & inclusa, quodque ibidem Abbatissa non assumeretur, nec Moniales reciperentur aliquæ, donec assignatio prædicta completa totaliter extitisset: sed postquam Abbatissa & Moniales essent inibi receptæ, voluit quod quotiens ex tunc vacare dictum Monasterium contingeret, per electionem assumeretur ab ipsis Monialibus Abbatissa prædicta, & quod Abbatissa & Moniales prædictæ quæ essent ibi pro tempore in eodem Monasterio, viverent sub habitu & Regula sancti Benedicti, & perpetuo infra septa prædicta manerent inclusæ, nullo inde tempore quomodolibet exituræ, haberentque cœmeterium infra septa eadem, in quo sepelirentur, & aliæ quævis personæ ibidem libere sepulturam possent eligere, etiam sepeliri. Rursus quod Monialium prædictarum correctio & punitio ad Abbatissam spectarent. Et ulterius statuit ac etiam ordinavit, quod inter servitores prædictos essent & esse deberent tres presbyteri, qui curam animarum haberent Abbatissæ ac Monialium prædictarum, præsentandi per Arnaldum & Margaritam præfatos, & successores eorum. Ceterum voluit, quod per præfatam Abbatissam seu deputandas ab ea, reciperentur quadringentæ libræ annis singulis, de locis, in quibus existerent assignatæ, & per eadem administrarentur, & distribuerentur pro necessitatibus Monasterii, Monialium, & servitorum prædictorum. Concessit etiam Arnaldo & Margaritæ præfatis, auctoritate præfata, quod ipsi vel eorum alter superstes, altero decedente, & post utriusque decessum, successores eorum, qui pro tempore forent ex ipsis legitime descendentes, & ipsis descendentibus non extantibus, illi, de quibus Arnaldus & Margarita præfati ducerent ordinandum, ratione dotationis & fundationis hujusmodi, postquam ut præmittitur, factæ forent, essent ex tunc, & esse deberent patroni Monasterii prælibati, & quod ipsi ratione jurispatronatus, fundationis & dotationis prædictorum, & eorum successores præfati possent Abbatissæ ipsius Monasterii, quæ pro tempore foret, nominare & præsentare omnes & singulas puellas seu mulieres perpetuis futuris temporibus in Moniales recipiendas in Monasterio antedicto, & eadem Abbatissa nominatas præfatas, si forent idoneæ, quotiens loca vacare contingeret, in Moniales reciperet, & recipere teneretur, & eisdem induere habitum memoratum. Ac deinde dictus Joannes prædecessor, præfato Archiepiscopo Tholosano ordinandi, statuendi, & moderandi observantias & modum vivendi, juxta quos Abbatissa & Moniales prædictæ ipsius Monasterii, ut præfertur, fundandi possent dignum Deo impendere famulatum, additis, & detractis per ipsum Archiepiscopum eidem Regulæ illis, quæ secundum Deum & convenientiam religionis expedire videret, concessit plenam & liberam facultatem, prout in diversis ipsius prædecessoris inde confectis litteris plenius continetur.

Abbatissa per electionem habenda. Quæ Regula observanda.

Servitores destinati.

Jurispatronatus statuitur.

Debet Abbatissa puellas recipere.

Archiepiscopo facultas concessa.

§. III. Postmodum vero, prout petitio dictorum Arnaldi & Margaritæ nuper nobis exhibita continebat, iidem Arnaldus & Margarita præfatum Monasterium dicti Ordinis ad honorem Dei & gloriosæ Virginis Mariæ matris ejus, sub tit. & vocabulo sanctæ Mariæ Angelorum in dicto loco de Casseriis fundarunt, ac de bonis eorum propriis tam conjunctim, quam divisim usque ad dictas quadringentas libras reddituales sufficienter juxta dictum arbitrium ejusdem Archiepiscopi dotarunt, & in eo convenientia ædificia construxerunt, ac deinde dicta Margarita in eodem Monasterio ultra triginta prædictas, alias quinque Moniales instituit, quæ inibi una cum dictis XXX. inclusæ Domino famulentur.

Monasterium fundatur.

§. IV. Cum itaque, prout eadem petitio subjungebat, præfata Margarita ab hactenus ex certis & legitimis causis, habuerit, & adhuc habeat ad Or-

Augetur Monialium numerus.

Ordinem sanctæ Claræ specialem & singularem devotionis affectum, desideretque in eodem Monasterio divinum cultum, quantum cum Deo poterit, adaugeri, & propterea præfatum numerum 35. prædictarum de quindecim Sororibus augmentare, & de sex vel pluribus Fratribus Ordinis Fratrum Minorum Presbyteris, informatoribus, & instructoribus in spiritualibus, qui curam habeant animarum ipsarum Monialium, & Sororum, qui loco dictorum trium Presbyterorum secularium, quibus, ut præfertur, in prima institutione ejusdem Monasterii dicta cura commissa fuerat, admittantur, prædicta institutione de dictis tribus secularibus Cappellanis ex tunc minime valitura, & sic erunt in universo dicto Monasterio quinquaginta & sex Religiosæ personæ, quibus præter redditus assignatos, personis ibidem de præsenti degentibus intendit, juxta modum primæ assignationis quamcitius redditus ad hoc sufficientes dicta Margarita acquisiverit, & admortizari fecerit 180. libras Turonen. parvorum, per se, vel personam, seu personas alias assignare, quarum jam majorem partem acquisivit, & ipsas admortizatas etiam assignabit: pro parte ipsorum Arnaldi & Margaritæ nobis extitit humiliter supplicatum, ut statuere ac etiam ordinare, quod præfatum Monasterium ac Abbatissa & Sorores ipsius Monasterii, quæ sunt, & erunt pro tempore, perpetuo essent & esse deberent dicti Ordinis, ac statuis & Regulæ sanctæ Claræ, ipsiusque habitum gestare ac Regulam observare perpetuis futuris temporibus tenerentur. Non obstante quod Abbatissa & Moniales quæ inibi sunt præsentes, professæ fuerint Ordinem sancti Benedicti præfatum, præsertim cum omnes Moniales dicti Monasterii in eo ad præsens degentes, dicta Abbatissa & duabus ex dictis Monialibus dumtaxat exceptis, in his expresse consensisse, suumque asserantur velle præbere assensum, & nobis super hoc per suas patentes litteras supplicare. Quas quidem Moniales consentientes, nec non Abbatissam & alias duas præfatas quæ in his nunc non consentiunt, sed tunc forte consenserint, absolvere ex certa scientia postquam professæ forent dictum Ordinem sanctæ Claræ, ab Observantiis prædicti Ordinis sancti Benedicti, ita tamen quod quandiu præfata Abbatissa, quæ nunc est ejusdem Monasterii, gubernaret, et etiam regeret, quodque Abbatissa & Sorores præfatæ ex nunc non tenerentur dicere officium, nisi secundum Ordinem Ecclesiæ Romanæ sicut aliæ Sorores dicti Ordinis sanctæ Claræ Aquitaniæ Provinciæ non tenentur.

Jubentur observare Reg. sanctæ Claræ.

§. V. Electio quoque Abbatissæ eidem Monasterio pro tempore præficiendæ pertineat perpetuo ad Sorores Monasterii supradicti. Et quod beatæ Mariæ, & aliud, si per ipsam Margaritam construi & dotari contingat, Monasteria, ac Abbatissa & Sorores præfatæ non essent subjectæ Generali seu Provinciali Ministris Ordinis Fratrum Minorum prædicti, nisi si, & in quantum ipsis Ministris aliæ Sorores & Monasteria ejusdem Ordinis sanctæ Claræ dictæ Provinciæ sunt subjecta, & quod per eosdem ministros non visitarentur, nisi juxta privilegia earumdem, quodque earum Regulam statuta, & ordinationes in aliquo sine ipsarum expresso consensu immutare non possent. Et nihilominus Ministri præfati vel Fratres Ordinis Fratrum Minorum prædicti non valerent Abbatissam deponere, vel aliquam ex dictis Sororibus, absque rationabili & evidenti causa, & de ipsarum Sororum, videlicet proborum & antiquarum consilio, ad alia Monasteria transferre, & quod in aliis omnia statuta dicti Monasterii per eumdem Archiepiscopum, auctoritate prædicta, facta & etiam ordinata, in suo esse servarentur, si hoc expediens videretur. Alioquin de statu ipsius Monasterii, & aliarum personarum ejusdem, auctoritate nostra, prout expediens foret, ordinaretur salubriter, salvis privilegiis, ordinationibus, & statutis factis in favorem patronorum præsen-

Electio Abbatissæ a quibus habenda.

Monasterium quomodo Minoribus subjectum.

Nequeunt FF. Abbatiss. deponere.

ſentium & futurorum, in quibus nihil immutari deberetur, nec non quod liceret eidem Vicecomitiſſæ in dicto vel aliis Monaſteriis, eidem ſubjecto, ſi ipſum conſtrueret, de quo conſtruendo ſibi petiit per nos licentiam impertiri, ſub modo, & forma, ac privilegiis ſupradictis, viginti vel plures, prout, & quando eidem Margaritæ videretur, Sorores ponere eorumdem Ordinis, Regulæ, atque ſtatus, & certos Fratres dicti Ordinis Minorum ſecundum quod expedire videret, dum tamen ipſis per eamdem Margaritam, vel alias perſonas aſſignarentur ſufficientes redditus, juxta modum primæ aſſignationis præfatæ, ſic quod ſecundum quod aſſignarentur redditus hujuſmodi, poſſet eadem Margarita conjunctim val diviſim ponere perſonas ibidem, quodque eidem Margaritæ concedere, & etiam reſervare jus-patronatus dictarum quinque Sororum in eodem Monaſterio de redditibus ſuis propriis, ſeu aliis, poſt primam 30. Monialium inſtitutionem inſtitutarum, & dotatarum, ac etiam dictarum quindecim Sororum, & aliarum per ipſam inibi inſtituendarum, ſalvo tamen & in ſuo eſſe retento jure patronatus ſeu præſentandi puellarum & mulierum dicto Arnaldo, & ſibi, in prima inſtitutione dictarum 30. Monialium collato, reſervato, ſeu etiam ordinato. Ita quod deinde cum locus adeſſet, in loco ſingularum quinque inſtiturarum, ac quindecim & aliarum per eam inſtituendarum, ſalvo eidem Margaritæ jure, quod habet in prædictis 30. ut præfertur, ac omnium aliarum inſtituendarum per eam, ſi quæ forent, tam in dicto, quam in alio, ſi illud fieri contingeret, Monaſteriis, ipſa & ejus ſucceſſores cauſam habentes ab ea ſuper his poſſent Abbatiſſæ dicti Monaſterii, quæ pro tempore foret, nominare & præſentare omnes & ſingulas puellas ſeu mulieres perpetuis futuris temporibus in Sorores recipiendas, in Monaſteriis antedictis. Et quod dicta Abbatiſſa nominatas eaſdem recipere, ſi forent idoneæ, quotiens loca vacare contingeret, videlicet, de numero dictarum quinque, & omnium aliarum inſtituendarum per ipſam Margaritam in Sorores reciperent, & recipere tenerentur, ac eiſdem induere habitum ſanctæ Claræ Ordinis prælibati, & quod præfata Monaſteria & Abbatiſſæ ac Sorores & Fratres eorumdem, qui erunt pro tempore, omnibus privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, & libertatibus, ac aliis indulgentiis conceſſis & concedendis, auctoritate Apoſtolica vel ordinaria beatorum Franciſci & Claræ Ordinibus, deinceps gauderent & uterentur, quibus alia Monaſteria, & Sorores, ac Conventus, & Fratres ipſorum, ac perſonæ aliæ ſanctæ Claræ ac Fratrum Minorum, Ordinum præfatorum gaudent & utuntur, ac gaudebunt in antea & utentur piæ memor. Clementis Papæ V. Prædeceſſoris noſtri, qua cavetur quod locorum Ordinarii ſemel in anno Monaſteria Monialium quantumcumque exempta, valeant, auctoritate Apoſtolica, viſitare, & aliis conſtitutionibus, ordinationibus, deffinitionibus, & ſtatutis in contrarium Apoſtolica vel ordinaria auctoritate, aut alias quomodolibet editis, non obſtantibus quibuſcumque, cum ſecundum privilegia dictorum Ordinum per Generalem aut Provincialem Miniſtrum Fratrum Minorum, quibus ſuberunt, debeant viſitari: Quodque de Abbatiſſa & dictis duabus ex aliis Monialibus, quæ ad præmiſſa, ut præfertur, ſuum nolunt præbere conſenſum, nec non de aliis Monialibus ipſius Monaſterii, ſi quæ forſan in his conſentire nollent, & earum ſtatui provideretur, per nos, ſeu auctoritate noſtra, prout eis videretur ſalubriter expedire.

Ea que fundatrici licent.

Privilegia Monasterio concessa.

§. VI. Nos igitur attendentes quod circa illa mutanda, quæ ſuper ſtatu religionis dicti Monaſterii per præfatum Joannem Papam Prædeceſſorem noſtrum ſic provide, ut præmiſſum eſt, ordinata fuerint, evidens debet eſſe utilitas, & magnæ ac maturæ deliberationis examinatio adhibenda, ut exinde

inde puritati religionis, & utilitati ejufdem Monafterii non poffit detrahi, fed potius cultus ibidem amplietur divinus, & animarum commodum augeatur, & præterea de ftatu ejufdem Monafterii, & perfonarum ipfius, aliifque circumftantiis, de quibus nequaquam habemus notitiam. Volentes antequam fuper ftatu & religione ipfius Monafterii immutetur aliquid, informationem fieri pleniorem; de tuæ quoque fidelitatis & circumfpectionis induftria plenius in Domino confidentes, fraternitati tuæ per Apoftolica fcripta committimus & mandamus quatenus ad præfatum Monafterium te perfonaliter conferre procures, Abbatiffa & Monialibus fupradictis, & aliis quos hujufmodi tangit negotium, evocatis, de ftatu ejufdem Monafterii & perfonarum ipfius, & an præfatæ Abbatiffa & Moniales magis velint in Ordine S. Benedicti, quo nunc funt, remanere, vel ad Ordinem præfatum S. Claræ tranferri, fingulariter, & figillatim interrogando per juramentum, feorfum & ad partem, vota fuper his perquirendo ipfarum, & utrum ad id promiffionibus, minis, vel terroribus, feu quibufvis modis aliis illicitis fiut inductæ, nec non de commodis, & incommodis fpiritualibus & temporalibus ipfius Monafterii, et ftatus ejufdem, fuper translatione hujufmodi facienda, aliifque univerfis et fingulis circumftantiis circa præmiffa quomodolibet attendendis, folerti et fideli adhibita diligentia, et fcriptura de prædictis et eorum fingulis, confecta publica, te diligenter informare, ac veritatem inquirere non omittas. Contradictores per cenfuram Ecclefiafticam, appellatione poftpofita, compefcendo. Et fi per informationem eamdem repereris, quod omnes Moniales ipfius Monafterii, vel duæ partes earum, libere velint et confentiant fieri translationem eamdem, tuque illam, attentis omnibus fupradictis, ac deliberatione prævia, provida, et matura, commodis fpiritualibus et temporalibus ipfius Monafterii, ac perfonarum ejufdem, cognoveris expedire, translationem eamdem, et illa quæ circa eam neceffaria, vel opportuna fuerint, auctoritate noftra faciendi, et complendi, eidem fraternitati tuæ plenam concedimus tenore præfentium facultatem. Noftræ tamen intentionis et voluntatis exiftit, et auctoritate Apoftolica concedimus, quod poft translationem præfatam, fi eam fieri contingat, jufpatronatus in eodem Monafterio, juxta conceffionem prædicti Prædecefforis, præfatis Arnaldo et Margaritæ, ipforumque fucceffloribus plene et libere remaneant, ficut prius. Et nihilominus de xx. Monialibus quinque videlicet, jam, ut narratur fuperius, pofitis et inftitutis, ac xv. aliis ponendis et inftituendis per præfatam Margaritam, pofitæ et inftitutæ, ac dos fufficiens eis affignata, ut præmittitur, per eamdem fuerit; fimiliter jufpatronatus ad ipfam Margaritam, et fucceffores fuos perpetuis temporibus plane fpectet. Porro fi tibi dubium fuper his, vel ea tangentibus emerferit quoquomodo, quæ de his et aliis, petitis et fupplicatis fuperius, repereris et feceris, in publicam fcripturam redacta, ut præmittitur, nos ftudeas efficere certiores, ut ordinare confultius et commodius, quod nobis in hac parte videbitur, valeamus.

Commiffio data Epifcopo Monaft. vifitandi.

Datum Avenione VI. Kalend. Maii anno III.

LXXXIII.

Ut Parifien. Epifcopus ingredi poffit pro aliquibus functionibus Monafterium Clariffarum de longo Campo. Ibid. epift. 805.

Ad perpetuam rei memoriam.

Sacræ religionis, qua dilectæ in Chrifto filiæ Abbatiffa & Conventus Monafterii de Longo campo Ordinis fanctæ Claræ Parifien. Dioec. mun-

mundanis abdicatis illecebris, devotum & sedulum, in humilitatis spiritu exhibent virtutum Domino famulatum, promeretur honestas, sincerae quoque devotionis affectus, quo ipsae nos & Romanam reverentur Ecclesiam, nos excitat & inducit, ut ea, quae ipsis accommoda fore conspicimus, quaeque suppliciter a nobis expostulant, affectu benevolo concedamus eisdem. Hinc est quod nos devotis earum supplicationibus inclinati, ut Parisien. qui pro tempore fuerit, aut alius quivis Antistes, gratiam & communionem Apostolicae Sedis habens, pro benedictionis munere, nec non confirmatione singulis Monialibus praefati Monasterii pro tempore impendendis, quotiescumque praedictus Antistes per easdem Abbatissam & Conventum extiterit requisitus, & eis visum fuerit expedire, cum comitiva decenti libere ingredi, ac ibidem divina celebrare officia valeat; quibuscumque constitutionibus, privilegiis, ac statutis, & consuetudinibus Monasterii & Ordinis praedictorum contrariis nequaquam obstantibus, dummodo praedictus Antistes, aut aliquis de comitiva hujusmodi, ibidem non comedant, nec pernoctent, eisdem Abbatissae & Conventui, auctoritate Apostolica, tenore praesentium, de speciali gratia indulgemus. Nulli ergo, &c. nostrae concessionis, &c.

Datum apud Villam novam Avenion. Dioec. IV. Idus Maii anno III.

LXXXIV.

Praeficitur Ecclesiae Adiacen. Ex lib. 3. in append. epist. 12.

Dilecto filio Bertrando Escharpiti Electo Adiacen.

§. I. Militanti Ecclesiae, &c. *divina cooperante clementia studeamus*. Dudum siquidem, scilicet Idibus Februarii Pontificatus nostri anno II. provisiones omnium Ecclesiarum Episcopalium in Pisan. Provincia consistentium, tunc vacantium, & usque ad biennium ex tunc in antea computandum, vacaturarum, ordinationi & dispositioni nostrae, ac Sedis Apostolicae specialiter duximus reservandas, decernentes ex tunc irritum, &c. contingeret attentari.

§. II. Postmodum vero praefata Ecclesia Adiacen. in eadem Provincia consistente, per obitum bon. memor. Manfredi Episcopi Adiacen. qui nuper in partibus illis diem &c. pastoris, &c. Nos vacatione hujusmodi, &c. intellecta, ad provisionem ipsius Ecclesiae, &c. de qua nullus, &c. intromittere potest, reservatione, &c. obsistentibus, &c. ne prolixae vacationis remaneret exposita detrimentis, sollicitis studiis intendentes; post deliberationem quam, &c. diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Minorum professorem, in sacerdotio constitutum, cui de religionis zelo, litterarum &c. aliisque multiplicium, &c. apud nos, &c. perhibentur, direximus oculos, &c. Quibus omnibus, &c. de persona tua ipsi Adiacen. Ecclesiae, de praedictorum, &c. auctoritate, &c. providemus, teque illi praeficimus in Episcopum et pastorem, curam, &c. plenarie committendo, &c. *consequi merearis*.

Datum apud Villam novam Avenion. Dioec. XII. Kal. Julii anno IV. In eumdem modum Archiepiscopo Pisan. et Capitulo ac Clero Ecclesiae Adiacen.

LXXXV.

Præficitur Eccleſiæ Neopacten. Ibid. epiſt. 3.

Dilecto filio Euſtachio de Ancona Electo Neopacten.

Vid. Conſt. 54. Joann. XXII. in hoc Tomo fol. 375.

§. I. SUmmi diſpoſitione Rectoris, &c. dirigentur. Nuper ſiquidem Eccleſia Neopacten. per obitum bon. memor. Joannis Archiepiſcopi Neopacten. qui extra, &c. diem, &c. paſtoris ſolatio deſtituta, dilecti Filii Capitulum ejuſdem Eccleſiæ, vocatis omnibus qui debuerunt, voluerunt, et potuerunt commode intereſſe, die ad eligendum præfixa, ut moris eſt, convenientes in unum, et Spiritus ſancti gratia invocata, te tunc Guardianum Ordinis Fratrum Minorum de Clarentia Olen. Diœc. in Sacerdotio conſtitutum, in Neopacten. Archiepiſcopum, quaſi per inſpirationem divinam concorditer elegerunt. Tuque ſuperioris tui petita et obtenta licentia, electioni hujuſmodi de te factæ, illius tibi præſentato decreto, ad inſtantiam Capituli prædictorum conſentiens, ad Sedem Apoſtolicam perſonaliter acceſſiſti, ac hujuſmodi electionis negotium proponi feciſti in conſiſtorio coram nobis, in his omnibus ſtatutis a jure temporibus obſervatis.

§. II. Cumque poſtmodum omni juri tibi competenti ex electione præfata libere in noſtris manibus ſponte ceſſiſſes; nos hujuſmodi ceſſione admiſſa, cupientes eidem Neopacten. Eccleſiæ, ne ex vacatione diuturna ſpatiatur in ſpiritualibus ſeu temporalibus detrimentum, idoneam præſidere perſonam, quæ ſciret, &c. eam præſervare a noxiis, et adverſis ac in ſuis manutenere juribus ac etiam adaugere. Poſt deliberationem quam ſuper his, &c. Demum ad te, cui de litterarum ſcientia, morum et vitæ converſatione laudabili, maturitate conſilii, prudentia ſpiritualium, &c. ac multiplicibus aliis virtutum meritis apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, convertimus oculos noſtræ mentis. Quibus omnibus, ac etiam concordi eorumdem Capituli te eligentium voluntate, debita meditatione penſatis, de perſona tua eidem Neopacten. Eccleſiæ, de dictorum Fratrum, &c. providemus, teque illi præficimus in Archiepiſcopum et paſtorem, curam &c. plenarie committendo. In illo qui dat gratias, &c. confidentes, quod eadem Neopacten. Eccleſia ſub tuo, &c. gratia tibi, &c. proſpere dirigetur, et ſalubria, dante Domino, ſuſcipiet incrementa. Jugum igitur Domini tuis, &c.

Datum apud Villam novam Avenion. Diœc. VI. Kal. Julii anno IV.

In eumdem modum univerſis ſuffraganeis, ac Capitulo et Clero Civitatis et Diœc. Neopacten. Et Roberto Principi Tarentino.

LXXXVI.

Præficitur Eccleſiæ Gabullen. Ex lib. 3. an. 4. in append. epiſt. 18.

Venerabili Fratri Adæ Epiſcopo Gabullen.

Vide Conſt. 17. Bonif. VIII. Tom. 6. fol. 429.

APoſtolatus officium, &c. *grata ſuſcipiant incrementa.* Dudum ſiquidem Eccleſia Gabullen. per obitum ultimi Epiſcopi Gabullen. qui extra, &c. diem, &c. paſtoris, &c. Nos vacatione hujuſmodi &c. intellecta, volentes eidem Eccleſiæ, ne ulterius diſpendia, &c. paterna ſollicitudine præcavere, et ad proviſionem ipſius Eccleſiæ celerem et felicem ſollicitis ſtudiis intendentes, et cupientes talem eidem, &c. quæ ſciret, &c. ipſam in ſuis conſervare, &c. Poſt deliberationem, quam, &c. cum Fratribus, &c. diligentem; demum ad te Ordinis Fratrum Minorum profeſſorem,

in

in Sacerdotio, &c. cui de religionis, &c. aliisque multiplicium, &c. apud nos, &c. perhibentur, direximus &c. Quibus omnibus diligenti meditatione pensatis, de persona tua eidem Ecclesiæ Gabullen. de dictorum, &c. providimus, teque illi, præfecimus in Episcopum et pastorem, curam, &c. ipsius Gabullen. Ecclesiæ plenarie committendo; et subsequenter tibi per Venerabilem Fr. nostrum Bertrandum Episcopum Ostien. apud Sedem Appostolicam munus fecimus consecrationis impendi, in illo qui dat gratias, &c. confidentes, quod eadem Gabullen. Ecclesia sub tuo, &c. gratia tibi, &c. prospere dirigetur, et salubria suscipiet incrementa. Quocirca fraternitati tuæ per, &c. mandamus, quatenus ad dictam Gabullen. Ecclesiam, &c. *valeas promereri*.

Datum apud Villam novam Avenion. Dioec. IV. nonas Julii anno IV.

LXXXVII.

Præficitur Ecclesiæ Orthosen. Ibid. epist. 20.

Venerabili fratri Arnoldo Episcopo Orthosen.

INter sollicitudines varias &c. *gubernari*. Dudum siquidem Ecclesia Orthosen. per obitum ultimi Episcopi Orthosen. qui extra &c. diem &c. pastoris &c. Nos vacatione hujusmodi &c. ne ulterius &c. intendentes, et cupientes &c. quæ sciret &c. adaugere: post deliberationem, quam &c. Demum ad te Ordinis Fratrum Minorum Professorem, in Sacerdotio &c. et aliis multiplicium &c. direximus &c. Quibus omnibus &c. de persona tua eidem Orthosen. Ecclesiæ, de dictorum &c. providimus, teque illi &c. curam &c. plenarie committendo; et subsequenter tibi per Venerabilem fratrem nostrum Gaucelinum Episcopum Albanen. apud Sedem &c. munus &c. impendi: in illo qui dat &c. confidentes quod eadem Orthosen. Ecclesia sub tuo &c. dirigetur &c. suscipiet incrementa. Quocirca fraternitati tuæ &c. *valeas promereri*. Datum Avenione v. Nonas Julii anno IV.

Vide Constit. 72. hujus Pont. tom. 6. fol. 541.

In eumdem modum Patriarchæ Antiocheno, et Capitulo, ac Clero Orthosen.

LXXXVIII.

Præficitur Ecclesiæ Thelesinæ. Ibid. epist. 4.

Dilecto filio Matthæo de Aquaputrida Electo Thelesin.

§. I. PAstoralis officii debitum exigit &c. *suscipiet incrementa*. Dudum siquidem bon. mem. Thomasio Episcopo Thelesin. regimini Thelesin. Ecclesiæ præsidente. Nos cupientes eidem Ecclesiæ, cum eam quovis modo vacare contingeret, per Apostolicæ Sedis providentiam idoneam præsidere personam, provisionem ejusdem Ecclesiæ ordinationi &c. ea vice duximus specialiter reservandam; decernendo ex tunc irritum &c. contingeret attentari.

§. II. Postmodum vero præfata Ecclesia Thelesina per obitum ejusdem Thomasii, qui in illis partibus &c. pastoris solatio destituta, nos vacatione hujusmodi ipsius Ecclesiæ fide dignis relationibus intellecta, ad provisionem ipsius Ecclesiæ celerem &c. de qua nullus præter nos &c. reservatione &c. obsistentibus supradictis, ne longæ vacationis &c. paternis &c. intendentes et cupientes talem eidem Ecclesiæ præesse personam, quæ sciret &c. ipsam in suis manutenere juribus & etiam adaugere, post deliberationem quam &c. di-

diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Minorum Professorem, in Sacerdotio &c. littterarum &c. ac aliis multiplicium virtutum meritis, prout ex testimoniis fide dignis accepimus, laudabiliter insignitum, direximus oculos &c. Quibus omnibus attente discussis, de persona tua præfatæ Thelesin. Ecclesiæ de dictorum &c. providemus teque illi præficimus in Episcopum et Pastorem, curam &c. plenarie committendo; in illo qui dat gratias &c. confidentes quod præfata Thelesin. Ecclesia per tuæ industriæ &c. gratia tibi &c. regetur utiliter &c. augmentaque suscipiet, dante Domino, commodi et honoris. Quocirca discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus &c. *consequi merearis*.

Datum Avenione Idibus Julii anno IV.

In eumdem modum Archiepiscopo Beneventan. et Capitulo ac Clero Civitat. et dioec. Thelesin. et Joannæ Reginæ Siciliæ illustri.

LXXXIX.

Præficitur Ecclesiæ Thessalonicen. Ibid. epist. 21.

Dilecto filio Ludovico de Urbe veteri electo Thessalonicen.

Vide Constit. 16. Clem. V. tom. 6. fol. 459.

Regimini universalis Ecclesiæ &c. *prodesse*. Dudum siquidem Ecclesia Thessalonicen. per obitum ultimi Archiepiscopi Thessalonicen. qui extra &c. diem &c. Nos vacatione hujusmodi &c. intendentes, et cupientes eidem Ecclesiæ &c. Post deliberationem &c. Demum ad te Fratrem Ordinis Minorum Professorem, in Sacerdotio &c. et aliis multiplicium &c. direximus oculos &c. Quibus omnibus &c. de persona tua eidem Ecclesiæ &c. providemus, teque illi præficimus in Archiepiscopum et Pastorem, curam &c. plenarie committendo; in illo qui dat gratias &c. quod præfata Ecclesia per tuæ &c. augebitur &c. prosperitatis commodis et honoris. Impositum igitur a Domino in hac parte humeris tuis onus suscipiens reverenter &c. *tuisque desideriis impertiri*.

Datum Avenione III. Kalend. Augusti anno IV.

XC.

Ut prædicent crucem contra Turcas. Ex lib. secret. epist. 173.

Ministro Generali Fratrum Ordinis Minorum.

§. I. Magna repleti mentis amaritudine, tactique dolore cordis intrinsecus, dudum auditis durissimis oppressionibus, et sævissimis afflictionibus, quas gens illa Turcarum, blasphemorum et persecutorum crudelium nominis Christiani, fidelibus in Romania, et locis circumvicinis degentibus intulerant, et continue, ferali rabie, inferebant, paternæ pietatis nequivimus viscera continere, quominus eisdem fidelibus, qui, ut habebat fide dignorum relatio dolorosa, per Turcas prædictos eorum sanguinem sitientes, tam per terram, quam per mare impugnabantur hostiliter, vastabantur ignis incendiis, spoliabantur bonis suis, vulnerabantur, capiebantur, et sicut animalia ducebantur in prædam, multis in ore gladii horribiliter interfectis, providere de alicujus opportunæ defensionis et protectionis subsidio curaremus. Ideoque tam per nos et Romanam Ecclesiam, quam carissimum in Christo filium Hugonem Regem Cypri illustrem, et dilectos filios Magistrum et Fratres Hospitalis sancti Joannis Hierosolymitan. ac Ducem et commune Venetorum, et quosdam fideles alios certam armatam galea-

Turcarum in Romania contra Christianos immanitas.

learum tenendam in illis partibus pro certo tempore, illuc ordinavimus destinandam.

§. II. Postmodum autem attendentes quod negotium hujusmodi non solum ad defensionem fidei et professorum ipsius, sed ad eamdem fidem Catholicam, ad laudem et gloriam divini nominis, consolationemque totius cœtus fidelium dilatandam, ampliori egere fulcimento, quod multarum exigebat expensarum profluvia, noscebatur, ad quæ facilius et utilius supportanda fidelium auxilia et caritativa subsidia opportuna multipliciter existebant, ad hoc fideles ipsos quibusdam spiritualibus munificentiis, indulgentiis videlicet et remissionibus providimus invitandos, nonnullis Venerabilibus Fratribus nostris Archiepiscopis et eorum suffraganeis per nostras dantes litteras in mandatis, ut ipsorum singuli, videlicet in suis singulis Civitatibus et diœc. per se ac alias personas Ecclesiasticas, seculares et regulares Ordinum quorumcumque idoneas curarent publice proponere verbum Crucis, et venerabile signum ejus fidelibus illud devote suscipere volentibus, concedendo, et eorum humeris imponendo, et pro præmissis ad loca, de quibus eis videretur expediens, fideles convocando prædictos, eosque suis salubribus exhortationibus commonendo, ut recipientes cum reverentia signum Crucis, illudque suis cordibus imprimentes, contra infidelium prædictorum perfidiam insurgerent, et negotium ipsum assumerent, et prosequerentur viriliter et potenter.

Multi Christiani Principes cum Pontifice arma parant.

Ecclesiasticis demandatur prædicatio Crucis.

§. III. Ut autem fideles prædicti tanto libentius præmissa studerent prosequi, quanto ex suis laboribus potiorem gratiam se percepturos sentirent. Nos de omnipotentis Dei misericordia, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, et illa, quam nobis Deus licet indignis ligandi atque solvendi contulit potestatem, fidelibus ipsis, qui cum dicta armata, vel alias in succursum et subsidium Christianorum prædictorum, partium Romaniæ contra infideles eosdem in personis propriis, et expensis suis per mare sive per terram, infra dictum tempus proficiscerentur, et per unum annum continue vel interpolatim, eodem durante tempore, in dicti prosecutione negotii laborarent, nec non et illis, qui in eadem prosecutione decederent, vel vulnerati ex illis vulneribus ubicumque morerentur, illam suorum peccaminum, de quibus veraciter corde contriti et ore confessi fuerint, veniam duximus indulgendam, quæ concedi transfretantibus in Terræ sanctæ subsidium consuevit.

Crucesignatis indulgentiæ concessæ.

§. IV. Eis autem qui non in personis propriis, sed in suis dumtaxat expensis, juxta facultatem et qualitatem suam bellatores idoneos destinarent, per tempus prædictum in hujusmodi prosecutione negotii moraturos, et illis similiter, qui licet alienis expensis, in propriis tamen personis illuc accederent, per tempus moraturi suprascriptum; et eis etiam, qui tantum pro dicto negotio de bonis propriis erogarent, quantum essent illuc eundo, per dictum tempus morando, et inde redeundo etiam expensuri, eamdem suorum concessimus veniam peccatorum.

Et aliis qui operdant subsidium.

§. V. Hujusmodi quoque remissionis volumus & concessimus esse participes, juxta quantitatem subsidii & devotionis affectum, omnes qui ad subventionem dicti negotii de bonis suis congrue ministrarent & circa præmissa præstarent auxilium & consilium opportunum, sicut in eisdem litteris plenius continetur.

§. VI. Et licet, sicut intelleximus, nonnulli ex eisdem Archiepiscopis & Suffraganeis circa præmissa exequenda satis se reddiderint diligentes: ut prædictum tamen negotium, pro quo, sicut habet multorum fide digna relatio, divina pietatis clementia, in plerisque mundi partibus stupenda miracu-

Episcoporũ cõmendatur diligentia.

Regulares debent indulgentias publicare.

Preceptum datum Ministro.

cula operatur, ferventibus & sinceris affectibus prosequimur, amplius valeat, auctore Domino, cujus res agitur, prosperari, volumus quod de tuo ac dilectorum filiorum Prædicatorum, Eremitarum sancti Augustini & beatæ Mariæ de monte Carmelo Ordinibus, de singulis eisdem Ordinibus, videlicet in singulis Provinciis per Ordines ipsos destinatis, quatuor vel plures, seu pauciores Fratres idonei, pro ut ipsæ Provinciæ ampliores vel strictiores fuerint, & expedire videbitur, deputentur, qui solemniter in locis populosis & insignibus provinciarum ipsarum, prædicationem & publicationem faciant solemniter, diligenter, & fideliter supradictas.

§. VII. Quocirca discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus in singulis provinciis, per eumdem tuum Ordinem, ut præfertur, distinctis, assumi facias & Ordines celeriter dictos Fratres, qui zelum Dei habentes, ferventer & devote prædicationem & publicationem hujusmodi exequi fideliter, adhibita diligentia & sollicitudine, studeant & complere.

Præcedentia servanda præscribitur.

§. VIII. Ne autem propter concurrentiam Fratrum præfatorum Ordinum, qui ad præmissa, sicut premittitur, assumentur, oriri valeat dissensio, vel scandalum suscitari, sic volumus ordinari, quod in singulis eisdem locis populosis & insignibus, Fratres ipsi diebus Dominicis & festivis gradatim & successive sicut præcedunt, & subsequuntur in processionibus, ad hujusmodi prædicationem & publicationem procedant, scilicet unus Frater ex eisdem Ordinibus uno die Dominico vel festivo, secundo alius alterius Ordinis & tertio & quarto alii Ordinum aliorum subsequentibus diebus Dominicis & festivis, quousque præmissa compleverint, solemniter & devote. Ut autem Fratres ipsi ad hujusmodi officium assumendi tanto laborent circa illud sollertius & devotius, quanto ampliorem fructum ex suis laboribus hujusmodi se cognoverint percepturos, eos juxta quantitatem laboris & devotionis affectum, prædictarum indulgentiarum esse volumus & concedimus participes & consortes.

Datum Avenione III. Kalend. August. anno IV.

XCI.

Ut possit ingredi Monasterium Clarissarum a se constructum. Ex 2. par. lib. 3. epist. 375.

Dilecto filio Conrado de Marcha Ordinis Fratrum Minorum converso salutem.

§. I. DEvotionis tuæ sinceritas, quas nos & Romanam revereris Ecclesiam promeretur, ut quæ a nobis suppliciter postulas, affectu tibi benevolo concedamus.

§. II. Cum itaque, sicut ex parte tua nuper accepimus, tu qui nunc es in Ordine Fratrum Minorum novitius, olim miles secularis existens, Monasterium Monialium in Clarembergh Ordinis sanctæ Claræ Colonien. Dioec. de bonis tuis propriis fundaveris & dotaveris, & nunc in ætate decrepita constitutus existas; nos tuis supplicationibus inclinati, ut cum sex provectis & honestis Fratribus tui prædicti Ordinis dictum Monasterium Monialium, quibuscumque ipsius Monasterii statutis & consuetudinibus, & quibuslibet constitutionibus contrariis nequaquam obstantibus, libere ingredi, quando tibi videbitur, licite valeas, dummodo illius, quæ ipsi Monasterio præfuerit, ad id accedat assensus, & tu dictique Fratres ibidem non commedatis, nec etiam pernoctetis, tenore tibi præsentium indulgemus. Nulli ergo &c. nostræ concessionis &c. Datum Avenion. x. Kalend. Augusti anno IV.

XCII.

XCII.

Ut possit in eodem Monasterio eligere sibi sepulturam. Ibid. epist.377.

EIDEM.

TUæ devotionis merita exigunt, ut petitionibus tuis, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Cum itaque, sicut ex parte tua nuper accepimus &c. ut in præcedenti usque ad *nos tuis supplicationibus inclinati*. Eligendi tibi Ecclesiasticam sepulturam in aliquo loco idoneo ipsius Monasterii, de quo tibi videbitur, quibuscumque constitutionibus ac statutis & consuetudinibus Monasterii, & Ordinis prædictorum contrariis, seu quod dicti Ordinis conversus existis, nequaquam obstantibus, plenam & liberam tibi concedimus, auctoritate præsentium, facultatem. Nulli ergo &c. nostræ concessionis &c.

Datum Avenion. x. Kalend. August. anno IV.

XCIII.

Ut facultatem tribuat ædificandi Monasterium Clarissarum. Ibid. epist.383.

EPISCOPO LEODIENSI.

§. I. ILlorum vota benigno favore prosequimur, qui zelo divini amoris accensi, ad ampliandum cultum divinum, & construendum & dotandum Ecclesias seu Monasteria de ipsorum propriis facultatibus, devotis & laudabilibus desideriis animantur.

§. II. Cum itaque, sicut petitio dilecti filii nobilis viri Gerardi de Pomerio militis, tuæ Diœcef. nobis nuper exhibita continebat, idem Gerardus fervore devotionis accensus, quoddam Monasterium Monialium, ob reverentiam Dei & beatæ Mariæ Virginis matris ejus, ac beatæ Claræ, ad quas ipse gerit singularem devotionis affectum, fundare cupiat, & dotare intendat, ac propriis sumptibus, in solo proprio in tua Diœcesi consistente, competenter ædificari facere, & usque ad competentem sustentationem duodecim vel plurium Monialium & aliarum personarum eis necessariarum dotare de propriis bonis suis; nos ipsius Gerardi in hac parte laudabile propositum in Domino commendantes, ac cupientes cultum divinum, quantum cum Deo possumus, adaugeri, ipsius Gerardi devotis supplicationibus inclinati, fraternitati tuæ, de qua in his & aliis plenam in Domino fiduciam obtinemus, per Apostolica scripta mandamus, & committimus, quatenus fundandi, ut præfertur, prædictum Monasterium, dote prius ei sufficienter, ut præmittitur, juxta tuum arbitrium assignata, jure tamen Parochialis Ecclesiæ, & cujuslibet alterius semper salvo in omnibus, eidem Gerardo militi, auctoritate Apostolica, plenam & liberam licentiam largiaris.

Datum Avenion. III. Kalend. Augusti anno IV.

XCIV.

Concedit ei facultatem ædificandi Monasterium Clarissarum. Ibid. epist.448.

Alionoræ Comitissæ Ghelren.

§. I. SIncere devotionis affectus &c. *admittamus*. Sane petitio pro parte tua nobis, exhibita nuper continebat, quod tu de salute propria cogitans, & pie desiderans transitoria in æterna, felici commercio commutare, *Vid. Const. 46. Joannis XXII. tom.6. fol.478.*

re, propter specialis devotionis affectum, quem habes ad Ordinem sanctæ Claræ, necnon pro ejusdem Ordinis & divini cultus augmento, tuæque & progenitorum tuorum animarum salute, unum Monasterium Monialium dicti Ordinis infra metas Ghelren. & Sutphanien. Comitatuum construere, fundare & dotare proponis.

§. II. Nos itaque tuum hujusmodi laudabile propositum in Domino commendantes, tuis devotis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi construendi, fundandi, & dotandi sufficienter de dictis bonis propriis hujusmodi Monasterium, cum Ecclesia, campanili, campana, Cœmeterio, domibus, & aliis necessariis officinis, in loco decenti congruo & honesto. Et postquam ipsum Monasterium constructum, fundatum & dotatum fuerit, quatuor Moniales honestas & in regularibus observantiis dicti Ordinis instructas, de uno, vel pluribus Monasteriis ejusdem Ordinis, cujuscumque Diœcesis, recipiendi, & eas in eodem Monasterio, per te, sicut præfertur, constructo, fundato, & dotato, ponendi, ut ipsæ quatuor alias Moniales ipsius Monasterii de novo instituendas, in eo possint, & debeant, in dictis regularibus observantiis dicti Ordinis erudire & etiam informare, jure tamen parochialis Ecclesiæ, & cujuslibet alterius alieni in omnibus semper salvo, ac tibi etiam & successoribus tuis in dicto Monasterio per te sic constructo & dotato, Jurepatronatus perpetuo reservato, devotioni tuæ plenam & liberam, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, de speciali gratia concedimus facultatem. Nulli ergo &c. nostræ concessionis &c.

Datum Avenion. II. Kalend. Augusti anno IV.

XCV.

Ut augeri possit numerus Monialium. Ex libro I. epist. 115.

Dilectis in Christo filiabus Abbatissæ & Conventui Monasterii sanctorum Petri et Pauli Tricaricen. Ordinis sanctæ Claræ.

§. I. Petitionibus supplicum, quæ præsertim divini cultus incrementa respiciunt, libenter annuimus, & eis benignum ac facilem, quantum cum Deo possumus, impartimur assensum.

§. II. Sane petitio pro parte vestra nobis exhibita continebat, quod in Monasterio vestro per dilectum filium Ministrum Fratrum Ordinis Minorum Apuliæ Provinciæ, in qua Provincia idem Monasterium esse dignoscitur, auctoritate constitutionis, fel. record. Benedicti Papæ XII. prædecessoris nostri, certus numerus Monialium, juxta exigentiam facultatum dicti Monasterii, fuit hactenus institutus: quodque post institutionem hujusmodi numeri, facultates dicti Monasterii ex largitione& donatione dilectæ in Christo filiæ nobilis mulieris Suevæ Comitissæ Tricaricen. quæ ipsum Monasterium fundasse dicitur, & dotasse, & quæ plura proponit, ut asseritur, eidem Monasterio elargiri, præstante Domino, in futurum, adeo excreverunt, quod ex eis plures Moniales ultra prædictum numerum commode possent sustentari. Quare pro parte vestra fuit nobis humiliter supplicatum, ut augendi prædictum numerum Monialium vobis licentiam largiremur.

§. III. Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati, vobis, ut numerum ipsum, juxta excrescentiam facultatum ipsarum, de consensu Ministri Ordinis Fratrum Minorum & provinciæ præfatorum, auctoritate Apostolica, augmentare possitis, quacumque constitutione contraria non obstante, plenam concedimus, tenore præsentium, potestatem.

Datum Avenione Kalend. Augusti anno IV.

XCVI.

XCVI.

Præficitur Ecclesiæ Seleuciæ. Ex lib. 3. in append. epist. 15.

Venerabili fratri Pontio Archiepiscopo Seleuciæ.

Inter sollicitudines varias, quibus assidue premimur &c. *et salubriter valeant gubernari*. Dudum siquidem Ecclesia Seleuciæ, per obitum ultimi Archiepiscopi Seleuciæ, qui extra &c. diem &c. Pastoris: nos vacatione hujusmodi &c. intellecta; volentes eidem Ecclesiæ, ne ulterius dispendia &c. paterna sollicitudine præcavere, & ad provisionem ipsius &c. sollicitis studiis intendentes, & cupientes talem eidem Ecclesiæ præesse personam, quæ sciret &c. ipsam in suis conservare juribus, & etiam adaugere; post deliberationem, quam super &c. diligentem: demum ad te Ordinis Fratrum Minorum professorem, in Sacerdotio &c. cui de religionis &c. & aliis multiplicium &c. perhibentur, direximus oculos &c. Quibus omnibus debita &c. de persona tua eidem Ecclesiæ, de dictorum &c. providemus, teque illi præficimus in Archiepiscopum & Pastorem, curam &c. plenarie committendo. Et subsequenter tibi per venerabilem fratrem nostrum Bertrandum Episcopum Ostien. apud Sedem Apostolicam de mandato nostro, munere consecrationis impenso, pallium de corpore beati Petri sumptum, insigne videlicet plenitudinem Pontificalis officii a te, cum ea qua decuit instantia, postulatum, per dilectum filium nostrum Raymundum sanctæ Mariæ Novæ Diaconum Cardinalem fecimus exhiberi; in illo qui dat gratias &c. *valeas promereri*.

Vide Constit. 68. hujus Pontif. fol. 558.

Datum Avenione VII. Idus Augusti anno IV.

XCVII.

Ut possit augeri numerus Monialium. Ibidem epist. 212.

Dilectis in Christo filiabus Abbatissæ et Conventui Monasterii sanctæ Mariæ Annuntiatæ de Jenzano, Ordinis sanctæ Claræ, Acheruntin. Diœc.

§. I. Petitionibus supplicum, præsertim quæ divini cultus augmentum respicere dignoscuntur, libenter annuimus, ac eis benignum & facilem, quantum cum Deo possumus, impartimur assensum.

§. II. Sane nobis exhibitæ pro parte vestra petitionis series continebat, quod in Monasterio vestro dudum per dilectum filium nobilem virum Robertum de sancto Severino, Comitatus Corbiani Dominum, prout asseritur, sufficienter dotato, certus Monialium numerus per dilectum filium Ministrum Fratrum Ordinis Minorum Provin. Apuliæ, in qua quidem provincia Monasterium ipsum consistit, assignandus, auctoritate constitutionis fel. record. Benedicti Papæ XII. prædecessoris nostri, fore dignoscitur institutus, quodque post institutionem hujusmodi, Monasterium ipsum, divina favente clementia, est adeo in facultatibus augmentatum, quod ex eis aliæ plures Moniales, ultra numerum ipsum possunt ibidem congrue sustentari. Quare pro parte vestra fuit nobis humiliter supplicatum, ut augendi hujusmodi Monialium numerum vobis elargiri licentiam dignaremur. Nos igitur vestrum hujusmodi laudabile propositum in hac parte commendantes, ac cupientes cultum augeri divinum, vestris hujusmodi supplicationibus inclinati, vobis ut numerum prælibatum, juxta hujusmodi excrescentiam facultatum, de ipsius Ministri consilio & assensu licite augmentare possitis, prædicta & alia con-

constitutione quacumque contraria non obstante, discretioni vestræ plenam & liberam, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, concedimus facultatem.

Datum Avenione VI. Idus Augusti anno IV.

XCVIII.

Ut faciat permutari quosdam fundos in usum Minorum. Ibid. epist. 307.

Venerabili fratri Episcopo Sistaricen.

§. I. EXhibita nobis pro parte dilectorum filiorum Guardiani & Fratrum Ordinis Minorum Sistaricen. petitio continebat, quod juxta locum Conventus eorum quidam fundus sive campus, quadam intermedia via, pro quo unus ex Canonicis tuæ Sistaricen. Ecclesiæ ratione præbendæ suæ, quam in Ecclesia obtinet, quinque libras, & quatuordecim solidos censuales dumtaxat consuevit percipere annuatim, quodque prædicti Guardianus & Fratres ab inde enormitates quamplurimas, quæ perpetrantur inibi, summoveri, locumque ipsorum prædictum, qui valde arctus existit, ampliari aliqualiter cupientes, septem libras similis monetæ, in æque bono fundo & pleno dominio parati sunt assignare dicto Canonico annuatim pro fundo seu campo hujusmodi, eis a carissima in Christo filia nostra Joanna Regina Siciliæ illustri, ut asserunt, jam concesso. Quare prædicti Guardianus & Fratres nobis humiliter supplicarunt, ut permutationem fundorum seu locorum hujusmodi faciendi, auctoritate Apostolica, licentiam concedere dignaremur.

§. II. Nos igitur de præmissis notitiam non habentes, gerentes quoque de tuæ circumspectionis industria, in his & aliis fiduciam in Domino specialem, fraternitati tuæ per Apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus vocatis eodem Canonico & aliis, qui fuerint evocandi, si inveneris ita esse, & conditionem ipsius præbendæ ex hoc fieri meliorem, permutationem fundorum, seu locorum ipsorum, auctoritate præfata, facias, prout discretioni tuæ videbitur expedire; ac demum si permutatio hujusmodi fieri contigerit, ut præfertur, Guardianum & Fratres eosdem, vel procuratores ipsorum nomine suo, per te, vel alium, seu alios in corporalem possessionem hujus fundi seu campi juxta dictum ipsorum locum, ut præmittitur, consistentis, auctoritate præfata, inducas, & defendas inductos, amotis exinde quibuslibet detentoribus ab eodem, juramento de non alienandis possessionibus, seu quibusvis aliis bonis ad ipsam Ecclesiam pertinentibus, necnon constitutionibus Apostolicis, ac statutis & consuetudinibus Ecclesiæ prælibatæ, contrariis non obstantibus quibuscumque &c. contradictores &c. postposita compescendo.

Datum Avenione II. Idus Augusti anno IV.

XCIX.

Præficitur Ecclesiæ Tanen. Ex libr. 2. epist. 11.

Venerabili fratri Henrico Episcopo Tanen.

Vide Constit. 15. Clementis V. tom. 6. fol. 464.

REgimini universalis Ecclesiæ &c. *præesse utiliter ac prodesse*. Dudum siquidem Ecclesia Tanen. per obitum ultimi Episcopi Tanen. qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, Pastoris solatio destituta: nos vacatione hujusmodi ipsius Ecclesiæ fide dignis relatibus intellecta, volentes eidem Ecclesiæ, ne ulterius dispendia prolixæ vacationis incurreret, pa-

paterna sollicitudine præcavere, & ad provisionem ipsius Ecclesiæ celerem & felicem sollicitis studiis intendentes, & cupientes eidem Ecclesiæ talem præesse personam, quæ sciret &c. ipsam in suis juribus conservare, ac etiam adaugere, post deliberationem, quam &c. diligentem; demum ad te Ordinis Fratrum Minorum professorem, in Sacerdotio &c. cui de religionis zelo &c. morum, & aliis multiplicium virtutum meritis apud nos fide digna testimonia perhibentur, direximus oculos nostræ mentis; quibus omnibus debita &c. de persona tua eidem Ecclesiæ de Fratrum &c. auctoritate Apostolica providimus, teque illi præfecimus in Episcopum & Pastorem, curam&c. ejusdem Tanen. Ecclesiæ tibi &c. plenarie committendo, tibique postmodum fecimus per venerabilem fratrem nostrum Joannem Episcopum Portuen. apud Sedem Apostolicam munus consecrationis impendi. In illo qui dat gratias &c. confidentes, quod præfata Ecclesia per tuæ industriæ, ac circumspectionis fructuosum studium regetur utiliter, et salubriter dirigetur ac votivis augebitur, auctore Domino, prosperitatis commodis & honoris. Quocirca fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad eamdem Tanen. Ecclesiam &c. *favorem benevolum impertiri*.

Datum Avenione XVIII. Kalend. Septemb. anno IV.

C.

Commendantur Legata Sanciæ Reginæ, & Monasterium sanctæ Crucis ab ea constructum. Ex libr. secret. epist. 319.

Andreæ Regi Siciliæ illustri.

Relatu fide dignorum percepto, quod claræ memoriæ Sancia Regina Siciliæ in suo testamento ultimo per ipsam, dum viveret, condito, multa pia opera pro suæ salute animæ, fieri ordinans & disponens, ad ea complenda legavit personaliter bona sua; Nos ad quos providere pertinet, quod piæ dispositiones decedentium compleantur, desiderantes ea, quæ pie dicta Regina in eodem testamento disposuit, adimpleri; executionem ejusdem testamenti, & illius executores, necnon Monasterium sanctæ Crucis per eamdem Reginam constructum, ut intelleximus, benevolentiæ Regiæ propensius commendamus.

Datum Avenione XII. Kal. Septembris anno IV.

CI.

Ut restitui faciant bona per Sanciam Reginam relicta in pios usus. Ibidem epist. 318.

Joanni Archiepiscopo Neapolitan. & Guillelmo Episcopo Carnoten. Apostolicæ Sedis Nuncio.

§. I. Perlatum his diebus extitit ad nostri Apostolatus auditum, quod claræ memoriæ Sancia Regina Siciliæ, de suæ salute animæ sollicita, dum ageret in humanis, certa bona deposuit, seu donavit pro complendis quibusdam piis operibus per eam inceptis: & nihilominus in suo testamento seu dispositione ultima, multa fecit legata, & etiam nonnulla bona sua in pios usus dispensari & erogari mandavit, certis super his executoribus deputatis, quodque Regina ipsa, sicut Domino placuit, postmodum ab hac luce subtracta, quidam avaritiæ cæcitate percussi, ad bona præfata per eamdem Reginam dimissa, de quibus solvi debebant legata hujusmodi, & illa

Vide infra Bullam 2.

Sanciæ Reginæ legata non adimpleta.

Et Monasterium S. Crucis molestatum. illa quæ pie, ut præfertur, ordinaverat, exequi & compleri, manus extendentes impias & rapaces, non solum bona hujusmodi deposita, donata, & dimissa, & etiam litteras, instrumenta, munimenta, & scripturas occupare ac subtrahere, quin potius tam ipsi, quam multi alii executionem testamenti, seu ultimæ dispositionis dictæ Reginæ impedire; necnon Monasterium sanctæ Crucis Neapolitan. Ordinis sanctæ Claræ constructum per eamdem Reginam, & ubi corpus ejus Ecclesiasticæ traditum est sepulturæ, molestare indebite suis iniquis & malitiosis, calumniosis fraudibus moliuntur.

Ea quæ Commissarii agere debent præscribuntur. §. II. Nos igitur, qui ex debito servitutis Apostolicæ nobis injunctæ desuper, debemus esse solliciti, providere, quod piæ dispositiones decedentium compleantur, ac Monasteriorum & locorum religiosorum indemnitatibus consulatur, hujusmodi malitiis & fraudibus obviari, & excessus, mediante justitia, corrigi cupientes, fraternitati vestræ, de qua fiduciam gerimus in Domino specialem, per Apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus vos vel alter vestrum, per vos, vel alium, seu alios, omnes & singulos occupatores, seu detentores illicitos bonorum prædictorum, aut litterarum, instrumentorum, munimentorum, & scripturarum hujusmodi, seu turbatores & impeditores testamenti seu ultimæ dispositionis ejusdem Reginæ, vel molestatores injuriosos Monasterii supradicti, cujuscumque status, ordinis, præeminentiæ, dignitatis vel conditionis existant, etiamsi Pontificali, vel quavis alia præfulgeant dignitate, de quibus simpliciter & de plano, sine strepitu & figura judicii vobis constiterit, ad restituendum & reponendum in loco debito, & manibus executorum prædictorum bona hujusmodi, ac litteras, instrumenta, munimenta, & scripturas occupata, subtracta, detenta, vel asportata per ipsos, ut inde possit fieri, exequi, & compleri libere, quod Regina disposuit supradicta, & ad desistendum a turbatione seu impedimento executionis prædictæ, ac molestatione indebita Monasterii prælibati, prævia monitione, auctoritate nostra, per censuram Ecclesiasticam, & alia juris remedia, appellatione postposita, canonice compellatis. Et nihilominus illos, quos deliquisse super præmissis, vel ea tangentibus repereritis taliter, juxta qualitatem excessus & delicta cujuslibet, & statuta canonum, sic corrigere, punire, & etiam providere curetis, quod talia vel similia non attententur de cetero, sed metu pœnæ talium, terreantur & ceteri, & eis præcludatur in similibus aditus delinquendi. Invocato etiam ad hoc si opus fuerit, & expedire videretis, auxilio brachii secularis. Non obstantibus quibuscumque tam exemptionis &c. *indulto hujusmodi mentionem*.

Datum Avenione XII. Kal. Septembris anno IV.

CII.

Stabilitur certus numerus Monialium in Monasterio Clarissarum Sistaricen. Ex lib. I. epist. 181.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. Apostolicæ Sedis consueta benignitas piis votis petentium annuere consuevit, & honestis eorum precibus favorem benevolum impertiri. Exhibita siquidem nobis dilectarum in Christo filiarum Abbatissæ & Conventus Monasterii & Monialium Sororum Minorissarum Sistaricen. Ordinis sanctæ Claræ petitio continebat, quod dudum, cum in dicto Monasterio, in tantum earumdem Sororum numerus excrevisset, quod eisdem non

Sororum numerus nimis auctus. sufficiebant dicti Monasterii facultates, & propter importunitatem petentium timeretur verisimiliter, nisi super hoc de remedio provideretur celeriter,

riter, quod dictus numerus amplius augeretur, dilectus filius Jacobus Minister Provincialis Ordinis Fratrum Minorum Provinciæ Provinciæ in civitate Sistaricen. existens, attendens quod Monasterium antedictum causa visitationis Monasterii, Abbatissæ & Monialium præfatarum, eisdem Abbatissæ & Monialibus ad sonum campanulæ, ut moris est, in earum Capitulo congregatis, de ipsarum Abbatissæ, Conventus, & Monialium expresso, & concordi consensu, nulla penitus discrepante, quinimo omnibus ipsis communi voce de hoc potius postulantibus, volens certum sociarum sive Monialium numerum ibidem statuere, prout sibi in specialissimam ordinationem fel. record. Benedicti Papæ XII. Prædecessoris nostri super hoc editam, ex officio incumbebat, cum ejusdem Monasterii facultates, attentis ipsius Monasterii aliis oneribus, non bene sufficerent pro quadraginta Monialibus sustentandis ibidem, ordinavit, statuit, & decrevit, quod nulla ex tunc ibi reciperetur, vel posset recipi in Sororem, quousque illæ, quæ tunc erant ibidem, ad triginta novem Sorores essent redactæ, nec possent ex tunc ultra prædictum numerum quadragenarium adaugeri: & nihilominus dictus Minister, prædicto consensu Abbatissæ Conventus & Monialium earumdem prius habito, ut præfertur, eisdem Abbatissæ & singulis Sororibus præcepit exprese in virtute sanctæ obedientiæ salutaris, ne ipsarum aliqua ultra præfatum numerum, directe, vel indirecte, aliquid præsumeret attentare. Quam quidem obedientiam præfatæ Abbatissa, Conventus, & Moniales, non solum grato & prompto animo receperunt, sed etiam hujusmodi statutum numerum quadragenarium, postquam ad triginta novem reductæ fuerint, se velle perpetuo inviolabiliter observare, & nullam interim recipere in Sororem ejusdem Monasterii, juramento ad sancta Dei evangelia per Abbatissam & singulas Moniales antedictas præstito corporali, sua voluntate spontanee firmaverunt. Quare pro parte dictarum Abbatissæ, & Conventus, ac Monialium nobis extitit humiliter supplicatum ut prædictum numerum sic ordinatum, auctoritate Apostolica, confirmare de benignitate Apostolica dignaremur.

Provincialis visitantis provisio.

Moniales libenter ordinationi consentiunt;

Et eam confirmari postulant.

§. II. Nos itaque earumdem Abbatissæ, Conventus, & Monialium devotis in hac &c. inclinati præfatum numerum quadragenarium, per eumdem Ministrum, ut præmittitur, ordinatum, ratum & gratum habentes, illi sub infrascripto moderamine, auctoritate Apostolica, ex certa scientia confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Eadem auctoritate nihilominus statuentes, quod nulla de cetero etiam per litteras Apostolicas imposterum impetrandas, recipiatur in dicto Monasterio in Sororem, quousque ad dictum quadragenarium numerum sit deventum: ac decernentes irritum &c. extiterit attentatum. Volumus tamen, quod illis, pro quibus recipiendis ibidem, jam scripta Apostolica decreta fuerunt, nullum præjudicium generetur. Nulli ergo &c. nostræ gratificationis, confirmationis, communionis, statuti, constitutionis, & voluntatis &c.

Datum apud Villam novam Avenion. Diœc. XII. Kal. Octobris anno IV.

CIII.

Ut absque contradictione perficiatur structura Monasterii Clarissarum Beglen.
Ex lib. I. epist. 296.

Episcopo Elboren.

§. I. Exigit puræ devotionis sinceritas, quam dilecti filii populus & communitas Castri Begien. tuæ Diœc. ad nos & Romanam gerunt Ecclesiam, ut eorum desideriis, præsertim in iis, quæ pietatem sapiunt, cultum-

Exordium.

tumque divinum, & profectum reſpiciunt animarum, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus.

Communitas loci vult Clariſſis Monaſter. conſtruere.

Reges Luſit. primum lapidem ponunt.

Et Card. Protector licentiam impartitur.

Capitulum obſtat.

Supplicatio Sedi Apoſt. facta.

§. II. Exhibitæ ſiquidem nobis prædictorum populi, & communitatis petitionis ſeries continebat, quod dudum ipſi in honorem beatæ Claræ virginis, & pro ſalute animarum ſuarum, Monaſterium in loco decenti conſtruere inceperunt, in quo Monaſterio deinceps Sorores Ordinis ejuſdem ſanctæ Claræ Domino deſervirent, in cujus Monaſterii fundamento cariſſimus in Chriſto filius noſter Alphonſus Rex, & cariſſima in Chriſto filia noſtra Beatrix Regina Portugalliæ illuſtres, in quorum regno caſtrum præfatum conſiſtit, eorum manibus propriis primarios lapides, invocato Chriſti nomine, collocarunt, quodque cum ipſi populus & communitas, habita ſuper hoc licentia dilecti filii noſtri Taylarandi Tit. ſancti Petri ad Vincula Presbyteri Cardinalis, ejuſdem Ordinis Protectoris, prædictum inchoatum Monaſterium ad perfectionem vellent deducere, & Sorores, juxta dictæ Sanctæ Regulam, & ipſius Ordinis inſtituta ibidem concupiſcerent Domino famulari, etiam de tui licentia; dilecti filii Capitulum Eccleſiæ Elboren. cum Rectoribus Eccleſiarum dictæ Diœceſis præmiſſis indebite ſe opponunt, allegantes, quod propter multa privilegia indulta a Sede Apoſtolica ſupradicto Ordini, multiplicatio hujuſmodi Monaſteriorum cedit in damnum & detrimentum jurium præfatæ Eccleſiæ Elboren. Quare prædicti populus & communitas nobis humiliter ſupplicarunt, ut cum propter impedimentum hujuſmodi eorumdem Regis & Reginæ defraudetur voluntas, dictique populi impediatur devotio, & prohibeatur intentio cupientium dicto Monaſterio manus porrigere adjutrices, & impediendi hujuſmodi ſanctum opus, nulla rationabilis occurrat occaſio, pro eo quod in Elboren. neque in duobus eidem contiguis, videlicet, Pacen. & Silven. Epiſcopatibus, nullum ejuſdem Ordinis ſanctæ Claræ Monaſterium exiſtit, eis ad exaltationem Catholicæ fidei, & augmentum divini cultus, perficiendi Monaſterium ſupradictum, & collocandi Sorores dicti Ordinis in eodem, dictiſque Sororibus collocatis habendi ibidem Eccleſiam cum campanili & campana, necnon cœmeterium, cum neceſſariis & ſolitis officinis, & aliis ædificiis habitationi dictarum Sororum congruentibus, juxta morem Ordinis ſupradicti, oppoſitione hujuſmodi non obſtante, licentiam, de benignitate Apoſtolica, concedere dignaremur.

Licentia conceditur.

§. III. Nos itaque hujuſmodi laudabile deſiderium, ſalubreque propoſitum dictorum populi & communitatis, dignis in Domino laudibus commendantes, fraternitati tuæ, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, concedendi, auctoritate Apoſtolica, eiſdem populo & communitati, ac Sororibus collocandis hujuſmodi, licentiam poſtulatam, niſi præfati Capitulum juſtam cauſam habeant ſe opponendi præmiſſis, jure parochialis Eccleſiæ, ac cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo: non obſtan. fœl. record. Bonifacii Papæ VIII. Prædeceſſoris noſtri &c. *valeant commode inibi ſuſtentari.*

Datum Avenione III. Nonas Novembris anno IV.

CIV.

Ut regant Monaſterium Clariſſarum Senen. Ibidem epiſt. 341.

Dilectis filiis Guardiano, et Fratribus Ordinis Minorum Senen.

§. I. Exhibita nobis pro parte dilectorum filiorum executorum teſtamenti quondam Nicolactii Petronii de Petronibus laici Senen. petitio continebat, quod olim dictus Nicolactius in ſuo teſtamento, quod conſtitutus in ultimis condidit, mandavit, quod de bonis ſuis fundaretur et

con-

construeretur unum Monasterium, cum Ecclesia, domibus, et aliis necessariis officinis, bene clausum, sub beati Nicolai vocabulo, ad opus Monialium Ordinis sanctæ Claræ, in quo Monasterio duodecim Moniales, Abbatissa in dicto numero computata, ponerentur inibi sub ejusdem Sanctæ regula Domino servituræ, quibus pro vita et necessariis earumdem de bonis dicti Nicolactii, deberent per dictos executores dotes sufficientes et redditus assignari; quodque dicti executores exequentes præfati testatoris piam in hac parte, et laudabilem voluntatem, hujusmodi Monasterium infra muros Civitatis Senen. de licentia venerabilis fratris nostri Episcopi Senen. juxta mandatum dicti testatoris construxerunt, illudque sufficientibus redditibus pro dictarum Abbatissæ & Monialium sustentatione dotaverunt.

§. II. Nos igitur divini cultus augmentum desiderabiliter affectantes, dictorum executorum supplicationibus inclinati, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, dictum Monasterium sancti Nicolai ad dictæ Sanctæ Ordinem recipiatis eumdem, ac de Monasterio sanctæ Claræ Senen. dicti Ordinis unam pro Abbatissa dicti Monasterii sancti Nicolai, et duas alias Moniales idoneas pro instruendis aliis Monialibus inibi, auctore Domino, recipiendis, hac vice assumere, ac in dicto Monasterio sancti Nicolai ponere, auctoritate Apostolica, studeatis. Illam de ipso Monasterio sancti Nicolai curam de cetero habituri, quam Fratres Ordinis Minorum gerunt, & habent de Monasteriis aliis dicti Ordinis sanctæ Claræ.

Datum Avenion. Nonis Decembris anno IV.

CV.

Ut recipere possit domum in castro de Cecano. Ex 2. par. lib. 3. epist. 415.

Dilecto filio Ministro Provinciæ Romanæ Ordinis Fratrum Minorum. Salutem.

§. I. SAcræ tuæ Religionis, in qua virtutum Domino devotum, et sedulum exhibes obsequium, promeretur honestas, ut votis tuis, præsertim quæ divini cultus augmentum et fidelium animarum respiciunt, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus.

§. II. Cum itaque, sicut nuper venerabilis frater noster Anibaldus Episcopus Tusculanus nobis exposuit, ipse ad Fratrum Minorum Ordinem habeat specialis devotionis affectum, tuque zelo piæ devotionis accensus, unam domum seu locum unum pro Fratribus dicti Ordinis, in qua possint Domino famulari, in Castro de Cecano Ferentinar. Dioec. recipere, construere, et ædificare desideres et proponas, nobis pro parte tua humiliter supplicavit, ut tibi faciendi præmissa licentiam concedere dignaremur. Nos igitur tuum hujusmodi laudabile propositum in Domino commendantes, dictum locum congruum & honestum, si alias illum a te canonice acquiri, seu ad Fratres dicti Ordinis pervenire contingat, recipiendi in dicto Castro, et in eo capellam cum campanili et cœmeterio pro dictis Fratribus, necnon domos, et alias necessarias officinas construendi et ædificandi, in qua Fratres dicti Ordinis inhabitare valeant, et in eo perpetuo Altissimo deservire, absque tamen juris parochialis Ecclesiæ, et cujuslibet alterius præjudicio alieni: fel. record. Bonifacii Papæ VIII. &c. *indulgemus*. Nulli ergo &c. nostræ commendationis et concessionis &c.

Datum Avenione IV. Idus Decembris anno IV.

CVI.

CVI.

Ut ingruentibus bellis transire possint ex suo Monasterio ad hospitium in castro præparatum. Ibidem epist. 310.

Dilectis in Christo filiabus Abbatissæ et Conventui Monasterii sancti Marcelli de Pogeto, prope Castrum novum de Vallibus, Ordinis sanctæ Claræ Caturcen. Diœc.

§. I. DEvotæ Religionis vestræ sinceritas, qua Domino continue per obsequiorum gratitudinem acceptas vos redditis & devotas, merito promeretur, ut vestris petitionibus favorabiliter annuentes, illa vobis liberaliter concedamus, quæ statui vestræ Religionis, & honestati conformia fore conspicimus opportuna.

§. II. Sane petitio pro parte vestra nobis exhibita continebat, quod cum vos propter pericula,quę ex fremituum guerrarum diffidiis sunt noviter in illis,& aliis circumvicinis partibus suscitata, plurimum formidetis,ne relicto vestro prædicto Monasterio, ad quod cuilibet sine obstaculo quocumque liber patet accessus, Castrum novum de Vallibus prædictum intrare cogamini, ibique in proprio hospitio venerabilis fratris nostri Bertrandi Episcopi Ostien. fundatoris vestri Monasterii, de ipsius beneplacito commorari, vobis,& statui vestro super hoc de opportuno dignaremur remedio providere.

§. III. Nos itaque vestris & ejusdem Episcopi humilibus in hac parte supplicationibus inclinati, si propter præmissa, Monasterium præfatum vos exire forsan contingat, ad præfatum hospitium ipsius Episcopi infra dictum Castrum, ut præmittitur, constitutum, accedendi, morandique in illo, & in eo habendi altare portatile, in loco ad hoc congruo & honesto, cum debita tamen reverentia & honore, super quo per Seculares vel Religiosos Sacerdotes Missam, & alia divina officia facere celebrari, eademque divina officia ibidem dicere cantando & legendo possitis, hujusmodi durantibus guerrarum periculis, totiens quotiens, etiam post vestrum discessum a dicto Monasterio, & reditum ad illud, similem casum imminere contigerit. Non obstan. quibuscumque Apostolicis, & aliis constitutionibus ac statutis, & consuetudinibus Ordinis & Monasterii prædictorum contrariis,devotioni vestræ, tenore præsentium, indulgemus. Nulli ergo &c. nostræ concessionis &c.

Datum Avenione XVII. Kal. Januarii anno IV.

ANNO CHRISTI 1346. CLEMENTIS VI. ANNO 4. & 5.

CVII.

Præficitur Ecclesiæ Naulen. Ex lib. 2. epist. 48.

Venerabili fratri Amedeo Episcopo Naulen.

§. I. CReditæ nobis dispensationis urgemur officio &c. *votivæ prosperitatis successibus gratulentur.* Olim siquidem bonæ memoriæ Theodosio Episcopo Naulen. regimini Naulen. Ecclesiæ præsidente; nos cupientes ipsi Naulen. Ecclesiæ, cum eam vacare contingeret, utilem et fructuosam per Apostolicæ Sedis providentiam præesse personam, provisionem Ecclesiæ præfatæ dispositioni nostræ et Sedis Apostolicæ, ea vice &c. decernentes ex tunc irritum &c. contingeret attentari.

§. II. Postmodum vero dicta Naulen. Ecclesia, per obitum ipsius Theodosii,

dosii, qui extra curam &c. diem &c. pastoris &c. destituta: Nos vacatione hujusmodi &c. ad provisionem ipsius Ecclesiæ Naulen. &c. de qua nullus &c. se intromittere potest &c. ne longæ vacationis &c. intendentes, cupientes quoque ipsi Ecclesiæ Naulen. talem præesse personam, quæ sciat &c. eam præservare &c. ac in suis &c. ac etiam adaugere; post deliberationem, quam &c. diligentem, demum ad te tunc Langonen. Episcopum, consideratis grandium virtutum meritis, quibus personam tuam altissimus insignivit, et quod Langonen. Ecclesiæ laudabiliter hactenus præfuisti, convertimus oculos &c.

§. III. Intendentes itaque tam dictæ Naulen. Ecclesiæ, quam gregi Dominico ejusdem salubriter et utiliter providere, te a vinculo, quo ipsi Langonen. Ecclesiæ, cui tunc præeras, tenebaris, de Fratrum nostrorum consilio, et Apostolicæ potestatis plenitudine absolventes, te ad præfatam Naulen. Ecclesiam transferimus, teque ipsi præficimus in Episcopum et Pastorem, curam &c. ejusdem Naulen. Ecclesiæ tibi tam &c. plenarie committendo, liberamque tibi dando licentiam, ad præfatam Naulen. Ecclesiam transeundi, firma spe, fiduciaque conceptis, quod dirigente Domino actus tuos, præfata Naulen. Ecclesia per tuæ industriæ &c. regetur &c. et prospere dirigetur, grataque in eisdem spiritualibus &c. suscipiet incrementa. Quocirca fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus &c. *continuum percipere incrementum*.

Datum Avenione XV. Kalend. Martii anno IV.
In eumdem modum Archiepiscopo Januen.

CVIII.

Præficitur Ecclesiæ Pacten. Ex lib. 2. epist. 63.

Dilecto filio Petro dicto Theutonico, Electo Pacten.

Sollicitæ considerationis indagine præscrutantes, quam sit onusta periculis, quam plena dispendiis, quantaque secum incommoda protrahat Ecclesiarum vacatio diuturna &c. *felicibus proficiant incrementis*. Dudum siquidem bon. mem. Vincentio Episcopo Pacten. regimini Pacten. Ecclesiæ præsidente: nos intendentes eidem Ecclesiæ, cum vacaret, per Apostolicæ Sedis providentiam, idoneam præesse personam, provisionem ipsius Ecclesiæ dispositioni nostræ &c. reservandam. Decernentes ex tunc irritum &c. contingeret attentari. Postmodum vero præfata Ecclesia, per obitum ejusdem Vincentii, qui nuper extra &c. diem &c. pastoris &c. Nos vacatione hujusmodi &c. ad provisionem ipsius Ecclesiæ &c. de qua nullus &c. reservatione et decreto obsistentibus hujusmodi, ne ipsa Pacten. Ecclesia longæ &c. paternis &c. intendentes, et cupientes eidem Ecclesiæ talem &c. quæ sciret &c. a noxiis et adversis, ac in suis manutenere &c. Post deliberationem quam super his &c. demum ad te Ordinis Fratrum Minorum Professorem, in Sacerdotio &c. litterarum &c. in spiritualibus &c. circumspectum, et aliis multiplicium &c. pro ut fide dignorum assertione percepimus, insignitum, direximus &c. Quibus omnibus debita &c. de persona tua eidem Ecclesiæ Pacten. de dictorum &c. auctoritate &c. providemus, teque illi &c. in Episcopum et Pastorem, curam &c. ipsius Pacten. Ecclesiæ &c. plenarie committendo &c. *uberius valeas promereri*.

Datum Avenione XV. Kalend. Martii anno IV.
In eumdem modum Archiepiscopo Messanen.

CIX.

Ut Monasterium Clarissarum de Casseriis gaudeat privilegiis Ordinis sanctæ Claræ, & non aliis. Ex lib. 1. epist. 505.

Ad perpetuam rei memoriam.

Præfatio:

§. I. SEdis Apostolicæ providentia circumspecta circa statum Ecclesiarum, et Monasteriorum omnium salubriter dirigendum, solerter invigilat, ut ipsorum Ministri, et personæ juribus eorum contenti, quorumlibet jurgiorum summota materia, in pacis tranquillitate quiescant, et devotum impendant liberius Domino famulatum.

§. II. Petitio siquidem Venerabilis fratris nostri Guillelmi Episcopi sancti Papuli nuper nobis exhibita continebat, quod dudum nos Monasterium beatæ Mariæ Angelorum de Casseriis, nunc sanctæ Claræ, tunc sancti Benedicti Ordinum, sancti Papuli diœcesf. quod dilectus filius nobilis Vir Vicecomes, et dilecta in Christo filia nobilis mulier Margarita Vicecomitissa Caramanni uxor ejus, pro divini cultus, ac Religionis augmento, et animarum suarum salute, in dicto loco de Casseriis, in honorem, et sub vocabulo ejusdem beatæ Mariæ Angelorum fundasse, ac de bonis eorum propriis dotasse dicebantur, in quo dilectæ in Christo filiæ Abbatissa et Conventus dicti Monasterii, mundanis ab eis relegatis illecebris, devotum impendebant altissimo famulatum, nec non membra ipsius ac Ecclesias, oratoria, domos, loca, ac omnia bona eorum ad Abbatissam et Conventum, ac Monasterium præfata spectantia, et quæ, et quas, Deo propitio, eas in futurum habere juste contingeret, cum omnibus juribus et pertinentiis suis, et personis aliis in eis degentibus, tum præsentibus et futuris, dum idem Monasterium dicti Ordinis sancti Benedicti existeret, in jus et proprietatem beati Petri, et Apostolicæ Sedis suscepimus, illos et illas, tam a potestate et jurisdictione Episcopi qui esset pro tempore, et dilectorum filiorum Capituli sancti Papuli, quam cujuscumque Prælati, seu personæ Ecclesiasticæ totaliter perpetuo eximentes, ac decernentes eas et Monasterium, membra, Ecclesias, oratoria, domos, loca, personas, et quæcumque bona earum prædicta, et ad eas pertinentia, soli Romano Pontifici et Sedi Apostolicæ, absque ullo medio, subjacere; ita quod locorum Ordinarii, aut alius quicumque Prælatus, seu quævis alia persona Ecclesiastica, in Abbatissam et Conventum, ac Monasterium, personas, Ecclesias, oratoria, domos, loca, et bona earum prædicta, utpote prorsus exempta, excommunicationis, suspensionis, ac interdicti sententiam promulgare, aut alias potestatem seu jurisdictionem aliquam, salva semper auctoritate Sedis præfatæ, exercere nequirent: quod si forsan quidquam in contrarium a quoquam attentatum foret, illud omnino esset irritum et inane.

Monasterii Fundatores.

Moniales Apostolicæ Sedi immediate subjectæ, & ab Ordinarii jurisdictione exemptæ.

§. III. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, præfatum Monasterium sanctæ Mariæ Angelorum, cum membris, oratoriis, Ecclesia, domibus, locis, et omnibus bonis suis, ac personis degentibus in eodem de prædicto Ordine sancti Benedicti ad Ordinem sanctæ Claræ præfatum sit, auctoritate Apostolica, translatum, ita quod Abbatissa et Sorores dicti Monasterii, quæ in eo essent pro tempore, omnibus privilegiis et immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, ac aliis indulgentiis concessis et concedendis, auctoritate Apostolica, vel Ordinaria, beatorum Francisci et Claræ Ordinibus deinceps gauderent et uterentur, quibus alia Monasteria et Sorores, ac Conventus et Fratres ipsorum, ac personæ aliæ sanctæ Claræ et Fra-

Monasterium ad Ordin. S. Claræ translatum.

Fratrum Minorum Ordinum gaudebant, et utebantur, ac gaudebunt in antea et utentur, ac hujusmodi exemptionis privilegium eidem Monasterio, in favorem dicti Ordinis sancti Benedicti, ut præfertur, concessum, Episcopatui et Ecclesiæ sancti Papuli multum damnosum fore noscatur, ipsæque Abbatissa et Conventus, privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, et libertatibus, ac aliis indulgentiis eidem Ordini sanctæ Claræ a Sede præfata concessis, debeant esse contentæ, præfatus Episcopus nobis humiliter supplicavit, ut eisdem Episcopatui et Ecclesiæ, in hac parte providere de opportuno remedio dignaremur. Episcopus ad Apostolicam Sedē recurrit.

§. IV. Nos igitur attendentes existere non indignum, ut recedentes ab Ordine, cujus intuitu privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, aliisque indulgentiis .... amplius non utantur, ac dictorum Episcopatus et Ecclesiæ indemnitatibus, quantum cum Deo possumus, præcavere volentes, auctoritate præsentium, ordinamus et volumus, quod prædictum Monasterium sanctæ Mariæ Angelorum omnibus privilegiis, immunitatibus, libertatibus et aliis indulgentiis eidem Ordini sanctæ Claræ concessis imposterum sit contentum, ipsaque omnia privilegia, immunitates, exemptiones, libertates, et indulgentias dicto Ordini sanctæ Claræ, ut præfertur, concessa eidem Monasterio sanctæ Mariæ, ex nunc, auctoritate præfata, concedimus, Volentes quod prædictæ Abbatissa et Conventus, ac personæ ipsius Monasterii ea omnia habeant, eisque gaudeant et utantur, sicut unum aliud Monasterium dicti Ordinis sanctæ Claræ, quod duxerint nominandum, habet, gaudet, et utitur. Cetera vero privilegia, immunitates, exemptiones, libertates, et indulgentias eidem Monasterio sanctæ Mariæ Angelorum, sub nomine et intuitu dicti Ordinis sancti Benedicti a Sede præfata concessa, cassamus, et annullamus, et nullius existere volumus roboris, vel momenti. Nulli ergo &c. nostræ ordinationis, concessionis, cassationis, annullationis, et voluntatis &c. Pontificia provisio.

Datum Avenione VI. Nonas Martii anno IV.

CX.

Ut non solvant decimas aut alia gravamina. Ex 2. par. lib. 3. epist. 795.

Dilectis in Christo filiabus universis Abbatissis & Conventibus Monialium inclusarum, sive Ordinis sanctæ Claræ, sive sancti Damiani, seu Minorissæ dicantur.

Laudabilis sacra Religio, quæ in Monasteriis vestris &c. *Domino servitutem*. Hinc est quod nos congruum et pium reputantes, ut vos illa prosequamur gratia, quam vestris necessitatibus fore conspicimus opportunam, vobis universis, et singulis, ad instar fel. record: Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri, auctoritate præsentium, indulgemus, ut ad præstationem decimarum, de quibuscumque possessionibus et aliis omnibus bonis vestris, quæ in præsentiarum habetis, et justis modis, præstante Domino, acquisiveritis in futurum, vel ad contribuendum in procurationibus quorumlibet Ordinariorum, et etiam Legatorum, et Nunciorum Sedis Apostolicæ, et quibuslibet talliis et collectis, et ad exhibendum pedagia, thelonea, et alias exactiones quibusvis regibus, principibus, seu aliis personis secularibus minime teneamini, nec ad id compelli aliquatenus valeatis. Nulli ergo &c. nostræ concessionis &c. *Vide constit. 12. Joannis XXII. tom. 6. fol. 506.*

Datum Avenione VI. Nonas Martii anno IV.

CXI.

Præficitur Ecclesiæ Gravinen. Ex lib. 3. in append. epist. 62.

Dilecto filio Tancredo de Auleta electo Gravinen.

Vide Constit. 96. Joannis XXII. Tom. 6. fol. 358.

SEdula nos pastoralis officii cura sollicitat &c. *proficiant incrementis*. Dudum siquidem bonæ memoriæ Andrea Episcopo Gravinen. Ecclesiæ regimini &c. Nos cupientes eidem Ecclesiæ personam, secundum cor nostrum, idoneam præsidere, provisionem ipsius Ecclesiæ, ea vice &c. duximus reservandam; decernentes ex tunc irritum &c. contingeret attentari: postmodum vero dicta Ecclesia, per obitum dicti Andreæ, qui in partibus &c. diem &c. pastoris &c. Nos hujusmodi vacatione &c. intellecta, considerantes quod nullus &c. de provisione &c. decreto, obsistentibus supradictis, et de præficiendo eidem Ecclesiæ, ne prolixæ vacationis exponeretur incommodis, personam idoneam et etiam fructuosam, cujus industria et probitate eadem Ecclesia in suis valeat manuteneri juribus, et etiam adaugeri, sollicite cogitantes; post deliberationem quam &c. demum ad te Ordinis Fratrum Minorum professorem, in Sacerdotio &c. cui de religionis &c. et aliis multiplicium &c. testimonia perhibentur, convertimus oculos &c. Quibus omnibus debita &c. de persona tua eidem Ecclesiæ &c. auctoritate &c. providemus, teque illi præficimus in Episcopum et pastorem curam &c. plenarie committendo &c. *uberius exinde consequi merearis*.

Datum Avenione VIII. Idus Martii anno IV.

In eumdem modum Archiepiscopo Acheruntin. et Capitulo ac Clero Gravinen. et Joannæ Reginæ Siciliæ.

CXII.

Ut faciat restitui quæ Sancia Regina legavit in pios usus. Ex lib. secret. epist. 1016.

Venerabili fratri Archiepiscopo Baren.

Vide Bull. 100. Clementis VI.

Sancia Regina duorum Monasteriorum Fundatrix.

§. I. NUper exposito coram nobis, quod dudum claræ memoriæ Sancia Regina Siciliæ, de suæ salute animæ sollicita, inter cetera pia opera, quæ dum in humanis ageret, studuit exercere, duo Monasteria, unum videlicet beatæ Mariæ Magdalenæ, et aliud beatæ Mariæ Ægyptiacæ vocabulis insignita, nec non quamdam domum Eleemosynariæ in civitate Neapolitan. fecit, de licentia Sedis Apostolicæ, construi, ordinando quod in eisdem Monasteriis collocarentur, et essent perpetuo certæ religiosæ mulieres, sub regulari habitu Domino famulantes, ac in domo eleemosynariæ præfata singulis Christi pauperibus ad eam confluentibus eleemosyna panis ad instar Pinhotæ Papalis, diebus singulis, largiretur, ac deinde pro eisdem Monasteriis, in quibus nonnullas religiosas mulieres fecit collocari et poni, et domo prædicta eleemosynaria dotandis, de bonis immobilibus & utilibus acquirendis, quæ tunc venalia non poterant commode reperiri, diversas pecuniarum summas deputavit & dedit, scilicet pro eodem Mariæ Magdalenæ quinque millia, et pro dicto Mariæ Ægyptiacæ Monasteriis tria millia unciarum auri, pro domo vero eleemosynariæ prædicta magnam aliam pecuniæ quantitatem; volens eadem Regina, quod præmissa effectualiter complerentur, præfatas pecunias, pro hujusmodi dotationibus deputatas et donatas, in Sacristia Monasterii sacri Corporis Christi Neapolitan. per eam similiter

Et domus eleemosynariæ.

Dotes pro singulis tribus piis locis assignatæ defraudantur.

liter

liter constructi, et dotati, ubi Fratrum Ordinis Minorum, et Sororum, sub regula et custodia ipsorum Fratrum viventium, Conventus existunt; fecit Regina præfata, dum adhuc viveret, in certis thecis seu capsis poni, sub deposito custodiendas fideliter et tute, donec bona præfata reperirentur venalia emenda & acquirenda per suos executores, exinde pro prædictis dotationibus faciendis. Postmodum autem, sicut habet expositio supradicta, prælibata Regina, sicut Domino placuit, viam universæ carnis ingressa, præfatæ Sorores dicti Monasterii sacri Corporis Christi non attendentes, gratitudine debita, bona innumera, quæ dicta Regina eis fecerat, sed potius bonum pro malo reddentes, ad dictas pecunias, pro hujusmodi dotationibus, ut præfertur, deputatas, datas, et depositas, non erubuerunt inconsulte nimis et improvide, iniquas & rapaces extendere manus suas, illas cum thecis seu capsis in quibus erant, ut præmissum est, repositæ, de dicta Sacristia extrahendo, & quo voluerunt, pro suæ voluntatis libito asportando.

§. II. His itaque dudum ad audientiam nostri Apostolatus deductis, et nihilominus nobis exposito, quod aliqui executionem testamenti seu ultimæ voluntatis dictæ Reginæ impedire, ac aliud Monasterium sanctæ Crucis Neapolitan. primæ Regulæ Ordinis sanctæ Claræ per ipsam Reginam constructam, et in quo ipsa habitu religionis assumpto mansit aliquo tempore, et finivit terminum vitæ suæ, molestare contra justitiam nitebantur; nos, ad quos, ex injuncto nobis desuper Apostolicæ servitutis officio, providere pertinet, ut misericordiæ non impediantur opera, et piæ dispositiones decedentium compleantur, Venerab. Fratribus nostris Joanni Archiepiscopo Neapolitan. et Guillelmo Episcopo Carnaten. tunc in partibus illis Apostolicæ Sedis Nuncio, per nostras certi tenoris litteras commisimus et dedimus in mandatis, ut ipsi vel alter eorum per se, vel alium, seu alios, omnes et singulos occupatores, seu detentores illicitos bonorum per præfatam Reginam pro præmissis dimissorum, ac instrumentorum, litterarum, munimentorum, et scripturarum ea tangentium, seu turbatores, aut impeditores, executionis testamenti seu ultimæ dispositionis ejusdem Reginæ, vel molestatores injuriosos et indebitos Monasterii sanctæ Crucis prædicti, de quibus simpliciter et de plano, sine strepitu et figura judicii, constaret eisdem, ad restituendum et reponendum in loco debito, sub manibus executorum testamenti prædicti, bona, litteras, instrumenta, munimenta et scripturas prædicta occupata, subtracta, detenta vel asportata per ipsos, contra dispositionem et ordinationem dictæ Reginæ, ut inde possit fieri, ordinari, et exequi, quod ipsa duxerat, sicuti præmissum est, disponendum, et ad desistendum ab impedimento executionis prædictæ, ac turbatione indebita Monasterii prælibati, auctoritate nostra, monitione præmissa, per censuram Ecclesiasticam & alia juris remedia compescere, appellatione postposita, procurarent. Et nihilominus illos, quos deliquisse in præmissis, & ea tangentibus, invenirent taliter mediante justitia corrigerent, & punirent, quod eorum correctio ceteris cederet in exemplum, invocato ad hoc, si opus esset, auxilio brachii secularis, sicut in eisdem litteris plenius continetur. Subsequenter autem, sicut intelleximus, dictus Episcopus Carnoten. hujusmodi litteris nostris receptis, vacare super contentis in eis, aliis sibi per nos commissis in partibus illis negotiis occupatus, non valens, tibi frater, sub certa forma, commisit super hoc vices suas, tuque juxta tenorem litterarum præfatarum, & commissionis tibi, ut præfertur, inde factæ procedens, quasdam allegationes seu exceptiones pro parte dictarum Sororum coram te, ut dicitur, propositas, admisisti, & super cognitione illarum persistens diutius, super principali negotio ulterius procedere plus debito distulisti, & adhuc

Quidam executionem testamentariam impediūt.

Ad restitutionem præcipitur compelli.

Ep. Carnot. nequit Pontificium præceptum executioni demandare.

adhuc differre non cessas. Verum, quia medio tempore pendente cognitione allegationum, & exceptione prædictarum, timetur merito, sicut asseritur, quod dictæ pecuniæ tam aureæ, quam aliæ, per memoratam Reginam pro dotationibus prædictis dimissæ, donatæ, ac depositæ, ut præmissum est, per easdem Sorores, vel alios, sicut jam fieri ceptum est, ut dicitur, distrahantur, & etiam consumantur, sicque postea quamquam super restitutione illarum tua sententia sequeretur, Sororibus ipsis non repertis solvendo, Monasteria prædicta, non sine Dei offensa, & periculis, ac scandalis, præsertim quia religiosas collocatas in eis, non habentes unde ibidem viverent, inde opporteret exire, & ordinata solemnis eleemosyna in domo præfata eleemosynariæ, perderetur, fuit nobis humiliter supplicatum, ut providere de opportuno remedio super his, paterna diligentia, curaremus.

Timetur ne pecunia deperdatur.

Remedium præscriptum.

§. III. Nos igitur supplicationibus hujusmodi tamquam piis rationique consonis, benignius inclinati, Fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus de donationibus, depositis, ordinatione, ac dispositione præfatis summaria informatione recepta, prout in instrumentis, litteris, monumentis, seu scripturis inde confectis repereris contineri, dictas thecas seu capsas cum omnibus præfatis pecuniis pro præmissis deputatis, datis, & depositis, ante omnia in loco, in quo per eamdem Reginam pro severiori custodia depositæ fuerunt, vel alio securo & idoneo reponi facias & reduci, ordinationem & dispositionem hujusmodi, prout de illis, ut præmittitur, tibi constiterit, firmiter jubeas observari, non permittendo aliquid minus juste in contrarium attentari; contradictores quoslibet & rebelles, cujuscumque status, dignitatis, Ordinis præminentiæ vel conditionis existant, etiamsi Pontificali, vel quavis alia præfulgeant dignitate, auctoritate nostra, per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo.

§. IV. Non obstante si eis, vel aliquibus eorum communiter, &c. sit indultum quod, &c. excommunicari, &c. per litteras Apostolicas non facientes, &c. de indulto hujusmodi mentionem. Invocato ab hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Demum vero super dicto negotio principali juxta tenorem commissionis per dictum Episcopum tibi factæ, justitia mediante, procedas.

Datum Avenione III. Kal. April. ann. IV.

CXIII.

Ut benedicat cæmeterium et Sorores Bruxellen. Monasterii Ex lib. I. ep. 491.

Venerabili Fratri Matthiæ Episcopo Trapesunden.

§. I. IN iis, quæ divini nominis laudem & gloriam, & animarum salutem fidelium concernere dignoscuntur, petitionibus supplicum libenter annuimus, & ut optato compleantur effectu, favore illas prosequimur opportuno.

§. II. Sane petitio dilecti filii nobilis Viri Wilhelmi de Duvenucerde, domini de Osterhout, Cameracen. Dioec. nobis exhibita continebat, quod ipse de salute propria cogitans, & cupiens terrena, &c. fœlici, &c. commutare, ad honorem Dei & beatæ Claræ Virginis quoddam Monasterium ad nomen & usum Sororum Ordinis dictæ sanctæ, in suburbio Villæ Bruxellen. in solo suo proprio, in loco, qui dicitur Condencloofter dictæ Dioec. de licentia Ven. Fratris nostri Episcopi Cameracen. Diœcesani loci, fundavit, atque construxit, & de bonis a Deo sibi collatis, dotavit etiam competenter. Quare idem Nobilis nobis humiliter supplicavit, ut cum ipse in dicto Monasterio

Abba-

Abbatissam & Moniales aliquas dicti Ordinis, quarum illud deputavit usibus, collocaverit, & posuerit, & alias Moniales disponat, auctore Domino, collocare, & præfatus Cameracen. pro eo quia a dicto loco plurimum distat, aut alter Episcopi illarum partium, qui Ecclesiam dicti Monasterii, & altaria & cæmeterium ejusdem Ecclesiæ consecrare, nec non Abbatissam & Moniales in ipso Monasterio, ut prædicitur, collocatas, & collocandas benedicere valeant, commode in præsentiarum non possit haberi, ei de opportuno remedio, per quod piæ & laudabilis suæ devotionis propositum valeat adimpleri, providere paterna sollicitudine dignaremur.

§. III. Nos itaque hujusmodi præfati Nobilis supplicationibus inclinati, Fraternitati tuæ ad præsens in illis partibus commoranti, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, Ecclesiam & altaria & cæmeterium præfata consecrandi; nec non Abbatissam & Moniales de novo receptas, & recipiendas, & positas ac ponendas in dicto Monasterio, benedicendi, auctoritate Apostolica, plenam tibi hac vice concedimus, tenore præsentium potestatem.

Datum Avenione XIII. Kal. Maii ann. IV.

CXIV.

Ut possit fundare Monasterium Clarissarum Epternacen. Ibid. epist. 591.

Carissimo in Christo filio Joanni Regi Boemiæ Illustri.

§. I. Pia Principum fidelium vota, per quæ Principes fieri satagunt Principatus æterni, libenter Apostolico favore prosequimur, & eis benignum assensum, quantum cum Deo possumus, impertimur.

§. II. Sane petitio tua nobis nuper exhibita continebat, quod tu, de tuæ, ac progenitorum ac liberorum tuorum animarum salute sollicite cogitans, & cupiens terrena, &c. fœlici, &c. commutare; unum Monasterium ad divini nominis laudem & gloriam, ac in honorem & sub vocabulo beatæ Mariæ Virginis, & sancti Joannis Baptistæ, in quo Abbatissa & tringinta duæ Sorores Ordinis sanctæ Claræ perpetuum possint exhibere Domino famulatum, in Oppido Epternacen. Treveren. Diœc. quod in Comitatu tuo Lucemburgen. fore dignoscitur, fundare & construere, illudque de propriis tuis bonis, ex quibus Abbatissa & Sorores ipsæ, ac earum servitores & servitrices sustentari valeant, sufficienter dotare proponis.

§. III. Nos igitur divini cultus augmentum, ac ejusdem profusiorem propagationem Ordinis, ad quæ etiam tua regia devota laborare videtur intentio, affectantes, ac laudabilem tuæ devotionis affectum favore Apostolico prosequentes, tuis supplicationibus inclinati, Monasterium ipsum in eodem oppido, in loco tamen ad hoc habili, & honesto, cum Ecclesia seu Oratorio, Campanili, domibus, & aliis necessariis officinis, absque præjudicio parochialis, &c. ac juris cujuslibet alieni, eidem Monasterio sufficienti dote per te, ut præfertur, primitus assignata, fundandi ac construendi, Diœcesani loci, & cujuslibet alterius licentia minime requisita: quacumque constitutione contraria non obstante, Serenitati tuæ plenam, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, licentiam elargimur, tibique quod in eodem Monasterio, postquam per te fundatum, ac dotatum, & constructum fuerit, ut præfertur, Abbatissa & Sorores dicti Ordinis usque ad dictum numerum ad nominationem tuam, hac primaria vice dumtaxat, possint & debeant secundum instituta ejusdem Ordinis collocari. Et insuper eisdem Monasterio, Abbatissæ & Sororibus, & earum posteris in perpetuum, quod omnibus privilegiis, & libertatibus, ac indulgentiis, aliis Monasteriis, ac locis & personis dicti Ordi-

Ordinis, ſeu ipſi Ordini, ab Apoſtolica Sede conceſſis, perinde valeat gaudere, ſicut Monaſteria, loca, & perſonæ hujuſmodi, quibus conceſſa ſunt, illis gaudere noſcuntur, auctoritate præfata, tenore præſentium, indulgemus. Nulli ergo, &c. noſtræ conceſſionis, &c.

Datum Avenione IV. Kal. Maii anno IV.

CXV.

Ut liberent Clariſſas Amilianen. a gravaminibus. Ibid. epiſt. 551.

Ven. Fratri Epiſcopo Ruthenen. et Dilectis Filiis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, præpoſitis, Archipresbyteris, et aliis Eccleſiarum Prælatis, per Ruthenen. Civitatem et Diœceſim conſtitutis, ad quos litteræ iſtæ pervenerint.

Pontifex côqueritur quia non eſt qui Religioſos protegat.

§. I. Non abſque dolore cordis, & plurima turbatione didicimus, quod ita in pleriſque partibus Eccleſiaſtica cenſura diſſolvitur, & canonicæ ſententiæ ſeveritas enervatur, ut viri religioſi, & ii maxime, qui per Sedis Apoſtolicæ privilegia majori dotati ſunt libertate, paſſim a malefactoribus ſuis injurias ſuſtineant & rapinas, dum vix invenitur, qui congrua illis protectione ſubveniant, & pro fovenda pauperum innocentia, ſe murum defenſionis opponant.

Moniales Amicorum petunt in tribulationibus auxilium.

§. II. Specialiter autem dilectæ in Chriſto filiæ Abbatiſſa & Sorores Monaſteri ſanctæ Claræ de Amiliano, Ordinis ejuſdem Sanctæ, tuæ Diœceſis, Ven. Fr. Epiſcopo, tam de ſequentibus injuriis, quam de ipſo quotidiano defectu juſtitiæ conqueruntur, Univerſitatem veſtram litteris petierunt Apoſtolicis excitari, ut ita videlicet eis in tribulationibus ſuis contra malefactores eorum prompta debeatis magnanimitate conſurgere, quod ab anguſtiis, quas ſuſtinent & preſſuris, veſtro poſſint præſidio reſpirare.

Quod ſollicite Pontifex præbet.

§. III. Ideoque univerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, atque præcipimus, quatenus illos, qui poſſeſſiones, vel res, ſeu domos præfatarum Sororum irreverenter invaſerint, aut ea injuſte detinuerint, quæ prædictis Sororibus ex teſtamento decedentium relinquuntur, ſeu in ipſas Sorores, vel ipſarum aliquam, contra Apoſtolicæ Sedis indulta, ſententiam excommunicationis aut interdicti præſumpſerint promulgare, vel decimas, vel nutrimenta animalium ſuorum, ſpretis Apoſtolicæ Sedis privilegiis, extorquere, ſi de his vobis manifeſte conſtiterit, canonica monitione præmiſſa, ſi laici fuerint, publice candelis accenſis, ſinguli veſtrum in Eccleſiis ſuis, excommunicationis ſententia percellatis; ſi vero clerici vel canonici regulares, ſive Monachi extiterint, appellatione remota, ab officio et beneficio ſuſpendatis, neutram relaxaturi ſententiam, donec præfatis Sororibus plenarie ſatisfaciant, et tam laici, quem clerici ſeculares, qui pro violenta manuum injectione in Sorores eaſdem, vel ipſarum aliquam, anathematis vinculo fuerint innodati, cum Diœceſani Epiſcopi litteris ad Sedem Apoſtolicam venientes, ab eodem vinculo mereantur abſolvi.

Datum Avenione III. Kal. Maii anno IV.

CXVI.

CXVI.

Deputantur Judices conservatores Ibid. epist. 432.

Vener. Fratribus Archiepiscopo Aquen. & Apten. & Cavallicen. Episcopis salutem.

§. I. Inter opera pietatis, ad quæ nos Apostolatus officii cura sollicitat, illud esse credimus in oculis divinæ majestatis acceptum, si personas sub obedientia regulari degentes, et præsertim in fragilitate sexus fœminei constitutas, quibus favor est plenius adhibendus, et quæ non habent alium præter Roman. Pontificem defensorem, Apostolicæ Sedis præsidio muniamus.

§. II. Cum itaque dilectæ in Christo filiæ Abbatissæ et Conventus Monasteriorum Monialium inclusarum, sive Sorores Ordinis sanctæ Claræ, vel sancti Damiani, seu Minorissæ dicantur, sicut ipsæ nobis insinuare curarunt, a Prælatis, Rectoribus, et Clero, aliisque personis, super bonis, juribus, et libertatibus earumdem, contra indulta privilegiorum Apostolicæ Sedis, et earum Ordini a dicta Sede hactenus concessorum, multipliciter molestentur, et multiplicia eis gravamina inferantur.

§. III. Nos volentes eis super hoc, ut liberius Domino valeant famulari, de opportuno remedio providere, Fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus vestrum, per vos, vel alium, seu alios, eisdem Abbatissis, et Monialibus, Sororibus, et Minorissis præsentibus et futuris, efficacis defensionis præsidio assistentes, non permittatis ipsas contra dictorum privilegiorum tenorem a prædictis, vel quibuscumque aliis molestari, nec eis aliqua gravamina vel injurias irrogari, facientes ipsis de illatis sibi injuriis, molestationibus, et gravaminibus contra tenorem eumdem, in illis videlicet, quæ judicialem requirunt indaginem, per viam judicii, in aliis vero, prout qualitas ipsorum exegerit, justitiæ complementum. Itaque officium, potestas, et jurisdictio vestra perpetuata ex nunc inantea censeantur. Molestatores et injuriatores hujusmodi, nec non contradictores et rebelles, quandocumque et quotiescumque expedierit, per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Non obstantibus duabus dietis in Concilio generali, quam fœl. record. Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris nostri, quarum prima cavetur, ne quis, certis exceptis casibus, extra suam civitatem et Diœcesim, secunda vero ne reus alterius Diœcesis ultra unam dietam a finibus ejusdem Dioec. ad judicium evocetur; et aliis quibuscumque constitutionibus ab eisdem Prædecessoribus nostris, tam de judicibus delegatis, quam conservatoribus, aut aliis editis, quæ vestræ possent in hac parte jurisdictioni aut potestati, ejusque libero exercitio quomodolibet obviare, seu si aliquibus a dicta sit Sede indultum, quod excommunicari, suspendi, vel interdici non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, et quibuslibet aliis indulgentiis, privilegiis, et litteris Apostolicis, quibuscumque, & in quacumque forma verborum concessis, per quæ præsentibus non expressa vel totaliter non inserta, dictæ jurisdictionis sive potestatis explicatio possit quomolibet impediri, et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum oporteat in nostris litteris fieri mentionem, præsentibus post decennium minime valituris.

Datum Avenione IV. Kal. Maii anno IV.

CXVII.

Indulgentiæ conceduntur viſitantibus Eccleſiam Clariſſarum de Amiliano. Ibid. epiſt. 544.

Dilectis in Chriſto filiabus Abbatiſſæ & Conventui Monaſterii ſanctæ Claræ de Amiliano, Ordinis ejuſdem Sanctæ, Ruthenen. Diœceſis.

Vid. Conſtit. 14. Joannis XXII. tom. 6. fol. 500.

LIcet is, de cujus munere venit &c. *reddantur divinæ gratiæ aptiores.* Cupientes igitur, ut Eccleſia veſtra congruis honoribus frequentetur, omnibus vere pœnitentibus, & confeſſis, qui Eccleſiam ipſam in feſtivitatibus beatæ Claræ Virginis, ſancti Franciſci, & ſancti Antonii Confeſſorum, qui in Eccleſia ipſa ſunt præcipui, & ſolemnes, venerabiliter viſitaverint, annuatim de omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, centum dies de injuncta eis pœnitentia miſericorditer relaxamus.

Datum Avenione III. Kalend. Maii anno IV.

CXVIII.

Liberantur ab omnibus oneribus pecuniarum. Ibid. epiſt. 546.

EISDEM.

PAupertati veſtræ, quam voluntarie propter Deum ſuſtinetis, ac quieti paterna impoſterum ſollicitudine providere volentes, auctoritate vobis præſentium indulgemus, ut vos ad præſtationem procurationum, Legatorum Sedis Apoſtolicæ, vel Nunciorum ipſius, aut exactionum, vel collectarum, ſeu ſubſidiorum quorumcumque minime teneamini, nec ad ea ſolvenda per litteras dictæ Sedis, ſeu Legatorum, Rectorum, vel Nunciorum ejuſdem, cujuſcumque tenoris exiſtant, aut cujuſcumque auctoritate, compelli minime valeatis. Nos enim decernimus irritas & inanes interdicti, ſuſpenſionis, & excommunicationis ſententias, ſi quas propter hoc, in vos, vel in veſtrum aliquas, aut Monaſterium veſtrum impoſterum contigerit promulgari.

Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis & conſtitutionis &c. Datum ut ſupra.

CXIX.

Conceduntur Indulgentiæ in quibuſdam diebus Feſtivis. Ibid. epiſt. 547.

EISDEM.

Vid. Conſtit. 14. Joannis XXII. tom. 6. fol. 500.

LIcet is, de cujus munere venit &c. *divinæ gratiæ aptiores.* Cupientes igitur ut Eccleſia Monaſterii veſtri, in qua, ſicut aſſeritur, multæ Sanctorum reliquiæ reconditæ fore dicuntur, congruis honoribus frequentetur, omnibus vere pœnitentibus, et confeſſis, qui ad dictam Eccleſiam in Purificationis, Annunciationis, Nativitatis, et Aſſumptionis beatæ Mariæ Virginis, et ſancti Franciſci, ac ſanctæ Claræ Feſtivitatibus, et per octo dies Feſtivitates ipſas immediate ſequentes devote acceſſerint, annuatim unum annum et quadraginta dies de injuncta ſibi pœnitentia miſericorditer relaxamus. Datum ut ſupra.

CXX.

CXX.

Ut possint hereditare. Ibid. epist. 548.

EISDEM.

DEvotionis vestræ precibus inclinati, auctoritate vobis præsentium indulgemus, ut possessiones, et alia bona immobilia et mobilia quæ liberas personas Sororum vestrarum, mundi relicta vanitate, ad Monasterium ipsum convolantium et professionem facientium in eodem, jure successionis vel alio justo titulo, si remansissent in seculo, contigissent, et libere potuissent aliis erogare, exceptis rebus feudalibus, exigere, petere, et retinere libere valeatis. Datum ut supra.

CXXI.

Aliæ Indulgentiæ pro diebus festivis. Ibid. epist. 549.

EISDEM.

LIcet is, de cujus munere &c. *Divinæ gratiæ aptiores*. Cupientes igitur, ut Ecclesia vestra congruis honoribus frequentetur, omnibus vere &c. qui Ecclesiam ipsam in festivitatibus beatæ Claræ Virginis, sancti Francisci et sancti Antonii confessorum, qui in ipsa Ecclesia sunt præcipui et solemnes, venerabiliter visitaverint, annuatim, de omnipotentis Dei misericordia, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, quadraginta dies de injuncta eis pœnitentia misericorditer relaxamus.
Datum ut supra.

Vid. Constit. 14. Joannis XXII. tom. 4. fol. 500.

CXXII.

Præficitur Ecclesiæ Folien. Ex lib. 1. ann. 5. epist. 81.

Dilecto filio Bartholomæo de Cassino de Janua electo Folien.

§. I. ATtenta meditatione pensantes commoda quæ proveniunt ex salubribus provisionibus Prælatorum Ecclesiarum Pastoribus destitutis, reddimur corde solliciti, ut circa provisiones hujusmodi faciendas fructuosæ attentionis studium impendamus, ut eis tales præficiantur, nostræ sollicitudinis studio, in Pastores, qui sciant, velint et possint eis præesse utiliter et prodesse.

§. II. Nuper siquidem intellecto, quod Ecclesia Folien. vacabat, et tanto tempore vacaverat, quod ejus provisio et ordinatio erat ad Sedem Apostolicam, secundum generalis statuta Concilii, legitime devoluta; nos volentes eidem Ecclesiæ, ne prolixioris vacationis &c. paternis &c. præcavere, et cupientes talem eidem &c. qui sciret &c. præservare a noxiis, ac in suis &c. et etiam adaugere, post deliberationem quam &c. diligentem: demum ad te Ordinis Fratrum Minorum professorem, in Sacerdotio &c. cui de religionis &c. et aliis multiplicium &c. testimonia perhibentur, convertimus &c. quibus omnibus diligenti &c. de persona tua eidem Ecclesiæ, de dictorum &c. providemus, teque illi præficimus in Episcopum et Pastorem, curam &c. plenarie committendo, firma concepta fiducia, quod virtutibus divinitus tibi traditis insignitus, eamdem Ecclesiam, dante Domino, salubriter gubernabis, ita quod tuo munita præsidio, optatis affluet incremen-

 tis.

tis. Quocirca discretioni tuæ per &c. mandamus, quatenus impositum tibi onus &c. *uberius consequi merearis*.

Datum Avenione II. Idus Maii anno V.

CXXIII.

Ut possint Minores transferre domum suam intra villam Xantonen. Ex lib. 4. epist. 706.

Episcopo Xantonen. & Decano Ecclesiæ Xantonen.

§. I. Exhibita nobis dilectorum filiorum Guardiani et Fratrum Ordinis Minorum prope Villam de Compinaco, Xantonen. Diœcesis petitio continebat, quod locus, quem ipsi prope dictam Villam obtinent, occasione guerrarum, quæ, peccatis exigentibus, inter carissimos in Christo filios nostros Franciæ et Angliæ Reges illustres, in illis partibus fremuerunt et fremunt, pro majori parte destructus est, ita quod Guardianus et Fratres ipsi secure morari, et divina officia commode inibi celebrare non possunt; quodque dilectus filius nobilis vir Petrus de Charmento domicellus dictæ Villæ de Compinaco, hoc pie desiderans, devotione ductus, pro divini cultus augmento, ac suorum remissionem et indulgentiam peccatorum, dictis Guardiano et Fratribus territorium et domos infra muros dictæ Villæ, pro construendo ibidem loco ad usum Fratrum dicti Ordinis tribuit et concessit. Quare dicti Guardianus et Fratres nobis humiliter supplicarunt, ut eis locum hujusmodi infra muros dictæ Villæ de Compinaco, ac dictam domum et territorium, et quæcumque alia, pia et devota largitione fidelium, pro loci fundatione hujusmodi eroganda, ipsis recipiendi, ipsumque locum in dictis territorio et domo, infra muros dictæ Villæ, cum Oratorio, campanili pro campana, domibus et aliis necessariis officinis ad usum dictorum Fratrum construendi licentiam concedere dignaremur.

§. II. Nos igitur divinum cultum non minui, sed augeri potius cupientes, discretioni vestræ, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel alter vestrum, si de præmissis omnibus debita informatione recepta, mutationem hujusmodi absque præjudicio parochialis Ecclesiæ, et juris cujuslibet alterius, repereritis fieri posse, hujusmodi postulatam licentiam, fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri, et quibuslibet aliis constitutionibus Apostolicis contrariis nequaquam obstantibus, eisdem Guardiano et Fratribus, auctoritate Apostolica, concedatis. Proviso, quod Ecclesia et cœmeterium prædicti prioris loci ad clericos alios seu laicos, tamquam hæreditas minime transferatur, sed in eadem Ecclesia unus Presbyter, pro divinis perpetuo inibi celebrandis officiis deputetur.

Datum Avenione XII. Kalend. Junii anno V.

CXXIV.

Transfertur a Nimocien. ad Famagustanam Ecclesiam. Ex lib. 1. epist. 15.

Venerabili fratri Iterio Episcopo Famagustano.

Vid. Const. 101. Joannis XXII. tom. 6. fol. 376.

§. I. Pastoralis officii debitum &c. *salubriter et utiliter gubernari*. Dudum siquidem bon. mem. Marco Episcopo Famagustano, regimini Famagustan. Ecclesiæ, cui Ancheraden. Ecclesia erat, prout est, per Apostolicam Sedem unita, canonice præsidente; nos intendentes eidem Fa-

Famaguftanæ Ecclefiæ, cum vacaret, per Apoftolicæ Sedis providentiam idoneam præfidere perfonam, provifionem ipfius Famaguftan. Ecclefiæ difpofitioni noftræ &c. refervandam. Decernentes ex tunc irritum &c. contingeret attentari.

§. II. Poftmodum vero præfata &c. per obitum ejufdem Marci, qui nuper extra &c. diem &c. paftoris &c. Nos vacatione hujufmodi &c. intellecta, ad provifionem ipfius &c. felicem, de qua nullus &c. obfiftentibus fupradictis, ne eadem Famaguftan. Ecclefia diutinæ vacationis incommodis exponeretur, paternis &c. intendentes, et cupientes eidem Ecclefiæ, talem &c. quæ fciret &c. juribus et etiam adaugere; poft deliberationem, quam fuper his &c. diligentem; demum ad te tunc Nimocien. Epifcopum, confideratis grandium virtutum meritis, quibus perfonam tuam Dominus infignivit, et quod tu, qui eidem Nimocien. hactenus laudabiliter præfuifti, prædictam Famaguftan. Ecclefiam fcies et poteris falubriter regere, et utiliter gubernare, direximus oculos &c. intendentes itaque tam dictæ Famaguftan. Ecclefiæ, quam gregi Dominico tibi in ea commiffo falubriter et utiliter providere, te a vinculo, quo eidem Nimocien. Ecclefiæ, cui tunc præeras, tenebaris, de dictorum Fratrum &c. et Apoftolicæ &c. abfolventes, te ad dictam Famaguftan. Ecclefiam transferimus, teque illi &c. Paftorem, curam &c. plenarie committendo, liberamque tibi dando licentiam ad præfatam Famaguftan. Ecclefiam tranfeundi &c. *uberius confequi merearis*.

Datum apud Villam novam Avenion. Diœc. vt. Kalend. Julii anno v. In eumdem modum Archiepifcopo Nicofien. et Capitulo ac Clero Famaguftan. et Ancheraden. et Hugoni Regi Cypri.

CXXV.

Præficitur Ecclefiæ Salpen. Ex lib. 3. in append. epift. 40.

Dilecto filio Donato de Caurato electo Salpen.

§. I. QUam fit onufta periculis quam plena &c. *proficiant incrementis*. Dudum fiquidem bon. mem. Galgano Epifcopo Salpen. regimini Salpen. Ecclefiæ præfidente; nos intendentes eidem Ecclefiæ cum vacaret, per Apoftolicæ Sedis providentiam idoneam præeffe perfonam, provifionem ipfius Ecclefiæ Salpen. difpofitioni noftræ duximus fpecialiter refervandam, decernentes ex tunc irritum &c. contingeret attentari.

§. II. Poftmodum vero præfata Ecclefia Salpen. per obitum ejufdem Galgani, qui nuper extra &c. diem &c. Paftoris &c. nos vacatione hujufmodi &c. intellecta &c. de qua nullus &c. obfiftentibus fupradictis, ne ipfa Salpen. Ecclefia longæ vacationis exponeretur incommodis, paternis &c. intendentes, et cupientes eidem Ecclefiæ talem &c. quæ fciret &c. et etiam adaugere. Poft deliberationem quam &c. diligentem: demum ad te Ordinis Fratrum Minorum profefforem, in Sacerdotio &c. litterarum fcientia prædito, vitæ &c. et aliis multiplicibus &c. infignitum, prout fide dignorum &c. percepimus, direximus &c. Quibus omnibus diligenti &c. de perfona tua eidem Salpen. Ecclefiæ, de dictorum &c. providemus, teque illi &c. in Epifcopum et Paftorem, curam &c. plenarie committendo &c. *gratiam uberius valeas promereri*.

Datum apud Villam novam Avenion. Diœc. vi. Kalend. Julii anno v. In eumdem modum Archiepifcopo Baren.

CXXVI.

CXXVI.

Præficitur Ecclesiæ Bosraen. Ex lib. 1. epist. 23.

Venerabili fratri Danieli Archiepiscopo Bosraen.

Vid. Constit. 13. Bened. XI. tom. 6. fol. 446.

IN supremæ dignitatis specula &c. *lætetur*. Ecclesia siquidem Bosraen. jam dudum sui proprii Pastoris solatio destituta; nos intendentes eidem Ecclesiæ idoneam præsidere personam, cujus industria, scientia et virtute, præfata Ecclesia posset utiliter et feliciter gubernari. Post deliberationem, quam &c. diligentem; demum ad te Ordinis Fratrum Minorum professorem, in Sacerdotio constitutum, cui litterarum scientiam, vitæ munditiam, morum elegantiam, aliaque multiplicia dona virtutum, tibi desuper concessarum, ex fide dignis testimoniis, suffragari percepimus, intuitum direximus nostræ mentis. Quibus omnibus attenta meditatione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem Fratribus nostris, ob hujusmodi tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Bosraen. Ecclesiæ, de ipsorum Fratrum &c. providimus, teque illi in Archiepiscopum præfecimus et Pastorem, curam &c. plenarie committendo, et subsequenter per venerabilem fratrem Bertrandum Episcopum Ostien. munus consecrationis impendi, et per dilectum filium nostrum Galhardum sanctæ Luciæ in Silice, Diaconum Cardinalem, pallium de corpore beati Petri sumptum, insigne plenitudinis videlicet Pontificalis officii, a nobis pro parte tua, cum ea qua decuit instantia, postulatum, tibi fecimus assignari; in illo qui dat gratias &c. confidentes, quod eadem Bosraen. Ecclesia sub tuo &c. gratia tibi &c. prospere dirigetur &c. incrementa. Quocirca fraternitati tuæ &c. *uberius consequi merearis*.

Datum Avenione IV. Kalend. Augusti anno V.

In eumdem modum Patriarchæ Antiochen.

CXXVII.

Præficitur Ecclesiæ Gerapolitanæ. Ibid. epist. 31.

Dilecto filio Antonio de Alexandria electo Gerapolitan.

Vide Constit. 26. Joannis XXII. tom. 6. fol. 501.

SUmmi dispositione rectoris &c. *utiliter & prospere dirigantur*. Ecclesia siquidem Gerapolitan. jam dudum sui pastoris regimine destituta, Nos cupientes dictæ Gerapolitan. Ecclesiæ, idoneam præsidere personam, cujus industria, scientia & virtute præfata Ecclesia posset salubriter gubernari: post deliberationem, quam super his &c. diligentem, tamdem in te Ordinis Fratrum Minorum Professorem, in Sacerdotio constitutum, cui litterarum scientiam, vitæ munditiam, morum elegantiam, aliaque dona virtutum tibi desuper concessarum, ex fide dignis testimoniis suffragari percepimus, intuitum direximus nostræ mentis. Quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem Fratribus nostris ob exigentiam tuorum meritorum accepta, eidem Gerapolitan. Ecclesiæ, de Fratrum &c. providemus, teque illi præficimus in Archiepiscopum et Pastorem, curam &c. plenarie committendo &c. *merearis percipere incrementum*.

Datum Avenione II. Kalend. Augusti anno V.

CXXVIII.

Præficitur Ecclesiæ Constantien. Ibid. epist. 34.

Venerabili fratri Petro electo Constantien.

INter sollicitudines varias quibus assidue premimur illa &c. *intendamus*. Dudum siquidem Ecclesia Constantien. in Patriarchatu Antiocheno consistente, per obitum ultimi Episcopi Constantien. qui extra &c. diem &c. pastoris &c. Nos vacatione hujusmodi &c. intellecta, volentes eidem Ecclesiæ, ne ulterius dispendia &c. paterna &c. præcavere, & ad provisionem ipsius &c. felicem, paternis &c. intendentes, ac cupientes &c. personam, quæ sciret &c. ipsam in suis &c. et etiam adaugere: post deliberationem, quam &c. diligentem: demum ad te Ordinis Fratrum Minorum Professorem, in Sacerdotio &c. cui de religionis &c. et aliis multiplicium &c. testimonia perhibentur, direximus oculos &c. quibus omnibus debita &c. de persona tua eidem Ecclesiæ Constantien. de dictorum &c. providemus, teque illi præficimus in Episcopum et Pastorem, curam &c. plenarie committendo. Et subsequenter per Venerabilem fratrem nostrum Petrum Archiepiscopum Cæsaraugustan. apud Sedem Apostolicam tibi fecimus munus consecrationis impendi &c. *uberius valeas promereri*. *Vid. in Regest. tom. 6. fol. 466.*

Datum Avenione II. Kalend. Augusti anno V.

CXXIX.

Ut ædificare possint domum in castro-novo Agrigent. Ex lib. 4. epist. 875.

Dilectis filiis Ministro & Fratribus Ordinis Minorum Provinciæ Siciliæ, secundum dicti Ordinis morem.

§. I. DUm ad fructus uberes, quos sacer Ordo vester, in quo sub jugo voluntariæ paupertatis, mundanis a vobis relegatis illecebris, devotum Deo exhibetis obsequium, producit in agro militantis Ecclesiæ, reflectimus intuitum nostræ mentis, petitionibus vestris libenter annuimus, in iis præsertim, quæ divini cultus incrementum respiciunt, et salutem concernunt fidelium animarum.

§. II. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat, quod vos, qui pro divini cultus augmento, ac salute fidelium animarum in Castro-novo Agrigentin diœcesi. unum locum ad opus et usum Fratrum dicti Ordinis construere proponitis et fundare: quodque dilectus filius nobilis vir Ottobonus de Auria miles, Admiratus Siciliæ, Dominus dicti Castri, volens terrena in cœlestia et transitoria in æterna, felici commercio, commutare, de bonis a Deo sibi collatis, solum, in quo locum ipsum fundare ac construere proponitis, ac alia pro fundatione ac constructione loci hujusmodi necessaria vobis pia intendat donatione donare: nos igitur cultus hujusmodi desiderantes augmentum, ac dicti Nobilis intentionis devotæ propositum favorabiliter prosequentes, hujusmodi vestris supplicationibus inclinati, recipiendi solum hujusmodi, et ibidem locum, cum Oratorio seu Ecclesia, campanili et aliis necessariis officinis construendi, nec non campanam et cœmeterium habendi, dummodo in eodem loco duodecim Fratres dicti Ordinis commorantes possint honeste et congrue sustentari, felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris nostri, et qualibet alia constitutione contraria non obstante, vobis, sine parochialis Ecclesiæ et juris cujuslibet alieni præjudi-

dicio, plenam et liberam licentiam, auctoritate Apostolica, tenore præsentium elargimur. Nulli ergo &c. nostræ concessionis &c.

Datum Avenione Nonis Augusti anno V.

CXXX.

Et aliam in oppido Patermonis. Ibid. epist.876.

Eisdem.

§.I. Ordinis vestri sacra religio, in quo devotum Deo exibetis obsequium, promeretur ut petitionibus vestris, præsertim quæ Divini cultus incrementum respiciunt, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus.

§.II. Sane exhibita nobis pro parte vestra petitio continebat; quod quondam Alionora Regina Trinacriæ, dum ageret in humanis, cupiens terrena &c. commutare, voluit ac etiam ordinavit, quod in loco seu terra Patermonis, Cathanien. Diœcesf. in certis domibus suis, ad divini nominis laudem & gloriam, & pro salute sua, aliorumque fidelium animarum, unus locus de bonis suis, cum Oratorio sive Ecclesia, campanili, campanis, & aliis necessariis officinis ad opus et usum Fratrum dicti Ordinis, deberet construi et fundari, quodque quidam, quos dicta Regina ad exequendum & mancipandum affectui hujusmodi suæ laudabilis intentionis propositum deputavit, parati sint domos ipsas vobis dare pro loco hujusmodi construendo.

§.III. Nos igitur hujusmodi præfatæ Reginæ laudabilem ac piam intentionem favorabiliter prosequentes, & augmentum divini cultus, ad quod vos, & alii dicti Ordinis professores diligenter intenditis, affectantes, vestris supplicationibus inclinati, recipiendi domos præfatas, & ibidem locum cum Oratorio, seu Ecclesia, campanili, & aliis necessariis officinis construendi, nec non campanam et cœmeterium habendi, dummodo in eodem loco duodecim Fratres dicti Ordinis commorantes possint honeste & congrue sustentari, felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. &c. & qualibet alia &c. non obstantibus, vobis, sine parochialis Ecclesiæ et juris cujuslibet alieni præjudicio, plenam et liberam licentiam, auctoritate Apostolica, tenore præsentium elargimur. Nulli ergo &c.

Datum Avenione ut supra.

CXXXI.

Præficitur Ecclesiæ Canticen. Ex lib.1. epist.30.

Venerabili fratri Francisco Episcopo Canticen.

Ut in Regesto tom.5. fol.596.

Apostolatus officium quamquam &c. *grata suscipiant incrementa*. Dudum siquidem Ecclesia Canticen. per obitum ultimi Episcopi Canticen. qui extra &c. diem &c. pastoris &c. Nos vacatione hujusmodi &c. intellecta, volentes eidem Ecclesiæ, ne ulterius dispendia prolixæ vacationis incurreret, paterna sollicitudine præcavere, et ad provisionem ipsius &c. felicem, sollicitis studiis intendentes, et cupientes talem eidem &c. personam, quæ sciret &c. ipsam in suis juribus conservare, ac etiam adaugere; post deliberationem quam super his &c. diligentem; demum ad te Ordinis Fratrum Minorum Professorem, in Sacerdotio &c. de religionis zelo, et aliis multiplicium &c. apud nos fide dignis testimoniis multipliciter commendatum, dirximus oculos &c. Quibus omnibus debita &c. de persona tua eidem Ecclesiæ, de dictorum Fratrum consilio, providemus, teque illi præficimus in Episcopum & Pa-

et Pastorem, curam &c. plenarie committendo. Et subsequenter tibi per Venerabilem fratrem nostrum Petrum Archiepiscopum Cæsaraugustan. apud Sedem Apostolicam munus fecimus consecrationis impendi; in illo qui dat gratias &c. *merearis percipere incrementum*.

Datum Avenione XII. Kalend. Septembris anno V.

In eumdem modum Archiepiscopo Creten. et Capitulo ac Clero Canticen.

CXXXII.

Præficitur Ecclesiæ Chissimen. Ex lib. 3. in append. epist. 36.

Dilecto filio Guillelmo Mauracocchio electo Chissimen.

INter sollicitudines varias, quibus &c. *intendamus*. Sane pridem Ecclesia Chissimen. per obitum bonæ memoriæ Belleti Episcopi Chissimen. qui extra &c. diem &c. Pastoris &c. Nos vacatione hujusmodi &c. intellecta, cupientes eidem Ecclesiæ per Astolicæ Sedis providentiam, utilem et fructuosam præsidere personam, provisionem ejusdem Ecclesiæ Chissimen. dispositioni nostræ, ea vice duximus specialiter reservandam; decernentes ex tunc irritum &c. contingeret attentari: ac postmodum de ordinatione ipsius Chissimen. Ecclesiæ, de qua nullus præter nos, post reservationem et decretum hujusmodi se potuit intromittere, neque potest &c. supradictis, ne prolixæ vacationis &c. sollicite cogitantes, post deliberationem, quam de præficiendo eidem &c. personam &c. cum Fratribus &c. diligentem: demum ad te Ordinis Fratrum Minorum professorem, in Sacerdotio &c. cui de litterarum scientia, religionis &c. & aliis multiplicium &c. testimonia perhibentur, direximus &c. quibus omnibus diligenti &c. de persona tua, eidem Chissimen. Ecclesiæ, de dictorum &c. providemus, teque illi &c. in Episcopum et Pastorem, curam &c. ipsius Chissimen. Ecclesiæ plenarie committendo. In illo qui dat gratias &c. *gratiam uberius valeas promereri*.

Datum Avenione II. Kalend. Octobris anno V.

In eumdem modum Archiepiscopo Creten.

CXXXIII.

Præficitur Ecclesiæ Eugubinæ. Ex lib. 1. epist. 35.

Dilecto filio Vesiano Ronlandi electo Eugubin.

APostolatus officium quamquam &c. *suscipiant incrementa*. Nuper siquidem Eugubin. Ecclesia ad eamdem Romanam Ecclesiam, nullo medio pertinente, per obitum bonæ memor. Francisci Episcopi Eugubin. qui nuper apud Sedem Apostolicam, diem &c. pastoris &c. Nos considerantes, quod nullus præter nos de provisione &c. hac vice se intromittere potest, pro eo quod nos diu ante &c. provisiones omnium &c. vacantium et vacaturarum &c. & dispositioni nostræ specialiter reservantes, decrevimus ex tunc irritum &c. contingeret attentari, et ad provisionem ipsius &c. felicem, ne longæ vacationis &c. paternis &c. intendentes, cupientes quoque talem eidem Ecclesiæ præesse personam, quæ sciret &c. eamdem in suis &c. juribus et etiam adaugere, ipsamque præservare a noxiis et adversis, post deliberationem, quam super his &c. diligentem: demum ad te Ordinis Fratrum Minorum professorem, in Sacerdotio constitutum, quem litterarum scientia præditum, vitæ ac morum &c. in spiritualibus &c. ac aliis multiplicium &c. laudabiliter insignitum, ex testimoniis fide dignis accepimus, converti- Vid. sup. fol. 381

 mus &c.

mus &c. Quibus omnibus debita &c. de perſona tua nobis et eiſdem Fratribus noſtris, conſideratione præmiſſorum accepta, præfatæ Eugubin. Eccleſiæ, de Fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate Apoſtolica, providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum et Paſtorem, curam &c. ejuſdem Eccleſiæ plenarie committendo, firma ducti fiducia &c. *uberius conſequi merearis.*

Datum Avenione VI. Nonas Octobris anno V.

CXXXIV.

Præficitur Eccleſiæ Montiſmaranæ. Ex lib. 3. in append. epiſt. 58.

Dilecto filio Mancenti Franciſci de Fabriano Electo Montiſmaran.

Vid. Conſtit. 101. Joann. XXII. Tom. 6. fol. 176.

§. I. PAſtoralis officii debitum exigit, ut inter ſollicitudines varias &c. *gubernare.* Nuper ſiquidem Eccleſia Montiſmaran. vacante pro eo, quod nos Venerabilem fratrem noſtrum Pontium Vicanen, tunc Montiſmaran. Epiſcopum apud Sedem Apoſtolicam conſtitutum, a vinculo, quo tenebatur dictæ Montiſmaran. Eccleſiæ, cui tunc præerat, de Fratrum noſtrorum conſilio, & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, abſolventes, ipſum ad Vicanen. Eccleſiam, tunc vacantem, duximus transferendum, præficiendo eum eidem Vicanen. Eccleſiæ in Epiſcopum & Paſtorem.

§. II. Nos attendentes, quod nullus præter &c. de ipſius Eccleſiæ Montiſmaran. ordinatione ſe intromittere poteſt, pro eo, quod nos diu ante &c. proviſiones omnium Eccleſiarum Cathedralium, tunc apud dictam Sedem vacantium & vacaturarum impoſterum apud eam, ordinationi & diſpoſitioni noſtræ ſpecialiter reſervantes, decrevimus ex tunc irritum &c. contingeret attentari, & ad proviſionem ipſius Eccleſiæ Montiſmaran. proſperam & felicem, ne prolixioris vacationis detrimenta ſubiret, paternis & ſollicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam ad præficiendum eidem Montiſmaran. Eccleſiæ, perſonam utilem, ac etiam fructuoſam, quæ ſciret &c. ipſam manutenere in ſuis juribus, ac etiam adaugere, cum Fratribus noſtris habuimus diligentem. Demum ad te Ordinis Fratrum Minorum Profeſſorem, in Sacerdotio &c. litterarum &c. aliiſque grandium virtutum meritis, prout ex teſtimoniis fide dignis accepimus, laudabiliter inſignitum, direximus oculos &c. Quibus omnibus attenta meditatione penſatis, de perſona tua præfatæ Montiſmaran. Eccleſiæ de dictorum &c. providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum & Paſtorem, curam &c. plenarie committendo, in illo qui dat gratias & largitur præmia confidentes &c. *uberius valeas promereri.*

Datum Avenione XV. Kalend. Decembris anno V.

In eumdem modum Archiepiſcopo Beneventano & Joannæ Reginæ Siciliæ.

CXXXV.

Ut poſſint recipere duo Monaſteria. Ex 2. part. libr. 2. epiſt. 295.

Dilectis filiis Vicario Generalis Miniſtri, ac Fratribus Ordinis Minorum in Vicaria Scotiæ.

§. I. INter ceteros Ordines in agro plantatos Eccleſiæ, ad Ordinem Fratrum Minorum gerentes ſpecialis devotionis affectum, ad ea vigilanter intendimus, ac opem & operam efficaciter impertimur, per quæ in Ordine ipſo cultus divini Nominis augeatur, & idem Ordo proſperis ſucceſſibus gratuletur.

§. II.

§. II. Cum itaque, ficut accepimus, inclitæ memoriæ Robertus progenitor cariffimi in Chrifto filii noftri David Regis Scotiæ illuftris, quemdam locum in Villa de Lavark Glafquen. Diœc. vobis obtulerit & concefferit, dum adhuc ageret in humanis, & in toto regno Scotiæ Ordo vefter in tribus dumtaxat Diœcefibus fit locatus, & exinde in partibus illis per guerrarum tirannidem præ ceteris Ordinibus fit depreffus: nos, vos & Ordinem ipfum volentes profequi favorabiliter in hac parte, confideratione præfati David Regis, ac cariffimæ in Chrifto filiæ noftræ Joannæ Reginæ Scotiæ ejus confortis, nobis fuper hoc humiliter fupplicantium, ac veftris fupplicationibus inclinati, vobis & Ordini veftro prædicto, recipiendi locum præfatum, per eumdem Robertum Regem vobis, ut præfertur, oblatum & conceffum, nec non unum alium locum per dictos David Regem, & Joannam Reginam, feu eorum fubditos ab infultu hoftium diftantem, vobis & eidem Ordini concedendum, dummodo loca ipfa ad hoc fint idonea, & in eorum quolibet duodecim Fratres ipfius Ordinis inibi pro tempore commorantes, honefte ac congrue valeant fuftentari, & in quolibet ex locis prædictis habendi & conftruendi Ecclefiam, feu Oratorium, cum campanili & campana & cœmeterium, & alias neceffarias officinas, abfque tamen præjudicio parochialium Ecclefiarum dictorum locorum, & juris cujuslibet alterius alieni, felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. prædecefforis noftri prohibentis, ne Religiofi Ordinum Mendicantium loca de novo recipiant, abfque dictæ Sedis licentia, faciente plenam & expreffam de prohibitione hujufmodi mentionem, & aliis conftitutionibus contrariis nequaquam obftantibus, vobis plenam & liberam licentiam, auctoritate præfentium, elargimur. Nulli ergo &c. noftræ conceffionis &c.

Datum Avenione III. Kalend. Decembris anno V.

MONUMENTA REGIA

Extracta ex Archivo Urbis Neapolitanæ.

ROBERTI REGIS SICILIÆ ET HIERUSALEM.

I.

Unit Capellæ fuæ Regiæ Oratorium fanctæ Mariæ ad Crucem, quod poftea converfum fuit in Monafterium Clariffarum. Ex regiftro Roberti annorum 1327. & 1328. littera A. fol. 73. a tergo.

Robertus &c. Univerfis præfentes litteras infpecturis, tam præfentibus, quam futuris. In majeftatis æternæ laudem & gloriam, & præcelfum divinitatis fuæ mifterium dignanter efferimus, & pro fumma reverentia Virginis, quam debemus, præcipue devotionis inftinctu ad ipfam Virginem gloriofam, cujus merito, ex dignatione filii vivimus, & noftris populis feliciter præfidemus, novum Oratorium, five locum fanctæ Mariæ ad Crucem fitum infra mœnia, prope pontem, loco qui dicitur .... Miraculorum, cujus figna potentia funt evidenter, & notoria, & manifefta, ut eo potius crefcat in illo cœptæ jam populi devotionis affectus, quo fucceffive fiunt favoris noftri culminis .... cum oblationibus fructibus, obventionibus, redditibus, & proventibus ejus omnibus, fi qui funt, & utcumque in antea fuerint, Cappellæ Regiæ Domus noftræ, in perpetuum, ex nunc in antea, de certa noftra fcientia .... tenore præfentium condimus. Ita quod Oratorium

Vide in Annalib. anno 1318. n. 21.

rium ipsum, seu locus quomodocumque fieri, vel ædificari contingeret, per omnia, tamquam unum de specialibus membris dictæ Cappellæ Regiæ habeatur de cetero, ac etiam censeatur, declarantes tenore præsentium, ac etiam decernentes, quod Cappellani & Clerici prædictæ Cappellæ Regiæ, nobis, vel hæredibus, & successoribus nostris in Neapolitana Civitate morantibus; & nunc inantea, singulis annis, in eodem Oratorio, sive loco, quolibet festo ipsius Virginis gloriosæ ad divinum officium celebrandum, tam in Missa, quam Vesperis solemniter teneantur, quodque fructus, redditus, oblationes, ac proventus omnes & singuli prædicti Oratorii, sive loci percepti jam, & sicut in antea percipi successive contiuget, conferantur, & distribuantur, inter Magistrum prædictæ Cappellæ, aliosque Cappellanos, & Clericos ejus, pro rata, & portione debita, unumquemque ipsorum rationabiliter contingente, sicut de oblationibus & obventionibus aliis jam dictæ Cappellæ nostræ est nunc usque servatum, & in antea nos, ac ipsi hæredes & successores nostri providemus observandum. In cujus rei fidem perpetuamque memoriam, præsentes nostras litteras fieri, & pendenti sigillo Majestatis nostræ munimus. Datum Neapoli per manus......... Juris Civilis Professoris Vicemgerentis Prothonotarii Regni Siciliæ. Anno Domini MCCCXXVIII. die prima Junii, undecimæ Indictionis, Regnorum nostrorum anno vigesimo.

II.

Jubet ut Regii Ministri assistant fratri Guillelmo de Anglia electo Juvenacien. In registro signato 1329. & 1330. littera B. fol. 237.

Vide in Annal. an. 1330. n.18.

Robertus &c. Justitiariis Terræ Barii, necnon Officialibus, & universis hominibus Civitatis Juvenaci præsentibus & futuris fidelibus suis &c. Cum venerabilis & religiosus vir frater Guillelmus de Anglia Ordinis Fratrum Minorum, sacræ paginæ Doctor, Consiliarius, familiaris, & fidelis noster ad Episcopatum Juvenacien. noviter canonice sit promotus, & confirmatus legitime, nos eum alias & contemplatione præmissa, sincero & charitativo Dominico prosequentes affectu, fidelitati vestræ mandamus, quatenus in omnibus, quæ ad ipsius Ecclesiæ commodum, & utilitatem, & sui pastoralis officii rationabiliter spectare noscuntur, circa etiam recuperationem jurium ipsius Ecclesiæ, & suorum per consequens, si expedit, efficaciter debitis auxiliis, consiliis, & favoribus assistentes, vos prædicti homines, de consuetis & debitis, tam ipsi Ecclesiæ, quam ejus prædecessoribus devote pareatis, & efficaciter intendatis; præsentes autem litteras post opportunam inspectionem earum, præsentanti restitui volumus pro cautela. Datum in Casasana supra Castrum maris de Stabia per Joannem Grillum. Anno Domini MCCCXXX. penultima Julii XIII. Indictione. Regnorum nostrorum anno vigesimo secundo.

JOANNÆ I. REGINÆ SICILIÆ, ET HIERUSALEM.

I.

Ut restituantur fratri Guillelmo Episcopo Scalen. bona quæ ad ejus Ecclesiam spectabant. Ex registro anni 1343. littera G. fol. 250. a tergo.

Joanna &c. Stratigoto Civitatis Salerni fideli suo gratiam &c. Venerabilis in Christo Pater frater Guillelmus Scalensis Episcopus, Inclitæ Dominæ D. Sanciæ, Dei gratia Hierusalem, & Siciliæ Reginæ, matris nostræ Confessor, Consiliarius, familiaris, & fidelis noster, Serenitati nostræ supplicavit hu-

humiliter, ut cum nonnulla bona stabilia dictæ suæ Scalensis Ecclesiæ, domus utpote, apothecæ, & possessiones aliæ in dicta Civitate Salerni, cujusque pertinentiis posita, per quam plures laicales privatas personas occupata teneantur illicite, seu distracta, revocari illa ad jus, & proprietatem ejusdem Ecclesiæ benignius mandaremus. Nos autem, qui Ecclesias, & alia pia loca opportuni favoris præsidio libenter prosequimur ex affectu, ipsius Episcopi supplicationibus annuentes, deconsilio & assensu ejusdem Dominæ D. Sanciæ, Dei gratia Hierusalem, & Siciliæ Reginæ, reverendæ Dominæ matris, administratricis, & gubernatricis nostræ, & aliorum administratorum, & gubernatorum nostrorum, volentes prius de prædictis plenius informari, fidelitati tuæ præcipiendo mandamus expresse, quatenus statim receptis præsentibus, de prædictis, per quamdam discretivam indaginem, quæ judicialis strepitus non requirat examen, diligenter informari procures per homines fide dignos, qui plene inde scire valeant veritatem, sub religione præstandi prius per unumquemque ipsorum, de veritate dicenda, corporalis ad sancta Dei Evangelia juramenti, & quidquid inde inveneris, fideliter in scriptis redactum, sub sigillis, tuo, necnon Judicis, & actorum Notarii deputatorum, tecum per Curiam nostram, culmini nostro studeas districte & particulariter intimare, ut informatione ipsa habita super prædictis, providere consultius valeamus, cautus ne aliud, quam quod inde inveneris, & scripseris, possit per alium ullo umquam tempore inveniri, cum tibi exinde totaliter incumbamus. Datum Neapoli per Adenulfum Cumanum de Neapol. &c. Anno Domini MCCCXLIII. die XX. Maii, Indictione XI. Regnorum nostrorum anno primo.

II.

Ut nullus audeat fabricare in ambitu Monasterii sanctæ Crucis intra spatium quadraginta cannarum. In registro an. 1343. & 1344. littera A. fol. 41.

JOanna &c. Universis &c. In religionis favorem, ubi præsentium de honestatis debito agitur, potestatis nostræ præsidium libenter extendimus, & ad removenda obstacula quælibet, quæ viderentur illi posse quomodolibet refragari, personis consideratis & locis, sicut negotii qualitas exigit, remediabiliter providemus. Sane ex instinctu devotionis internæ, applicantes curarum nostrarum custodiam ad venerabile Monasterium Monialium sanctæ Crucis de Neapoli, opus utique manuum Inclitæ Dominæ D. Sanciæ Dei gratia Hierusalem, & Siciliæ Reginæ, reverendæ matris nostræ; ejusque statum imposterum salubriter gubernandum, ut Moniales in illo degentes sub professione & habitu beatæ & inclitæ sanctæ Claræ, claustrali cohortatione locatæ, Deo, & ipsi Sanctæ, sine alicujus tentationis jaculo, liberius famulentur, & pensantes claræ devotionis affectum, quam ipsa Regina mater nostra, spiritu claritatis per actum latriæ, ad Monasterium ipsum gerit, ut Moniales ipsæ, quæ, spretis hujus mundi delitiis, sub regulari habitu Domino famulantur, nullis mundanis affectibus involvantur, præsenti edicto nostro perpetuo valituro, de certa scientia nostra præscribimus, & incommutabiliter ordinamus, ut nullus, cujuscumque status, aut conditionis existat, circa, vel prope dictum Monasterium, & ejus ambitum, quantum videlicet quadraginta cannarum spatio ad generalem cannam Civitatis Neapolis mensurando, a Monasterio ipso distat, domos, habitationes, seu ædificia quæque construere quomodolibet audeat, vel præsumat: si quis vero præsentis edicti nostri inventus fuerit quomodolibet transgressor, dirutis & penitus demolitis omnibus domibus, habitationibus, & ædificiis ipsis, pro suæ transgressionis temeritate, libram auri unam fisco nostro, sine aliqua remissione per-

persolvat. Ex his enim honestati Religiosarum ipsarum, in expedientibus casibus opportune perspicimus, ut eis deditis divinis servitiis malignandi tollatur occasio, & inordinatæ voluntati cujuslibet impotentiæ contradicat; ut autem hujusmodi edictum nostrum in communem notitiam deveniat singulorum, præsens scriptum edictum ipsum continens, pendenti sigillo excellentiæ nostræ munitum, majoris Ecclesiæ Neapolit. necnon Castri nostri Novi de Neapol. & Curiæ Vicariæ Regni nostri porticibus apponi, & affigi mandavimus; quod ipsius edicti seriem suo quasi sonorio præconio, & patulo judicio publicabit, & nihilominus in plenioris cautelæ suffragium, Capitaneo Civitatis Neapoli per alias nostras litteras, ejusdem edicti seriem continentes, injungimus, ut edictum ipsum per eamdem Civitatem divulget publice, & per competentia faciat officia divulgari. Datum Neapoli per manus Adenulfi Cnmani de Neapoli &c. Anno Domini MCCCXLIII. die tertio Novembris, duodecimæ Indictionis, Regnorum nostrorum anno primo &c.

III.

Instituit suæ Regiæ Capellæ Magistrum fratrem Andræam de Valle-regia. Ibidem.

JOanna &c. Tenore præsentium, notum facimus universis earum seriem inspecturis, tam præsentibus, quam futuris, quod nos attendentes honestatem morum, conversationis, & vitæ suavitatem placidam, devotionis promptitudinem, nec minus & probatam in Divinorum cultu peritiam, quæ in persona religiosi viri fratris Andreæ de Valle-regia, Ordinis Fratrum Minorum, Cappellani, familiaris, & fidelis nostri, ab ipso quasi nostræ infantiæ tempore, certa nos experientia docente, concurrere novimus & vigere, suadente quoque servitiorum suorum laudabilibus meritis, quæ nos ad hoc excitant, pariter & inducunt, eumdem fratrem Andræam Magistrum secretæ Cappellæ nostræ, harum serie, de certa nostra scientia, duximus ordinandum; volentes & mandantes expresse per ipsius Cappellæ Cappellanos & Clericos, dicto fratri Andreæ tamquam illius eorumque Magistro, in omnibus, quæ ad hujusmodi magisterium spectare noscuntur, intendi de cetero efficaciter & pareri. Has igitur litteras nostras, magno pendenti sigillo nostro munitas, in hujus rei testimonium & cautelam, tibi duximus concedendas. Datum Neapoli per Adenulfum Cumanum de Neapoli &c. Anno Domini MCCCXLIV. die VI. Januarii XII. Indictione Regnorum nostrorum anno I.

IV.

Assumit in suum Cappellanum & familiarem fratrem Petrum de Aquila. Ex registro ann. 1343. 1344. littera I. fol. 55.

JOanna &c. Universis &c. Si persæpe Princeps in familiaritatis & obsecutionis officium, ad aliorum testimonium, sibi jungit ignotos, decet eum per amplius illos assumere, quos experientia certa, propriaque scientia, dignos novit. Cum igitur profundæ dona scientiæ, discretorum actus morum laudabiles, & alia gratiosa virtutum merita religiosi viri fratris Petri de Aquila, Ordinis Minorum, sacræ paginæ professoris, nobis, devotionis & fidei sinceritate, præclareant, ipsum in Cappellanum & familiarem nostrum providimus, & duximus retinendum; volentes & jubentes expresse, quod illis de cetero privilegiis, favoribus, honoribus, prærogativis, & gratiis potiatur & gaudeat, quibus Cappellani & familiares nostri ceteri potiuntur. In cujus rei testimonium præsantes litteras fieri, & pendenti sigillo nostro, quo utimur, jussimus communiri. Datum Neapoli anno Domini MCCCXLIV. die XXII. Januarii XII. Indictione, Regnorum nostrorum anno secundo.

IN-

INDEX
RERUM NOTABILIUM

Notæ Arabicæ paginam, Romanæ marginalem paragraphum denotant.

A

C

D

E

F

Fran-

G

Joan-

Lu-

M

Ma-

Na-

N

O

P

Cæ-

Po-

R

Ro-

S

Si-

T

Tho-

INDEX BULLARUM

Quæ in hujus Septimi Tomi Regesto continentur.

Numerus Arabicus indicat paginam, Romanus per ordinem positas Bullas.

De-

Regi-

Signi-

FINIS TOMI SEPTIMI.

Menda, quæ in hujus Septimi Tomi editione irrepserunt, benevole Lector, ita corriges.

Pag. 3.	§. V.	*lin.* 14.	Neoroticos	Neotericos
20.	§. XLVII.	*lin.* 6.	illiecbris	illecebris
29.	§. XIII.	*lin.* 22.	possilibus	possessibilibus
36.	§. I.	*lin.* 6.	Republiem	Reipublicæ
38.	§. II.	*lin.* 15.	eum	cum
41.	§. IX.	*lin.* 1.	dies	die
43.	§. XIII.	*lin.* 18.	Amplia	Amplo
68.	§. IV.	*lin.* 11.	Venagsino	Venaysino
91.	§. XXXI.	*lin.* 44.	Evangeliam	Evangelium
107.	§. III.	*lin.* 9.	Perposito	Preposito
115.	§. XIII.	*lin.* 6.	Rus	Reus
145.	§. IX.	*lin.* 6.	Vassellue	Vassallus
169.	§. XXVI.	*lin.* 2.	Joaonis	Joannee
297.	§. XV.	*lin.* 1.	Filium	Filiam
330.	§. VIII.	*lin.* 20.	latos	fator
317.	§. XXV.	*lin.* 13.	Nimociensi	Minociensi





